

8
13 L
29







IACOBI GRANADO

GADITANI

E SOCIETATE

IESV.

IN SECVNDAM SECVNDAE SANCTI THOMAE AQVINATIS

COMMENTARII.



Hispali; apud Franciscum de Lyra. Anno Domini M.DC.XXIX.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Diego Granado de la Compañia de Iesus. nos fue fecha relacion, que aviades compuesto un libro intitulado Commentarios sobre la secunda secundæ de señor S. Thomas, suplicandonos os mandassemos dar licencia para le poder imprimir, y privilegio por el tiẽpo que fuessemos servido, o como a la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizieron las diligencias, q̃ la prematica por nos ultimamente fecha sobre la impression de los libros dispone, fue acordado, q̃ deviamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon; y nos tuvimos lo por bien. Por la qual os damos licencia y facultad, para que vos, o otra persona q̃ vuestro poder oviere, y no otra alguna, podais imprimir el dicho libro intitulado, Commentarios sobre la secunda secundæ de S. Thomas, que de suso se haze mencion, en todos estos nuestros Reynos de Castilla, por tiempo y espacio de diez años, q̃ corran y se cuenten desde el dia de la data desta nuestra cedula, so pena que la persona o personas, que sin tener vuestro poder lo imprimiere, o vẽdiere, o hiziere imprimir o vẽder, por el mesmo caso pierda la impression q̃ hiziere, con los moldes y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis cada vez q̃ lo contrario hiziere, la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona q̃ lo acusare, y la otra tercia para nuestra Camara, y la otra tercia para el Iuez q̃ lo sentenciare, con tanto, q̃ todas las vezes q̃ oviere des de hazer imprimir el dicho libro, durante el tiempo de los dichos diez años, le traigais al nuestro Consejo, juntamẽte con el original, q̃ en el fue visto, q̃ và rubricado cada plana, y firmado al fin del de Martin de Segura Olalquiaga Escrivano de Camara, de los q̃ residen en nuestro Consejo, para q̃ se vea si la dicha cõposiciõ està cõforme el original, o traigais fe en publica forma, de como por corrector nõbrado por nuestro mandado, se vio, y corrigio la dicha impression por el original, y se imprimio conforme a el, y quedan impressas las erratas por el apuntadas para cada un libro de los q̃ assi fuerõ impressos, para q̃ se tasse el precio q̃ por cada volumen oviere des de aver. Y mandamos al impressor, q̃ assi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni el primer pliego del; ni entregue mas de un solo libro con el original al Autor, o persona a cuya costa lo imprimiere, ni a otra alguna, para efecto de la dicha correction y tassa, hasta q̃ antes y primero el dicho libro estè corregido y tassado por los de nuestro Consejo; y estando hecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego; y successivamente ponga esta nuestra cedula, y la aprovacion, tassa, y erratas, so pena de caer e incurrir en las penas contenidas en las leyes y prematicas destos nuestros Reynos. Y mandamos a los del nuestro Consejo, y otras qualesquier justicias dellos, q̃ guarden y cũplan esta nuestra cedula, y lo en ella contenido. Fecha en Aranjuez a 26. dias del mes de Abril de 1627. años.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

D. Sebastian de Contreras.

TASSA.

YO Martin de Segura Olalquiaga, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, de los que residen en su Consejo, doy fè, que aviẽdose visto por los Señores del un libro intitulado Commentarios sobre la secunda secundæ del señor S. Thomas, compuesto por el Padre Diego Granado de la Compañia de Iesus, tassaron cada pliego del dicho libro a quatro maravedis, el qual tiene ciento y treinta y dos pliegos, que a los dichos quatro maravedis monta el dicho libro quinientos y veinte y ocho maravedis, sin el principio, en que se à de vender en papel, y dieron licencia para que al dicho precio se pueda vender, y mandaron que al principio del dicho libro se ponga esta tassa, y no se pueda vender sin ella. Y para que dello conste, di el presente en Madrid, à 9. de Agosto de 1629. años.

Martin de Segura.

ERRATA.

Pagina.	*Columna.*	*Linea.*	*Errata.*	*sic corrige.*
5	2	6	antem	autem
14	1	29	aliun	aliud
18	1	11	dixisse	dixisset
36	2	39	vita	vitam
86	1	5	primò	tertio
89	2	8	iudicatu	iudicatũ
92	2	1	ub	ubi
92	2	3	vindica	viodicat
117	1	17	valebat	volebat
515	2	35	scrupulosæ	scrupulose
506	1	6	quantitatatem	quantitatem
506	1	8	sit	sint.
507	1	33	postliminis	postliminij
507	1	39	id liceret	id non liceret
509	1	50	nullum	nullam
512	2	32	voluntatis	voluntati

Liber hic nomine inscriptus Cõmentarij in Secundam secundæ S. Thomæ, per patrem Didacum Granado Collegij Societatis Iesu Hispalensis primarium Cathedræ Theologiæ professorem, correspondet suo exemplari demptis his mendis. Datum Matriti die vigesima sexta mensis Iulij Anni 1629.

Licenciatus Franciscus Murcia de la Llana.

FACVL.

FACVLTAS R. PATRIS PROVINcialis Baeticae Provinciae.

IOannes Muñoz de Galvez Provincialis Societatis Iesu in provincia Bætica, potestate ad id mihi facta à R. admodum Patre nostro Mutio Vitellescho Præposito Generali eiusdem Societatis, facultatem concedo, ut Commentarij de Fide, Spe, & Charitate, super quæstiones Secundæ secundæ Sancti Thomæ, à P. Iacobo Granado nostræ Societatis Theologo, & in Hispalensi Collegio S. Hermenegildi publico Sacræ Theologiæ primario professore compositi, & eiusdem Societatis gravium, doctorumque virorum iudicio examinati, & approbati, typis mandentur, in quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & nostro sigillo munitas dedimus Hispali die 15. Augusti anno Domini 1629.

Ioannes Muñoz de Galvez.

CENSVRA.

VT cætera scrinia, & scripta Reverendi admodum Patris Didaci de Granado Societatis Iesu, quæ regio hactenus mandato inspexi; sic ista de tribus virtutibus, Fide, Spe, & Charitate arrident, valde, & placent, quare digna, quæ in lucem prodeant, Regio consessui pronuncio. Matriti apud B. Martini Benedictinorum cænobium idibus Aprilis Anni 1627.

Fr. Antonius Perez.



D. O. M.

VNI, ET TRINO,

REGI

SECVLORVM IMMORTALI,

INVISIBILI,

SOLI DEO, HONOR,

ET GLORIA IN SECVLA


SECVLORVM, AMEN.

1. TIM. 1.





VONIAM optimus hic ordo est, ut qui sermonem, vel rem aliquam auspicatur, à Deo initium ducat, & in Deo conquiescat. Agendorum initium sit, & finis, Deus. Sanctus Gregorius Nazianzenus in suorum operum principio, & fine.



PRIMA GENERALIS CONTROVERSIA DE VIRTVTE FIDEI, AD sexdecim primas quæstiones secundæ secundæ B. Thomæ.

PRAEFATIO.

IN *ædificio spiritali, quod supremus artifex Christus Iesus fabricatus est, iure optimo fides fundamentum appellatur, ipsius enim certæ cognitioni innituntur gratia, & cæteræ virtutes, quibus in dies evehitur huius sancti templi structura, donec cælestis gloriæ culmē attingat: & propterea Paulus ad Hebræos* 11. *Fidem appellat* substantiam, *seu* basim, & fundamentum sperandarum rerum: *quia nimirū, ut ait S. Augustinus (vel quicumq; alius sit author serm.* 30. *de Trinit. qui habetur ad finem to.* 10. *operum Augustini)* Fides est bonorum omniū fundamentū, humanæ salutis initiū, sine qua nec in hoc sæculo quisquā iustificationis gratiā, nec in futuro vitam possidebit æternam. *Sanè cùm ad supernaturalem fælicitatem tendere non possit, qui supernaturalem fælicitatem non novit, eam autem non agnoscat ratio, quæ concluditur naturæ limitibus, necessariū est, divinitus infundi mentibus nostris fidem,* Quæ *(ut loquitur S. Bernardus. ser.* 28. *in Cantica)* transgreditur fines rationis humanæ, naturæ usum, experientiæ terminos; *ut qui proprij ingenij imbecillitatem didicimus, non rationem, sed fidem ducem sequētes (ut admonet S. Nazianzenus orat.* 2. *de Theologia) firmū fundamētū iaciamus ad totius ædificij molem sustinendā. Igitur de hac virtute fidei nobis in præsenti dicēdum est: nec mirabitur aliquis, si cum tanta fidei excellētia difficultas etiam tractationis coniūgatur, ea enim est fundamenti conditio, ut quid reconditum, & abstrusum sit. Conabimur tamen, qua fieri potuerit brevitate, difficultates illius dilucidè expedire.*

PARTITIO VNIVERSÆ HVIVS TRACTATIONIS.


MNIA, Quæ Angelicus Doctor in his ſexdecim quæſtionibus diſputat, ſeptemdecim tractatibus iuxta illarum ſeriem complectemur. In primo diſſeretur de obiecto divinæ fidei, tam formali, quàm materiali in communi, & de fidei reſolutione. In ſecũdo de evidentia, quæ de obiectis divinæ fidei haberi poteſt. In tertio de obiectis materialibus diuinæ fidei in ſpeciali. In quarto de regulis in generali, quibus obiecta fidei divinæ diſcernuntur à falſis, aut incertis dogmatibus, & de illarum numero, & comparatione. In quinto de prima regula, ſcilicèt verbo Dei ſcripto, & tradito. In ſexto de ſecunda regula, ſcilicèt Eccleſia militãte. In ſeptimo de tertia regula, ideſt, capite huius Eccleſiæ, ſcilicèt ſummo Pontifice. In octavo de reliquis regulis, & mẽbris Eccleſiæ. In nono de actu interno fidei divinæ ſecundum ſe. In decimo de actu interno fidei quatenus ad ſalutem neceſſario. In vndecimo de externo actu fidei. In duodecimo de habitu ſupernaturali fidei, & ſpeciebus illum comitantibus. In decimo-tertio de habẽtibus fidem ſupernaturalem. In decimo-quarto de donis Spiritus Sancti, quæ reſpõdent fidei divinæ. In decimo-quinto de vitijs oppoſitis interno actui fidei, ſcilicèt infidelitate, & illius ſpeciebus. In decimo-ſexto de vitio oppoſito externis actibus fidei, ſcilicèt blaſphemia. In decimo-ſeptimo de vitijs oppoſitis dono intellectus fidẽ comitanti, & piæ affectioni ad fidem requiſitæ.

COMMENTARIVS IN ARTICVLVM PRIMVM, ſecundum, & tertium quæſtionis primæ.

DIſſerit in hac quæſtione B. Thomas de obiecto fidei: & in articulo primo definit, obiectum formale fidei eſſe veritatem primã, quæ eſt ipſe Deus, materiale verò eſſe plura, quæ ad Deum ipſum referuntur, & ſub hac ratione cadunt in divinam revelationem. In ſecundo dicit, obiectum fidei, ſi conſideretur ex parte rei creditæ, eſſe quid incomplexũ, ſi verò conſideretur ex parte credentis, eſſe quid complexum, ſeu enuntiabile, ut poſteà declarabimus. In tertio docet, fidei non poſſe ſubeſſe falſum, eò quòd obiectum illius ſit veritas prima, quæ fallere non poteſt.

TRACTATVS PRIMVS de obiecto divinæ fidei, tam formali, quàm materiali in communi, & de fidei resolutione.

DISPVTATIO I.

De existentia, & nomine fidei divinæ.

1. NON solùm esse posibilē, sed etiam re ipsa infundi fidelibus á Deo qualitatē quandam, quæ fides divina nūcupatur, certissimū est, ut ex dicendis in decursu huius cōtroversiæ perspicuè patebit. Sed quoniam nomine fidei plura solent significari, oportet vim illi⁹ expēdere, priusquam de fide disputetur. Sic enim docet Aristoteles, initio scientiæ præmittendam esse existentiam sui obiecti, & quid nomine illius significetur.

2. *Valent. Gabriel.* Multiplicem fidei acceptionē afferunt Gregorius de Valencia, to. 3 disp. 1. q. 1. punct. 1. & Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. intio. Significat enim interdū fidelitatem; interdum rectā existimationē, quæ de aliquo habetur in implenda promissione; interdum res ipsas, quæ creduntur, & plura alia, ut ex varijs sacræ Scripturæ, & prophanorū authorū testimonijs perspicuū est. Sed in præsenti accipitur pro virtute, quæ firmū assensum præbet ijs, quæ à Deo revelata sunt; cuius acceptionis varia sacræ Scripturæ, & Patrū loca in sequentibus indicabo. Neq; putandum est, nomen *Fides* in hac acceptione minus latinū esse, ut supponit Michaël Medina, lib. 1. de recta in Deum fide ca. 1. nam Cicero li. 2. de divinatione paulò ante finem usurpat nomen istud in hac significatione, & *tribuere fidem testimonio alicuius*, est phrasis Ciceronis, ut ex Nizolio constat, ubi nomine fidei intelligitur assensus, quo credimus alteri dicēti. *Medina. Cicero. Nizolius.* Huius igitur fidei, quæ prout respicit Deū, dicitur divina, investigamus obiectū tam formale, quàm materiale.

DISPVTATIO II.

Vtrùm divina authoritas sit obiectum formale divinæ fidei?

PRemitto ex infra dicēdis, Deum esse potissimū obiectū materiale fidei, quatenus circa illū præcipuè versatur, cætera verò non respicit, nisi prout ad Deū referuntur; ut autem perspicuè constet, an, & sub qua ratione sit formale obiectū divinę fidei, distinguēda imprimis est duplex ratio veritatis, una appellatur veritas in essendo, quæ nimirū est affectio cuiuscumq; entis, & cōsistit in adæquatione rei ad verum iudiciū, quod de illa format Deus, & in aptitudine quā habet, ut intelligatur, iuxta dicta lib. 2. Metaphy. dis. 3. Altera veritas est in dicēdo, quæ consistit in quadā habituali volūtatis inclinatione ad dicendum verū, ut rectè explicat S. Thom. in hac 2. 2. q. 109. ubi eam annumerat virtutibus, quæ propriæ sunt substantiæ intelligētis, & resident in illius voluntate, tanquam in subiecto, appellaturq; ab eodem in art. 1. corpore, *Veracitas*. 1 *S. Thom.*

Et quidē cū De⁹ sit ens, imò omniū entium perfectissimū, in eo invenitur prior illa ratio veritatis. Rursus cū sit etiam nobilissima substantiarū intelligentium, necesse quoq; est, in eo posteriorē veritatē admitti, non quidem per modū habitus, quia ut suppono ex dictis t. 2. in cōtroversia de habitibus, nulli habitus existunt in Deo, sed per modū actus secundi, quatenus illius volūtas semper vult neminem decipere. 2.

¶ Rursus advertendū est, inter veritatē in dicēdo, & authoritatem aliquid dicētis, esse manifestū discrimen; nā virtus veritatis solū inclinat ad asserēdū id, quod quis existimat verū, sive in re verum sit, sive non; at authoritas præter dictā inclinationē includit verā notitiā rerū, quas asseverat: unde homo maximè rudis, qui in media, ut aiunt, luce

veritatẽ non videt, habere quidem potest veritatis virtutem, seu inclinationem ad dicẽdum id, quod reputat esse verũ, sed non potest habere authoritatem, cui quis possit, aut debeat fidem habere.

3. Igitur divina authoritas non solùm dicit actum, quo neminẽ vult decipere, sed etiam perfectissimam scientiã, quam nihil omnino latere potest, unde non est aliquod attributum speciale, quod ab eius infinita sapiẽtia, & rectissima volũtate diversum sit. Et quidem nomẽ hoc *authoritas divina*, non est fortasse tam frequenter ab scholasticis usurpatũ, quàm nomen *veritas prima*, & licet veritas, & authoritas in cõmuni acceptæ sine dubio distinguantur, in Deo tamen pro eodẽ accipiendæ sunt, quia nomen veritatis primæ videtur etiam supponere, aut includere infinitam omnino sapientiam, sine qua Deus veritas prima non esset, quare indifferentet utemur utroq; nomine, & quod de uno retulerimus, de altero relatum etiam intelligatur.

4. Omitto, quod subtiliter nonnulli expendere voluerunt, an scilicet hæc authoritas, seu veritas prima pręcipuè consistat in actu intellectus, quo Deus omnia novit, connotando actũ voluntatis, quo neminẽ vult decipere; an in hoc actu voluntatis cõnotato actu intellectus summé sapientis; an potiùs in utroq; æqualiter; omitto (inquã) quia res exigui momenti est, cùm enim certum sit, utrumq; actũ requiri, parũ interest, sive unũ magis præcipuè, quàm alterum, sive utrumq; ex æquo afferat, quamvis hoc posteri⁹ magis mihi probandum videatur.

5. His positis: Difficultas nostræ disputationis in eo posita est, an Deus sub aliqua ratione ex assignatis sit obiectũ formale divinæ fidei. Et imprimis Caietanus ad artic. 1. existimat, Deũ sub ratione Deitatis, & sub ratione veritatis pertinere ad obiectũ formale fidei; imo non esse aliud, Deum sub ratione veritatis dici obiectũ, quàm si dicatur esse sub ratione Deitatis. Probat, quia veritas nihil reale superaddit enti, sed illud aliter significat, idẽ enim omnino est *homo*, & *verus homo*, aeproinde idem omnino est *Deus*, & *verus Deus*; ergo sicut Deus sub ratione veritatis est obiectum formale fidei; ita etiam sub ratione Deitatis. Vnde B. Thomas in hoc art. 1 indifferẽter usurpat nomina Deitatis, & veritatis primæ, dum explicat obiectum formale fidei: & 1. p. q. 1. art. 7. videtur Deum secundum rationem Deitatis constituere obiectũ formale Theologiæ, & fidei.

Caiet. *S. Thom.*

6. Deinde idem Caietanus indifferẽter affirmat, Deum esse obiectũ fidei sub duplici ratione veritatis à nobis declaratæ; in cuius cõfirmationẽ facit, quòd veritas in essendo est obiectum formale cuiuscumq; actus intellectus; ergo cùm fides pertineat ad intellectum, necesse est, obiectum formale illius esse veritatem in essendo; præter hanc autem veritatem respicit etiam authoritatem dicentis, quia id est proprium cuiuscumq; fidei.

7. Tertio dubitari posset, an sola veritas prima sit obiectu fidei, ita ut nulli alteri authoritati innitatur; aliquis enim contenderet, inniti etiam authoritati humanæ, tum quia propter Ecclesiæ, & pastorum eius testimoniũ credimus plura; tum etiam, quia authoritas Christi Dñi, in quantum homo est, erat omnino infallibilis, cui proinde inniti potest firmitas divinæ fidei: propterea enim unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis arcana divina, ut non solùm Deo, sed etiã ipsi, ut homini, fidẽ adhibeamus. Vnde ipse in cap. 14. Ioãnis: *Creditis* (inquit) *in Deũ, & in me credite.* Cui doctrinæ consentire videtur, quod Calvinus apud Valenciam supra asseveravit, scilicet, non solùm Deum, ut Deus est, sed ut etiã est homo Christus, esse obiectũ primariũ fidei; & pro eodem refert Martinum Kemnitium, quamquam ex dictis horũ hęreticorũ non colligatur, eos contendere, fidem inniti authoritati humanitatis Christi, ut rationi formali, sed solũ ipsam pertinere ad obiectum primarium. *Ioan. 14.* *Valenc.*

8. Dicendum tamen est, simpliciter & absolutè obiectum formale divinæ fidei esse divinam authoritatẽ, seu Deũ ut est veritas prima in posteriori acceptione iam explicata. Conclusio est communis Theologorum, B. Thomæ *S. Thom.*

art.

S.Bonav. Albert. Carthus. Durand. Gabriel. Alexand. Lorc.1. Turrian. Valent.

art.1. Bonaventuræ in 3. dist.24.art. 1. quæst.2. Carthusiani cũ Alberto magno, quæst. 1. Durandi, dist.23.quæst.7. n.6. & dist.24.quæst.1.n.16. ubi ait, diuinam authoritatem esse rationē formalem fidei; Gabrielis suprà art. 1. & Alexandri 3.p.quæst. 79.memb.6. Petri de Lorca ad art.1. huius quęstionis disp.2. conc.1. Luisij Turriani disp.2. dub.1. Gregorius de Valencia supra punct 1.assert.2. id ipsum egregiè declarat, & confirmat, tum authoritate aliorum scholasticorum, tum ipsis verbis S. Thomæ, quibus satis declarat, se non agere de veritate prima in essendo, sed in dicendo: ait enim, *veritatem primam esse obiectum fidei, quia ipsa non præbet assensum, nisi ijs, quæ revelata sunt à Deo.*

9. Probatur primò ex sacra Scriptura, & Patribus; nam Genesis 15. dicitur: *credidisse Abraham Deo*, quia nimirum innixus est divino testimonio per supernaturalem fidem, quæ in ipso & reliquis fidelibus est eiusdem rationis In quæ verba S. Chrysostomus homil, 36. dixit, *Per fidem intendi mentes nostras in dignitatē Dei*, idest, in infallibilē eius authoritatē; & S. Ambrosius, ut refertur in Glossa, addidit, *Abrahamum non quæsivisse rationem, sed promptissima fide credidisse, & à Deo non esse exigendam rationem eorum, quæ nobis credenda proponit.* Quasi diceret: Soli testimonio, & authoritati illius esse nobis innitendũ, ¶ Deinde in prima ad Thessalonicenses 2. *Cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) Verbum Dei.* Quibus verbis satis indicat Apostolus, fidem inniti debere divino, & non humano testimonio, quod nomen significat idem, quod veritas prima, seu divina authoritas. Vnde S. Augustinus to. 6. lib. contra epistolā fundamenti, cap. 14. dixit, *In ijs, quæ credimus, firmari mētem nostram non ab hominibus, sed à Deo* Et propterea 1. Ioan. 5. dicitur: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*, quasi diceret: Debere nos credere mysteria fidei, quia divina authoritas ea testatur, siquidē alia credimus ob humanā authoritatem. Eleganter etiam idem S. Augustinus to.2. epist.3. *Quæ* (inquit) *mens avida æternitatis, contra huius divinæ authoritatis culmen, lumenq́; cōtendat?* Et Salvianus lib. 3. de providentia Dei, paulò post initium: *Humana dicta* (inquit) *argumētis, & testibus egent; Dei autem sermo ipse sibi testis est, quia necesse est, quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.* Deniq; S. Dionysius cap. 7. de divinis nominibus: *Deus* (inquit) *ratio est simplex, vereq́; subsistēs veritas, circa quam ut liquidam, & nusquā oberrantem scientiam omniũ divina fides est.* Quo nihil expressius dici potuit in confirmationem conclusionis.

Genes. 15. S.Chrys. S.Ambr. 1. Ad Thesalon.2. S.August. Salvian. S. Dionys.

10. Secundò probatur ratione, quia obiectum formale cuiuscumq; fidei est authoritas, seu testimonium dicentis; ergo obiectũ formale divinæ fidei est authoritas divina. Antecedens est omnino certum, nam ut rectè notavit author sermonis de Cœna Dñi, qui habetur to.2. operum S. Bernardi, hoc est discrimen inter fidem, & scientiā, seu alios habitus intellectus, quòd sciētia ratione, & intellectu colligitur, fides verò sola authoritate inducitur: nec de re tā perspicua potest esse dubitatio. Consequētiā verò probo, quia non alia ratione appellatur nostra fides divina, nisi quia divino testimonio nititur, sicut fides alia dicitur humana, quia innititur humanæ authoritati. Et sanè cũ in Catholica Religione profiteamur tot, tamq́; sublimia, & recōdita mysteria, oportuit fidelium mentes non alio quàm divino testimonio confirmari.

S.Bernar.

11. Tertio probatur conclusio, ostendēdo insufficientiam aliarum opinionũ: & quidē prima satis efficaciter refelli potest, nam primò veritas, quæ est affectio entis, non est quid rationis, sed reale distinctum ratione á cōceptu entis, ut in Metaphysica probatũ est; quare ex eo quòd Deus sub ratione huius veritatis foret obiectũ formale fidei, non rectè inferretur, esse etiam sub ratione deitatis. Secundò id ipsum patet in veritate sub posteriori acceptione, nam authoritas Dei est ipsamet sapiētia, & voluntas non decipiendi quemquam, quæ formalitates distinguuntur ratione á conceptu Deitatis, ut 1.p. cōtroversia 2. & 3. dictum est. Tertiò, licèt

authoritas Dei fundamentum habeat in Deitate, non tamē determinatur intellectus ad credendum Deo, nisi quatenus sua veracitate mentem firmare potest ad assensum; ergo ratio formalis obiecti fidei nō est Deitas, nisi sub ratione veritatis, sicut obiectum formale charitatis non est Deus, nisi sub ratione bonitatis. Nec B. Thomas cōtrarius est, solum enim vult, Deum esse obiectum fidei quasi identicè, eò quòd divina authoritas sit ipse Deus, sicut bonitas, & alia attributa sunt etiam Deus, nos verò loquimur in sensu magis formali, quem ipse etiā expressit dicens, primam veritatem esse rationem formalem obiecti fidei.

12. Quod verò attinet ad secūdam opinionem, verum quidem est, obiectum formale fidei esse veritatem in essendo, sicut est etiam obiectum cuiuscūq; actus intellectus, quod quidem bene explicat hoc loco Caietanus, & ita explicatur in Metaphysica, aut libris de anima, ut propterea solùm dicatur obiectum formale, quia intelligibilitas, seu veritas in essendo est cōditio, sine qua nihil intelligeretur, sicut etiam visibilitas dicitur obiectum visus, quia nihil videri potest, nisi visibile sit. Loquendo tamen de obiecto peculiari fidei, non bene dicitur illud esse veritatem primam in essendo, quia hic nomine obiecti formalis solum intelligitur ratio, quæ movet intellectum ad credendum, seu cui innititur divina fides, sed hæc est sola veritas in dicendo, ergo. Minor patet, nam circa veritatem in essendo omnes actus intellectus versantur, & omnis scientia, quæ de Deo haberi potest, respicit hanc veritatē; ergo peculiaris ratio fidei solùm dicit veritatem in dicēdo. Confirmatur, quia non innititur fides Deo, quia est intelligibilis, sed quia est infallibilis authoritatis; ergo hæc authoritas est absolute loquendo obiectum formale illius. *Caiet.*

13. Tertius denique dicendi modus est falsus, quamvis enim sint aliæ authoritates infallibiles ex Dei gratia, ut authoritas Ecclesiæ, humanitatis Christi, & beatorum, non tamen illæ sunt obiectum formale fidei; primò, quia id expressè docent Sacra Scriptura, Patres, & Theologi citati. Secundo quia cū fides sit una, solum potest habere unum, & idem obiectum formale; ergo cùm ante adventum Christi Domini non habuerit divina fides pro obiecto authoritatem humanā illius, nec modo habebit. Cùm verò Ioannis 14. dixit Christus Dominus: *Creditis in Deum, & in me credite*, intelligēdum est, quia ipse etiā Deus erat, vel si in ipsum ut hominem credendum esset, non esset sermo de fide divina, sed de alia humana, quamvis infallibili. Tertiò, quia Ecclesia non est obiectum formale fidei, sed solùm proponit infallibiliter id, quod propter Dei authoritatē credendum est: in cuius confirmationem facit, quòd cùm credimus ipsam Ecclesiam habere authoritatem proponendi res fidei, non id credimus propter testimoniū Ecclesiæ, sed quia Deus revelavit. Deniq; sicut dubium non est, quin obiectum formale charitatis sit divina bonitas, ita nec dubitari potest obiectum formale fidei esse divinam authoritatem, ut ita tam ex parte intellectus quàm ex parte voluntatis habeamus virtutes, quæ immediatè tendant ad ipsum Deum. *Ioan.14.*

DISPVTATIO III.

Vtrùm revelatio pertineat ad complementum obiecti formalis fidei divinæ?

CERTVM omnino est, requiri revelationem, ut fides circa divinam authoritatem versari possit, nam propter authoritatem alicuius non potest aliquid credi, nisi id ipse testetur; unde cū Deus non nisi media revelatione nobis aliquid asseveret, consequens est, revelationem requiri, ut propter Dei testimonium credamus. Vt autem expediatur disputationis difficultas, explicare oportet, quidnam sit ista revelatio, seu locutio divina. Et quidem duplex 1.

plex revelatio distingui potest, una activa, altera passiva; illa est ipsamet divina cognitio, qua Deus cognoscit veritatem rei nobis proponēdæ, & actus volūtatis, quo vult illam nobis proponere; revelatio verò passiva est effectus huius volitionis divinæ, qua mediante nobis innotescit divina sciētia: id autem potest duobus modis evenire. Primò per externa signa, quæ determinent intellectum nostrum ad iudicandum, hic & nunc prudenter teneri nos aliquid credere ut dictum à Deo, v.g. si aliquis Angelus sub humana specie mihi diceret modò veritatem aliquam, multaq; miracula patraret, ut suaderet, se à Deo missum ad eam rem mihi manifestandam, tunc sanè externa hęc propositio obiecti sufficeret ad perfectam revelationem, & ut crederem actu divinæ fidei, & eiusmodi non paucæ revelationes leguntur in sacra Scriptura. Secundo modo evenire posset per sola interna signa, v.g. si quis in se ipso experiretur singularem admodum illustrationem, quæ illi dictaret se debere credere rem aliquam, ut à Deo dictam, sicq; convinceretur intellectus, ut non dubitaret Deum illi aliquid attestari, tunc sufficienter intelligeretur facta revelatio talis obiecti, & eiusmodi sunt revelationes factæ Prophetis, & alijs viris præcellentis sanctitatis.

2. Hoc posito, disputationis nostræ difficultas in eo consistit, an aliqua ex prædictis revelationibus pertineat ad complemētum obiecti formalis fidei, ita ut ex illa, & divina authoritate cōstituatur obiectum adæquatum. Caietanus ad articulum primum, §. *ad primam ergo obiectionem*, docet, revelationem activam pertinere ad rationem formalem obiecti fidei, de passiva autem nihil dicit expressè: Gabriel in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 1. ad quandā obiectionem, absolutè ait, fidem inniti divinæ revelationi, nec explicat, de qua revelatione loquatur. Palacios dist. 25. disp. 5. ait absolutè revelationem esse obiectum formale fidei. Valēcia disp. 1. quæst. 1. pūct. 1. difficult. 2. post secūdam assertionem, probabile reputat revelationem passivam pertinere ad complementum obiecti formalis, absolutè tamen in neutram partem vult propendere, *Quia* (inquit) *Doctores difficultatem hanc non attigerunt.* Aragon 2.2. quæst. 1. art. 1. §. *si quis autē quærat*, absolutè negat, revelationem pertinere ad obiectum formale fidei.

Caiet. *Gabriel.* *Palac.* *Valent.* *Aragon.*

3. Dico tamē primò: Revelatio passiva pertinet ad complementū obiecti formalis fidei divinæ. Conclusionem hāc expressè sequuntur docti Iuniores, & inter eos Dominicus Bañez ad art. 1. dub. 1. conc. 6. Turrianus disp. 2. dub. 2. S. Thomas autē quamvis nihil habeat expressum in hac difficultate, favet tamen nostræ conclusioni infrà, quæst. 17 art. 6. corpore, ubi constituit discrimē inter fidem, & charitatem, *eò quòd charitas faciat hominem inhærere Deo propter se ipsum, fides verò adhærere illi prout est nobis principium cognoscendi veritatē.* Quibus verbis velle videtur, charitatē solùm versari circa Deitatē, fidē verò præter Deum inniti alicui rei creatæ in nobis positæ, quæ nō potest esse alia quàm revelatio passiva. Favet etiam Canus 12. de locis cap. 3. conc. 2. & 3.

Bañes. *Torres.* *S.Thom.* *Canus.*

4. Probatur ratione, quia illud, sine quo non potest intelligi cōpleta ratio obiecti formalis fidei, pertinet ad complementum illius, sed sine revelatione passiva non potest intelligi completa ratio obiecti formalis fidei, ergo. Maior, & consequētia sunt omnino certæ; minorem probo, quia authoritas dicētis, quamdiu non dicit nobis aliquid, non est motivum assentiendi, non solū quia deest aliqua conditio requisita, per quam nobis applicetur, sed quia nondum intelligitur habere id, quod determinat mētem, ut præbere possit assensum. Quod ampliùs declaratur, & confirmatur primò, quia cùm rogamur, cur credamus aliquod fidei mysterium, respōdere solemus, quia Deus id dixit; ergo signum est, divinam attestationem, seu revelationem pertinere ad rationem, atq; adeò ad obiectum, cui nostra fides innititur. Confirmatur secundò, quia ita se habet revelatio passiva ad actum fidei, sicut præmissæ ad conclusionem, sed istæ sunt ratio formalis comparatione conclusionis, ergo & revelatio passiva cōpa-

ratione fidei. Consequentia est evidẽs, minor patet ex Logica in libro enim 5. super libros Priorum Aristotelis ostẽdi, præmissas nõ solùm obiectivas, sed etiam formales, quæ sunt actus eliciti ab intellectu, & prima principia, esse rationem formalem comparatione actus cõclusionis. Maiorem probo, quia non minùs innititur authoritati prout revelãti ille qui credit, quam præmissis ille, qui conclusionem deducit; imò id quod habet conclusio pro ratione formali in præmissis, habet fides in ipsomet actu, quo credimus. V.g. si quis ita argumẽtaretur: *Omne, quod Deus revelat, est verum; Deus revelat se esse trinũ; ergo Deus est trinus.* Ista conclusio habet pro ratione formali revelationem, de qua sermo est in una præmissarum: cũ autẽ uno simplici actu fidei credimus Deum esse trinum, quia Deus revelavit, contũgimus in obiecto ipsius actus fidei id, quod in præmissis illius argumentationis positum erat; ergo sicut revelatio pertinet ad rationem formalem illius cõclusionis, ita etiam pertinebit ad rationem formalem obiecti fidei. Confirmatur tertiò, quia ex revelatione passiva provenit obscuritas fidei, ut patebit disputatione sequẽti, sed hæc est omnino essentialis fidei eo modo, quo in quarta disputatione explicaturi sumus; ergo & revelatio passiva, ex qua id provenit.

5. Sed obijcies primò. Revelatio passiva est aliquid creatũ; ergo non potest pertinere ad obiectum formale divinæ fidei, quæ cùm sit virtus Theologica, soli Deo potest inniti. Confirmatur, quia revelatio passiva non est aliquid reale, sed rationis, cũ ergo non deceat, obiectũ formale fidei esse aliquid rationis, negandum consequẽter est, revelationem passivam esse obiectũ formale. Respondetur nullum incommodum esse, si aliquid creatum pertineat ad complementum obiecti formalis virtutis Theologicæ, dummodo illud non sit præcipua ratio obiecti; ita ergo authoritas divina est immediata, & præcipua ratio obiecti fidei, revelatio verò passiva est complemẽtum illius, quia sine illa non potest intelligi proximè potens determinare intellectum ad assensum. Ex quo obiter infero, impossibilem esse fidem, quæ non exigat revelationem, vel locutionem pro cõplemento sui obiecti formalis, & ideò non esse tam perfectam, quàm charitatem, quæ in solam Dei bonitatem, prout in se est, terminatur. Ad confirmationem, verum quidem est, hanc revelationem interdum fieri signis externis, atq; adeò vocibus, quarum significatio est denominatio extrinseca, quæ ab alijs appellatur ens rationis; & tunc non video cur dedeceat, aliquid rationis, seu aliquam denominationẽ extrinsecam pertinere ad complemẽtum obiecti fidei; prærerquamquòd potest etiã fieri revelatio merè interna, in qua solum reperiantur cõceptus reales.

Obijcies secundò: illud est obiectũ formale divinæ fidei, ex quo sumitur fidei certitudo, sed hæc nõ sumitur ullo modo ex revelatione, sed ex sola divina authoritate; ergo sola divina authoritas est obiectum formale. Respõdetur negando minorem, nam quãvis prima veluti radix certitudinis fidei sit divina veracitas, illa tamen non intelligitur completè determinãs ad assensum certum, nisi prout revelans, & ita ex authoritate revelante sumitur adæquate certitudo: sicut licèt vis recipiendi formam sit ipsa materia, receptio tamẽ est modus intrinsecè pertinẽs ad materiam, prout exercet vim recipiendi. 6.

Obijcies tertiò; obiectũ formale fidei debet esse omnino unũ, sed revelatio potest esse multiplex, interdũ enim fiet per signa externa, interdum sola mentis illustratione, & sub quacumq; harum rationum potest etiam esse maxima varietas; ergo revelatio non pertinet ad obiectum formale fidei. Confirmatur, quia si quis crederet propter Dei authoritatem interiùs revelantẽ, & alius propter eandem authoritatem exteriùs loquentem, isti duo haberent diversum motivum formale; ergo elicerent actus divinæ fidei diversos essentialiter: hoc autem videtur falsum, cũ omnes actus fidei divinæ sint eiusdem speciei; ergo. Respondetur, hac obiectione bene probari, non repug- 7.

nare assēsus fidei specie diversos, quod non solùm hoc exemplo, sed alijs etiā probabimus infra; nego tamen ab ea fide infusa, quam modo habemus, respici ipsas revelationes, ut diversas, sed potiùs cū credimus, solùm innitimur authoritati Dei revelanti, quod verò hoc, vel illo modo revelet, sicut accidentarium est certitudini fidei, ita id non respicitur, ut obiectum formale, sed ut quid materiale.

8. Neque difficultas hæc magis nos urget, quàm adversarios; nam licèt divina fides non respiceret ipsam revelationem, ut complemētum obiecti formalis; non tamen dubitari potest, quin intellectus posset elicere aliquos act⁹ fidei, quibus inniteretur Deo prout revelātī, ac proinde habere ipsam revelationem pro obiecto: quare sicut ipsi etiam dicturi sunt, hoc esse possibile, licèt non contingat in fide, quā modo habemus, ita quoque nos dicimus, hāc vel illam revelationem posse pertinere ad obiectum formale alicuius fidei, nō tamen illius, quam nunc infusam accipimus.

9. S.Thom. Obijcies quartò authoritatem S. Thomæ, qui in corpore articuli primi huius quæstionis sic ait: *Si in fide consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud, quàm veritas prima;* & 3.p.q.7. ar.4.corp. *Fides in quantum virtus Theologica, non est de quocumque non viso, sed solùm de Deo.* Sētit ergo, nihil aliud præter Deum pertinere ad obiectum formale fidei, ac proinde revelationem passivam, quæ est aliquid creatum, excludendam omnino esse à ratione obiecti formalis. Respondetur, in priori testimonio agere S. Thomam de obiecto formali absolutè, & simpliciter, non autem de complemēto illius, qualis est revelatio passiva, præterquàm quod eò ipso, quòd veritas prima dicatur obiectum, censetur implicitè addita revelatio, sine qua non potest prima veritas esse obiectum, ut dictū est. In posteriori verò testimonio sermonē esse de obiecto, à quo desumitur denominatio virtutis Theologicæ. & hoc fateor esse solum Deum, sed cum hoc bene cohærere aliquid creatum, quòd sit complementum illius, sicut cohærēt alia multa, quæ sunt obiectum materiale.

Ex dictis in hac disputatione infero, & dico secundò, etiàm revelatio activa pertinet ad obiectum formale fidei. 10. Probatur, nam revelatio passiva est effectus activæ, nec minùs pendet fides ex eo, quod nobis revelet per revelationem activam, quàm per passivam, quæ sine activa non potest haberi. Vnde hanc assertionem meritò docuerūt Caietanus, & Turrianus suprà, & saltē eam non negabūt Gabriel, & Palacios in locis iam relatis, cùm sine limitatione affirment, revelationem pertinere ad obiectum formale fidei. Caiet. Turrian. Gabriel. Palac.

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm prædicta revelatio debeat esse obscura?

1. NON est difficultas de revelatione activa; nā hæc, prout dicit divinam cognitionem, est omnino evidens, sed agitur de revelatione passiva; nec rursus dubitatur, an ea, quæ pertinēt ad obiectum fidei, possint aliunde esse clarè cognita, de hoc enim in sequente tractatu dicendum est; solùm ergo disputatur, an ipsa revelatio, prout est complemētum obiecti formalis fidei, sit evidens, an potius obscura. Gregorius de Valencia disp.1.q.1. punct.4. colligit ex doctrina aliquorum hæreticorū, quòd secundum ipsos divina fides sit evidens, & idem docuit quidā Frāciscus de Marchia apud Gregorium q.1. prologi art. 4. ex qua sententia inferri videtur, ipsam revelationem, quæ determinat ad fidei assensum, esse evidentem, nam aliunde non potest fides evidentiam participare. Valent. Marchia.

2. Potest autem hoc suaderi primò, quia revelatio pertinens ad obiectum fidei debet esse talis cōditionis, ut mētem reddat omnino certam de veritate revelata, sed hoc non potest præstare, nisi ipsa sit evidens; ergo. Minor probatur, nam si revelatio sit obscura, nihil manifestabit; ergo non proponet

sufficienter divinam authoritatem, ut illi firmiter adhæreat intellectus. Secúdò, quia nemo prudenter assensum firmum præberet tot mysterijs tam supra humanum captum, nisi clarè cognosceret, illa esse à Deo revelata; ergo nō potest obscura revelatio pertinere ad obiectum formale fidei. Tertiò, quia obscuritas est quædam negatio, fides autem, cùm sit positiva qualitas mentis, non potest desumere speciem suā ex obscuritate revelationis, maximè cum fides non versetur circa obscuritatem, sed circa Deum revelantem.

3. Dicendum tamen est, revelationem pertinentem ad obiectum fidei necessariò debere esse obscuram. Sensus assertionis est, fidem nostram inniti divinæ authoritati revelanti, ita ut talis revelatio non ostendat clarè, & evidēter, Deum esse eum, qui loquitur, nec similiter ostendat ea evidēter, quæ proponuntur credenda. Et ita explicata conclusio desumitur ex B. Thoma hîc art.

S.Thom. 4. & communi doctrina Theologorum in 3. dist. 23. & 24. Probatur primò ex sacra Scriptura, & Patribus, nam Apostolus ad Hebræos 11. appellat fidem

Ad Hebr. 11. *argumentum non apparentium*, id est, convictionem, seu rationem, qua convincimur ad præbēdum assensum ijs, quæ ut per fidem proponuntur, non apparent nobis, id est, obscurè proponūtur. Vbi elegātissimè S. Chrysostomus ho-

S.Chrysost. mil. 21. *O quàm mirabili* (inquit) *verbo usus est dicens, argumētum eorum, quæ non videntur; argumentum quippe est in rebus admodum manifestis. Fides igitur visio est non apparentium, & ad eādem certitudinē ducit, ad quam etiam quæ videntur. Proinde nec circa quæ videntur, credulitas dici potest: neque iterum fides dici potest, nisi cū circa ea, quæ non videntur, ampliùs quàm circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit.* Quibus verbis cōsonāt verba

S.August. S. August. tra 40. in Ioā. *Quid est fides, nisi credere, quod nō vides?* Id est, id quod tibi obscurè proponitur. Sed multò elegantiùs in epist. 85. ad Consentiū ferè initio: *Habet* (inquit) *fides oculos suos, quibus quodāmodo videt verum esse, quod nondum videt, & quibus certissimè videt, nondum se videre, quod credit.* Plura alia referemus tractatu sequēte, disp. 7.

Secundò probatur ratione: Si revelatio, quæ pertinet ad obiectum fidei, 4.
foret clara, seu evidens, cognosceremus per fidem evidenter omnia mysteria, quæ creduntur: Consequens est falsum; ergo & illud, ex quo infertur. Minor videtur certa; tum ex testimonio Apostoli, qui fidem docet versari circa non apparentia; tum ex ratione, quia nullus dissentiret rebus fidei, nec paterentur fideles tot primos motus dubitationis, si clare perspicerēt fidei veritates. Consecutio ergo probatur, quia pleriq; certò, & evidenter norūt, Deum non posse mentiri, quare si aliūde evidenter scirēt, Deum illis aliquid revelare, consequenter scirent evidenter, illud non esse falsum, sed verum. Confirmatur, quia Christus Dominus in Evangelio laudat eos, qui non viderunt, & crediderunt; ergo fides non versatur circa ea, quæ videt; ergo non videt clarè Deū esse, qui loquitur, aut vera esse, quæ loquitur; ac proinde revelatio, quæ veritates fidei proponit, non est clara, sed obscura.

Responderi potest ad hanc rationem, eum qui habet fidē, non cognoscere evidenter res fidei, quia non cognoscit illas in se ipsis, licet clare cognoscat in attestante, seu in clara revelatione. Sed hoc nullo modo verisimile est; primò, quia evidentia rei in attestante est vera evidentia, & clara cognitio obiecti; ergo qui evidēter in attestante sciret veritates fidei, non haberet obscuram cognitionem. Secundò, quia eiusmodi claritas non fineret homines dubitare, aut dissentire, cum quivis posset se ipsum evidenti hoc argumento convincere. *Quidquid Deus dicit, est verum* (quæ est maior evidentissima) *sed Deus dicit se esse trinū, &c.* (quæ minor supponitur evidens ab adversarijs) *ergo Deus est trinus*: quod est consequens omnino evidens, posita evidentia præmissarum. Cùm igitur certū sit, eiusmodi evidentiam non haberi ex vi revelationis divinæ, quæ proponit fidei mysteria, ut facilè quivis experietur, certum etiam putandum est, revelationem, quæ requiritur ad fidem, nō esse claram, sed obscuram. 5.

6. Ad primum respondetur, revelationem obscuram proponere divinam authoritatem, & illam manifestare, nó claré, sed obscurè; id autem sufficere, ut fides illi innitens certa sit, sicut motivum, cui obscurè innititur, certũ est. Ad secundũ nego antecedens, sed sufficit id esse evidenter credibile eo modo, quo in sequente tractatu sumus explicaturi. Ad tertium, imprimis non repugnaret, cognitionem aliquam, licèt positiva sit, versari circa negationem, ut sæpissime contingit, cùm cognoscũtur non entia. Deinde facilior, & certa solutio est, non pertinere ad obiectum formale fidei ipsam obscuritatem, sed talem revelationem positivam, in qua non sit evidentia, sed potiùs fundamẽtũ obscuritatis, & ita servatur optima proportio, sicut enim actus fidei non dicitur obscurus, quasi ipsa obscuritas, seu negatio claritatis sit de essentia illius, sed solùm quia est talis cognitio, quam consequitur ista negatio, eadem ratione obiectum formale fidei non dicitur divina authoritas obscurè revelans, quasi obscuritas revelationis pertineat ad rationem formalem, sed solùm, quia est talis modus revelandi, qui prædictam obscuritatem annexam habet.

7. *Durand.* *S.Thom.* Ex hac doctrina facilè solvũtur obiectiones, quibus Durandus dist.24. q. 1. à n.10. refellit doctrinam B. Thomæ in art.4. huius quæstionis asserentis, nó visum pertinere ad obiectũ fidei; iam enim declaravimus, nó visum, seu obscurum eatenus pertinere ad obiectum fidei, quatenus obiectum formale proponitur nobis media revelatione, quæ fundat obscuritatem: nec multum dissentit à nobis ipse Durandus, cùm n.15 tandem concedat, prædictam obscuritatem esse conditionem obiecti fidei.

(?)



DISPUTATIO V.

Utrùm in solam authoritatẽ divinam obscurè revelantem resolvatur fides divina?

SECTIO I.

Quid nomine resolutionis intelligatur, & in quo posita sit disputationis difficultas.



Resolutionis nomen accipitur à Dialecticis, & Theologis pro mentis regressu, quo quasi inquirit causam, quæ illam determinavit ad assentiendum alicui veritati: unde cùm petitur, ut aliquam cõclusionem resolvamus, perinde est, ac si peteretur motivum determinans intellectum ad eliciendam conclusionẽ; hoc autem motivum non potest esse causa efficiens, quia hæc licèt det esse actui, nó dicitur ratio formalis determinans; nec potest esse aliqua códitio, aut applicatio rationis formalis, quia hæc non dicitur propriè determinare: quare resolutio conclusionis facienda est in principia, quia illa sunt, quæ in genere causæ formalis determinant, atq; adeò sunt ratio, cui intellectus innititur, & à qua pendet firmitas ipsius conclusionis. Iuxta hanc doctrinam cũ petitur, in quidnam fiat ultima resolutio alicuius assensus, solùm inquiritur, quæ sit ultima ratio determinans ad illum, & cui, tanquam fundamento, innitatur talis cognitio. 1.

Hoc posito difficultas nostræ disputationis in eo posita est, quid nimirum sit illud, quod ultimò nos determinet ad credendum, seu ad quod tandem reducenda sit nostra fides, tanquam ad ultimam rationem formalem, cui nostra credulitas innitatur. 2.

Ex quo principio infertur primò; non disputari hoc loco, an ad præbendum supernaturalem assensum requiratur habitus fidei supernaturalis, aut 3.

certè Spiritus sancti illustratio, & inspiratio, id enim tanquam omnino certū supponitur à Catholicis, & infrà in proprio loco tractandum est; sed solùm inquiritur, an in prædictum habitum, vel quodvis aliud ultimò resolvatur assensus fidei, supposito ex doctrina proximè declarata, quòd si habitus, & illustratio solùm consideretur ut causa efficiens actum fidei, non posit in illos fieri ultima resolutio, quia hæc non fit, nisi in causam formalem, seu in rationē ultimò determinantem.

4. Infertur secundò, non esse dubium inter Catholicos, quin ad credendum requirantur aliqua motiva credibilitatis veluti manuducentia intellectum, ut firmū assensum præbeat rebus, quas non videt, aliter enim imprudenter se gereret, si præcipitaret assensum, dum nec veritatem videt, nec rationem invenit, qua suadeatur, illa, quæ non videt, digna esse, quæ firmiter credātur, de quo plura dicemus in secundo tractatu. Modò sufficiat referre verba S.

S. August. Augustini to. 6. lib. contra epistolam fundamenti cap. 4. ubi eleganter enumerat rationes, quibus inductus est, ut ab Ecclesia non discederet, sed firmiter crederet, quæ ipsa proponit credēda. *Multa* (inquit) *fiunt, quæ in Ecclesiæ gremio me iustissimè teneant: tenet confessio populorum, atq; gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum*, &c. Solùm ergo dissensio est, an in prædicta, aut alia similia motiva resolvatur ultimo fides divina.

5. Infertur tertiò, à nemine Doctorum negari, esse aliquas regulas proponēdi fidem adeò infallibiles, ut quod iuxta illas proponitur nobis credendum, credere posimus, & debeamus; sicut è cōtrà respuere, quæ iuxta illas proponantur ut falsa. Eiusmodi est imprimis Catholica Ecclesia, quæ cùm in rebus fidei errare non posit, quidquid sua authoritate credendum proposuerit, credere omnino tenemur; quod vero ipsa dixerit non esse credendum, continuò respuendum est: & id tantum voluit

S. August. S. Augustinus suprà cap. 5. cùm dixit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moveret authoritas.* Quare non bene adducitur iste locus ad probandū fieri ultimam resolutionem fidei in Ecclesiam. Deinde aliæ regulæ sunt summus Pontifex, Concilium generale, perpetua traditio, sacra Scriptura ab Ecclesia recepta, quorum testimonijs credendum est: quare solū dubitatur, an alicui ex prædictis regulis innitatur fides tanquam ultimæ rationi, à qua pendet firmitas eius.

Denique eadem ratione supponitur à Theologis id, quod in disputationibus præcedentibus definivimus, scilicet fidē inniti authoritati divinæ obscuré revelanti tanquam obiecto formali, & solùm vocatur in cōtroversiā, an ea sit ultima ratio, cui nostra fides innitatur, ita ut ultimū, propter quod assentimur mysterijs fidei, sit divina veracitas, & non aliud. 6.

SECTIO II.

Expenditur discursus Michaëlis Medinæ circa divinæ fidei resolutionem.

Medina lib. 5. de recta in Deum fide cap. 11. ex professo disputat de ultima fidei divinæ resolutione, cuius sententia dilucidé proponenda est. 7. Medina.
Primùm ergo constituit discrimen inter priores illos viros clarissimos, scilicet Apostolos, Discipulos, Prophetas, quibus immediatè revelata sunt divina mysteria, & alios, quibus hęc revelatio immediatè facta non est. Deinde docet, illorum virorum fidē immediatè resolvēdam esse in Dei authoritatem, vel certè in fidem infusam, qua mentes illorū immediatè à Dño illustratæ sunt: Quia cū illis Deus immediatè locutus fuerit, rectè ad id totā suam credulitatē revocāt, quod divino testimonio infallibili didicerūt. Tertiò statuit, nos, & alios Catholicos, qui nec miracula vidimus, nec immediata revelatione à Deo accepimus, quæ credātur, resolvere debere fidē nostrā in Ecclesiæ authoritatē, non quidē quatenus Ecclesia est quædā sapiētissimorū hominū congregatio, sed in quantū

regitur

regitur ab Spiritu sancto, ac proinde in se habet authoritatem divinam, ut perinde sit illi credere, ac si Deo immediatè credidisses. Probat primò ex Paulo ad Roman. 10. *Quomodò credent in quem non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante? ergo fides ex auditu.* Vbi Paulus rationem credendi videtur assignare, nimirum authoritatem Ecclesiæ prædicantis: pro quo adducit etiam testimonium S. Augustini suprà à nobis explicatum.

Ad Rom. 10.

8. Secundò probat, quia rusticus non ob aliam rationem credit, nisi quia ita audivit à publico verbi Dei ministro, minister autem, quia ita docet Ecclesiastica traditio, nec ultra hoc procedit interrogatio; ergo nostra fides ad hanc Ecclesiæ authoritatem ultimò revocatur. Tertiò probat, quia cõmunis respõsio Catholicorum est, se credere divina mysteria, quia ita docet Ecclesia, nec ulla alia responsio sufficiens potest assignari; si enim dicatur Catholicus credere, quia Deus dicit, aut quia ab Spiritu sancto ad ita credendũ movetur, id ipsum respondebit hæreticus, nec poterit à Catholico cõvinci falsitatis. Confirmatur primò, quia motio Spiritus Sãcti nõ potest esse id, in quod ultimò resolvitur divina fides quia motio solũ pertinet ad causam efficientẽ, *& resolutio* (inquit Medina) *facienda est in causam rationalẽ*, seu formaliter determinantẽ. Confirmat secũdo, quia divina authoritas est quid incomplexum, resolutio autem nostræ fidei facienda est in aliquod principium complexũ. Ex quo tandem concludit quartò, ultimam resolutionem istius fidei fieri in istam propositionem, scilicet, *Ecclesia, quæ ab Spiritu sancto regitur, docet ita Deũ dixisse; propter hanc enim veritatem credo reliqua;* istam verò, dicũt nonnulli, qui Medinã videntur secuti, immediatè credi, quia lumen fidei ad illã inclinat immediatè. Atq; hæc est Medinæ doctrina ex longo satis eius discursu collecta.

9. Verùm in hoc dicendi modo multa sũt, quę mihi displiceãt. Primùm enim falsum est, resolutionẽ fidei quorũdam fieri in unum motivum, aliorum verò fieri in aliud diversum, nam fides omnium Catholicorũ, quocumq; tẽpore floruerint, una omnino est quoad essentialem rationem, & solo numero distinguitur pro subiectorũ multiplicitate; ergo in eãdem rationem formalem resolvenda est fides omniũ illorum. Patet consequẽtia, quia ut ipse Medina rectè supponit, resolutio fidei fit in ultimam rationem formalẽ assentiẽdi, sed unus habitus solùm habet unam rationẽ formalem; ergo. Minor patet, quia distinctio essentialis actuum, atq; adeò habituũ desumitur ex distinctione rationũ formalium; ergo cùm fides quoad actũ, & habitũ fuerit, & sit semper unius essentiæ, in eandem rationem formalẽ semper resolvetur. Secũdum, quod affirmat, scilicet resolutionem fidei primariorum virorum fieri in ipsum Deũ, infrà expendemus, & refellemus simul cum argumento, quod affert.

Tertium assertum illius etiam refellitur efficaciter: primò, quia multorũ fides non potest in Ecclesiam resolvi, cũ ipsi ab Ecclesia non acceperint, sed immediatè à Deo, ut Medina fatetur; ergo idem dicendum de fide omnium, quia ut proximè dicebamus, ad eandẽ rationem revocanda est omnium fidelium credulitas. Secũdò, quia fides divina immediatè innititur Deo revelanti, Ecclesia autem solũ est applicans rationem formalẽ fidei, nec aliud probant testimonia Pauli, & Augustini. Secunda etiam illius ratio non urget, quia rusticus, si divina fide credat, non innititur authoritate ministri prædicãtis, sed authoritate Dei, quam minister proponit, & ob eãdem minister credit, non ob Ecclesiasticam traditionem, licet hæc sit regula infallibiliter proponẽs fidem, ut suprà notatum est. Tertia etiam inefficax est, nam si in ea responsione dicatur Ecclesiæ testimoniũ esse ratio formalis, falsum est, nec proptereà credunt Catholici, sed ob divinũ testimonium; quamvis, quia Ecclesia infallibiliter proponit Dei veritatem, dicere soleamus nos credere, quia docet Ecclesia: quod autem sit discrimen inter rationẽ fidei, quam reddit Catholicus, & eam, quam reddit hæreticus, infrà explicabimus, & diluetur prima confirmatio, & etiam secunda. 10.

11. Modo refellitur postrema propositio sententiæ Medinæ: primò, quia una veritas fidei non resolvitur in aliam, cùm æqualiter sint omnes revelatæ, & motivũ idem sit ad omnibus assentiendum, ut ex dicendis patebit. Secundò, quia vel illa propositio, *quod* nimirum *Ecclesia regatur ab Spiritu sancto*, creditur immediatè propter Dei authoritatem; & sic credi poterunt reliquæ, cùm non minùs à Deo revelatæ sint, nec enim rectè dicitur ad illam primò inclinare lumen fidei, cùm sint aliæ veritates longè excellentiores ad fidem nostram pertinentes, & multò magis ad salutem necessariæ: vel creditur, quia ex ipsa terminorum apprehẽsione elucet veritas illius propositionis, ut nonnulli volũt, & eodẽ modo dici poterit, alias fidei veritates elucere non quidẽ clarè, & evidenter, quia nec Ecclesiam regi ab Spiritu sãcto cognoscimus evidenter, sed certò & infallibiliter; nulla ergo ratione dici potest, fidem resolvi in Ecclesiæ testimonium.

12. Denique cùm actus fidei non sit discursus, sed quasi primum principium, non est faciẽda ultima illius resolutio in alium iudicium, seu in aliquid complexum, ut loquebatur Medina, sed potius in aliud, quod ex parte obiecti, vel ex parte intellectus determinet ad assensum; sicut in naturalibus prima principia evidentissima non resolvũtur in alia iudicia, sed in veritatem obiectivam, vel apprehensionem terminorũ.

13. Baňez. Ex dictis colligi poterit, quid veritatis habeat, quod Baňez art. 1. dub. 4. docuit, scilicet fidem nostram quantũ ad distinctionem, & explicationẽ credendorum resolvi in testimonium Ecclesiæ, prout rectæ ab Spiritu sancto; si enim velit, ipsam esse infallibilẽ regulam proponendi mysteria fidei, verum dicit, nec aliud probare possunt testimonia, quæ congerit ex sacra Scriptu-
Matth. 16 ra, maximè Matth. 16. ubi dicitur fundata Ecclesia supra confessionẽ Petri, qui tanquam caput, proponit mysteria credenda. Si autẽ contendat, testimonium Ecclesiæ esse rationem formalẽ credendi aliquam veritatem fidei, falsum dicit, & in superioribus satis reiectus est, quamquam ipse in quarta conclusione rectè loquatur de ultimo motivo nostræ credulitatis, ut postea dicetur.

SECTIO III.

Sententia Durandi.

Præter sententiam, quam hactenus reiecimus, sunt etiam aliæ, quæ referẽdæ sunt, ut veritatem declaremus. 14.
Secunda ergo sentẽtia est Durandi, qui Durand.
licèt in 3. dist. 24. q. 1. nu. 8. & 9. dixerit, fidei assensum resolvi in aliũ, quo credimus, Ecclesiã regi ab Spiritu sancto, in q. tamen 3. n. 7. & 9. videtur tandem nostram credulitatẽ revocare ad principia nota naturali lumine, scilicet ad hoc, quòd debeamus credere, quæ nõ videmus, ob authoritatem Dei videntis, & quod admittere debeamus fidẽ tot signis confirmatam; videtur autem loqui de propria & rigorosa resolutione, quia eiusmodi principiũ vocat medium assentiendi. Et propterea dist. 25. q. 3. latè contendit, non posse elici actum fidei infusæ sine acquisita, id est, sine cognitione, quæ suadeat, res fidei esse credendas.

Affertur pro hac sententia Scotus 15.
dist. 23. sed nihil videtur iste Doctor Scotus.
resolutè definire circa hanc difficultatẽ, Gabriel verò ibidem q. 2. art. 1. à §. Gabriel.
Sed de habitu infuso, licèt videatur revocare fidẽ ad hoc principium cognitum fide acquisita, qua credo, testem id asserentem esse veracẽ; addit tamen, *fidem infusam non pendere ab acquisita, nec ab illa accipere firmitudinem.* Quibus verbis satis ostendit, se non velle, fidem infusam inniti actibus fidei humanæ, sed solùm hanc prærequiri ut manuductionem, seu applicationem, quia, ut suprà dicebamus, ad credendum fide divina necessaria sunt motiva, quæ suadeant, nostræ religionis mysteria esse credẽda; quod verissimum est, & idem fortasse voluit Durandus, quia fortè cùm fidem acquisitam appellat medium assentiendi, nomen *medij* accipit minus strictè pro eo, quod ad assentiendum suadet, licèt illi non innitatur fides tã quam rationi formali.

Cæterùm cuiuscumque sit ista sententia, est omnino falsa: primò, quia fides divina est certior omni actu fidei 16.

humanæ,

humanæ, imò & scientiæ naturalis, habet enim causam firmiorem suæ certitudinis, scilicet divinum testimonium; ergo non innititur fidei humanæ, aut cuicumque alteri cognitioni naturali. Patet consequentia, quia assensus non potest esse firmior, quàm ratio formalis ad illum determinans, propterea enim conclusio non est magis, imò nec tam certa, quã præmissæ, quia hæ sunt ratio formalis determinãs ad assentiẽdũ illi; ergo si divina fides inniteretur fidei humanæ, aut cognitioni naturali, non esset firmioris certitudinis.

17. Secundò, quia Scriptura, & Patres suprà adducti disp. 1. fidem divinam revocant ad divinum, non ad humanum testimonium: propterea enim Ioannes, *Si testimonium* (inquit) *hominũ accipimus, testimonium Dei maius est*, quasi diceret, fides nostra admittenda est, quia innititur testimonio firmiori, quàm sit humanum, ac proinde qui propter testimonium humanũ credere solet humana, maiori iure tenetur divina credere propter authoritatem divinam. Et eò spectant illa verba Pauli ad Galatas 1.

Ad Gal. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Vult nimirum Galatis suadere, non credi mysteria fidei innitendo authoritati hominum, aut Angelorũ, nam si illis inniteretur, multum valeret authoritas ipsius Pauli ad dissuadendũ id, quod ipse persuaserat; sed potiùs inniti divino testimonio, quod supra homines, & Angelos est. Vnde subdit infrà: *Notũ vobis facio Evãgelium, quia non est secundum hominem, sed per revelationem Iesu Christi.* Vbi ait S.

S. Ambr. Ambrosius, Paulum velle manifestare, *Prædicationem eius non esse aptatam secũdum humanum iudicium, ut indigna videretur authoritate divina, sed à Dei filio se didicisse per revelationem*, scilicet, ut sciretur, divino testimonio inniti fidẽ, quam prædicabat.

18. Tertiò refellitur, quia cùm dicitur fides divina inniti actui fidei humanæ, aut alicui scientiæ naturali, vel significatur, actũ fidei divinæ esse conclusionem illatam ex prædictis principijs, & hoc est falsum, quia actus fidei non est discursus, sed in hoc differt à Theologia, quod hæc per discursum agnoscit veritates innitendo ipsis principijs fidei ut rationi formali, fides verò immediatè tendit ad obiectum propter Deum dicẽtem, ut infrà explicabitur: sicut etiã fides humana non est discursus, sed assensus immediatus; vel significatur, actum fidei divinæ supponere fidem humanam ut applicãtem rationem formalem credendi & hoc est verissimum, nec in hac disputatione controvertitur; vel deniq; ab ipsa fide humana accipere suã firmitatẽ, non sicut conclusio accipit à principio, sed sicut cognitio sumit naturam suam à sua ratione formali, & hoc etiam est falsum, quia cùm motiva credibilitatis, aut fidei humanæ possint esse multiplicia, imò & specie diversa, non esset una ratio formalis fidei, quæ moveret omnes ad credendum, quod est contra fidei unitatem.

Sed obijcies primò: obiectũ, in quod tendit actus fidei, debet in aliquo apparere verum; ergo cùm in se ipso non appareat verũ, necesse est apparere in aliqua ratione extrinseca; hæc autem non est alia, quàm fides humana, & evidentia credibilitatis; qua suademur, obiecta fidei esse à Deo reuelata, atq; adeò vera; ergo fides divina revocãda est ad acquisitam, ut ad rationem, quæ determinat ad cognoscẽdum obiectũ. 19.

Respõdetur, verbum *apparere* æquivocum esse, si enim significet idem, quod *clarè cognosci*, falsum est, obiectũ fidei debere apparere, potiùs enim debet esse obscurum, ut pertineat ad fidem; si verò significet idẽ, quod cognosci firmiter, licèt obscurè, sic concedo, obiectũ fidei apparere verũ in aliquo, scilicet in ipso actu fidei, qui est ratio formalis cognoscendi, obiectum revelatũ esse verum; apparet etiam in motivis credibilitatis, ut in applicantibus, & deniq; in interna illustratione Spiritus sancti, de qua posteà.

Obijcies secundò: ut quis firmiter credat mysteria fidei propter Dei authoritatem, debet illi certò constare, Deum esse infallibilis veritatis, hoc enim requiritur ut motivum determinans; sed hoc non constat, nisi naturali lumine, quod evidẽter dictat, Deum 20.

esse veracem; ergo fides innititur huic principio naturaliter cognito, *Deus est verax*. Respondetur, non esse necessarium ad veritates fidei, quòd lumine naturæ cognoscatur evidenter, Deum esse veracem; nam id fortasse rustici qui credunt, non agnoscunt clarè; nec requiritur, quòd cognoscatur per opinionem, aut fidem humanam, quia hæc est multò incertior fide divina, ac proinde non potest hæc inniti principio fidei humanæ; cognoscitur ergo Dei veracitas ipsamet fide divina, quæ docet Deum esse veracem, sicut & esse trinum, &c.

21. Sed urgebis: ergo saltem unus assensus fidei, v.g. quo credo Deum esse trinum, resolvitur in alterum, quo credo Deum esse veracem, quod tamen est omnino falsum, nam, ut suprà argumentabamur, omnes assensus fidei resolvendi sunt in eandem rationem formalem, sed assensus, quo credo Deum esse veracem, non resolvitur in assensum quo credo Deum esse veracem, aliter resolveretur in semetipsum; ergo nec reliqui assensus. Respondetur, obiectione concludi, non resolvi unum assensum fidei in alium, sed potiùs quemlibet assensum inniti primæ veritati, & per ipsummet actũ, quo credo alia mysteria, credi simul Deum esse veracem. Solutio colligitur ex Caietano artic. 1. dub. 4. & in hunc modum breviter explicatur. Licèt non possit aliquis credere divina fide, nisi credat, Deum esse infallibilis authoritatis, non tamen requiritur, ut id prius per alium actum crediderit, sed illomet assensu, quo firmiter credit Deum esse trinum ob divinam authoritatem revelantem, credit etiam Deum esse infallibilis authoritatis, quia aliter non assumeret illam pro ratione formali firmiter assentiendi; verum quidem est, ad id præstandũ, prærequiri evidentiam credibilitatis, quę persuadeat, me debere credere mysteria fidei absq; hæsitatione propter divinum testimonium, & insuper illustrationem Spiritus sancti, quæ ad assentiendum determinet, ut posteà dicemus; modò solùm assero, præsuppositis hac evidentia, & illustratione, elici ab intellectu unicum actum, qui simul credat veritatem fidei, & Deum, propter quē credit, esse infallibilis authoritatis; nam ut Logici dicere solent, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. quare si ob Dei authoritatem firmiter credo, Tobiam v.g. habuisse canem, potiori ratione credam, Deo inesse authoritatem infallibilē ad id asserendum.

Et hic modus cognoscēdi divinam authoritatem ut infallibilem, est quasi in actu exercito id iudicare; nec dissimili ratione dicendum est, cùm quis credit aliquod mysterium, simul etiam, & per eundem actum credere id esse revelatum à Deo; nam cùm ex dictis disput. 3. revelatio pertineat ad obiectum formale fidei, eo ipso quòd quis credat propter authoritatē Dei revelantis, non solùm credit, Deum habere authoritatem, sed etiam id fuisse ab ipso Deo revelatum, cum ratio, quæ illum determinat ad credendum, sit divina authoritas in quantum revelans. 22.

SECTIO IIII.

Refertur sententia affirmantium, fidem divinam ultimò resolvi in Dei authoritatem obscurè revelantem.

Tertia sententia asserit, resolutionem divinæ fidei fieri in authoritatem divinam obscuré revelantem. 23.
Ita Caietanus dub. 4. ad artic. 1. huius quæstionis, Gregorius de Valēcia quæstione 1. pũct. 1. in fine, ubi ait, causam, quam reddere debet quis suæ credulitatis, esse Deum revelantem, licèt aliæ sint rationes, quæ illi applicant rationem credendi. Turrianus disp. 2. dub. 4 Lorca ad artic. 1. huius quæstionis, disput. 4. in fine, & id ipsum placet alijs doctis Junioribus. Probatur primò, quia in illud resolvitur quilibet assensus, quod est ultima ratio formalis determinans intellectum ad illum eliciēdum, sed ultima ratio formalis determinans ad credendũ est divina authoritas obscurè revelās; ergo in illam fit ultima resolutio assensus divinæ fidei.


Conse-

Consequentia est evidens. Maior patet ex ijs, quæ in prima sectione supposuimus. Minor etiam constat ex dictis suprà, quia divina authoritas revelans, & nihil aliud, est obiectum formale fidei divinæ.

24. Secundò probatur, quia nihil aliud assignari potest, in quod resolvatur fides divina, illud enim non potest esse Ecclesia, & alia motiva, quæ applicant intellectui obiecta fidei, ut probatum est; nec potest esse habitus fidei, aut Spiritus sancti motio, tum quia hæc pertinent ad causam efficientem assensus fidei, & resolutio fieri debet in causam formalem; tum etiam, quia qui id assereret, multũ faveret doctrinæ hæreticorũ, qui docent, recurrendũ esse ad motioné internam Spiritus sancti, ut propter illam credatur, & propterea dicunt, se credere, quantumvis Catholici reclamēt. Solùm ergo superest divina authoritas, ut ad illam revocetur nostra fides.

25. Tertiò probat Lorca, quia cũ quæstio est de fidei resolutione, non petitur, quid determinet ex parte nostri intellectus ad credendum, sed solùm ex parte obiecti; ex parte autem obiecti nihil aliud assignari potest, ut ratio formalis, nisi testimonium divinũ; nam cætera sunt applicationes obiecti; ergo in divinum testimonium resolvenda est.

26. Hæc tamen sententia mihi non probatur, existimo enim, licét ex parte obiecti divina authoritas sit ultima ratio determinans, & in hoc sensu dici possit in illam resolvi fides divina, adhuc esse concedendam aliam rationem formalem ultimò determinantem ex parte intellectus, & ad hanc tandem debere revocari. Sed quoniam huius rei probatio, & explicatio exigit longiorem tractationem, in sequentem sectionem tenuit tenda est.



SECTIO V.

Vltimam fidei divinæ resolutionem in internam illustrationem Spiritus Sancti faciendam esse, probatur authoritate.

VERA igitur sententia est, assensum divinæ fidei tandem revocandum esse in internam Spiritus sancti illustrationem, qua ita proponitur menti divina authoritas applicata materiæ credibili, ut intellectum determinet ad firmiter credendum. Conclusio est magis recepta à Theologis, quàm ulla alia ex præcedentibus sententijs. Primùm enim ea videtur B. Thomæ, qui quæst. 2. artic. 9. ad 3. hæc scribit: *ille, qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum, inducitur enim authoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis. Vnde non leviter credit, cùm habeat sufficiens inductivum ad credendũ.* In quibus verbis expendo primò, sanctum Doctorem agere de motivo, seu determinativo ad credédum, ac proinde non de sola causa efficiente externa, hæc enim non dicitur inductivum, aut motivum. Expendo secundò, per authoritatem divinæ doctrinæ intelligere totum, quod se tenet ex parte obiecti, seu quod proponitur credendum, hoc enim opponit interiori motioni: unde cùm ipsa divina authoritas proponatur, & se teneat ex parte obiecti, illam quoque comprehendit. Tertiò ergo cùm addit, *& quod amplius est*, &c. significat, internam gratiam esse in ratione motivi magis præcipuam, quam authoritatem, non quia authoritas Dei non sit quid excellentius, sed quia illa non determinat ultimò secundum se, nec illa satis esset ad fidem, interior autem motio est, quæ ipsammet authoritatem ita proponit, ut moveat, ac proinde ad motionem tandem revocandus est noster assensus. 27. *S.Thom.*

Deinde Alexander 3.p.q.78.memb. 2. §. *ad illa ergo*, constituens discrimen 28. *Alexand.*

inter fidem acquisitam, & infusam, *illius* (inquit) *causa est ratio, vel apertum testimonium authoritatis, istius verò causa est gratia illuminationis divinæ ad cognoscendam veritatem, quæ est supra naturam, & assentiendum ipsi propter se.* Quæ sanè verba pro nobis expressa sunt; nam loquitur de ratione determinãte ad credẽdum, & nullam aliam designat præter divinam illuminationem: imò cùm dixisse, motivum fidei acquisitæ, seu humanæ, esse authoritatem, negat id in fide divina, seu supernaturali. Tertiò Melchior Canus lib. 2. de locis ca. 8. ante solutionem quarti argumẽti id ipsum apertè definit, licèt utatur nominibus, quæ significãt, hoc lumen, seu illustrationem internam solùm se habere ut causam efficientem, in quo loquitur minus propriè, concedit tamen non fieri ultimam resolutionem in authoritatem Dei, sed in causam interiorem. Quartò Dominicus Bañez ad artic. 1. dub. 4 ultimatè revocat fidem ad Spiritum sanctum inclinantem per lumen fidei ad credibilia. Deniq; Aragon tractans hanc difficultatem in artic. 1. docet conc. 6. & respondens ad quandam obiectionem, non resolvi fidem in authoritatem Dei, sed in motionem internam.

Canus. *Bañez.* *Aragon.*

29. Probatur primò ex sacra Scriptura, & Patribus: quamvis enim non habeamus authoritates omnino convincentes, indicant tamen nostram sententiã satis verisimiliter: 1. Ioan. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se,* hoc est, ipse habet internã motionem, quæ testificatur, & testificando movet ad credendum in Christum Dominũ, ut omittam explicationes Bedæ, & Heselij, qui ita declarãt, ut sensus sit, eum qui credit, ipso opere demonstrare, quod credat Deo ut attestanti talem veritatem, & in cap. 2. *Unctio docebit vos de omnibus,* id est, Spiritus sanctus media illustratione, seu lumine interno determinabit vos ad credendas veritates fidei, & alia bona opera faciẽda. Ecce Apostolus ad motionem internã recurrit, non ad authoritatẽ; illa enim est, quæ determinat, & sine illa cætera non sufficiunt, quia ut ibidem docet Beda, *Nisi Spiritus cordi adsit audiẽtis, & nisi intus sit, qui doceat, otiosus est sermo Doctoris.* Pulchrè etiam S. Augustinus to. 5. lib. 15. de civit. cap. 6. *Etiã si Deus ipse* (inquit) *utens creatura sibi subdita, in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.* Ecce divina authoritas proponitur loquens ex parte obiecti, & tamen deest aliquid secundum Augustinum, quod ad credendum potissimum est, id est, quod ultimò determinare debet, & quasi vim dare authoritati divinæ, non in se, sed ut nos moveat: Et to. 7. li. de prædestinat. Sanct. cap. 8. *Qui credunt* (inquit) *prædicatore forinsecùs sonante, intus à Patre audiunt, atque discunt.*

1. Ioan. 5. *Beda.* *S. August.*

30. Sed omnium optimum testimoniũ habemus in eodem S. Augustino to. 1. lib. 11. confess. cap. 3. ubi cum ad declarandam mundi creationem, quam Moyses narrat, accederet, ita Deum alloquitur: *Scripsit* (inquit) *hæc Moyses, scripsit, & abijt, neque enim nunc ante me est, nam si esset, tenerem eum, & per te obsecrarem, ut mihi ista panderet. Sed unde scirem an verũ diceret?* id est, quid mentem meam determinaret ad assentiendũ ijs, quæ mihi diceret Moyses? *Intus utique mihi,* (respõdet Augustinus) *intus in domicilio cogitationis veritas sine strepitu syllabarum diceret: verũ dicit; & ego statim certus, confidenter illi homini tuo dicerem: verũ dicis.* Hactenus sanctus Ecclesiæ Doctor ostendit, internam Dei locutionem esse, quæ ad assentiendum rebus fidei mẽtem eius determinaret, nec ad ullam aliam rationem cõfugit.

SECTIO VI.

Rationibus probatur divinam fidem ad internam illustrationem ultimò revocari debere.

31. Secundò probatur ratione, quia sola divina authoritas obscurè revelans non est sufficiẽs ratio formalis determinans ad assensum fidei supernaturalis; ergo aliquid aliud addendum est ex parte intellectus, quod illum determinet ad talem assensum; quod cũ non possit esse aliud, quam interna illuminatio

natio Spiritus sancti, ad illam erit ultimò recurrendum. Antecedens probatur, quia quantumvis alicui proponatur divina authoritas obscurè revelās, & proponantur omnia media credibilitatis, si Deus sua supernaturali motione mentem non illustret, assensus fidei solùm evadet naturalis, nam ad supernaturalem requiritur Spiritus sancti illuminatio; ergo ut eliciatur actus supernaturalis fidei, non est ultima ratio determinās ipsa divina authoritas, sed interius lumen, quod ad innitendum divinæ authoritati per supernaturalem fidem determinat. Confirmatur ratione desumpta ex S. Thoma infrà, quæst. 6. art. 1. corp. Etenim duobus hominibus proponi solet aliquid, ut dictum à Deo, & tamen unus credit, alter non credit; ergo aliqua interior causa est in uno, quæ illum movet, quā non habet alter, qui nō determinatur, ut credat. Responderi potest, verum quidem esse, requiri istam motionem, sed cùm ea non concurrat ad actum fidei in genere causæ formalis determinantis, sed solum in genere causæ efficientis; non posse in illam fieri ultimā resolutionem. Sed hæc solutio refellitur, quia prædicta motio non est ipse concursus productivus fidei, nec habitus physicè influens, sed talis apprehēsio rei, quæ credenda proponitur, & authoritas, quæ illā ita revelat, ut tanquam ratio formalis determinet, non minùs quàm apprehensiones terminorum determinant ad evidentem assensum primorum principiorum, ut iam declarabo.

32. Tertiò ergo probatur nostra sententia, quia nullus assensus in mente nostra reperitur, qui ultimò resolvatur in ipsum obiectum, circa quod versatur, sed omnis resolvitur in aliquid se tenens ex parte intellectus, quod illum determinet ad assentiendum; ergo assensus divinæ fidei non resolvetur ultimò in Dei revelantis authoritatē, sed in aliquid, quod interiùs determinet ad assentiendum propter Dei authoritatem, & hæc est motio, seu interior illustratio. Antecedens ostēditur inductione, nam omnis assensus, aut est cōclusio, & hæc non resolvitur in obiectum, quod respicit, sed in præmissas nō solum obiectivas, sed etiam formales, ut ostendi in libris priorum: aut est primum principium, & hoc resolvitur in talem apprehensionem unionis prædicati cum subiecto, quæ mentem determinet ad formandum tale iudiciū sine discursu. Cuius rei ratio à priori est, ipsum obiectum non esse ex se sufficienter proportionatum intellectui nostro, ut sciat, quodnam illi prædicatum conveniat, aut repugnet; & ideo oportet apprehēdi priùs naturam subiecti, & prædicati, ut tali simplici cognitioni innitatur ad cognitionem complexam.

Igitur, cùm assensus divinæ fidei nō sit conclusio, sed quasi primum principium, non potest revocari ad præmissam aliquam, ex qua deducatur, sed ad talem apprehensionem veritatis revelatæ, & authoritatis Dei revelantis, quæ mentem determinet ad certò, licèt obscurè, formādum iudicium, quo circa divinam authoritatem versetur; hæ autem apprehensiones debent esse ordinis supernaturalis, quia determinant ad supernaturale iudicium, ut infrà dicetur. Et sicut cōclusio supernaturalis pendet à præmissis supernaturalibus, iuxta laté dicta in prologo Theologiæ disp. 5. ita & supernaturale principium ab apprehensionibus supernaturalibus dependere debet; iam verò si supernaturales sunt, non ab alio, quā à Deo sunt principaliter, & hæc est interior illuminatio, seu motio, quam diximus esse ultimum, ad quod nostra fides revocatur. 33.

Confirmatur, & declaratur hoc ampliùs, quia omne iudicium à conclusione distinctum præcedit apprehensio, quæ mentem determinet ad illud formandum, & pro varietate apprehēsionis terminorum iudicium evadit firmum, vel evidens, aut solùm probabile; ergo iudicium fidei certum, & obscurum præcedere debet talis apprehēsio divinæ veracitatis applicatæ obiecto credibili, quæ mentem determinet ad illud eliciendum; & hæc est, per quā Deus movet, & ultimò determinat ad credendum; unde si prædicta apprehensio foret naturalis, aut alterius ge- 34.

neris imperfecti, non determinaret ad iudicium fidei certum, & supernaturale.

35. Quartò probatur conclusio, quia ad eliciendum actum fidei requiritur interior illustratio ordinis supernaturalis, ut latè probavi in 1. 2. controversia 8. tractat. 5. hæc autem non requiritur solùm ad efficiendum assensum fidei, quia id nó est certum, sed doctis Theologis, quos in materia de auxilijs tractat. 2. secutus sum, falsum videtur; requiritur ergo, ut sit ratio formalis determinans, quatenus ita proponit rem credendam, & divinam authoritatem applicatam, ut intellectus statim determinet voluntatem ad imperandum assensum fidei. Rursus hæc illustratio licèt interdum accipi posśit pro iudicio intellectus, propriè tamen non significat, nisi certum modum apprehensionis obiectorum fidei, qui ad credẽdum inclinat, & simplicem quandam rationem imperij invitantis ad credẽdum, ut cõstat ex dictis in præfato tractatu de auxilijs disp. 3. sect. ult. difficult. 1. illustratio enim intellectus proportionatur inspirationi voluntatis, & sicut inspiratio est actus inefficax, ita illustratio est per modum simplicis apprehensionis, quæ ita se habet in intellectu, sicut actus inefficax in volũtate. Concludo ergo, prędictam illustrationem esse ultimum, in quod resolvitur fides divina, quia authoritas Dei revelantis, nisi proponatur modo dicto, nó determinat ad assensum supernaturalẽ fidei; eo autem ipso, quòd ita proponatur, manet sufficiẽter determinatus intellectus. Atque hoc videtur significasse Christus Dominus, Ioan. 6. cum dixit: *Nemo potest venire ad me* (scilicet per actum fidei) *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: per internã scilicet motionem, cui ad credendum innitatur:
Ioan. 6.
& Actorum 16. dicitur Dominus *aperuisse cor Lydiæ purpurariæ, ut intenderet his, quæ dicebantur a Paulo*, quatenus scilicet modo dicto illustrata est mens illius, ut crederet.
Actor. 16.

36. Ex dictis facilè solvuntur argumẽta tertiæ sententiæ relata in quarta sectione. Ad primum enim respondetur, authoritatem divinam esse quidẽ ultimam rationem, quæ ex parte obiecti determinat, sed quoniam ex parte intellectus requiritur aliud, quod determinet ad credendũ propter Dei authoritatẽ, & authoritas nó sufficit determinare, nisi prout interna illustratione percipitur, ideò non in authoritatem, sed in illustrationem fit ultima resolutio. Ad secũdum patet ex dictis, non resolvi fidem in habitum, seu concursum, sed in illustrationem, prout est ratio formalis determinans, sicut apprehensio terminorum determinat ad primum principiũ, & principia ad conclusionem.

Illud verò, quod additur, scilicet nos favere hæreticis, miror objici à viris doctisśimis, quasi alicuius momenti sit, aut potius nobis, quàm illis, difficultatem afferre posśit; nam licèt dicamus, fidem resolvi in authoritatẽ divinam, favere videbimur hæreticis, cùm ipsi dicant esse à Deo revelatas ipsorum insanias, & propterea illis assensum prębere; verè ergo nulla ex his sententijs favet hæresibus; etenim ad credẽdum non solùm requiritur ratio formalis determinans, sive illa sit authoritas, sive interior illustratio, sed etiam regula aliqua, quæ infallibiliter proponat materiam fidei, & hæc est Ecclesia, aut alia motiva, quare quòd quis se iactaverit credere cõtra ea, quę ab his regulis proponũtur, sive dicat se credere, quia ad id movetur ab Spiritu sancto, aut quia ita Deus dicit, verè mentitur, & soli credit cerebro suo, & istius farinæ sunt hæretici; at verò Catholici, qui, ut credant, præsupponunt debitè applicatam materiam fidei, verè credunt moti ab Spiritu sancto, & habẽt pro obiecto formali suæ credulitatis testimoniũ divinum, ac proinde ad quodlibet istorum resolvant fidem suam, ut ad ultimã rationem, Catholice sentiunt, & loquuntur. Lis autem inter illos est, utri verè sentiant, & loquantur, nosq; contendimus, Theologos, qui in internam illustrationem ultimò resolvi fidem docuerũt, veriùs, atque solidiùs sensisse, & locutos fuisse. 37.

Ad tertium respondetur negando antecedens, imò ex dictis cõstat, reso- 38.

lutionem cuiuscumque assensus nostri revocari tandem debere ad aliquid, quod se tenet ex parte intellectus.

SECTIO VII.

Tres obiectiones proponuntur, & diluuntur contra doctrinam sectionum præcedentium.

39. PRima obiectio: fideles, qui medio habitu fidei aliquos actus elicuerunt, possunt, & solēt credere sine prævia aliqua illustratione, supplet enim habitu defectū illustrationis; ergo tūc fides non resolvetur in illustrationem; ergo cùm in habitum resolvi nequeat, quippe qui non est motivum, sed causa efficiens, resolvetur in Dei authoritatem. Ex quo ulteriùs infertur, semper in authoritatem resolvi, cùm una, eademq; debeat esse semper fidei resolutio. Respondetur, in 1.2. controversia 8. tract. 3. latè à nobis probatum fuisse, ad quemcumq; actum fidei supernaturalis, imò & aliarum virtutū supernaturalium requiri aliquam gratiam excitantem, id est, aliquam illustrationē entitatis supernaturalis, non quidē quæ semper existat, cùm talis actus elicitur, sed quæ vel existat, vel cuius memoria aliquo modo habeatur, & id sufficit, ut semper resolvi possit fides in illustrationem: sicut homo, qui frequenter elicuit conclusionem philosophicam, non indiget actuali existentia præmissarum, bene tamen memoria illarum, & id satis est, ut semper cōclusio in principia resolvatur.

40. Secunda obiectio: nemo sine speciali privilegio cognoscere potest certò se habere internam illustrationem ordinis supernaturalis, ergo in illam non potest divina fides ultimò resolvi. Antecedens est certum, quia actus internos supernaturales dignoscere nō possumus, proptereàque nullus certò scit, an, & quando eliciat actus supernaturales fidei, spei, & charitatis? Consequentia vero probatur, quia resolutio fidei fieri debet in aliquid omnino certum, & exploratum; alioqui fides non erit certa. Respondetur, sicut certum est dari actum fidei supernaturalis, licèt nobis non constet absque speciali privilegio, an, & quando illum eliciamus; ita certum esse dari illustrationē supernaturalem, licèt nobis certò cognita non sit. Itaq; ut fides nostra sit certa, & infallibilis, satis est, si hoc unum sciamus, quod nimirū cùm ex fide divina credimus, habemus illustrationē, qua determinemur.

41. Tertia obiectio: certitudo, & evidentia apprehensionum quæ determinant ad primum principium, innititur ipsi obiecto ut ultimæ rationi formali, ergo etiam certitudo apprehensionum determinantium ad actum fidei supernaturalem innitetur divinæ authoritati, quæ est obiectum formale, ergo ad illam tandem, & non ad internam illustrationem, seu apprehensionem revocanda est fides divina. Respondetur negando antecedens, nam idem obiectum apprehenditur à diversis diverso modo, & inde provenit, quosdam evidenter, alios verò non nisi probabiliter cognoscere aliquam veritatem; desumitur ergo apprehensionum evidētia, aut certitudo (qualis in apprehensionem cadere potest) ex innata vi intellectus, & alijs circunstātijs, & id ipsum magis elucet in divina fide, nam, ut suprà argumentabamur, proposita divina authoritate duobus hominibus, accidere potest, & solet, mentem unius divinitus illustrari, ita ut credat, alterius verò non ita: quare totum negotium ad internam gratiam tandem revocandum est.

SECTIO VIII.

Ostenditur, in resolutione divinæ fidei nullū esse circulum vitiosum.

42. VT perfectè intelligantur omnia, quæ de fidei resolutione dicta sunt, oportet breviter ostendere, nullū esse circulum vitiosum inter regulas, à quibus fides pēdet, ut à rationibus formalibus, vel ut ab applicatione. Præmittendum autem est ex Logica, duplicem esse posse circulum in assensibus nostris, unum, quo quis, postquàm probavit conclusionem medio aliquo antecedente, regreditur ad probandū

ipsum antecedens media conclusione, prout præcisè cognita fuit in tali antecedente, & hic circulus est manifestè vitiosus, & impossibilis; nā si adæquata ratio assentiendi conclusioni fuit antecedēs, quo pacto potest supponi veritas ipsius conclusionis, ut ex illa deducatur veritas antecedentis? Alter circulus est, quo quis ita probat cōclusionem medio antecedente, ut posteà assumat veritatem conclusionis, non prout præcisè cognitam in tali antecedente, sed prout aliūde supponitur scita, & ex ea deducat veritatem antecedentis; & hic circulus non est vitiosus: v.g. si quis ita fuisset argumētatus: *Omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis*; posset posteà assumere pro antecedēte hanc veritatem, *Omnis homo est rationalis*, prout eam aliunde cognoverat sine discursu, & ex illa inferre omnem hominem esse risibilē. Prior circulus appellari potest regressus in eodem omnino genere causæ, & sub eadem ratione; posterior verò in diverso genere, & sub diversa ratione.

43. Hoc posito perspicuè patebit, non committi ullum vitium in circulis, qui circa fidei resolutionem excogitari possunt; hi autem sunt tres. Primus, qui fieri potest inter authoritatem Dei, & internam illustrationē, quæ sunt rationes formales assentiendi rebus fidei. Secundus inter has rationes formales comparatas cum motivis, & regulis, quæ solùm deserviūt ut applicationes obiectorum fidei. Tertius inter prædictas regulas inter se.

44. Circa primum ergo ratio difficultatis est, quia si quis rogatur, cur credat Deum esse trinum, respondet, se credere, quia divina authoritas revelavit; & si rursus rogetur, cur credat Deum revelasse, respōdet, quia movetur ad id credendum ab Spiritu sancto per internam motionem; rursus si petatur, unde sciatur dari istam motionē, respondendum est sciri, quia divina authoritas id revelavit; quare ad idē reditur, & cōmittitur circulus vitiosus. Respondetur tamen, non cōmitti, nam licèt proptereà credatur Deum revelasse, quia ad id inclinat Spiritus sanctus per internam illustrationem, cùm rursus interrogamur, unde sciatur dari istam motionem, non est recurrendum ad divinam authoritatem, ut ad rationem formalē, quia talis illustratio non innititur divinæ authoritati ut rationi formali assentiēdi, cùm potiùs ipsa determinet ad eliciendum actum fidei, qui versatur circa divinā authoritatē; sed ipsamet illustratio per se ipsā cognoscitur, non clarè, & evidēter, sed obscurè; & hoc modo vitatur circulus. Quod declaratur exemplo, nam si quis rogetur, cur assensū præbeat huic principio, *Omne totum est maius sua parte*, rectè respondet, quia apprehēsiones terminorum ad id determinant; & si rursus inquiratur, unde notū sit dari istas apprehensiones terminorum, dicendū est, non esse huius aliam rationem formalem, quia ipsæ per se ipsas sunt ratio ultima determinans ad assensum. Adverto tamen, hanc veritatem, quòd scilicet *detur interior illustratio ad credēdū*, posse sumi ut obiectū, quod creditur, sicut creditur Deū esse trinū, & similia; & tunc non se habet ut ratio, in quā resolvitur fides, sed ut materia, quæ creditur propter ipsius Dei authoritatē.

Circa secundum circulum est minor difficultas; nam licèt quis credat, Deū aliquid revelasse, & ad credendum illustrationem immisisse, quia ita proponit Ecclesia, Scriptura, vel perpetua traditio Catholicorum, aut quia sunt motiva, quibus id redditur evidenter credibile; è contra verò credat, Ecclesiam esse infallibilis authoritatis, & Scripturam esse divinam, quia Deus id revelavit, & Spiritus sanctus ad ita sentiendum illustrat intellectū; iste tamen circulus nō est vitiosus, quia est in diverso genere. Nec enim credo Deum revelasse, quia proponit Ecclesia, vel Scriptura, ita ut hæc sit ratio formalis assentiendi, solùm enim est conditio sine qua non, seu applicatio rationis formalis, nempe divinæ authoritatis, propter quā credo; è cōtrà verò quod Ecclesia habeat authoritatem infallibilem, credo propter divinū testimonium, ut propter rationem formalem. 45.

Sed objiciat aliquis, quòd Ecclesia v.g. infallibiliter applicet res fidei, nō 46.

scitur,

scitur, nisi quia Deus revelavit; sed quòd Deus revelaverit, non scitur, nisi ob Ecclesiæ applicationem; ergo de primo ad ultimum infallibilitas Ecclesiæ scitur propter ipsum testimonium Ecclesiæ, ac proinde probatur idē per se ipsum. Respondetur distinguendo maiorem, si enim sermo sit de ratione formali id cognoscendi, vera est maior, si autem de ratione applicante hoc obiectū credibile, falsa est, nam ut credam, Ecclesiam esse infallibilis authoritatis, manuducor ab evidētia credibilitatis, quæ mihi clarè persuadet, id debere credi. Similiter distinguenda est minor, nam si petatur ratio formalis, ob quam sciatur, aliquid Deum revelasse, respondetur eam esse ex parte obiecti ipsam divinam authoritatē, ex parte verò intellectus, internam illustrationem; si verò petatur conditio applicans, illam esse Ecclesiam, & alias regulas, quæ mysteria fidei proponūt. Vnde patet vitium consequentiæ; nam Ecclesiæ authoritas non probatur per se ipsam ut per rationem formalem, ac proinde non innitimur eius authoritati ad credēdam infallibilitatem illius.

47. Sed urgebis, saltem Ecclesia applicat nobis credendam suam infallibilē authoritatem, videtur autem incōmodum, quòd ipsa de se ipsa ferat testimonium, cui credere teneamur, præsertim in rebus tanti momenti, ex quibus pendet æterna salus. Respondetur, Ecclesiā dupliciter posse spectari, primò ut est ab Spiritu sancto illustrata, ac proinde infallibilis regula fidei; secundò, ut est quædam cōgregatio hominum sapientissimorum, quæ manifestante lumine ipso naturæ, est tā digna creditu, ut nemo prudens non videat, credibilia esse, quæ ipsa dixerit esse credenda. Dico ergo, cùm Ecclesia de se ipsa fert testimonium, dicens se regi ab Spiritu sancto infallibiliter, considerādam esse ut est congregatio hominum, sapiētia & morum integritate clarissimorum; & hoc modo nullū incommodum est, quòd de se ipsa testimonium ferat in rebus gravissimis, cùm etiam uni homini sapienti, & timorato fidem habeamus in ijs, quæ de se ipso dicit.

Ex qua doctrina elucet, in tertio etiam circulo nihil vitiosum posse reperiri, nam licèt authoritas Ecclesiæ applicetur nobis per Scripturā, & Scripturæ authoritas credatur, quia ea proponitur ab Ecclesia, iuxta illud S. Augustini adductum sect. 1. *Non crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ moveret authoritas:* hæ tamen applicationes non sunt circulus in eodē genere, nam ut Scriptura sufficiēter mihi proponat authoritatem Ecclesiæ, prærequiritur, quòd aliunde mihi constet, illam Scripturam esse verbum Dei; id autem cōstare potest per motiva, quæ faciant rem evidenter credibilem, ut per historias fide dignas, per traditionem perpetuā, per martyrum sanguinem, qui pro authoritate talis Scripturæ effusus sit, &c. posita autem aliūde infallibili authoritate Scripturæ, rectè possum ex illa confirmare authoritatem Ecclesiæ; è contrà verò quando Ecclesia proponit mihi Scripturam ut canonicā, supponenda est aliunde cognita authoritas Ecclesiæ, scilicet vel ex alio libro Scripturæ, vel ex sanguine martyrum, &c. & ita nunquam una regula, prout præcisè cognita per aliam, assumitur ut applicatio infallibilis alterius. 48. S. August.

SECTIO VLT.

Brevis epilogus huius disputationis.

VT dilucidè, & breviter tota hæc disputatio, quæ difficilis est, mēte percipiatur, & affigatur memoriæ, libet illam ad brevem admodùm epilogum revocare. Statuendum igitur est, cùm fidei nostræ mysteria evidentia non sint, prout divina fide creduntur, sed solùm obscura credulitate firmiter teneantur, debere ita nobis proponi, ut evidens sit, illa esse digna, quæ credantur, & prudentis ingenij esse se illis omnino subijcere; ad hoc autem requiruntur rationes, quæ id evidenter persuadeant, non ut illis innitatur credulitas nostra tanquam rationi formali assentiendi, ut patet ex sect. 3. sed ut medijs illis applicētur fidei veritates, ut supposuimus sectione prima; quæ autem sint istæ rationes, patebit in 49.

secundo tractatu, ubi illas enumerabimus: modo asserimus positis sattis motivis, determinari intellectum, ut firmiter credat divina mysteria, assumens pro ratione formali ultima ex parte obiecti ipsam Dei authoritatem revelantem; quamvis quoniam hæc non movet, nisi ut per internam illustrationem apprehensa, in hanc sit facienda ultima fidei resolutio.

50. Porrò, cùm ad proponendam hanc rationem formalem assentiendi dētur plures regulæ, scilicet Ecclesia, sacra Scriptura, traditio, & si quæ sunt alia, nullam illarum assumit intellectus ut rationem formalem assentiēdi, sed ut applicationes, in quas proinde fides non resolvitur: & quamvis illæ regula mutuò se videantur approbare, nullus in eis vitiosus circulus committitur, nam omnis illarum infallibilitas scitur per divinam authoritatē ut per rationem formalē, & cùm una alteram applicat, supponit eā se aliunde sufficienter cognitam, & a fidelibus receptam, ut de alia ferre posit infallibile testimonium; semper vero in hac mirabili machina, Deo revelanti, & interiùs illuminanti præcipué innitendum est, deinde vero motivis, quæ totum hoc negotium reddunt dignissimum credi, & illud applicant sufficienter, ut postea patebit.

51. Ex dictis in decursu totius disputationis istius colligitur, non esse [illegible] solutionem argumentorum, quibus in sectione 5. & 6. probavimus nostram sententiam, si quis dicat, ideo non resolvi fidem in illustrationē Spiritus sancti, quia hæc solum requiritur ut conditio ad credendum, resolutio verò fit in rationem formalem, seu motivum determinans, non (inquam) est hæc solutio sufficiens, quia si expendātur ea, quæ adduximus, perspicietur, illustrationem requiri non ut conditionē, sed ut rationem formalem extrinsecam. Primùm enim verba S. Thomæ, & Alexandri rationem formalem significant, ut sectione 5. expendebamus. Deinde verba Ioannis, *Qui credit, habet testimonium Dei in se*, significant motivum ad credendum inducens; sicut & verba S. Augustini ex libris Confessionum, reddit enim pro ratione, ex qua veritatem colligit, ipsam internam illustrationem, [illegible] generales apprehensiones, quæ præcedunt judicium, determinant ut ratio formalis, sicut & præmissæ ad conclusionem; si enim [illegible] ergo illustr[illegible] apprehensiones præcedentes [illegible] generent apprehensionem, determinabit ad credendum ut ratio formalis. Quarto non minus requiritur illustratio interna ad actum fidei, quàm externa revelatio passiva; ergo cùm hæc pertineat ad motivū formale, iuxta dicta in disp. 3. pertinebit etiam illustratio. Ad extremum illustratio non determinat solùm ad eliciendum actum fidei supernaturalis, applicando, aut proponendo motivum credendi, sed etiam roborādo intellectum, & illum illuminando, ut rebus obscuris firmum præbeat assensum; ergo verè innititur intellectus ipsi illustrationi, ac proinde pertinet ad rationem formalem.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm obiectum materiale fidei sit ipse Deus, & omnis veritas complexa, quæ potest obscurè revelari?



OMINE obiecti materialis fidei intelligitur totum illud, in quod tendere potest intellectus innitens suo obiecto formali: unde cùm obiectum formale sit authoritas divina obscurè revelans, omne illud, quod credi potest ob divinam authoritatem obscurè revelātem, pertinebit ad obiectum materiale illius: hoc autem necessario futura est aliqua res complexa, non quidem quæ à parte rei sit in se cōposita, sed quæ nobis per modum cōpositionis objiciatur; etenim cùm actus fidei sit quoddam iudicium, quo intellectus affirmat, vel negat aliquid de aliquo ob Dei authoritatem, necesse est, ut percipiat prædi- 1.

catum

[illegible] obiecta aliquo modo distin- [illegible] proinde non versatur circa com[illegible] plicem, sed [illegible] com[illegible] examinando [illegible] cognoscendi. [illegible] hoc est discrimen inter nostros actus fidei, & fidem Angelorum, quod illi, cùm ferment iudicium [illegible] plici modo, possũt versari circa [illegible] fidei non faciendo distinctionẽ prædicati & subiecti, ac proinde obiectum materiale fidei non erit necessariò comparatione illorum aliquid cõplexum; nos verò cùm non iudicemus perfectè nisi componendo, & dividendo, versamur necessariò circa obiectũ fidei, ut circa aliquid complexum.

2. *S. Thom.* Ex qua doctrina deducitur primò intelligentia articuli secundi, in quo disputat B. Thomas, an obiectum fidei sit aliquid complexum, vel incomplexum: respondetque, obiectum fidei, si ex parte ipsius rei creditæ consideretur, esse quid incomplexum, si verò cõsideretur ex parte credẽtis, esse aliquid complexum per modum enuntiabilis. Loquitur enim B. Thomas in præsenti de rebus fidei, ut credũtur ab homine, non ab Angelo; nec agit de quocumq; obiecto materiali fidei, nam plura pertinent ad fidem, quæ in se ipsis sunt cõplexa, v. g. *Quòd Tobias habuerit canem*, &c. sed solùm disserit de obiecto materiali primario, scilicet Deo, ut cõstat ex solutione ad primum; aitq; hoc obiectum in se ipso esse quidem simplex, est nimirum ipse Deus, cognosci tamẽ à nobis cõplexè, quatenus affirmamus per fidem, illum esse bonum, sapientẽ, &c. Dixi autem agere sanctum doctorem de obiecto materiali, nam formale, prout formale est, semper cognoscitur simplici modo, id est, ut ratio assentiendi, seu affirmandi, vel negãdi prædicatum de subiecto.

3. Secundò infertur, ad obiectum materiale fidei pertinere omnes veritates naturales, & supernaturales, quæ ita à Deo revelatæ sunt, ut omnibus Catholicis proponantur per Ecclesiam, aut traditionẽ, aliamvé regulam visibilẽ, & ab omnibus Orthodoxis receptam. Patet, quia omnes illę credi possunt ob divinã authoritatẽ obscurè revelantẽ. Dices, actum fidei esse supernaturalẽ, ac proinde nõ posse esse obiectũ illius [illegible] quam veritatẽ naturalem, v. g. quod Davidis iussu fuerit Vrias constitutus in [illegible] io, ubi periculũ imminebat, aut quid simile. Occurrendum tamen est, sufficere ad actũ supernaturalẽ, quòd formale obiectũ illius sit supernaturale, cùm ab eo, & non ab obiecto materiali desumatur species actus: sic enim actu amoris supernaturalis diligi possunt res creatæ naturales intuitu divinę bonitatis supernaturalis; ita ergo naturales veritates credi possũt supernaturali fide ob divinã authoritatẽ obscurè revelantẽ, hoc enim obiectũ formale est supernaturale, ut tract. 9. dicetur.

Occurrit tamen hoc loco celebris difficultas, an scilicet ad obiectũ materiale fidei pertineant veritates, quæ specialibus personis revelatæ sunt obscurè. Et quidẽ nonnulli affirmant, ad fidẽ solùm pertinere ea, quæ revelata sunt vel immediatè toti Ecclesiæ, vel certè Apostolis, & Prophetis, qui eas veritates in libris Canonicis, vel alia ratione in vulgus, ut aiũt, edituri erãt. 4.

Ita B. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. & in hac 2. 2. q. 5. art. 3. corp. docet, fidẽ inniti authoritati divinæ, prout in Scriptura, & doctrina Ecclesiæ manifestatur. B. Thomam sequuntur Canus 12. de locis cap. 3. post 3. concl. Valencia suprà pũct. 1. difficult. 5. Bañez ad art. 1. dub. 3. imò & Sotus lib. 3. de natura, & gratia cap. 11. argumẽto 3. Mancio in sua materia de fide. *S. Thom.* *Canus.* *Valent.* *Bañez.* *Sotus.* *Mancio.*

Suadetur hæc sententia primò ex Paulo ad Ephes. 2. ubi ait, fideles *superædificatos supra fundamentũ Apostolorũ, & Prophetarũ*, id est, supra revelationes mysteriorũ fidei, quæ illis factæ sunt, ut toti Ecclesiæ proponerẽt: hi enim sunt mõtes, in quibus iacta sunt fundamẽta spiritualis Sion, ut suscipiẽtes pacẽ, seu notionem cælestiũ mysteriorũ, quibus pax promittitur, eam populis impertirent; non ergo spectãt ad fidei obiectũ aliæ revelationes. Secũdò, fides non est virtus privatis personis infusa, sed cõmunis toti Ecclesiæ, propterea enim appellatur fides Catholica; ergo illæ veritates, quarũ revelatio non proponitur universali Ecclesiæ, non possunt esse obiectum fidei. Confirmatur, quia eiusmodi revelationes nõ pertinẽt ad 5. *Ad Eph. 2*

utilitatem Ecclesiæ;ergo fides,quæ est propria Ecclesiæ,non inclinat ad illas.

6. *Caiet.* Caietanus ad articulum primum,dũ ad tertium dubium respondet,ait, obiectum fidei esse quamcumque veritatem à Deo revelatam, licèt fides non versetur circa illas, quæ sunt impertinẽtes ad religionem Christianam; nec *Lorca.* multũ dissentit Lorca ad art.2. disp.5. dicens,non pertinere ad obiectũ fidei omnes veritates revelatas, sed eas solùm, quæ commodè ad Deum, & doctrinam Christianã revocari possunt.

7. Dicendum tamen est,quamcumque veritatem á Deo revelatam pertinere ad obiectum materiale fidei, licèt sit facta revelatio alicui privatæ personæ, nec ad communem utilitatem referatur. Ita sentiunt, & egregiè explicuerunt *Vega.* Vega lib. 9. in Tridentinum cap 3. *Aragon.* Aragon hic artic. 1. dub. ult. & alij docti Iuniores: nec B.Thomas contrariũ docuit, nam in locis citatis solùm concẽdit,fidẽ divinã,prout denominatur Catholica,seu universalis,nõ versari nisi circa veritates,quæ pertinent ad omnes Catholicos,non verò negat,eãdẽmet fidẽ posse inclinare ad alias veritates,quę particularib⁹ personis proponũtur sufficiẽter ut revelatæ à Deo.

8. Probatur conclusio,quia omnes actus habentes pro obiecto formali eãdem authoritatem divinam obscurè revelantem,pertinẽt ad eundem habitum fidei;sed eiusmodi sunt actus,quibus credũtur veritates revelatę à Deo, sive pertineant ad omnes fideles, sive non;ergo omnes pertinent ad eundem habitũ fidei. Maior patet,quia omnes actus habentes eandem rationem formalem sunt eiusdem speciei, ac proinde pertinẽtes ad eandem virtutẽ; ergo cùm ratio formalis fidei sit authoritas divina obscurè revelans, omnes actus, quorum obiectum formale fuerit prædicta authoritas, pertinebunt ad eandem fidem. Minorem probo,quia obiectum formale fidei non est Ecclesiæ propositio,aut utilitas communis omnibus fidelibus;sed solũ divina authoritas obscurè revelans, sed etiam si revelatio fiat alicui privatæ personæ,potest illi sufficiẽter applicari divina authoritas,ut propter illam certò credat id,quod sibi in speciali revelatur, non minùs firmiter, quàm creduntur aliæ veritates universaliter cognitæ fidelibus; ergo omnes isti actus pertinẽt ad eandem fidem.

Cõfirmatur,quia id,quod Prophetę revelabatur in particulari,credebatur ab illo per fidem,ut suprà Bañez cõcedit, sed quòd posteà Propheta illã eãdẽ veritatẽ esset manifestaturus alijs, est omnino accidentariũ virtuti fidei, 9.
ergo nõ minùs propriè pertinet ad fidẽ id,quod revelatur alicui Prophetæ, ut illud manifestet alijs, quã illud, quod revelatur alicui privatæ personę ob suã peculiarem utilitatẽ. Minor patet,nam quòd Propheta manifestet alijs id,quod à Deo revelatũ accepit, nõ reddit illud magis certũ, nec affert novam rationẽ credendi; ergo non immutat rationem formalem fidei, ac proinde non minùs pertineret ad fidem illa veritas, licèt nulli alteri declararetur. Neq; ullo modo admittenda est illa distinctio,quam ex Caietano retulimus; si enim authoritas divina revelãs aliquid particulari personæ, est sufficiẽs obiectũ fidei,non est cur fides circa illã versari nõ possit; nã ille, qui talẽ revelationẽ accepisset, posset firmiter assentiri veritati revelatæ innitẽs divinæ authoritati;ergo eliceret actũ fidei:ille autẽ haberet idem motivũ,quod habẽt cæteri actus fidei; ergo pertineret ad eandem virtutem.

Ad primum,tota doctrina antecedẽtis verissima est, sed consequens non 10.
bene infertur,nam prȩter revelationes generales possunt esse aliæ, quæ licèt non sint fundamenta necessaria omnibus Catholicis, possunt esse particularibus personis utilissimę. Ad secundũ, habitus fidei cõmunis est omnibus Catholicis,licèt aliqua obiecta materialia possint credi ab uno per talẽ fidẽ, & non ab altero, eò quòd uni sufficiẽter applicentur per revelationẽ peculiarem,& non alteri; nec quia fides dicitur Catholica,necessarium est,ut per illã omnes credamus omnes veritates, sed sat est credi ab omnibus veritates generales,& ad salutem necessarias,licèt unus, vel alter credere possit aliquas sibi in speciali manifestatas. Ad confirmationem patet ex dictis.

11. Ex dictis infertur, non solum Deum esse obiectum materiale fidei, licèt ille sit obiectum principale, & vocari possit quodammodò obiectum adæquatum. Prior consectarij pars patet ex dictis, nec enim de solo Deo cognoscuntur plura per fidem, sed etiam de creaturis. Posterior etiam probatur, quia in Deo est authoritas, quæ est obiectum formale fidei; sed illud, in quo est intrinsecè ratio formalis alicuius habitus, dicitur obiectum materiale præcipuum; ergo. Rursus cùm omnia, quæ per fidem creduntur, ordinentur ad Deum, & sicut propter Dei gloriam facta sunt, ita etiam propter Deum credantur, id est, quatenus ad eum tandem revocantur; potest dici Deus absolutè esse integrum obiectum fidei, seu obiectum attributionis. Neque necessarium est, Deum esse obiectum materiale fidei, in quantum glorificator est, vel ratione alterius particularis attributi, sed potiùs ratione omnium; sicut de omnibus accepimus revelationem, & circa illa omnia versatur fides propter authoritatem divinam.

12. Atque hac ratione satisfactum est Lorcæ, qui inde intulit suam sententiam, quòd nimirum nihil cadat sub divinam fidem, quod non referatur ad Deum; constat enim, etiam quod privatis personis revelaretur, ad Deum referri posse, quia nihil revelat, nisi propter gloriam suam, ut propter ultimum finem.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm aliquid falsum possit esse obiectum materiale fidei divinæ?



1. VT expediatur hæc difficultas, advertendum est, nihil falsum, quod clarè sciatur esse falsum, cadere sub obiectum divinæ fidei, imò nec sub obiectum cuiuscumq; alterius habitus intellectualis, quia iudicium intellectus est assensus, quo cognoscimus aliquid de aliquo, asseverãdo re vera ita esse; illud autem, quod clarè scitur esse falsum, scitur nõ ita esse, ac proinde non potest esse iudicium, quod circa illud versetur; & proptereà rectè docet Philosophi, obiectum cuiuslibet iudicij esse id, quod reputatur esse verum. Solùm ergo dubitatur, an fide divina possimus credere aliquid falsum, licèt illud à nobis reputetur verum, hæc autem deceptio potest intelligi provenire ex duplici capite, scilicet aut ex Deo, qui nos decipiat revelando immediatè, vel medio aliquo homine, aliquod mendacium, & illud proponendo ut credendum per fidem; aut ex nobis, qui decepti utamur habitu fidei ad assentiẽdum rei, quæ veré non est revelata, aut quæ existimatur doctrina Dei, cùm verè non sit. Vtraque difficultas sub alijs terminis disputari solet; prior enim proponitur his verbis: *An De⁹ possit mẽtiri;* posterior verò istis: *An habitus fidei inclinare possit ad falsum*: & sub his vocibus à nobis etiam disputanda est.

SECTIO I.

Expeditur prior difficultas.

DICO primò: Deus immediatè per se ipsum non mentitur secũdum communem legem, ac proinde ex hoc capite non potest aliquid falsum pertinere ad obiectum fidei. Conclusio est de fide. Numer.23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Ad Rom. 3. *Est autẽ Deus verax.* Et eiusmodi sunt plura alia testimonia. Ratio etiam manifesta est, quia mendacium est intrinsecè malum, sed Deus non potest facere quidpiam intrinsecè malum, sicut nec potest peccare; ergo non potest immediatè per se ipsum mentiri. Minor, & consequentia sunt certæ. Maior etiam patet, quia mentiri est falsum asserere cum intentione fallendi, ut docet S. Augustin. to.4. lib. contra mẽdaciũ cap.12. in hac autẽ asseveratione intrinsecè invenitur malitia, seu deordinatio; cùm enim ea, quæ alteri dicũtur, suapte natura deserviant ad manifestandam 2. *Numer.23.* *Ad Rom.3.* *S. August.*

festandam illi veritatem, ut ita possit esse mutua collocutio, & communicatio digna substantijs intellectualibus, eò ipso quòd quis mentiatur, detorquet locutionem ad finem illi contrarium, scilicet ad decipiẽdum, ac proinde invertit naturam illius, quod sine dubio vitiosum est: & hæc ratio est B.
S. Thom. Thomæ infrà quæst. 110. art. 3. Confirmatur, quia falsitas est malum naturæ intellectualis; ergo qui vult alteri suadere falsitatem, vult aliquod malũ oppositum naturæ intellectuali; ergo vult obiectum inhonestum, ac proinde vitiosum; patet consequentia, quia illud est inhonestum, quod opponitur bono proprio naturæ intellectualis. Deniq; ex dicendis cõfirmabitur ampliùs ista conclusio.

3. Sed objicies aliqua Scripturæ testimonia, in quibus dicitur Deus decepisse homines, seu illis falsum dixisse.
Genes. 40. Genesis 4. cùm dixisset Cain: *Omnis, qui invenerit me, occidet me*, respondit Dominus: *Nequaquam ita fiet*; & tamen posteà occisus est à Lamech, ut colligitur ex eodem capite. Et Iob 12. (*Iob 12.*) dicitur Deus *immutare cor principum, & decipere eos.* Respondetur, sensum verborum Domini in priori loco non esse. Cain à nemine occidendum fore, sed solùm supplicio afficiẽdum eum, à quo occideretur; an autem occisus fuerit à
Theodor. Lamech, incertum est, nam Theodoretus quæst. 44. in Genesim id putat fabulosum; Pererius verò cum Caietano
Caiet. Pererius. lib. 7. in Genesim sensit, Cain fuisse illum, quem Lamech narravit uxoribus suis ab ipso occisum fuisse. In posteriori loco solùm significatur, à Deo permitti deceptionem principum.

4. Dico secundò: Deus nunquam per alios mentitus est. Assertionem solùm esse conclusionem Theologicam putat
Canus. Canus lib. 2. de locis cap. 3. ac proinde contrariam esse errorem; sed meliùs
Turrian. Turrianus disput. 3. dub. 2. cum Valencia, & Bañez docet esse certam ex fide, & contrariam hæreticam. Probatur eisdem testimonijs, & rationibus, quibus præcedens conclusio; nam quod Deus per ministros suos loquitur, ipse verè dicitur loqui; iuxta illud ad He-
Ad Heb. 1 bræos 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Ergo sicut Deus absolutè loquẽdo non mentitur per se ipsum, ita nec per suos ministros, quorum sermo est ipsissimus sermo Dei.

Sed contra cõclusionem objici possunt plura testimonia Scripturæ, in quibus Deus videtur per ministros suos mendacium dixisse; omissis autem multis, quæ non difficilem explicationem habent, & explicãtur à Turriano suprà, solùm afferam duo celebriora. Vnum est ex cap. 27. Geneseos, 5.
ubi Iacob divina revelatione motus confinxit mendacium dicens, se esse *Genes. 27.*
primogenitum Esau, ut ab Isaac parẽte utriusque tanquam primogenitus benediceretur; quod quidem fraudulenter, atque adeò non sine mendacio factum esse, testatur ipse Isaac dicens: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Alterum est ex cap. 22. eiusdem libri, ubi Abraham, *Genes. 22.*
dum á pueris suis recederet, ut iret ad immolandum filium ex Dei pręcepto, dixit illis: *Expectate hic, & postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Quæ quidem verba non potuit sine periculo mentiendi proferre, cùm ipse non sciret filium suum iterum rediturum, sed potiùs crederet occidendum, & tamẽ hoc dixit Abraham instinctu divino, iuxta S. Ambrosium lib. 1. de Abrahã *S. Ambr.*
cap. 8. ergo Deus per alios mẽtitus est aliquando.

Respondetur primò ad utrumque 6.
locum, si Iacob, & Abraham mentiti fuissent, non propterea illud mendacium in Deum relatum iri, quia facilè dici posset, illos non ut Dei ministros, sed proprio, ut aiunt, Marte protulisse mendacia, quorum meminit Scriptura. Secundò in speciali, quod attinet ad Iacob, licèt Lyræ non videatur neces- *Lyra.*
sarium excusare Iacob à peccato mẽ- *Del-rius.*
dacij, imò Del-rius, & Cornelius putẽt *Cornel.*
Iacob esse mentitũ, vera tamen sentẽtia est, illum sine mendacio dixisse patri suo: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Ita S. Augustinus, S. Chrysostomus, In- *S. August.*
nocentius, & alij, quos refert Bañez, & *Bañez.*
B. Thomas 2. 2. quæst. 110. artic. 3. ad 3. *S. Thom.*
nec displicet Lyrano. Quæ doctrina

in hunc

in hunc modum explicatur. Cùm Rebecca mater eius divina revelatione cognovisset, filium suum Iacob electum fuisse à Deo in primogenituram, iure optimo potuit illi dicere, ut perinde se gereret ac primogenitus; verè ergo dixit: *Ego sum primogenitus tuus.* Quod verò addidit Iacob, scilicet *se esse Esau*, intelligitur non in persona, sed in repræsentatione, quatenus scilicet ipse gerebat vices Esau in ordine ad maioratum, qui non Esau, sed sibi divina electione concessus erat; qua etiam ratione Christus Dominus dixit in Evangelio, iam venisse Eliam, quia venerat Ioannes Baptista, qui in spiritu, & zelo erat typus Eliæ. Similiter cùm dixit: *Feci, quod præcepisti mihi*, verum locutus est, nam præceperat Isaac ipsi Esau, & Iacob erat Esau in repræsentatione. Sic etiam quod addidit: *Comede de venatione mea*, non intellexit Iacob de venatione in agro, sed in stabulo, seu in loco, unde hædos iussu matris attulit.

7. *Canus.* Ad alterum locum licèt Canus lib. 2. cap. 4. velit Abrahamum fuisse mētitum, magis tamen placet opposita *S. August.* sententia S. Augustini ser. 71. de tempore tom. 10. nam ipse sperabat, filium suum, licet immolaretur, fore suscitandum à Deo, ut ita implerentur promissiones ipsi factæ, ut eleganter persequitur Augustinus, & sequuntur *Del-rius.* *Cornel.* Del-rius, & Cornelius; vel saltem illa phrasi solùm voluit significare se esse rediturum, quamvis filius non rediret: sic enim in Evangelio dicuntur latrones blasphemijs affecisse Christum Dominum in cruce pendentem, licèt unus fortasse solus id præstiterit; vel deniq; ut ex Caietano, & Thoma Anglo af- *Pererius.* fert Pererius disputatione 6. in cap. 22 Genesis, respondit Abrahamus, se, & filium redituros secundum id, quod naturaliter evenire deberet, licèt ex peculiari Dei iussu secùs crederet esse futurum; nec enim tenebatur Patriarcha declarare id, quod ex Dei mandato facturus erat.

8. Dico tertiò: Deus nec de absoluta potentia potest mentiri per se ipsum, aut per ministrum suum. Conclusio- *Gabriel.* nem negant Gabriel in 3. distinctione 38. quæstione unica, conclusione 2. ubi ait, posse Deum alicui præcipere, ut per mendacium decipiat alterum; Holcot in 2. quæstione 2. articulo ultimo *Holcot.* paulò ante finem, & alij; sed mihi videtur adeò certa, ut non dubitem oppositam esse errorem in fide, ut bene docuit Bañez conclusione 3. quem *Bañez.* sequitur Turrianus disputat. 3. dub. 2. *Turrian.* Probatur primò ex Scriptura: Luc. 21. *Luca 21.* *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Quibus verbis significatur, adeò infallibile esse divinum testimonium, ut priùs cœli perire possint, quàm veritas Christi Domini; quare cùm cæli non nisi de potentia absoluta perire possint, Deus nec supernaturaliter mentiri poterit. Et 2. ad Timoth. 2. *Ille* (scilicet Deus) *fidelis* *2. Ad Timoth. 2.* *permanet; negare se ipsum non potest.* Ad Hebræos 6. *Impossibile est mentiri Deũ.* *Ad Hebr. 6.* Eandemq; veritatem manifestè colligit Valencia conclusione 2 ex S. Athanasio, S. Cyrillo, S. Augustino, & S. Am- *Valenc.* brosio.

Secundò probatur, quia Deus nihil potest agere, quod omnino repug- 9. net suæ infinitæ authoritati, & bonitati; sed mentiri omnino repugnat his perfectionibus; ergo Deus nullo modo potest mentiri. Maior, & consequentia sunt certæ. Minor probatur, tum quia mendacium est intrinsecè malum, ut suprà dicebamus; ergo repugnat summæ bonitati, à qua nullum malum culpæ provenire potest; tum etiam, quia infinita authoritas Dei debet continere summum, quod in veracitate potest excogitari; sed quò quis maiorem veracitatem habet, eò longiùs distat à decipiendo; ergo qui veracitatem, seu authoritatem habet omnino infinitam, summè distat à decipiendo, ac proinde nullum potest decipere, seu quod idem est, nulla ratione potest mentiri.

Tertiò id ipsum videtur hac de- 10. monstratione Theologica manifestò persuaderi: Si Deus ulla ratione posset mentiri, non esset certa nostra fides; consequens est hæreticum, ergo antecedens est omnino falsum. Minor est de fide. Consequentia est evidēs. Consecutio maioris probatur, quia propte-

rea solùm est certa nostra fides, quia innititur divino testimonio, quod est ita infallibile, ut quod ab ipso fuerit confirmatum, non posit non esse verũ: si autem Deus potest revelare quidpiã falsum, poterit propter eius testimonium credi aliquid, quod non solùm est incertum, sed etiam falsum; ergo modò quivis præbebit assensum incertum doctrinæ à Deo revelatæ. Patet consequentia, quia nemo scit, an Deus usus fuerit sua absoluta potentia, & in ijs, quæ revelavit, mentitus fuerit. Dices, Deus revelavit se non fuisse hactenus mentitum, ut constat ex locis Scripturæ suprà adductis, ac proinde sine formidine poterit quivis assentiri omnibus, quæ Deus dixit. Sed hoc nullius momenti est, nam si Deus mentiri posset, quis sciret, an mentiretur in hoc ipso, quod revelavit, scilicet se non esse mentitum; rueret ergo iuxta prædictũ errorem universa fidei nostræ certitudo, quod profectò absurdissimum est.

11. Neq; urget, quod suprà obijcit Gabriel, scilicet Deum posse alicui præcipere, ut alterum occidat, ac proinde posse præcipere, ut alterum decipiat mentiendo, cùm minor iniuria irrogetur illi, qui decipitur, quàm illi, qui occiditur. Respondetur enim, impossibilitatẽ mentiendi non colligi ex malo, quod alteri provenit ex deceptione, sed ex intrinseca malitia, quam habet deceptio, quòd scilicet detorqueat locutionem ad finẽ omnino cõtrarium illi, ad quem destinatur, & ex alijs incommodis adductis; at præcipere alicui, ut alterum occidat, non est intrinsecè malum, cùm Deus sit Dominus absolutus vitæ hominum, ac proinde posit illos in nihilum redigere per se, vel per aliquem sui ministrum.

12. Ex dictis infertur, Deum ne de absoluta quidem potentia esse posse infidelem, seu non stantem promissis suis. Etenim Paulus in epistolis ad Timoth. & ad Hebr. de infidelitate locutus est, cùm in locis suprà relatis negat Deum posse mentiri; & idem ferè esset in Deo mentiri, & esse infidelem. Nam quãdo Deus promittit aliquid, aut habet verum animum, seu efficacem voluntatẽ implendi, quod pollicetur, aut non habet; si dicatur hoc secundum, eò ipsò Deus mentiretur, nam affirmaret se facturum, quod sciebat se non facturum, ac proinde quod absolutè nolebat fieri, aut saltem permittebat. Si verò dicatur illud primum, non potest id non impleri, quia voluntas efficax Dei non potest cassa reddi, ut 1. par. quæst. 19. docent S. Thomas, & eius interpretes, & nos ibidẽ docuimus controversia 3. resq́ue secundum fidem certa est.

SECTIO II.

Posterioris difficultatis declaratio.

Circa posteriorem dubitationem dicendum breviter est, habitum fidei non posse inclinare ad falsum assensum. Probatur manifestè, nam habitus fidei solùm inclinat ad actus, quibus credimus ea, quæ revelata sunt à Deo, sed eiusmodi non possunt esse falsa, ut dictum est; ergo. Confirmatur, quia contra rationem actus fidei est esse falsum, sed habitus fidei solùm inclinat ad actus fidei; ergo non potest inclinare ad falsum. 13.

Sed obijcies primò: si in momento ante Christi Domini adventũ elicuisset aliquis Catholicus actum, quo crederet Christum Dominum esse venturum, ille actus pertineret ad fidem divinam; ponamus ergo ipsum actũ perseverare aliquãtulum post tale momẽtum, certè idem numero actus esset, ac proinde ad fidem spectaret; sed tunc esset assensus falsus; ergo fides inclinare potest ad falsum. Respondetur, ad credendum fide divina in illo momento, Christum Dominum fore venturũ, fuisse necessarium, ut certa revelatione cognosceretur nondum venisse; ex vi autem illius revelationis non poterat determinari ad id credendum nisi pro tali instanti, in quo nondum venerat, alioqui revelaretur illi aliquid falsũ, quod est impossibile. Dico ergo, quòd licèt post illud momentum perseveraret ille actus, semper esset verus, quia non asserebat Christum Dominum vẽturum, nisi pro illo instanti, in quo actũ primò elicuit, non verò pro tempore sequente, in quo illum conservaret. 14.

Obijcies

15. Obijcies secundo: fides inclinat ad credendum, Christum Dominum esse in Sacramento altaris, sed interdum contingere posset Christum Dominũ non esse sub hac, aut illa hostia, quam malus sacerdos noluisset consecrare; ergo in eo eventu inclinaret fides ad falsum. Respondet B.Thomas artic.3. ad 4. fidem non inclinare ad credendum, Christum Dominum determinatè esse in hac numero hostia, vel illa sed in ea, quæ fuerit ritè consecrata, & ita nunquam exponitur fides falsitati: nec propterea cùm aliquis hanc, vel illam hostiam adorat, appositurus est conditionem, si nimirum sit ritè consecrata, hoc enim reprehensione dignũ esset, & devotionẽ multùm imminueret; sed sat est implicita conditio, quia iam supponunt fideles se credere, & adorare sub illis speciebus Christum Dominum supposita vera consecratione, & non aliter: & ita bene explicuit Lorca disp.10. in appendice eos Doctores, qui conditionem censuerunt apponi debere, ut Sacramentum adoretur.

S.Thom.

Lorca.

16. Obijcies tertiò: si cum præmissa fidei iungatur altera falsa, poterit elici falsa conclusio; ut si quis ita argumentetur: *Nullus homo est risibilis, Christus Dominus est homo, ergo nõ est risibilis.* Sed præmissę determinant ad conclusionẽ; ergo præmissa fidei determinaret ad conclusionem falsam. Respondetur breviter, id non provenire per se à fide, sed per accidens quatenus quis adiungit præmissæ fidei propositionem falsam; non est autem inconveniens, ex præmissa fidei simul cum alia falsa determinari intellectum ad falsam conclusionem, quia actus fidei suapte natura ad id nõ determinat, licet per accidens adiungi possit propositioni falsæ, cui attribuenda est falsitas conclusionis; sicut cùm Deus, & creatura cõcurrunt ad peccatum, non refertur malitia ad Deum, sed ad deficientẽ creaturam.



DISPVTATIO VIII.

Vtrùm saltem possit Deus falsam doctrinam aliquo vero miraculo confirmare?

De natura veri miraculi differit B. Thomas 1. p. quæst.105.ar.7. & quæst. 110.art.4. & nos ex professo in 1. 2. controversia 8.tract.4. disp.8.sect.ult. disseruimus, ex qua breviter suppono, verum miraculum non posse fieri nisi à Deo, ut à causa principali particulari, licèt uti possit creatura tanquam instrumento. 1.

Difficultas ergo nostræ disputationis est, an possit Deus patrare miraculum, ut confirmetur falsa doctrina; non quidem ita ut Deus intendat falsitatẽ confirmare, id enim esset mẽtiri, quod prorsus dedecet divinam authoritatẽ; sed solùm ut concurrat ad verum miraculum, quando aliquis homo vellet illud efficere, ut suam falsam sectam declararet esse veram. 2.

Prima sententia existimat id esse omnino impossibile, etiam secundum absolutam potentiam. Videtur B.Thomæ quodlib. 2. art.6. ad 4. & Scoti in quęst.2.prologi § *De octavo.* Colligitur ex Bellarmino to.1.lib.4.de notis Ecclesiæ cap.14. § *Iam quod attinet*; & ex Toleto annotat.2. in cap.3. Ioan. ubi ait, ex miraculis Christi sufficiẽter colligi divinitatem eius, posito quòd in confirmationem talis veritatis patrabantur; quod non esset verum, si sentiret posse fieri pro falsa doctrina. Probatur, quia miraculum suapte natura deservit ad confirmationem doctrinæ, quando ab aliquo patratur ad illã stabiliendam; ergo impossibile omnino est, fieri à Deo in confirmationem falsæ doctrinæ. Antecedens ostendi potest innumeris penè Scripturæ testimonijs; sufficiãt tamẽ duo celebriora; unum est ex cap.ult. Marci, ubi post Ascensionem Christi Domini dicitur de discipulis eius: *Illi autem profecti* 3.

S.Thom.

Scotus.

Bellarmi.

Tolet.

prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Alterum ex cap.2. ad Hebræos, ubi ait Apostolus, *Evangelicam salutem confirmatam fuisse contestante Deo signis, & portentis;* Lege S. Hieronymum super id Matth.8. *Et ecce leprosus.* Consequētiam verò probo, quia qui facit opus, quod suapte natura confirmat aliquam doctrinam, sine dubio videtur illam confirmare, & sua authoritate tanquā veram stabilire; ergo si Deus miraculū in confirmationem falsæ doctrinæ ederet, consequenter vellet sua authoritate illam stabilire; sed hoc est intrinsecè malum, quia non est aliud, quàm Deū esse confirmatorem mendacij, & non solo verbo, sed opere illud approbare; ergo contradictionem involvit, patrari à Deo verum miraculum, ut confirmetur falsa doctrina.

Ad Heb.2

S. Hieron.

4. Confirmatur primò, quia Christus Dominus in Evangelio narratur edidisse multa miracula, ut suaderet Iudæis, se esse verum Messiam; ergo signum est, miraculum suapte natura deservire ad suadendum, veram esse doctrinam, in cuius confirmationem patratur; ergo eò ipso quòd Deus ederet miraculum, quo confirmaretur falsa doctrina, vellet suadere, illam esse veram; sed hoc est intrinsecè malum, esset enim velle decipere, & suadere mēdacium; ergo non potest fieri à Deo. Cōfirmatur secundò, quia miraculum dici solet sigillum, quo verba Dei sigillata ad nos proferuntur, ut notat Toletus suprà; ergo sicut Rex, qui sigillo suo muniret aliquod falsum scriptum, censeretur illud reputare verum, ita si Deus in confirmationem falsæ doctrinæ ederet miraculum, censeretur illā stabilire ut veram, quod profectò esset operibus mentiri, & decipere homines, quod omnino dedecet divinam authoritaté. Confirmatur tertiò, quia si aliquis concionator assereret modò aliquem errorem, & in confirmationē eius Deus ad vitam revocaret unum, aut alterum mortuum, non minùs hoc facto suaderet Deus, illum errorē esse verum, quàm si puerum aliquem prorsus balbutientem eveheret, ut dissertis verbis testaretur, illum errorem non esse falsum; sed hoc secundum est impossibile, quia Deus foret author mēdacij; ergo & illud primum.

Responderi potest ad hæc argumēta, in prædictis eventibus non esse Deū confirmatorem falsitatis, sed hominé, cui Deus tribuit potestatem edendi miracula, Deum vero solùm concurrere ad miraculū, sicut concurrit ad peccatum cum voluntate creata. Sed hæc solutio refellitur, quia ut suprà notabamus, miraculum non potest fieri ab alia causa principali præter Deum, ac proinde homo solùm se habet ut instrumentum, vel ut conditio, ad cuius volitionem Deus edit miraculum; sicut ergo Deus non potest ut causa particularis concurrere ad mendaciū, vel aliud peccatum, ita nec efficere verum miraculum, ut stabiliatur falsa doctrina. 5.

Secunda sententia esse potest, non repugnare, conferri divinitus creaturę ut instrumento Dei virtuté edendi miracula, licèt aliqua, vel omnia velit pro sua malitia edere in confirmationem falsæ doctrinæ. Favet huic sententiæ Suarez 3.p. to.2. disp.31. sect.2. post 3. conc. quatenus pro ea affert aliquot argumenta: *Quæ (inquit) sunt difficilia, & vellem potiùs illorū solutiones ab alijs discere, quàm docere.* Durandus etiam q.1. prologi n.47. ait, non esse per se notū, quòd miraculum patretur in cōfirmationem veræ doctrinæ, ita ut Deus testetur falsum, si in confirmationem falsitatis edat miraculum. Bañez etiam infrà quæst.5. ar.1. ad 1. principale, versic. *Quòd si quis iterum*, expressè docet, posse aliquem uti virtute effectrice miraculorum ad fallendum. Et Michaël de Medina lib.5. de recta in Deum fide cap.7. contendit, vera miracula nō esse omnino certam confirmationem veritatis, quia à dæmone, & alijs falsis ministris vera miracula effici possunt. 6.

Suarez.

Durand.

Bañez.

Medina.

Probatur hæc opinio primò: Deus confert sacerdotibus potestatem consecrandi, & tamen eam possunt detorquere ad pravos fines, & similiter qui haberet gratiam sanitatis, posset illa uti propter avaritiam, vel vanam gloriam; nec propterea hæc vitia revocarentur ad Deum, sed solùm ad pravam 7.

hominis

ho mi nis voluntaté; ergo quãvis Deus conferret alicui potestatem edẽdi miracula,& ille pro sua malitia vellet illã exercere, ut confirmaret falsa dogmata, non ideò id referretur ad Deum; ergo non est impossibile hoc fieri á Deo. Confirmatur. quia si miraculum consecrationis Eucharistiæ foret sensibus aspectabile, non videtur dubitandum, quin sacerdos proferens verba consecrationis patraret tale miraculum, quantumvis diceret, se illud edere in cõfirmationem alicuius falsæ doctrinæ;ergo bene potest fieri miraculũ à Deo, licèt malitia alicuius illud detorquere velit ad cõfirmationem falsi dogmatis.

8. Secundò probatur,quia miraculum potest habere alios optimos fines præter confirmationem doctrinæ; potest enim Deus patrare miraculum, ut ostendat infinitudinem suæ virtutis, vel ut conferat alicui beneficium aliquod; ergo non potest prudenter credi, Deũ velle confirmare falsitatem doctrinæ, licèt quando illud fit, fingeret aliquis hæreticus,illud fieri à Deo in cõfirmationem suæ sectæ; ergo non est intrinsecè malum, conferri à Deo potestatem edendi miracula, licèt illa sit aliquis abusurus ad confirmandam falsitatem.

9. Tertiò probatur,quia si Deus revelasset Petro miraculum, quod crastina die decrevit patrare, posset Petrus aliquos homines decipere dicẽs,crastina die edendum fore à Deo miraculum, ut confirmet aliquod falsum dogma, quod Petrus suadere conabatur, & tamen non propterea desineret Deus efficere illud miraculum; ergo non repugnat Deum operari miraculũ,quod vitio hominis ad falsitatem confirmãdam detorqueretur. Quartò probat Medina,quia Scriptura prædicit magna signa facienda à malis ministris, ut homines decipiant;id quod confirmat testimonio S. Chrysostomi asserentis, signa utilia facienda esse ab eiusmodi ministris,affertq; in exemplum illuminationem cæcorum.

10. Mihi quidem in hac difficili controversia distinguendum esse videtur, quando enim attentis omnibus circũstantijs prudenter existimari posset, & deberet,aliquod miraculum deservire ad confirmandam doctrinam,tunc impossibile omnino erit patrari à Deo, sive per se ipsum, sive interventu alicuius instrumenti creati; quando verò id non posset,aut non deberet prudenter credi, tunc rectè poterit Deus miraculum edere, quantumvis dicat falsus minister,illud fieri à Deo,ut confirmet aliquam falsitatem.

In duplici igitur eventu possunt edi miracula,unus est, in quo quivis homo cordatus, si prudenter se gerat, fateri debet, illa patrari, ut confirmetur doctrina,cuius veritatem persuadere conatur aliquis divini verbi minister, v. g. si homo ingeniosus, qui nunquã de vera religione cogitavit, audiret ab homine secundum existimationem timorato, & integerrimo, *Deum non esse trinum, & nullam ex tribus personis indutam fuisse humanitate nostra*, aut quid simile, quod nulla evidente ratione refelli posset; & prædictus minister, ut hanc doctrinam esse verã persuadeat, ederet aliquod miraculum,quod nulla ratione posset tunc ostendi esse solùm apparens,& non verum, aut factũ fuisse ob alios fines, de quibus non esset dubium; certé nullus prudens dubitabit, tale miraculum in illis circunstantijs editum, confirmationem esse talis doctrinę.Dico ergo,in ijs aut similibus evẽtibus esse omnino impossibile, patrari à Deo verũ miraculũ, idq; efficaciter persuadẽt rationes prioris sentẽtiæ, foret enim Deus sine dubio cõfirmator illius falsitatis, & quanvis decursu temporis manifestaret,illam doctrinam fuisse falsam, adhuc pro tunc ad falsum induceret, & causa esset deceptionis, quod in Deum cadere non potest. 11.

Et si dicat aliquis,in similibus eventibus non repugnaret permitti a Deo miraculum aliquod apparẽs,quod sola dæmonis arte patraretur, licèt falsitas illa,& apparẽtia detegi non posset,aut alia opera miraculosa, quæ non superant vires dæmonis,licèt sint supra naturam hominis, cuiusmodi forté fuit conversio virgarum in dracones, facta à Magis Pharaonis, Exodi 7.ut tetigit 12.

Acosta. Acosta lib. 2. de novissimis cap. 19. ergo nec repugnabit, fieri ab ipso Deo miraculum verum. Patet consequẽtia, quia non minor occasio deceptionis esset illud miraculum apparens, quàm istud verum; ergo non minus confirmaretur falsa doctrina ab uno, quàm ab altero; ergo sicut unum est possibile, ita & alterum. Respondetur concesso antecedente negando consequẽtiam, & ad probationem licèt eadem foret deceptionis occasio, una tamen esset à dæmone, altera verò à Deo; intrinsecè autem malum est, quod Deus decipiat, non vero quod à dæmone quemquam decipi patiatur. Sicut etiam impossibile est Deum mediante Angelo docere falsitatem, non verò permittere ut dæmon in Angelum lucis transfiguretur, & doceat falsum, ita ut prudẽter credatur nomine Dei loqui. Atq; pro
Maluenda hac solutione facit, quod notat Maluẽda lib. 7. de Antichristo cap. 14. miracula Antichristi fore quidem falsissima; sed tamen ita apparentia, ut à prudentissimis putari possint vera, Deo id permittente ob iustissimos fines.

13. Alter eventus miraculorum esset, quando prudenter quis posset, & deberet dubitare, an illa patrarentur in confirmationem doctrinæ, aut ob alios fines, v. g. si miraculum consecrationis esset aspectabile, ut suprà dicebamus, quãtumvis mihi, aut alteri diceret hæreticus, se velle cõsecrare, ut mihi suaderet suam sectam, & re ipsa consecraret, non propterea prudenter ego crederem illud miraculum esse confirmationem illius doctrinæ, quia certo scio aliunde, miraculum hoc edi à Deo ob alios fines. Dico ergo eiusmodi miracula posse fieri à Deo, licèt nosset, detorquẽda esse à malo ministro ad pravum finem. Probatur, quia illa tunc nõ confirmant doctrinam veram, aut falsã, ut evidenter patet; ergo ex eo quod Deus illa vellet patrare, non stabiliret aliquam falsitatem; ergo non est hoc intrinsecè malum, nec ullo modo dedecet divinam authoritatẽ, nec aliud convincere possunt argumenta posterioris sententiæ.

14. Ad rationem ergo primæ opinionis prout nobis videtur obijci posse, respondetur breviter, miracula non esse suapte natura confirmationem doctrinæ, nisi quando id ex circunstãtijs prudenter eluceret, & eiusmodi fuisse circunstantias miraculorum Christi Domini, & discipulorum, quibus propterea meritò dicit Scriptura confirmatã fuisse à Deo illorum doctrinam. Ad primam, & secundam confirmationem patet ex eodem principio. Ad tertiam maior est vera, quando prudentis arbitrio tam miraculum, quàm verba pueri crederentur confirmare veritatem, & tunc foret impossibile, edi à Deo verum miraculum, sicut & elevari puerũ, ut testaretur, illum errorem non esse falsum. Quando verò constare posset, miraculum edi ob alios fines, & verba dici à puero æquivocè, neg nda est suppositio maioris, quia tunc neq; miraculum, neque verba comprobarent falsitatẽ. Si denique verba infantis sine æquivocatione proferrentur, forent mendacium, quod non potest cadere in Deum propter suprà dicta; secùs de miraculo, quando prudenter credi posset factũ ob alios fines, & ideo in hoc casu neganda esset maior huius tertiæ confirmationis.

Ad primum posterioris sententiæ, illa, & similia dona collata à Deo, possunt ordinari ad fines pravos vanę gloriæ, vel avaritiæ, quia illa, prout à Deo conferuntur, nullam connexionem habent cum illis finibus vitiorum: at verò miraculum in debitis circunstãtijs patratum, est confirmatio veritatis, & ita qui illud edit, confirmat doctrinã; quare si doctrina sit falsa, confirmarẽtur à Deo, ac proinde in Deum revocaretur deceptio, quod est impossibile. Ad confirmationem dicendum est iuxta traditam distinctionem. Ad secundum iam patet esse aliquas circunstantias, in quibus non potest prudenter dubitari, quin miraculum edatur ad confirmationem doctrinæ. Ad tertium, quando Deus id revelavit Petro, præscivit illud miraculum patrandum in circunstantijs, in quibus non detorqueretur à Petro ad prudenter suadẽdam falsam doctrinam, & ita non infertur illud incõmodum. Quod si Deus tale incõmodum videret esse futurum, 15.

si tale

si tale miraculum patraret, nec illud posset efficere, nec Petro revelare. Ad quartum respondetur, ea non fore vera miracula, licèt aliquando sint vera, & inusitata signa, qualia nimirum arte dæmonis effici possunt, ut hominē in aëra sublevari, & illuminari cæcum, qui non amisisset potentiam visivam, sed ratione humoris nocivi impediretur, quominus facultatem exercere posset: nec aliud contendit S. Chrysostomus.

COMMENTARIVS in art. 4. & 5. quæst. 1.

IN art. 4. docet B Thomas, obiectū fidei esse aliquid non visum, licèt in solutione secūdi addat, ea, quæ pertinent ad fidem, esse in generali visa, in quantum scilicet evidenter cognoscuntur esse credibilia; quod ipsum repetit ad primum argumentum articuli quinti, in quo negat posse in eodem homine simul reperiri fidem, & scientiam de eadem veritate.

TRACTATVS SECVNdus de evidentia, quæ de obiectis fidei divinæ haberi potest.

DISPVTATIO I.

Vtrùm mysteria, quæ cadunt sub obiectum fidei divinæ, sint evidenter credibilia?

1. ILLVD appellatur evidenter credibile, quod est evidēs debere credi, seu dignum esse creditu, sive id sit in se evidenter verum, sive non. Et quidem inter fidei veritates quædam sunt evidenter notę ipso naturæ lumine, & has esse evidenter credibiles non potest dubitari; v. g. Deum esse unum, infinitum, summè sapientem, &c. Aliæ verò sunt ignota lumine naturæ, ut trinitas personarum divinarum, mysterium Incarnationis, & multa alia, quæ Catholici credunt, & non viderunt, nec modò videre possunt; & de his est præcipua difficultas, quamvis rationes adducendæ eandem vim habeant ad probandam omnium mysteriorum credibilitatem.

Capreolus in 3. dist. 32. quæst. unica art. 3. ad 3. contra primam conclusionem, negat de mysterijs nostræ fidei haberi evidentiam credibilitatis propriè loquendo. Fundamentum esse potest primū, quia aliter haberemus evidentiam mysteriorum, quod pugnat cū experientia. Secundum, quia motiva, quæ adducuntur ad suadendam rerum fidei credibilitatem, possunt esse apparentia, & non vera. Tertium, quia licèt multa essent in Catholica religione, quæ forent evidenter credibilia, sunt tamen alia multa, in quibus nulla repeperietur evidētia credibilitatis, ut patet in historijs, & minutissimis circunstantijs, quæ in Scriptura narrantur, & nullo miraculo, nullo urgenti argumento suaderi possunt; non ergo verum est in generali, omnia, quæ Catholici credūt, esse evidenter credibilia. 2. *Capreol.*

Dicendum tamen est, mysteria nostræ fidei esse evidenter credibilia, ita ut sit omnino evidens debere credi ab homine quocumque, qui post auditas nostræ religionis rationes, prudenter se gerere velit. Ita B. Thomas locis suprà adductis, Caietanus ad art. 4. Lorca disp. 16. Bañez dub. 3. Aragon art. 4. Turrianus disp. 7. Valencia q. 1. punct. 4, quæst. 3. Scotus in prologo sententiarum quæst. 2. id videtur supponere, & est recepta sententia, cui consonat illud Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, id est, prophetiæ, mysteria, & dogmata divina sunt valde credibilia: abundat Ecclesia motivis, quibus inducamur ad credendū. Vide Bellarminus, & Lorinus optimè expendunt hunc locum pro veritate nostræ assertionis. Sed antequàm formemus demonstrationem, proponēda sunt argumentorum capita, ex quibus evidēs pro nostra conclusione ratio petenda est; illa autem breviter perstringemus, 3. *S. Thom. Caiet. Lorca. Bañez. Turrian. Valenc. Scotus. Psal. 92. Bellarmi. Lorin.*

quia à sanctis Patribus passim inculcantur, & in Iunioribus citatis, B.Thoma 1.cõtra Gentes cap.6. Bañez suprà dub.4. Scoto suprà, Bellarm. to.1.lib. 4. de notis Ecclesiæ, & alijs dilucidè explicata sunt.

4. Primum igitur argumentorũ caput est sanctitas, & excellentia doctrinæ, quam profitetur nostra fides: unum Deum agnoscit, seclusa idolorum ridicula vanitate, de cuius divinitate tam gloriosa prædicat, ut nihil ne cogitari quidem possit excellentius; creaturas omnino subijcit supremo conditori ut principio, & fini; hominem evehit ad maximam fælicitatem, moribus integerrimis imbuit, nihil demum docet, quod non cõducat ad supremo domino placendum, ad obediendum rectæ rationi, ad respuẽdum quidquid avertit ab ultimo fine, quantumvis irrationalis appetitus reclamet. Atque hæc omnia si qui Catholici pro sua nequitia non exequuntur, certè omnes unanimi consensu credunt verissima, & homine digna; quare sapienter S.Iustinus Martyr in fine orationis ad Senatũ Romanum: *Non sunt* (inquit) *doctrinæ, & præcepta nostra, si sanum accedat iudiciũ, turpia, sed humanâ sapientiâ omni longe superiora.* Quæ proinde indicant manifestè, non esse levem illum, qui credit, verè sentire homines, qui talem doctrinam profitentur.

5. Secundum argumẽtorum caput est modus, quo tã excellens doctrina, tãq; supra humanũ captum persuasa est tot nationibus, tamque multiplici generi hominum nobilium, ignobilium; doctissimorum, & ignarorum; pauperum, ac divitum; videtur enim impossibile ita potuisse cõvinci tot hominum millia, ut religionem adeò contrariam voluptatibus sæculi amplecterentur, nisi ea esset à Deo, cuius infinitæ virtuti nihil resistere potest. Describit hãc Evãgelicæ doctrinæ propagationem S.Damascenus lib.4.de fide cap.4. satis eloquenter hisce verbis: *Aræ, & idolorum templa deleta sunt, Dei cognitio in hominũ animis consita est, verus Deus colitur, virtutes studio sunt, toto orbe Evangelium promulgatum est, non bello, & armis adversarios in fugam vertẽs, verùm pauci homines nudi, pauperes, litterarũ ignari, vexati, excruciati, necati, eũ prædicantes, qui in crucẽ act⁹, morteq; affect⁹ fuerat, doctos, viribusq; pollentes superarunt; eos enim omnipotens crucifixi vis, ac potentia sequebatur: hæc ipsius potentiæ indicia luculenta sunt.* Hactenus S.Damascenus. Cuius sentẽtiã, atq; adeò hoc nostrum argumentum illustrat B. Chrysostomus tom. 5. homil. 2. contra Iudæos, non longè ab initio dicens: *Superare omne miraculum, quòd Catholica Ecclesia in ipso sui exordio tot, tãq; sævis persecutionibus labefactari, aut diminui non potuerit.*

S.Damasc.

S.Chrysost.

6. Tertium caput est infinitus penè numerus illustrissimorum Martyrum, qui pro tuenda nostræ fidei veritate acerbissimos cruciatus, & mortem ipsam perpessi sunt, incredibili constãtia, atque lætitia, nullaq; temporalis præmij proposita spe; quod sanè sicut in nulla alia secta reperitur, ita veritatis nostræ fidei manifestum argumentũ est. Narrant quidem histor æ, nõnullos Ethnicos, aut hæreticos pro suis sectis, aut ob alios fines mortem oppetijsse; sed neq; in integritate morũ, neq; in invicta patientia, neq; in multitudine possunt ullo modo cum nostris comparari; de qua re optimè tractat doctissimus Frãciscus Arias 1.p.de imitat. Christi Domini tract. 3. qui in fine cap. 35. cum Genebrardo in Psal. 78. reputat verisimile, tantam usque ad hanc diem extitisse Martyrum multitudinem, ut si illorum festa per totius anni dies distribuãtur, singulis diebus occurrere possint celebrandi triumphi triginta millium, qui vita pro Christo Domino obtulerunt. Est ergo numerus Martyrum Ecclesiæ decem milliones, & nongenti quinquaginta mille, præter alios, qui non sunt à nobis cogniti, & post tempus, in quo Genebrardus scripsit, floruerunt.

Franciscus Arias.

Genebrar.

7. Lactantius verò lib. 5. divin. instit. cap. 13. in hunc modum commendat Martyrum invictam patientiam, & nostræ religionis gloriam: *Nostri pueri, & mulierculæ (ut de viris taceam) tortores suos tacitè vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis potest; sensus infirmus, & fragilis ætas dilacerari se toto corpore, urique perpetitur, nõ necessitate, quia licèt*

Lactant.

vitare

vitare, si vel ent; sed vo untate, quia confidant Deo. Sed inter alios praetertim legendus est S. Cyprianus in laudandis Martyribus non minus elegans, quàm devotus, in libello de laude Martyrij,& lib.2.epistol.epist.6.cuius verbis hoc argumentum concludendum est: *O beatam (inquit) Ecclesiam nostram, quā sic honor divinæ dignitatis illuminat! quam gloriosus Martyrum sanguis illustrat! quid tam eximium, atq; sublime est, quàm inter tot instrumenta carnificum devotione robusta custodiam fidei reservare virtutem?* &c.

S. Cypria.

8. Quartum caput est gloria miraculorum, quæ ad Catholicæ religionis veritatem confirmandam edita sunt; valet autem plurimum hoc argumētum, quia miraculū, ut tract.1. dicebamus, est quasi sigillum, quo Deus cōfirmat veritatem, ac proinde sicut Deus fallere nequaquam potest, ita nec potest esse falsa doctrina, pro qua stabiliēda tot mirabilia opera patrata sunt. Et quidē à Catholicis in omnibus sæculis facta fuisse miracula, ostēdit optimè Bellarminus suprà cap. 14. Neq; dici potest primo historias esse falsas, quia sic rueret fides humana, quę in alijs rebus credit ob multò leviora testimonia, maximè cùm nostro etiam sæculo multa patrata narrētur à B. Francisco de Paula, à B. Ignatio societatis Iesu fundatore, à B Francisco Xaverio,& ab alijs eiusdem Societatis,& aliarum familiarum clarissimis viris, qui in omnibus sequebatur doctrinā, quam nos profitemur. Præterea Salmeron to.6.tract.2. egregiè probat veritatē miraculorū Christi Domini non solùm ex authoritate Evangelicæ historiæ sed etiam ex ipsis Gentibus,& illarū prophetijs, ea enim narrantur à Sybilla Lybica, à Pilato in duplici epistola ad Tiberium Cæsarē, à Philostrato, à Mahometo. Affert etiā pro huius rei confirmatione egregium Augustini testimonium ex 10.de Civitate cap.18.& lib.22.cap.5.& 8.

Bellarmi.

Salmeron

9. Secundo fingi non potest, ea miracula fuisse apparentia,& dæmonis arte patrata, nam nec id ostendere possunt ullo probabili fundamento, & præterea mortui non possunt verè suscitari dæmonis arte, nec cæcus à nativitate recuperare visum, aut solo verbo in puncto temporis liberari ægrotus à gravissimo,& diuturno morbo: at hæc omnia à nostris patrata sunt.

Tertio dices etiam ab Hæreticis,& Paganis effecta opera mirabilia. Sed hoc refellit optime Bellarminus ostēdens, nihil ab illis patratum pro suis sectis, quod non potuerit arte dęmonis fieri,& interdu n hæretici, qui miracula edere conati sunt, edere non potuerunt. Calvinus narratur voluisse suscitare hominem, qui se defunctum esse fingebat,& Deo ordinante, verè talem hominem invētum fuisse mortuum, ne à Calvino suscitatus crederetur. Factum etiam est, quod refertur in sexta Synodo generali act.15. promisit nimirum quidam Policronius presbyter, & Monachus, fore ut mortuum suscitaret in confirmationem sui erroris, quòd scilicet in Christo Domino fuisset una voluntas,& id præstare non potuit. 10.

S.Synod.

Quintum caput est tanta multitudo hominum sanctissimorū, qui ab initio nascentis Ecclesiæ ad nostra usq; tempora floruerūt; qui cùm tam ex animo optaverint vero Deo inservire, & ad veram pervenire fælicitatem, sanè incredibile omnino est, permisisse Deum infinitè bonum, ut illi deciperentur in re tanti momenti, scilicet in amplectēda religione, quæ non potest ad salutē ducere, sed potiùs displicet ipsi Deo; ergo cùm hi amplexi fuerint, & amplectantur quidquid Catholici sentiunt, eorum profecto doctrina vera censenda est. Accedit mirabilis mutatio morum, quæ conspicitur in homine, qui convertitur ad fidem, aut qui omnino obedit præceptis illius, ea enim est manifestum signū auxilij divini, quo proinde nostri homines gubernantur, utpote amplectentes veritatem. 11.

Ultimum caput cōplecti potest alia multa. Primum est sanctitas Christi capitis nostri. Secūdum impletiones prophetiarum: quod argumentum magni fit ab authore operis de fide rerum invisibilium, quod habetur to.4. operum S. Augustini, qui etiam in lib. de catechizandis rudibus idem argumentum affert,& Frācifcus Arias 1.p. profectus spiritualis tract.4. hoc testimonium simul cum alijs, quæ faciunt pro nostra 12.

fide,doctè prosequitur per plura capita. Tertium, errores, qui in sectis infideliũ conspiciũtur. Quartum,effrænata voluptatum mundi cupido, qua decipiuntur hæretici. Quintum, summa sapientia, & litterarum omnium peritia,quæ floret inter Catholicos. Hæc enim omnia indicant, hanc Cõgregationem Catholicorũ esse cœtum à Deo dilectum,cuiq; suæ doctrinę veritatem manifestavit.

13. Ex his igitur omnibus hanc demõstrationem conficimus. Evidens est lumine naturæ, omnia illa mysteria esse digna creditu, quæ prædictis motivis stabiliuntur; sed evidés est omnia mysteria nostræ fidei stabiliri prædictis motivis,ergo evidens est omnia nostrę fidei mysteria esse digna creditu. Consequentia est evidés. Minor patet etiã evidenter, nam omnia capita argumẽtorũ, quæ retulimus, in nostra religione,& pro illius mysterijs pugnãt, quædam quidem pro uno, vel altero mysterio,ut hæc,vel illa miracula pro divinitate Christi;alia pro alijs veritatib⁹, alia pro omnibus, ut primum, quartũ, quintum,& ultimum. Maior etiam est evidentissima, nam nemo, est qui non videat esse evidenter credibile Romã esse, quia ita testantur historiæ, & tot homines fide-digni;sed multò præclariora sunt motiva, quæ suadét nostram fidem esse credibilem; ergo multò evidentius est illam esse credibilem.

14. *S.August.* Sapienter sanè S.Augustinus de utilitate credendi cap.17. cùm commemorasset integerrimos mores Catholicæ Ecclesiæ, & authoritatem tam illustrem, dixit, *Nolle illi primitias dare, vel summæ impietatis esse, vel præcipitis arrogantiæ.* Suntq; prædicta motiva tãtæ efficacitatis ad persuadendum, veram esse nostram religionem, ut audacter omnes Catholici, salva reverẽtia, quæ Deo nostro debetur infinita,dicere possimus cũ Rhicardo de S. Victore lib.1.de Trinit.cap.22. *Domine, si error est,quod credimus, à te decepti sumus.* *Ricard.* Cùm igitur nos à Deo decipi sit prorsus impossibile, profectò non minùs impossibile est,religionem nostrã non esse veram; & propterea rectè præmiserat, *Mysteria fidei tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs divinitus esse confirmata, ut genus videatur esse dementiæ in his vel aliquantulum dubitare.*

Ex dictis colligitur primò,sectas omnes oppositas Catholicæ veritati esse evidenter incredibiles illi, qui rectè perpenderit motiva suprà commemorata. Patet evidenter primò,quia in illis,aut in pluribus illarum inveniuntur plura contra naturæ lumen. Secundò, quia unum ex dogmatibus nostræ religionis est cæteras esse falsas, & ad id probandum patrata sunt miracula, & tot Martyres sanguinem effuderunt. Tertiò,quia tot viri sanctissimi cęteras sectas detestantur, & sic de alijs motivis. 15.

Colligitur secundò, fidem nostram ita esse evidenter credibilẽm,ut re ipsa debeat credi à quovis homine prudente,nam cùm motiva suadeant, hãc religionem solam esse viam ad salutẽ, quisquis velit veritatem amplecti, & non errare, debet illi adhærere, alioqui non iudicabit esse evidenter credibilem universam doctrinam illius, aut certè erit omnino imprudens respuendo id, quod evidẽter videt se debere credere,ut salvus fiat. 16.

Ad primum dicetur infrà. Ad secundum, plura ex prædictis motivis sunt adeò perspicua, ut non possint esse exposita apparentię,aut deceptioni,nam solùm de miraculis id poterat dubitari,& iam ostendimus illa non fuisse nisi verissima. Ad tertium,sanctitas virorum Ecclesiæ suadet, nos debere credere omnia, quæ habentur in divina Scriptura, cùm iudicentur credibilia ea, quæ narrat unus, aut alter author prophanus. Præterquamquòd cùm Ecclesia in reliquis,quæ credit,habeat tam firma motiva,illa suadent, non esse erraturam in alijs, quæ tanquam à Deo revelata proponit: spectat enim ad Dei providentiam id non permittere in tã religioso cœtu,& qui alia mysteria non credit sine magno rationum pondere,ut visum est. 17.

DISPVTATIO II.

Vtrùm prædicta evidentia credibilitatis sit actus supernaturalis, & à quo habitu eliciatur?

1. S.Thom. BEATVS Thomas art.4.ad 3.docet, *A lumine fidei provenire, ut videantur ea, quæ creduntur.* Et art.5.ad 1.ait, *Medio lumine fidei videri, obiecta nostræ religionis esse credenda.* Cuius sententiã ita intelligunt Caietanus ad art.4.circa solutionẽ 3.Bañez ibi.dub.3.ad 4.& Aragon concl.3. ut velint, ab ipso habitu fidei divinæ produci actũ evidentiæ credibilitatis: suaderiq; potest primò, quia habitus fidei est quoddã lumẽ intellectuale, ergo manifestat clarè suũ obiectũ; sed non potest illud manifestare quoad veritates, quæ creduntur, quia de istis non habetur à nobis evidentia; ergo solùm manifestabit quoad credibilitatẽ, inclinando ad assensũ, qui cognoscat, obiectũ fidei esse evidẽter credibile. Secundo, quia evidentia credibilitatis est actus supernaturalis nostri intellectus, ergo elicitur ab aliquo habitu supernaturali; hic autem nõ potest esse alius, quàm habitus fidei, cùm in intellectu non reperiatur alius habitus supernaturalis, qui fidem præcedat; ergo elicitur evidentia credibilitatis ab habitu fidei.

(margin: Caiet. Bañez. Aragon.)

2. Dico tamen primò: evidentia credibilitatis nõ est actus elicitus ab habitu fidei. Sic Turrianus disp.7. dub.4. cum Capreolo, Vazquez, & Valencia, & Petrus Lorca disp.15. mẽb.4. Probatur, quia ab uno, & eodẽ habitu non possũt elici duo actus specie, imò & genere diversi, maximè si habeãt modos tendẽdi ex sua ratione oppositos; sed actus evidentiæ credibilitatis, & actus fidei sunt eiusmodi, ergo non possunt elici ab eodem habitu, ergo cùm ab habitu fidei eliciatur actus fidei, non poterit ullo modo elici actus evidẽtiæ credibilitatis. Vtraq; consequentia est evidens. Minor patet, quia actus fidei est obscurus, actus verò credibilitatis est evidens; inter actũ autẽ obscurũ, & evidentẽ satis patet esse genericã distinctionẽ, & oppositũ modũ tendendi. Maior vero probatur, quia distinctio habituũ desumitur ex distinctione actuũ, præsertim genere diversorũ. Confirmatur, quia nullus habitus elicit actũ, nisi circa suum obiectũ formale, sed obiectũ formale habitus fidei est divina authoritas obscurè revelãs; ergo habitus fidei non elicit actum, nisi qui innitatur prædictę authoritati; ergo cùm evidentia credibilitatis, utpote actus clarus, non habeat tale motivum, non elicietur ab habitu fidei. Atq; hoc ampliùs confirmabitur declarãdo ad quẽ habitum illa evidentia pertineat.

(margin: Turrian. Lorca.)

Modò solùm adverto, Bañez in illa solutione 4. argumẽti asserere, nõ esse necessariũ, ut evidentia credibilitatis, & actus fidei sint duo assensus diversi, sed eundẽmet, quo credimus, verũ esse aliquod mysteriũ fidei, virtualiter iudicare, illud esse evidenter credibile. 3. Bañez. Quæ doctrina si vera esset, facilè explicaret, quomodo ab eodẽ habitu fidei posset elici actus fidei, & evidẽtia credibilitatis, sed nullo modo mihi probatur; nã cùm dicitur actus fidei iudicare virtualiter, suũ obiectũ esse evidẽter credibile, aut sensus est, ipsomet actu fidei verè, & clarè percipi dignum esse creditu illud obiectum, & hoc est falsum; tum quia in eodẽ simplici actu non possunt esse claritas, & obscuritas etiã cõparatione diversorũ; tum maximè, quia quidquid actus fidei cognoscit, credit ob Dei authoritatẽ revelantem obscurè; at verò res fidei esse evidenter credibiles, non scitur clarè, nisi ob alia motiva lõge diversa, quæ suprà cõmemoravimus: aut sensus est, ipsum actum fidei quasi practicè cognoscere evidẽter, illud obiectũ esse credibile, non quia ipse id verè repræsentet, sed quia ita se habet, ac si iudicaret illud esse evidenter credibile, cùm nemo prudenter credat res fidei, si non sint evidenter credibiles; sicut qui desperat v.g. dicitur practicè iudicare Deũ non esse sibi misericordem, quatenus ita se habet, ac si id iudicaret; & hoc spectat ad modum loquendi, & nõ solvit difficultatẽ; hic enim solùm agi-

mus de illo actu, qui verè, & expressè cognoscit, obiecta fidei esse evidenter credibilia, & iste sine dubio non elicitur ab habitu divinæ fidei.

4. Dico secūdò: habitus, ad quem pertinet evidentia credibilitatis, non potest esse unus, sed est multiplex pro varietate principiorum, ex quibus haberi potest actus evidens de credibilitate mysteriorum fidei. Probatur, quia evidentia credibilitatis propriè significat actum intellectus, quo evidenter iudicamus, mysteria nostræ fidei esse digna creditu, & debere credi à quovis viro prudenti; sed eiusmodi actus potest provenire à principijs, & motivis specie diversis, nam vel potest haberi virtute omnium argumentorum, quæ attulimus disput. 1. ita ut omnia accipiantur pro uno adæquato motivo; vel potest provenire ab uno, vel altero illorum seorsim accepto, vel ab aliqua interna illustratione, quæ ita disponat intellectum, ut certò, & clarè videat se debere credere; ergo actus evidentiæ credibilitatis est multiplex secundum speciem; ergo non potest provenire ab uno, & eodē habitu, quia unus habitus solùm inclinat ad actus unius speciei, ut dixi in materia de habitibus; provenit ergo à pluribus habitibus, quorum natura colligenda erit ex obiecto formali, quod habuerint.

5. Dico tertiò: probabilius videtur, actus evidentiæ credibilitatis esse ordinis naturalis. Probatur primò à posteriori, sequeretur enim ex opposito, esse plurimos habitus supernaturales pro multiplicitate motivorum, ex quibus deduci potest evidentia credibilitatis, quod sine sufficienti fundamēto assereretur; licèt enim daremus illos esse possibiles, non est ratio, ob quam in tanta multitudine fuissent infusi. Secundò à priori, quia evidentia credibilitatis est conclusio elicita virtute præmissarum naturalium; ergo est naturalis. Consequentia est evidens, quia cōclusio supernaturalis cùm sit certior actibus naturalibus, non potest ex illis inferri, nam conclusio semper est minùs certa, quàm suum principium, ut patet ex Logica, & ex latè dictis in principio primæ partis. Antecedens probo, quia in syllogismo, quē formavimus disp. 1. saltem minor propositio est naturalis, nam quod doctrina fidei sit cōfirmata tot, tamq; illustribus motivis, solùm agnoscitur ex humana historia, aut manifesta sensuum experientia, quæ non videtur sufficere ad assensum supernaturalem; & quāvis aliquando sufficerent, non est necessarium id cognosci per actum supernaturalē, ne tot habitus, & act⁹ supernaturales multiplicentur absq; sufficiente ratione, & authoritate Theologorum. Maior etiā propositio, in qua dicitur, omnem doctrinam, quæ talibus motivis esset confirmata, fore evidenter credibilem, videtur etiam naturalis, cùm non agat in particulari de rebus fidei, nec versetur circa motiva supernaturalia, quasi illa determinatè cognoscendo, sed solùm cōditionatè affirmet dignā esse creditu illam religionē, in qua reperirentur talia, & talia motiva: non est ergo dicendū, evidentiā credibilitatis esse supernaturalē, ac proinde ex illa generabitur solùm habitus naturalis. Quod etiam confirmat primam assertionem, nam habitus fidei est supernaturalis, ac proinde ille non respondet evidentiæ credibilitatis, quæ est naturalis.

Ad primum, fidei habitus est lumen, non quia manifestat aliquid evidēter, sed quia facit veritates fidei cognoscere, & omnis cognitio potest latè appellari lux spiritualis. Ad secundū patet ex 3. concl. S. verò Thomas non est nobis contrarius, nec enim ipse vult, ab ipso habitu fidei elici evidentiam credibilitatis, sed ab illo quodāmodo proficisci, quatenus qui habet habitū, qui inclinat ad credendū, est etiā consequenter inclinatus ad inquirēdas rationes, quæ suadeāt, illa quę credit, esse credibilia. Sic enim ipse docet in illo loco, per habitus aliarū virtutū cognosci etiā ab homine id, quod est sibi cōveniens, cùm tamen certū sit, ab habitu tēperantiæ, qui est in voluntate, non elici actum, quo iudicet intellectus, in quanta quantitate cibus sumendus sit; solùm ergo hoc iudiciū dicitur provenire à temperantia, quatenùs qui hanc virtutē habet, facilè movetur ad indagandū modū temperatè manducandi. 6.

In fine huius disputationis adverto, nomine evidentiæ credibilitatis posse comprehendi iudicium evidens, quo intellectus iudicat, hic & nunc esse bonum credere mysteria fidei, à quo immediatè movetur voluntas, ut per actũ piæ affectionis inclinet mentẽ ad credendum; & hoc est supernaturale, ut patebit tract. 9. Possunt etiam comprehendi actus donorum Spiritus sancti, scilicet sapientiæ, & scientię, quibus ex speciali instinctu Spiritus sancti iudicantur res fidei dignissimæ creditu; & hi sunt supernaturales, & sine discursu habent evidentiam, quam explicui in materia de virtutibus, seu in controv. 5. 1.2. tract. de donis disp. 1. & 2. hoc verò loco non agimus, nisi de evidẽtia credibilitatis, prout significat illã conclusionem, quam ex motivis numeratis disp. 1. docuimus posse deduci, & illã diximus esse ordinis naturalis.

DISPVTATIO III.

Vtrùm ad amplectẽdam fidei veritatem requiratur in omnibus evidẽtia credibilitatis? Vbi quo pacto rustici, & infantes instruendi sint.

SECTIO I.

Quid sentiant Doctores de proposita difficultate.

1. S.Thom. BEATVS Thomas art. 4. ad 2. agens de evidentia credibilitatis ait, *Nullum esse crediturũ mysteria fidei, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiã signorum, vel propter aliquid huiusmodi*. Propter quæ verba, & alia similia Caietanus in prædictum locum B. Thomæ, Bañez dub. 3. ad 3. Aragon dub. ult. tuentur, in omni credẽte requiri evidentiã credibilitatis, eamq; esse sententiã B. Thomæ; idẽq; videtur sentire Lorca disp. 16. memb. 4. nu. 2. (Caiet. Bañez. Aragon. Lorca.)

2. Dionys. Dionysius in 3. dist. 24. quæst. unica ad finem ait: *Levitatis, & stultitiæ fore, certò credere sublimitatem mysteriorum fidei, nisi certò sciretur, legem, & fidẽ christianam esse à Deo medijs motivis credibilitatis*, quæ proximè cõmemorarat. Valencia q. 1. ad fin. punct. 4. limitare videtur sententiã Caietani, quatenus ait, ad credẽdum sufficere eam evidentiã credibilitatis, quæ sit talis in potentia propinqua, id est, qualis est illa, quam habent pueri, cùm credunt in re gravi parentibus, aut concionatoribus, qui non solent facilè decipere; vel quando moventur ad credendũ ratione aliqua non levis momenti, ex qua facilè possit colligi evidentia credibilitatis. (Valenc.)

Canus apud Aragonem suprà dicebat, non semper requiri evidentiã credibilitatis, sed ut in plurimũ; & ita intelligendũ esse B. Thomam. Turrianus dis. 7. dub. 7. varias exhibet distinctiones, & ut opinor, nõ multùm differt illius sententia ab ea, quã probabimus. Deniq; docti Iuniores Theologi existimant, in plerisq; præsertim ex rudioribus, non esse necessariam evidentiam credibilitatis rigorosè acceptam, bene tamen largè, prout significat id, quod requiritur, ut quis prudenter assensum præbeat fidei mysterijs. 3. (Canus. Turrian.)

SECTIO II.

Explicatio difficultatis.

EGO breviter sentio primò, ut mysteria Catholicæ religionis credantur fide supernaturali, necessariũ esse in eius confirmationẽ reperiri motiva, quibus fiat evidẽter credibile, illa esse dignissima creditu, & contraria dogmata esse reijcienda; sive id sciatur ab omnibus fidelibus, sive non. In hac cõclusione non potest esse dissensio, quia cùm fides sit medium necessariũ ad salutem, & aliunde sit de rebus, quæ non videntur, oportuit veritates illius tot signis, & motivis cõfirmari, quæ omnino convincere possint cuiusvis prudẽtis ingenium, ut sibi persuadeat, illam, & nullam aliam doctrinã cõtrariam esse credẽdã; & propterea in cõfirmationẽ nostræ fidei faciunt ea capita argumẽtorum, quæ in 1. disp. numeravimus, & quæ in nulla alia secta reperiũtur; nam alioqui, si aliquis error confirmari posset tot, tãq; firmis argumentis, quot, & 4.

quàm firmus roboratur nostra fides, nihil ea haberet singulare, quo hæreticis, vel infidelibus suaderetur, & ita nō peccaret, qui illam sufficienter propositam non amplecteretur.

5. Secundò sentio, in omni credente reperiri talem mysteriorum fidei propositionem, quę sufficiat ad prudenter credendum; & aliquid speciale inveniri, inducens quemlibet Catholicum ad credendum, quod non reperitur, quando proponitur credendum aliquid falsum. Hanc saltem assertionem contendūt Caietanus, Dionysius, Bañez, Aragon, & Lorca; & prior illius pars probatur primò, quia aliter argui posset Catholicus levitatis, cùm in re tanti momenti, à qua nimirum salus pendet, præcipitaret assensum absq; omni formidine, quò secundum prudentiam nō deberet: repugnat autem in hoc ipso, quod est supernaturaliter credere, levitatem, & imprudētiam inveniri, cùm bonum, & sanctum sit fidei supernaturalem assēsum elicere; ergo nullus credit fide divina, qui non habeat eam notitiam mysteriorum, quæ sufficiat, ut prudenter se gerat, dum illis habet fidem. Secundò, quia ad credendum requiritur ex parte voluntatis actus honestus imperans intellectui, ut credat, ut dicetur tract. 5. ergo prærequiritur in intellectu actus, quo iudicet honestum esse credere. Patet consequentia, quia non potest volūtas bene operari, præsertim actu efficaci, nisi intellectus iudicet esse bonū obiectum, quod amplectitur. Rursus, omne iudicium, quod dirigit actum honestum volūtatis, debet esse conforme regulis prudentiæ; ergo nullus credit fide supernaturali, nisi cui ita proponuntur mysteria fidei, ut prudenter existimet ea esse credenda.

6. Posterior pars assertionis non minùs perspicua est, nam actus fidei supernaturalis prærequirit internam illustrationem Spiritus sancti, in quam ultimò resolvitur, ut suprà dictum est; quando verò proponitur obiectū falsum, Deus non illustrat mentem ad illud credendum; ergo si cum externa propositione prædicantis res fidei coniungatur interius lumen, quo proponūtur obiecta credenda, semper est aliquid speciale, quod tanquam ratio formalis determinat ad credēdum mysteria fidei, & non reperitur, nec reperiri potest, quando falsæ sectæ proponuntur.

Dico tertiò: non est necessaria ad credendum illa evidētia credibilitatis tā perfecta, quæ provenit ex omnibus, aut certè ex pluribus motivis enumeratis disp. 1. imò nec requiritur, ut qui proponit fidē, semper illā confirmet rationibus, quæ nullo modo formari possint ad confirmandam aliquam falsam sectam. Priorem partem contendunt Canus, Valencia, & Turrianus: & probo, quia si tam perfecta evidentia requireretur in omni credente, maior pars populi Christiani non eliceret actum fidei supernaturalis, cùm nec illi semper audierint enumerationem illustrium motivorum, nec adverterint illorum efficaciam, & multi solùm edocti fuerint ab uno, vel altero parocho, aut viro religioso, qui quantumvis dicat, religionem nostram confirmatam esse prodigijs singularissimis, non potest facere maiorem fidem, quàm humanam, & quæ non pervenit ad cōvincendum intellectum hominis, qui vellet dubitare de ijs, quæ audiret à tali parocho, vel viro religioso. Dicere autem, ex Catholicis paucissimos esse, qui credunt, & innumeros penè populos, qui ab uno, vel altero instruuntur in rebus nostræ religionis, nunquam elicuisse actum fidei divinæ, temeritatis, & impietatis speciem præ se fert. Et sanè cùm actus fidei supernaturalis tam necessarius sit ad salutem, credendum omnino est, divinam bonitatem, & sapientiam, quæ omnia disponit suaviter, sine tot motivis concurrere cum hominibus, & illos illuminare, ut credant. Vnde sapienter S. Augustinus in epist. 102. cùm unum, aut alterū fidei mysteriū explicuisset Evodio, ad quē illam epistolam scripsit: *Si propter eos* (inquit) *solos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, penè frustrà in Ecclesia laboramus; si autē (quod veritas habet) infirmi populi credentium ad medicum currunt sanandi per Christum, miris fit modis per altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei, ut multi, etiam si ista, quæ sub-* 7

S. August.

titissimè differuntur, ignorant, perveniant ad plenam fœlicitatem, ubi videntibus sunt cuncta perspicua. Hactenus Augustinus.

8. Posterior pars conclusionis non videtur posse negari, nam sicut in innumeris civitatibus Hispaniæ proponunt viri sapientes hominibus rusticis, aut indoctis veritates fidei, & dicunt, illas esse à Deo revelatas, & stupendis prodigijs cōfirmatas; ita diabolico instinctu conspirare possent ad proponendā aliquam hęresim circa aliquod dogma minimè notum communi plebi, & asserere, in illius confirmationem legi in historijs fide-dignis patrata fuisse innumera miracula, & multos Martyres vitam profudisse; ergo ex parte proponētis fidei mysteria non semper est necessarium afferri rationes, quæ pro falsa secta adduci non posśint.

SECTIO III.

Obiectio contra dicta proponitur, & diluitur.

9. SED obijcies: fides nostra debet habere aliquid peculiare, quod nō habeant reliquę sectæ, cùm proponuntur credendæ, ut conc.1. statutum est; ergo non possunt eodem modo proponi falsa, & vera doctrina rerum, quæ spectāt ad fidem. Confirmatur primò, quia ex opposita sententia sequeretur, non minùs prudenter se gerere eum hominem, qui crederet falsam sectam modo dicto propositā, quàm cùm credit fidei mysteria; quod sanè videtur incommodum, & contra excellentiam fidei Catholicæ. Confirmatur secūdo, quia Deus non concurrit cum intellectu hominis ad actum fidei, nisi quādo obiectum proponitur sufficienter; sed si ex parte proponentis non sit aliquid speciale, quod non reperiatur, quando proponūtur falsę sectæ, non erit proposita sufficienter doctrina fidei; ergo Deus non concurret ad actum fidei. Maior, & consequentia videntur certę; minorem probo, quia cùm proponitur falsa secta ut revelata à Deo, propterea Deus non concurrit cum intellectu nostro ad illam credendam fide supernaturali, quia non proponitur sufficienter credibilis; ergo si eodē modo proponeretur vera doctrina fidei, Deus non concurreret ad supernaturalem fidem, qua illa crederetur. Confirmatur tertiò, quia propterea doctrina Evangelica confirmata est à Deo tot signis & portentis, quæ in nulla alia religione inveniuntur, quia necessariū est ad credendum fide divina, proponi res fidei meliori modo, quàm falsa dogmata, & alioqui non peccarent homines credētes doctrinā hæreticorum, nec possent dignoscere veram doctrinam a falsa, nec denique reddere rationē sufficientem suæ credibilitatis, cùm rogarētur, cur potiùs hanc doctrinam, quàm alia amplexi sint: quod est contra Apostolum Petrum, qui in 1. Cano. cap. 3. monet fideles: *Vt parati sint ad reddendam rationē suæ fidei.* 1. Petri 3.

10. Respondetur, fidem nostram habere duo specialia, quæ in nulla alia secta reperiuntur: unum est interior Dei illustratio; alterum, efficacia motivorū, quæ suprà numeravimus; non est autē necessarium, ut cuicumq; fideli perspicuè constent hæc duo, sed quod re vera illa reperiantur in rebus, quæ credūtur. Ad primam confirmationem concedo, evenire posse, ut quantum est ex vi modi, quo fides proponitur, interdū non minùs prudenter se gerat quis, dum credit falsam sectam, quàm dum credit mysteria fidei, neque id est contra excellentiā nostræ religionis, cùm ea verè habeat alia motiva excellentiora, quibus evidenter ab omnibus sectis discernatur; quòd verò non sit necessarium, ea cognosci à quolibet credente, potiùs indicat infinitam liberalitatem Dei, qui fidem ad salutem necessariā voluit facile suscipi posse etiā à rusticis, qui illius excellentiam vix agnoscūt. Dixi autē hoc evenire posse, quantum est ex vi modi, quo fides proponitur, nam si loquamur de interiori illustratione, & prudenti iudicio ordinis supernaturalis, quæ reperiuntur in omni credente fide divina, satis patet ex secunda conclusione, aliquid speciale reperiri in Catholicis, quo magis prudenter dici possunt determinari ad credendum, quàm si proponeretur falsum dogma.

11. Ad secūdam confirmationē concessa maiori neganda est minor,& ad probationem nego antecedēs: Deus enim propterea non concurrit ad assensum falsi dogmatis, quia falsū est, ac proinde nequit esse obiectum fidei divinæ, non verò quia non proponatur ut sufficienter credibile; unde licèt eodem modo proponantur veritates fidei, poterit Deus concurrere ad assensum supernaturalem, quo credantur, quia verè sunt materia, circa quam versatur divina fides.

12. Ad tertiam confirmationem, propterea confirmata est doctrina Evangelica signis tā illustribus, ut quivis quātumvis ingeniosus,& in alijs sectis versatus convinci possit, nō verò quia eorum notitia requiratur, ut quivis credat: similiter concedo, posse ita proponi falsam sectam, ut nō peccaret qui illam amplecteretur, licèt si vellet cōsulere viros sapientes, & Deum humiliter orare, facilè inveniret viam agnoscendi errorem,& distinguendi dogma verum à falso; imò crediderim, eos, qui vel habent habitum fidei, vel audierūt vera aliqua mysteria nostræ religionis, si ipsi cooperentur Deo ut supernaturali authori, & desiderēt rectè vivere, tandem illuminādos esse à Deo, ut saltem dubitent de veritate erroris, qui fortè illis propositus fuerit, ut crederetur; & si ipsi, quod moraliter debent præstare, præstiterint, liberandos fore ab errore, sive immediatè à Deo, sive medio concionatore: quod saltem sine dubio verū est in rebus necessarijs ad salutem.

13. Denique quod affertur ex Petro, facilem habet explicationem: neq; enim vult, à quolibet fideli reddi rationem suę fidei debere, quasi illam debeat argumentis confirmare,& infidelium calumnijs occurrere, hoc enim interdum esset magnæ temeritatis; sed solùm quemlibet iuxta sui capacitatem debere reddere aliquam rationem, propter quam credat, etiamsi illa non perveniat ad tantam evidentiam credibilitatis; in alijs verò subtilioribus ratiocinationibus sufficiētem rationē redderet indoctus referendo se ad Ecclesiæ Doctores.

SECTIO IIII.

Quo pacto instruendi sint, qui denuò credunt.

Solùm superest difficultas, quænam sit existimanda sufficiēs propositio mysteriorum Christianæ religionis, ut Deus interiùs illuminet intellectum, & homo prudenter se gerat credendo, atque adeò quo pacto instruendi sint à ministro Ecclesiæ illi, quibus explicatur fides, quam nondum agnoverunt. 14.
S. Augustinus to. 4. lib. de cathechizādis rudibus, optimè tractat de hoc argumento, & præsertim à cap. 16. latè ostēdit, quomodo idiota non rusticus, sed urbanus instruendus sit; & à fine capitis 26. usque ad finē libri id ipsum revocat ad breve compendiū; sed non potest tradi una pro omnibus regula generalis. Primùm enim si instruendus sit Ethnicus, ita sunt refutandi errores illius, & explicandæ difficultates, quæ illi occurrerint in nostra religione, ut ipse sibi persuadere possit non fore levis animi, si suam sectam deserat,& nostram fidem complectatur. Deinde rusticus inter Catholicos educatus, aut puer baptizatus, quibus non inest discursus, aut sufficiēs advertentia ad indagandam veritatem, si à concionatore, aut parēte, vel gravi homine audiat res nostræ fidei,& non occurrant illi rationes speciales dubitandi, aut suspicandi, illi concionatori inesse animum fallendi, ut in praxi ferè semper cōtingit inter Catholicos, videtur prudēter se posse gerere, si credat; & cùm tunc accedat interior illustratio, & iudiciū præcedens piam affectionē, quæ Deus in nobis occulta providentia, sed liberali misericordia producit, quamvis ab ipso puero, vel rustico id apertè nō dignoscatur, videtur manere sufficienter determinatus ad credendum fide supernaturali. In qua re semper recurro ad illam rationē, quæ apud me magni momēti est, scilicet facilem esse debere propositionem requisitam ad credendum, cùm fides sit ad salutem necessaria,& communis plebs non aliter accipere soleat fidem, quàm quia ab

S. August.

uno

uno parocho, à parentibus, vel aliquo viro religioso audierit. Si vero illi occurrerent rationes dubitandi, aut hæreticus ibi adesset, qui quod Catholicus concionator proponit, pro viribus refellere contéderet, tunc pro audiētis caput essent dissolvenda dubia, & refellendæ rationes hæretici; & aliter sicut prudens non esset qui crederet, ita non crederet fide supernaturali.

15. Illud tamen addendū est, cùm quis alijs proponit fidem, monere debere doctrinam illam non esse credendam propter ipsius testimonium; nam aliter non credet, nisi fide humana; debet ergo asserere doctrinā illam esse à Deo, vel esse quid divinum, & non ab hominibus excogitatum, vel aliquid simile quod determinet mentem audiētis, ut illas veritates aliqua ratione credat propter divinum testimonium. Atque hāc rē indicasse videtur S. Augustinus, cùm in libro citato cap.25. initio alloquens rusticum, quem instruebat: *Itaq;* (inquit) *frater, confirma te ipsum in eius nomine, atq; adiutorio, cui credis.* Et infrà: *Hæc tene fixa in corde tuo, & invoca Dominum, cui credis.*

SECTIO V.

Explicatur S. Thomas adductus in prima sectione.

16. IN fine disputationis addendum est, largè dici posse, in omni credēte reperiri evidentiam credibilitatis. Hanc etiam conclusionem intendūt B. Thomas, & Thomistæ suprà adducti; & probatur breviter, quia omnis, qui credit, habet prudens iudicium, quo sentit se debere credere, ut patet ex secunda conclusione; omne autem prudens iudicium evidentiam habet, ut suppono ex tractatu de virtute prudentiæ, & ex dictis in 1.2. controv.5. de virtutibus. Rursus hæc evidentia non manifestat ipsas res fidei, alioqui de illis haberi deberet evidentia, quod est apertè falsum, & contra dicta, atque dicenda; ergo solū manifestat, illas debere credi, seu bonum esse illis fidem dare: quod quidem dici potest evidentia credibilitatis.

Et si obijciat aliquis: hic modus evidentiæ credibilitatis est imperfectus, & qui non convincit omnino intellectum, sicut convincit perfecta evidētia credibilitatis; ergo non potest sufficere, ut quis sine formidine pręstet assensum rebus fidei. Respondetur negādo consequentiam, quia firmitas assensus fidei non innititur evidentiæ credibilitatis, sed divinæ authoritati, quæ potens est confirmare intellectum, licèt motivis credibilitatis tam evidētibus non sit convictus, quod valde iuvatur interna illustratione, quā Deus immittit homini, cùm modo dicto proponitur fides. 17.

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm evidentia credibilitatis manifestet evidenter mysteria divinæ fidei?



SENSVS disputationis est, an ex eo pręcisè, quòd quis rectè perceperit motiva credibilitatis enumerata in prima disputatione, eorumq; vim expēderit, non solùm evidenter agnoscat, res fidei esse dignas creditu, sed etiam esse veras. Vt autem difficultas expediatur, præmitto, duplicem esse evidentiam, unā moralem, alteram metaphysicam; moralis est quædam cognitio obiecti urgentibus rationibus ita confirmata, ut vix sinat hominem prudentem dubitare, licèt aliunde videat, illas rationes non esse ita convincentes, ut quantum est ex vi illarum, certò, vel evidenter sciat involuere contradictionem, illud obiectum nō ita esse re vera, sicut ipse cognoscit. V.g. qui Romam non vidimus, dicimur habere moralem evidentiam de hac veritate (seclusa revelatione divina) quòd nimirū *Roma sit*, quia tot hominum, & librorum authoritate, tāque frequente, & indubitata collocutione de rebus, quæ in illa gerūtur, cōfirmata est, ut non sinat hominem prudentem dubitare, quanvis non videat 1.

certò implicare contradictione, quod homines, & libri humanæ historiæ mētiantur, & de existentia huius urbis plures agant nobiscum, ut nobis illudant. Evidentia verò Metaphysica est illa, qua clarè percipitur obiectum ob aliquod motivum, seu urgentem rationem, quæ cum illo habeat omnino necessariam connexionem, ita ut contradictionem involuat, rem prout tali motivo innititur, esse expositam falsitati: eiusmodi sunt evidentes cognitiones primorum principiorum, & conclusionum, quæ ex illis necessaria cōsecutione deducuntur.

2. Dico primò: evidentia credibilitatis ut minimum manifestat fidei veritates evidentia morali. Hāc conclusionem amplectitur B. Thomas 3. p. q. 47. art. 5. corp. quatenus ait, *Iudæos vidisse evidentia signa divinitatis Christi.* Et in hac 2. 2. quæst. 5. art. 3. dum dicit, *Eos, qui viderāt suscitari mortuum in confirmationem alicuius veritatis, manifestè cognituros esse, illam doctrinam esse à Deo.* Quæ loca, cùm non sint intelligenda de evidentia, seu clara manifestatione Metaphysica, ut patebit, intelligēda sunt de evidētia morali; & si id voluit Medina 3. p. q. 55. art. 5. verum dicit, si autem aliud contendat, refelletur conclusione sequente. Probatur, quia multò firmiora sunt motiva nostræ credulitatis in rebus fidei, quàm illa, quæ (seclusa divina revelatione) suadēt esse Romā; ergo sicut Romā esse supponimus omnes ut evidens moraliter, ita & supponendum est ex vi motivorum credibilitatis, esse moraliter evidētes veritates nostræ fidei. Antecedens satis patet ex prima disputatione. Et sanè si consideretur suavis dispositio divinæ providētiæ, & efficacitas rationū, quibus fideles de sua fide vivūt omnino securi, nemo non iudicabit, nō posse clariùs proponi nobis fidei mysteria, quàm reipsa sunt proposita, supposito quòd Deus decreverit homines ducere ad beatitudinem medijs actibus fidei obscuræ; ergo negandum non est, ab evidētia credibilitatis manifestari veritates fidei, ita ut sint moraliter evidentes.

S.Thom.

Medina.

3. Dico secundò: evidentia credibilitatis non manifestat mysteria fidei, ita ut illorū veritas sit evidens Metaphysicè. Hæc est cōmunis doctrina Theologorum, qui dicunt fidem esse obscuram, seu non haberi à nobis evidentia horum mysteriorum, quæ credimus; videantur in speciali Durandus quæst. 1. prologi, Gabriel quæst. 7. Molina 1. p. quæst. 1. art. 2. disp. 4. Valencia disp. 1. quæst. 1. pūct. 3. & Vazquez disp. 4. cap. 3. & disp. 135. cap. 2. Probatur primò ex Paulo ad Hebræos 11. ubi fidē appellat *argumentum non apparentium*, quod non posset esse verū, si omnia, quæ creduntur, apparerent nobis ex vi evidentiæ credibilitatis. Sed hoc testimoniū urgebitur dis. 7. sect. 3. & multis Patrū testimonijs illustrabitur. Facit etiam illud 1. Corinth. 13. scilicet, *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Secundò, quia si evidētia credibilitatis redderet mysteria fidei Metaphysicè evidentia, facilè convinci possent hæretici, nec foret necessaria pia affectio volūtatis, ut intellectus determinaretur ad credēdum, sicut ad prima principia, & conclusiones evidentes non est necessaria. Tertiò probatur à priori, quia evidentia credibilitatis solùm cōvincit intellectū, ut clarè iudicet, res nostræ fidei esse dignas creditu; ex eo autem quòd evidenter constet, aliquid debere credi, non constat manifestè illud esse verum; nam non repugnat, aliquid falsum ita verisimiliter proponi, ut prudēs teneatur iudicare, illud esse dignissimū creditu.

Durand.
Gabriel.
Molina.
Valenc.
Vazquez.
Ad Hebr. 11.
1. Cor. 13.

4. Sed ex hac ratione desumitur prima obiectio contra conclusionem: etenim evidentia credibilitatis ita proponit mysteria fidei, ut repugnet illa esse falsa; ergo evidēter manifestat veritatem illorum. Patet consequentia, quia si nō manifestaret, adhuc posset quis dubitare, an fortasse illa essent falsa. Antecedens verò probatur, quia si non repugnaret, mysteria fidei esse falsa, ut proponuntur per evidentiam credibilitatis, non esset homo securus de sua credulitate, cùm adhuc timere posset, an fortasse sint exposita falsitati ea, quæ proponuntur ut evidenter credibilia. Respondetur, ab evidentia credibilitatis ita proponi fidem, ut repugnet illam esse falsam, non quasi hæc repug-

nantia oriatur ex ipsa evidentia credibilitatis, nam ex vi huius præcisè non redditur certus intellectus de veritate mysteriorum, sed oritur ex divina authoritate, & interna illustratione, quibus nostra fides innititur, & ita evidẽtia credibilitatis nec manifestat evidẽter, nec certitudine Metaphysica res nostræ fidei.

5. Sed urgebis: ex eo quòd proponantur mysteria fidei evidẽter credibilia, colligimus nostram fidem inniti divinæ authoritati, ergo ex evidentia credibilitatis colligimus, certam esse nostram fidem. Respondetur, colligi quidem ex evidentia credibilitatis, non ut ex ratione formali, sed ut ex applicante, quia nimirum id, quod hoc modo applicatur, non potest non esse verum, & à Deo dictum; non ita quòd certo cõstet ratione motivorum, sed quia ea doctrina, quæ hoc modo applicatur, re vera est à Deo, quamvis id evidenter non cognoscatur. Vnde motiva quidẽ, si attendatur præcisè illorum efficacitas, non convincunt certitudine Metaphysica, non posse esse falsam nostram fidem, sed solùm suadent dignam esse fidem, quæ suscipiatur; ipsa vero fides est, quæ certum reddit intellectum: & quamvis motiva hæc non possint reperiri in aliqua secta falsa, id tamen non est evidens Metaphysicè, & propterea non est evidens fidem nostram esse veram. Nec propterea debẽt fideles esse minùs securi de veritate suæ fidei, cùm ea innitatur infallibili testimonio Dei, nec possit melioribus motivis confirmari, supposito quod res, quæ creduntur, non videntur à nobis nunc, nisi per speculum, & in ænigmate.

6. Obijcies secundò: omne credibile est verum, ergo quidquid est evidẽter credibile, est etiam evidenter verum; ergo ex eo quòd fides proponatur evidenter credibilis, proponitur ut evidẽter vera. Confirmatur, quia quidquid est credibile, est possibile; ergo quidquid est evidenter credibile, est evidẽter possibile; ergo saltem est evidens, mysterium Trinitatis, & alia nostræ religionis esse possibilia; eo autem ipso quod possibile sit mysteriũ Trinitatis, necesse est re ipsa reperiri, nam quidquid intrinsecum potest habere Deus id totum evidens est re ipsa illi convenire, si ad eius naturam, vel personalitates pertineat, ut Trinitas pertinet. Antecedens vero, & prima consequẽtia probãtur, nam eo ipso quòd aliquid sit evidenter impossibile, est evidenter incredibile; ergo è contrà quidquid est evidenter credibile, est evidenter possibile.

7. Respondetur negando antecedens, plura enim falsa possunt ita verisimiliter proponi, ut non solùm sint credibilia, sed etiam evidens sit illa debere credi: v. g. si modo quatuor homines sapientes, & timorati vellent me decipere, & fingerent, in B. Augustino esse quandam sententiã valde illustrẽ, quæ verè non esset, sine dubio id mihi redderetur evidenter credibile, & tamen falsum esset. Ad confirmationem similiter nego antecedẽs, nã aliquid, quod re vera est impossibile, si mihi non cõstet de impossibilitate, potest ita proponi, ut sit credibile etiam evidenter; unde manifestè patet falsitas consequẽtis. Ad probationem verò concesso antecedente nego consequentiam, & ratio discriminis manifesta est; nam quando aliquid mihi constat evidenter esse impossibile; evidenter constat esse falsum, quod autem clarè patet esse falsum, non potest esse obiectum intellectus, qui non præbet assensum nisi rei, quæ saltem appãret vera; unde nulla motiva possunt adduci, quæ reddant illud dignum creditu, seu dignum quod iudicetur esse verum: sicut quando aliqua conclusio est evidenter vera, non potest adduci ratio, quæ suadeat probabiliter contrariam esse veram. At verò licèt aliquid in se sit impossibile, dum tamen id mihi non constat, potest ita verisimilibus conicturis suaderi, ut meritò possim iudicare, esse creditu dignum; sicut proximè docebamus de aliqua falsitate, quæ potest, & solet fieri credibilis; unde ex eo quòd evidens sit, aliquid esse dignum creditu, non infertur illud esse possibile, sed solùm colligitur debere à nobis credi tanquam possibile, sive in se sit possibile, sive non.

8. Atque hinc obiter diluetur illud sophisma, quod in hac disputatione celebre est: Bene valet hic argumentãdi modus: *Hoc est evidenter impossibile ergo est evidenter incredibile*, ut proximè cõcedebatur; ergo similiter valebit: *Hoc est evidenter credibile, ergo est evidenter possibile*; ergo mysteria fidei, quæ sunt evidenter credibilia, erunt evidenter possibilia, ac proinde vera. Antecedens patet ex dictis. Consequentia prima probatur, nam ab opposito consequentis valet ad oppositum antecedentis; ergo ab opposito illius consequentis, *Hoc est evidenter incredibile*, bene valebit ad oppositum illius antecedentis, *Hoc est evidenter impossibile*: Sed oppositum illius consequẽtis est illa propositio, *Hoc est evidenter credibile*, ergo ab illo valebit ad oppositum antecedẽtis, ac proinde rectè infertur: *Ergo hoc est evidenter possibile.* Respondetur, bene valere a negatione consequẽtis ad negationem antecedentis, non tamen a quocumq; alio opposito positivè: v.g. si quis in hunc modũ argumentaretur: *Hoc est evidenter impossibile, ergo est evidenter inopinabile*; bene valeret à negatione huius consequentis ad negationem antecedentis: *Hoc non est evidenter inopinabile ergo non est evidenter impossibile*: non vero esset legitima argumentatio ab opposito cõsequẽtis positivè, *Hoc est evidenter opinabile, ergo hoc est evidenter possibile*; nam evidẽs est sub opinionem cadere posse, & re ipsa cadere, infinitum actu, & cathegorematicè esse possibile, cùm multi docti Theologi, & Philosophi ita opinentur; & tamẽ non est evidens hoc infinitum esse possibile, cùm plures alij, & nobiliores doctores merito iudicent esse impossibile. Sic ergo bene valet: *Mysteria fidei sunt evidenter impossibilia, ergo sunt evidenter incredibilia*: bene etiam valet a negatione huius consequẽtis ad negationem antecedentis: *Non sunt evidenter incredibilia, ergo non sunt evidenter impossibilia.* Non tamen esset legitima argumentatio ab opposito consequẽtis positivè in hũc modum: *Mysteria fidei sunt evidenter credibilia, ergo sunt evidenter possibilia*; quia fieri optimè potest, & solet, ut occurrant argumenta, quibus clare persuadeatur, aliquid esse dignũ creditu, licèt in se ipso falsum, imo impossibile sit, ut dictum est.

Obijcies tertio: motiva credibilitatis evidenter persuadẽt, mysteria fidei debere credi ob Dei authoritatem, atque adeo fide divina; sed quidquid creditur fide divina, est evidens esse verũ, ergo ex vi motivorum credibilitatis est evidens, nostræ religionis mysteria esse vera. Consequentia est evidens. Minor patet, quia fides divina innititur divino testimonio, sed evidens est, non posse esse falsum quidquid innititur divino testimonio, cùm Deus non possit mentiri, ergo evidens est fidem, si divina sit, debere esse veram, atque adeo quidquid media illa creditur, esse verum. Maior verò probatur, quia motiva credibilitatis evidẽter persuadẽt, res nostræ fidei debere credi media illa fide, sed non media fide humana, quia mysteria nostræ fidei, utpote supra humanum captum, non potuerunt esse primo revelata ab hominibus sed à solo Deo, ac proinde propter illius testimonium credenda sunt; ergo evidenter suadẽt debere credi fide divina, seu propter Dei authoritatem. Cõfirmatur, quia prædicta motiva reddũt evidenter credibiles omnes fidei nostræ veritates, sed una illarum est, fidem nostram esse a Deo, & inniti authoritati divinæ, ergo reddunt evidenter credibile, nostram fidem esse à Deo; sed evidens est, illud esse verum quod est a Deo, ergo evidens est ex vi motivorũ nostram fidem esse omnino veram. 9.


Respondetur, hac obiectione concludi, motiva credibilitatis non convincere evidenter, mysteria nostræ fidei debere credi fide divina, id est, fide, quæ verè innitatur divino testimonio, seu Deo verè illa revelanti; nam eo ipso foret evidens dari eiusmodi fidem, quæ si detur, non potest non esse vera, ut rectè probatum est; solùm ergo convincunt, debere credi à nobis res nostræ religionis media fide, in qua homo pro motivo assumat divinam authoritatem, seu per quam homo quantum in se est, conetur inniti divinæ authoritati; sicut autẽ ipse non habet Metaphysicam evidentiã quod re vera innitatur 10.

Dei authoritati verè revelanti, quia non est evidens, Deum mysteria revelasse, ita nec habet Metaphysicam evidentiam veritatis illorum. Atq; id videtur innuisse Valencia quæst. 1. pūct. 4. ferè in fine, dum respondet ad 4. *Valenc.*

11. Ad confirmationem concedendus est totus ille prior syllogismus; deinde concesso antecedente, quod subsumitur, negatur consequentia, nam licèt evidēs sit illud esse verum, quod re vera est à Deo, non tamen est evidēs esse verum id, quod est evidenter credibile esse à Deo; cùm ergo motiva credibilitatis non suadeant evidenter, mysteria nostræ religionis esse à Deo, sed solùm debere credi tanquam dicta à Deo, consequens est, non suadere evidenter illa esse vera, sed solùm esse credibilia tanquam vera.

12. Obijcies quartò: Rationes, quibus Ethnici, & hæretici refellunt nostram fidem, solvuntur evidenter, ergo ostēditur evidenter illam esse veram. Patet consequentia, nam si evidēs sit, aliquod argumentum solvi, est evidens probare falsum; ergo est evidens, oppositum eius, quod probat, esse verum; ergo evidens est nostram doctrinam esse veram, cum sit opposita illi, quam suis argumentis suadere conantur infideles. Respondetur, de hoc latè à nobis dictum fuisse initio primæ partis, ubi ostendimus, argumenta omnia solvi à fidelibus evidenter negativè, sed non positivè, id est, non posse à Theologo evidenter probari, omnia infidelium argumenta suadere aliquid falsum, ut optimè convincit obiectio: posse tamen evidenter probari, nullum argumentum infidelium convincere, quod non sufficit, ut nostra mysteria sint evidenter vera, ut manifestum est.

(:)?(:)
(:)



DISPVTATIO V.

Vtrùm viatoribus communicari possit à Deo Metaphysica evidentia mysteriorum fidei?



CERTVM est, visionem beatam esse clarā cognitionem omnium, vel saltem aliquorum mysteriorum fidei, ac proinde eū, qui Deum intueretur, posse habere evidentem notitiam illorum. Difficultas ergo solùm est, an extra visionem beatam possit purus viator abstractivè, sed evidenter nosse mysteria fidei: nec dubitatur de ijs rebus fidei, quæ sunt aliunde evidenter notæ, ut quod Deus sit unus, sapiens &c. sed de ijs præsertim, quæ supra naturam sunt, & non nisi divina revelatione cognosci possunt, ut mysteria Trinitatis, Incarnationis & Eucharistiæ. 1.

Partem negantem sequūtur Durandus quæst. 3. prologi, Argentinas ibi art. 1. conc. 2. quatenus negat esse possibilem abstractivam cognitionem essentiæ divinæ, quæ sit evidēs: Vazquez 1. par. disp. 4. cap. 3. & disp. 135. & Bañez 1. par. quæst. 32. art. 1. dub. 2. probabilius reputat, non posse haberi à viatoribus evidentem cognitionem abstractivam mysterij Trinitatis. Probat Vazquez primò, quia cognitio evidens mysteriorum fidei, maximè Trinitatis, nō posset haberi media specie, quæ illa repræsentaret ut sunt in se, talis enim cognitio foret intuitiva, atq; adeò non differret à visione beata; ergo solùm haberi posset medijs speciebus creaturarum; sed species creaturarum non habent connexionem cū mysterijs supernaturalibus, saltem cum mysterio Trinitatis, ergo extra visionē beatam non potest admitti prædicta cognitio. 2. *Durand.* *Argent.* *Vazquez.* *Bañez.*

Secundò probat Durandus, quia omnis notitia abstractiva alicuius obiecti supponit notitiam intuitivam eiusdem; sic enim actus, quo imaginativa cognoscit colorem absentem, vel 3.

destructum, supponit actum, quo facultas videndi cognovit illum intuitivè; sed purus viator non habet cognitionem intuitivam mysteriorum fidei; ergo non potest habere abstractivam evidentiam illorum. Tertiò probat, quia vel talis cognitio esset perfectior, quàm intuitiva, vel non: si dicatur primum, sequetur esse perfectiorem visione beata, atq; adeò sufficientem ad beatificandum & ita non reperietur in puro viatore, contra hypothesim: si verò dicatur secundũ, cùm Deus ex æternitate habuerit evidentem notitiam abstractivam futurorum antequàm existerent, & post illorum existentiam habeat intuitivam cognitionem, sequetur perfici, & quasi proficere decursu temporis cognitionem divinam, quod dici non potest.

4. Dicendum tamen est, extra visionẽ beatam posse supernaturaliter manifestari evidenter puro viatori omnia mysteria nostræ fidei. Conclusionem docuerunt Caietanus adducendus disputatione sequẽte, Scotus 2. distinct. 3 quæst. 9. Molina suprà disp. 4. Alphonsus à Toleto, Bassolis, & Nicolaus de Cusa apud Vazquez in illa disput. 135. cap. 1. Durãdus etiam in 3. dist. 23. q. 5. n. 12. rationabiliter existimat dici posse, in Angelis fuisse evidentem cognitionem rerum fidei evidentia in attestante: & Zumel 1. p. quæst. 32. art. 1. q. 2. admittit, posse evidenter cognosci abstractivè mysterium Trinitatis evidentia, quam appellant in attestante; quod ipsum non videtur Vazquez negavisse.

Caiet. *Scotus.* *Molina.* *Durand.* *Zumel.* *Vazquez.*

5. Vt autem distinctè probetur cõclusio, distinguẽda sunt tria genera rerũ, quæ alicui, vel omnibus viatoribus possunt esse ignota, & sola fide credita. Primum est rerum naturaliũ, quæ ideò solùm non cognoscuntur evidenter, quia iam præterierunt; eiusmodi sunt historiæ, & varij rerum eventus, qui in Scriptura cõmemorantur. Secundum genus est rerum creatarum, quæ in suo ordine sunt supernaturales, ac proinde naturæ lumine non possunt cognosci, ut gratia, habitus, & actus supernaturales, unio hypostatica &c. Tertium denique est ipse Deus quoad illas perfectiones, quæ omnino superant naturam; cuiusmodi præsertim est mysteriũ Trinitatis.

Et quidem præcipua difficultas est in hoc tertio genere, & si probatum fuerit posse à puro viatore cognosci evidenter abstractivè mysterium Trinitatis, facilè reliqua, quæ spectant ad primum & secundum genus, cognosci posse patebit. Probatur ergo ostendendo varios modos, quibus seclusa visione beata posset haberi evidens cognitio tam excellentis mysterij. Primus est, si Deus infunderet homini viatori speciem, quæ clarè repræsentaret ipsam visionem beatam, tunc enim virtute illius speciei determinaretur intellectus ad evidenter cognoscendam visionem beatam secundum eius propriam naturam; & cùm hæc habeat ex sua essentia esse repræsentationem evidentem Trinitatis, consequenter qui visionem clarè cognosceret, clare etiam sciret Trinitatem personarum in divina natura: & eodem modo si Deus infunderet nobis aliquam speciem, quæ clarè repræsentaret actum fidei, quo credimus Deum esse trinum, tunc evidenter cognosceremus ipsum actum; & cùm ille sit verissimus, clarè etiam cerneremus esse verum id quod affirmat; cùm ergo affirmet, Deum esse trinum, manifestè perspiceretur, mysterium Trinitatis verum esse. 6.

Secundus modus est, si Deus aliqua evidente illustratione manifestè declararet se loqui, & diceret se esse trinum; tunc manifesta evidentia sciri posset, Deum esse trinum; fieret enim in hunc modum argumentatio: *Quidquid Deus dicit, est verum; Deus dicit se esse trinum; ergo Deum esse trinum est verum*. In quo discursu maior est evidens lumine naturæ; minor etiam supponitur evidens, quia Deus clarè manifestavit se loqui; cùm ergo consequens evidenter inferatur, necesse quoque est, illud esse prorsus evidens. Responderi potest, hoc modo non haberi evidentiam ipsius Trinitatis in se ipsa, sed solùm in attestante, quod medium cùm sit extrinsecum, non potest reddere veritatem illam evidentem absolutè. Sed hæc solutio potest 7.

dupliciter intelligi: primò, non haberi in hoc syllogismo evidentem cognitionem mysterij Trinitatis prout est in se, & media aliqua ratione intrinseca ipsi Deo, sicut habetur media visione beata; sed solùm media revelatione, & abstractivè: & hoc quidem verum est, nec à nobis ullo modo refellitur in hac disputatione; propterea enim meritò appellatur hæc evidens cognitio in attestante. Secundò potest intelligi, ita ut re vera non cognoscatur clarè mysterium Trinitatis in prædicto discursu, & hoc omnino falsum est, & à nobis reiectum in hac disputatione, in qua contendimus, per prædictam evidentiam in attestante haberi clarissimam cognitionem Trinitatis, & quæ sufficiat ad convincendum intellectum etiam protervum; nam quoties antecedens est omnino evidens, & consequentia est legitima, non potest consequens non esse evidēs, ut patet ex principijs Dialecticæ; ergo cùm in prædicto syllogismo antecedens, & consequentia sint prorsus evidentes, etiam consequens evidēs erit; sed consequēs affirmat Deum esse trinum, ergo evidenter cognoscitur Deum esse trinum.

8. Et si obijcias: iste modus cognoscendi innititur authoritati Dei revelātis, sed omnis actus innitens authoritati Dei revelantis est fides, ergo prædicta cognitio mysterij Trinitatis erit fides; sed omnis fides est cognitio obscura, & inevidens, ergo. Respondetur primò, prædictam cognitionem esse discursum, ac proinde non posse esse fidem, quæ sine discursu immediatè innititur Deo. Secundò, actus fidei non innititur authoritati Dei clarè revelantis, sed obscurè, ut patet ex dictis tractatu 1. disputatione 4. cùm ergo cognitio Trinitatis, de qua hic loquimur, innitatur authoritati Dei clarè revelantis, necessariò erit distincta specie à fide divina, ac proinde nō est necessarium esse obscuram.

9. Petet aliquis obiter hoc loco, an ille, qui evidenter nosset, Deum sibi aliquid revelare, non tamen cognosceret evidenter, Deum non posse mentiri; an (inquam) iste haberet evidentiam rerum, quas Deus illi revelaret. Respondetur non habiturum: sicut enim licèt ego clarè videam Ioannem mihi aliquid dicere, adhuc tamen illud non scio esse evidenter verum, quia non scio evidenter illius authoritatem esse infallibilem, ita in præsenti contingeret; adhuc tamen talis cognitio distingueretur specie a fide divina, quā habemus, quia hæc innititur authoritati Dei obscurè revelantis, illa verò innititur authoritati eiusdem Dei clarè loquentis.

Tertius modus, quo evidenter cognosci posset à viatore mysterium Trinitatis, est eiusmodi. Cùm ex dictis tractatu 1. disputatione 8. constet, non posse effici à Deo verum miraculum, quando ex circunstantijs prudenter colligeretur, illud patrari ad confirmandam falsam doctrinam; si Deus alicui evidenter revelaret, hoc esse verum, & insuper clarè illi manifestaretur, non effici illud miraculum ob alium finem, quàm ad confirmandum mysterium Trinitatis, clarè etiam cerneret, verè in Deo esse Trinitatem: & propterea fortasse dæmones evidenter cognoverunt, Christum Dominum esse Deum, quia clarè sciebant, illa esse vera miracula, & patrata fuisse ad confirmationem talis veritatis, & insuper non potuisse Deum illa edere pro confirmanda falsitate. Atque hæc est S. Thomæ doctrina infrà quæstione 5. articulo 2. corp. nos verò, sicut & plerique alij homines illius temporis, non poteramus evidētia Metaphysica colligere ex miraculis divinitatem Christi Domini, quia evidentia Metaphysica non novimus illa esse vera miracula, aut fieri ad confirmationem talis doctrinæ, aut non posse fieri à Deo verū miraculum, quando prudenter credi posset, illo confirmari falsam doctrinam. 10. S.Thom.

Ex dictis manifestè patent varij modi, quibus Deus potest evidenter manifestare res primi, & secundi generis, quę ad fidē pertinent, ut suprà notabamus, omnes enim adducti facile possunt applicari. Adde quòd si Deus infunderet species quæ evidenter nobis repræsentarent rēs supernaturales, & 11.

omnes eventus rerum præteritarum, id satis esset ad evidẽtem illarum cognitionẽ: posse autẽ infundere species, imò & habitus, quibus cognoscãtur supernaturali, imò & intuitiva cognitione eiusmodi obiecta, probabo in materia de Incarnatione tract. 8. dũ de sciẽtijs animæ Christi Domini sermo sit.
Bañez. Solùm adverto, falsum esse, quod Bañez suprà asseverat; scilicet nullam speciem sufficere ad repræsentandum nobis evidenter habitum fidei divinæ, prout se extendit ad credendum mysterium Trinitatis, nisi ad id iuvetur à lumine gloriæ; hoc enim absque sufficienti ratione dictum est, nam habitus fidei quoad suam ultimam differentiam specificam est independens à lumine gloriæ, ergo ex nullo capite repugnat cognosci quoad omnem suam rationem sine lumine gloriæ. Et id ipsum etiam reijcitur ex dictis, nam cùm varijs modis cognosci possit evidenter mysterium Trinitatis extra lumen gloriæ, & visionem beatam, non est, cur evidens cognitio huius mysterij addicta sit soli lumini gloriæ.

12. Ad primum patet ex dictis, nullam cognitionem effici posse media specie, quæ repræsentaret immediatè visionem beatam; licèt enim hæc visio sit creata, habet tamen necessariam connexionem cum mysterio Trinitatis, sicut & quævis alia cognitio cum suo obiecto. Ad secundum, licèt illa maior esset vera naturaliter loquendo, non tamen supernaturaliter, ut in hac disputatione loquimur. Deinde falsa est maior etiam in ordine naturæ, nam intellectus noster cognoscit abstractivè evidenter Deum ut unum, & similiter substantias creatas, & tamen hanc cognitionem non præcedit notitia intuitiva illarum. Ad tertium respondetur, illam notitiam futuram imperfectiorem intuitiva; quod verò adducitur de cognitione divina, facilè solvitur, nam scientia futurorum, quam Deus ab æterno habuit, semper fuit intuitiva, quia licèt extiterit ante existentiam obiectorum, omnino tamen versabatur circa illa prout existentia in sua differentia temporis, & quatenus sunt realiter præsentia æternitati, ut latè in 1. par. quæst. 14. art. 13 dictum est.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm aliquibus viatoribus divino beneficio concessa sit omnino evidens cognitio mysteriorum fidei?



NON agimus de Christo Domino, qui non fuit purus viator, ille enim, utpote naturalis Dei filius, non solùm visione beata, sed alia etiam scientia per se infusa evidenter cognovit omnia mysteria nostræ religionis, de quo latè dicemus in materia de Incarnatione tractatu 8. Sermo ergo est de puris viatoribus, an scilicet extra visionem beatam aliqui habeant, aut habuerint prædictam evidentiam Metaphysicam rerum fidei. Nec agitur de Angelis, de quibus infrà cum B. Thoma quæstione 5. articulo 1. sed de hominibus: omittoque doctrinam Raymundi Lullij, qui omnes articulos divinæ fidei evidenter probari posse contendebat, nam eam ex professo in materia de Trinitate super quæst. 32. primæ partis cõfutavi, & nihil hoc loco inculcandum est. 1. Raymun.

Prima ergo sententia in hac disputatione est Henrici, qui quodlib. 12. quæstione 2. quodlib. 8. quæstione 14. & in Summa articulo 13. quæstione 6. & 7. latè contendit, in viris sapientibus Ecclesiæ reperiri quoddam lumen supponens divinam fidem, ut ratione illius clariùs, & distinctiùs percipiant mysteria divina, quæ iam fide infusa crediderunt; in cuius rei confirmationem affert S. Augustini testimonium. Et Carthusianus in 3 dist. 24. quæst. 1. admittit lumen quoddã clarius lumine 2. Henric.

simplicis fidei, illudque confirmat authoritate S.Augustini, S.Bernardi, S. Bonaventuræ, & Ruisbroec, acriter que invehitur in Scotum, eò quòd prædictum lumen reiecerit tanquam fictitium.

3. Cæterùm ista doctrina potest dupliciter intelligi: primò, ita ut solùm contendat, in viris doctis, præsertim si spirituales sint, esse habitum Theologiæ, & medio illo magis bene ab eis, quàm à communi plebe percipi mysteria fidei, & rationes credibilitatis, quibus confirmantur, maximè si accedant dona sapientiæ, scientiæ, & intellectus, quorum actus evidenter declarant credibilitatem rerum fidei; & in hoc sensu verissima est ista sententia, à nemineque negari potest; certum enim est, viros doctos meliùs, & distinctiùs percipere mysterium Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ, præsertim si, ut dixi, accedant actus donorum Spiritus sancti, qui in viris spiritualibus erunt frequentiores; meritò ergo habitus Theologiæ adiunctus prædictis donis potest dici lumen clarius, quàm donum fidei, id est, distinctiùs proponens fidei mysteria. Et ita intelligenda sunt, quæ afferuntur ex sanctis Patribus.

4. Secundò potest intelligi, ita ut asserat, hoc lumen esse habitum, quo evidenter etiam evidentia Metaphysica cognoscantur mysteria fidei; & id videtur secutus Henricus; sed illud admittere in omnibus viris doctissimis, etiamsi spirituales sint, meritò displicet alijs Theologis: tum quia absolutè docet Apostolus ad Hebr. 11. *Fidem esse argumentum non apparentium*; quibus verbis saltem significatur non esse in potestate hominum, quantumvis doctissimorum, clarè penetrare veritates fidei, licèt divino beneficio id fortasse alicui tribuatur, de quo statim. Tum etiam, quia viri sapientissimi, qui contra Henricum disputant, ingenuè fatentur, se tale lumen non experiri, nec clarè conspicere divina mysteria; tum denique, quia cùm istud lumen supponat fidem, quæ sine dubio est magis perfecta, utpote Theologica virtus; sicut fides non manifestat evidenter res fidei, ita nec illud lumen manifestabit.

Ad Hebr. 11.

Secunda sententia est Caietani, qui in hac 2.2. quæst.171.art.5. existimat, Prophetas, Apostolos, aut alios similes viros evidenter agnovisse aliqua, vel omnia mysteria fidei. Probat primò ex illo 1. Ioan.1. *Quod audivimus, quod vidimus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis.* Et similiter dicit, *Vitam hanc fuisse nobis manifestatam.* Secundò probat, quia ut nos, qui non videmus evidenter mysteria fidei, securi vivamus de nostra credulitate, necessarium est, fidem acceperimus ab ijs, qui illius veritatem perspicuè viderunt. Pro quo facit etiam illud Ioan. 1. *Deum nemo vidit unquam; Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Vbi videtur innuere Ioannes, necessariũ fuisse adventum Christi Domini, qui in sinu Patris erat, ac proinde Deum ipsum viderat, ut nobis, qui non videramus, enarraret tanta authoritate, quanta ad id firmiter credendũ requirebatur: ergo Prophetæ etiam, qui alijs declarabant mysteria, debuerunt illa saltem evidentia abstractiva cognoscere. 5.

Caiet. *1.Ioan.1.* *Ioan.1.*

Verùm quidquid sit de ista sententia, de quo statim, certè illius fundamenta non sunt solida: imprimis enim locus epistolæ Ioannis non habet, fuisse illis clarè cognita divina mysteria, sed oculis corporeis, & visibili conversatione tractasse Christum Dominum, & eius mirabilia opera vidisse, ratione quorum potest dici vita manifestata, non per evidentiam Metaphysicam, sed moralem. Locus etiam ex Evangelio sic intelligitur, ut ad authoritatem doctrinæ Evangelicæ pertineat, illam fuisse promulgatam à Christo Domino, qui etiam ut homo Deum videbat; non verò quia id esset simpliciter necessarium ad proponenda mysteria fidei; nam etiam Moyses, & alij Prophetæ sufficienter proposuerunt credenda mysteria, licèt Deum ut est in se non conspexerint. 6.

Ad secundum, certitudo nostræ fidei non pendet ex eo quòd Prophetæ viderint divina mysteria; unde enim nos evidenter id agnovimus? solùm ergo 7.

pendet ex divina authoritate,& interna illustratione, quæ haberi possunt, licèt Propheta non viderit clarè,quod nobis loquitur; sicut enim ipse nobis proponit sufficienter credendum id, quod non videmus,ita Deus potuit ipsi Prophetæ sufficienter mysteria fidei obscurè revelare.

8. Tertia sententia mihi videtur valde verisimilis, & vix est diversa à doctrina Caietani, scilicet nonnulis illustrioribus Ecclesiæ sanctæ viris, & fœminis concessam esse divinitus omnino evidentem,licèt abstractivam notitiã mysteriorum fidei, vel omnium, vel certè aliquorum,ita tamẽ ut non duret multum tempus,& infundatur per modum habitus;sed aliquantulum, & per modum transeuntis. Doctrina hæc probatur descendẽdo ad singulas personas. Imprimis hoc privilegium concessum fuisse B. Virg. Mariæ, docere videntur S.Bernardinus, Albertus Magnus, B. Antoninus,Dionysi⁹ Richelius,& Bernardinus de Busto, quos affert Suarez 3.par.to.2. disp.19. sect.3. reputans id pium,atq; probabile. *Suarez.* Sanè cùm hoc sit posibile, & aliũde non repugnet cum fide, ut explicabimus disputatione sequente, pertineatq; ad maiorem Virginis excellẽtiam, non est cur denegetur illi, quæ tot alijs illustrioribus prærogativis decorata est.

9. Quod verò Suarez obijcit concl. 3. scilicet eam scientiam fore ferè otiosam,cùm non excluderet fidẽ, & aliunde talem scientiam esse propriam humanitatis Christi Domini,hoc(inquã) non urget, nam licèt per fidem ea videret obscurè, poterat etiam videre clarè, ut magis firmam cognitionẽ haberet,& uberiorem inde sanctæ lætitię occasionem sumeret,sicut sumebat ex corporali visione nativitatis Christi Domini,& illius præsentia. Nec ea sciẽtia est propria solius Christi Domini, nisi per modũ habitus, & in ordine ad omnes veritates supernaturales: Virgo autem sanctissima solùm habuit per modum actus aliquoties, & non nisi in ordine ad præcipua capita mysteriorũ fidei.

10. Deinde B. Thomas infrà q.5. art.1. *S.Thom.* & Ferrara 3.cõtra Gentes cap.49. admittunt, Adamum habuisse manifestã *Ferrar.* cognitionem Dei, aut aliarum rerum, quæ à nobis non nisi obscura fide cognoscuntur; quod etiam probabile reputat Valencia quæst.5 pũct.1. *Valenc.* Tertiò de Apostolis, & Prophetis id docet Caietanus; *Caiet.* & videtur certè verisimile, saltem in aliquibus magis à Deo dilectis, ad quorum maiorem consolationem,& firmitatem videtur satis credibile, tributam fuisse à Deo obiter, & per modum transeuntis aliquam evidẽtem notitiam saltem potissimarum rerum nostræ fidei. Quartò denique aliquibus alijs præcellẽtis sanctitatis hominibus credi potest verisimiliter interdum evidenter patefieri aliqua divina mysteria: pro quo faciunt ea, quæ ex doctrina Patrum affert Carthusianus suprà, *Carthus.* & Arias p.1. de imitatione Christi Dñi tract.5. cap.14. *Arias.* nec enim seclulo speciali privilegio potest Physica, & vera evidentia de rebus fidei haberi,ut suprà dictum est: & eiusmodi fortasse fuit excellẽtissima quædam cognitio mysterij Trinitatis, quã Deus cõmunicasse dicitur B. Ignatio Loyolæ *S.Ignat.* institutori Societatis Iesu, ut legimus in eius vita lib.1.cap.7.

11. Quod verò contra hoc afferri posset ex Paulo,qui 1.Corinth. 13.dicit, *Modò nos cognoscere per speculum in ænigmate,* *1.Cor.13.* id est,per fidem obscuram, ut explicat S.Anselmus, & B.Thomas, intelligendũ est de omnibus in generali; & præterea quia qui aliquando habent notitiam euidentem,eam non retinẽt semper, sed solùm manent cùm fide; nec aliud potuit velle B.Thomas, cùm ipse dicat, Paulum in raptu vidisse divinam essentiam, ac proinde in hoc loco non contẽdit,nullum ex speciali privilegio in hac vita habuisse evidentem cognitionem divinorum mysteriorum.

(:)?(:)
(:)



DIS.

DISPVTATIO VII.

An, & quatenus in eodem intellectu possint simul esse fides supernaturalis, & scientia, seu cognitio omnino evidens.

SECTIO I.

Præmittuntur ea, quæ certa, & facilia sunt in hac disputatione.



1. PRæmittendum imprimis est, habitum scientiæ omnino evidẽtis non pugnare cũ actu fidei, sicut nec habitum fidei cum actu scientiæ. Etenim ille, qui in baptismo, dum infans esset, accepit habitũ fidei cum gratia, & cæteris virtutibus, illũque ad adultam usq; ætatem conservavit, potest, & solet elicere actus, quibus evidenter cognoscat Dei existentiam, unitatem, & alias perfectiones, ad quarum cognitionem inclinat etiam ipse habitus divinæ fidei. Contrà verò doctus Philosophus Ethnicus, qui naturali lumine cognovit evidenter prædictas perfectiones, si nomen det religioni Christianæ, accipiet habitum fidei, quæ in omnibus fidelibus reperitur. Ex quo consequenter fit, habitum sciẽtiæ, & habitũ fidei inclinantes ad eandem veritatem, esse compatibiles.

2. Deinde præmittendum est, in eodẽ omnino actu non esse absolutè cõpossibiles fidem, & scientiam de eadem veritate. Et quidem si ea veritas cognoscenda esset ob idem motivum formale, satis perspicuum est, quod affirmamus, cùm obiectum formale fidei sit authoritas loquentis obscurè, obiectum verò formale scientię sit aliquod principiũ, aut motivum rem clarè manifestans. Verùm etiam si motivum diversum sit, non potest in eandem simplicem entitatem actus cadere notitia clara, & obscura eiusdẽ veritatis, cùm sint modi omnino diversi, & planè oppositi, perinde ac si idem aër simul fingeretur lucidus, & obscurus, quod nemo non videt contradictionem involvere.

Dicet fortasse quispiam, propositionem hypotheticam mentalem esse unã simplicem qualitatem, & nihilominus in ea compati posse claritatem, & obscuritatem; v.g. in hac copulativa: *Deus est unus, & Christus Dominus est in Eucharistia*; nam priorem illius partẽ potest quis clarè cognoscere, & posteriori assentiri propter authoritatem Dei obscurè revelantis. Respondetur, quidquid sit de veritate huius doctrinæ, quæ ad Logicam spectat, nihil ex ea inferri contra nos, qui solùm contendimus, eandem veritatẽ non posse simul clarè, & obscurè cognosci uno simplici actu; prædicta verò copulativa ex duplici veritate saltem secundum rationem distincta coalescit. 3.

Præterea præmittendum est, cũ actu fidei non esse compatibilem actum perfectissimè evidentem, qualis est visio beata. Itaque ex natura rei pugnat actus, quo viator credit obscurè mysterium Trinitatis, cum actu, quo beatus idem mysterium videt ut est in se, iuxta dicenda tract. 13. Contrà verò si evidentia non sit perfecta, seu Metaphysica, eam esse compatibilem cum actu fidei, nam, ut suprà dicebamus, mysteria nostræ fidei sunt moraliter evidẽtia saltem multis fidelibus, & nihilominus simul eliciunt actum fidei, quo illis assensum præbeant. Concludo ergo, disputationis difficultatem in eo positam esse, an ex natura rei sint incõpatibiles in eodem intellectu actus fidei, & actus scientiæ omnino evidens de eadem veritate; etiamsi ea evidentia non sit perfectissima, qualis est visionis beatæ. 4.

SECTIO II.

Actum supernaturalẽ fidei, & actum scientiæ de eodem obiecto esse ex natura rei compatibiles, senserunt S. Bonaventura, Durandus, & alij.

PArtem affirmantem in hac disputatione amplectuntur S. Bonaventura 5. *S. Bonav.*

Gabriel. in 3.dist.24.art.2.quæst.2.& 3.Gabriel quæst.unica,art.2.côc.3 (licèt in côc. 4. addat, actus, imò & habitus scientiæ,& fidei naturalis,seu acquisitæ non Durand. esse compatibiles) Durandus dist.31. Salmeron. quæst.4.& docti recentiores,ut Salmeron tract. 21. in epist. ad Hebræos, in- Valenc. ter quos latè Gregorius de Valencia hic quæst.1. punct.4. quæst.2. qui probat primò authoritate Scripturæ, nam Ad Hebr. 11. Apostolus ad Hebræos 11. *Accedentem* (ait) *ad Deum oportet credere, quia est.* Vbi omnes fideles obligatos docet ad eliciendum actum supernaturalē fidei, quo credant existere Deum;cùm ergo certum sit, plures fideles certa, & clarissima scientia scire hanc veritatem, sit planè,utrumque actum esse ex natura rei compatibilem. Confirmat, quia ibidem docet Paulus,fide credi Deum esse authorem sæculorum,quod tamen Ad Rom.4 evidenter scitur à multis;& ad Rom.4 ait,Abrahamū credidisse, Deum posse implere,quod promisit, cùm tamen de tanto Patriarcha dubitari non possit, id evidenter cognovisse,cùm adeò manifestum sit.

6. Probat secundò authoritate Symboli Apostolorum,& Concilij Nicæni, in quibus proponitur omnibus credendū Deum esse unum, omnipotētem,creatorem cæli, & terræ; cùm tamen eiusmodi veritates docti Philosophi evidenter agnoverint,& nunc agnoscant; nec verisimile sit,eos ad hanc credulitatem non obligari,sed solos indoctos, & rudes.

7. S.Cyril. S.Chrysost. S.August. Ruffin. Tertiò probat testimonijs sanctorū Patrum, Cyrilli Hierosol. Catech.6, Chrysost. to.5. homil.2. in Symbolum Apostolorum,Augustini lib.de fide, & Symbolo cap.1.& Ruffini in expositione Symboli, quæ habetur inter opera S.Cypriani; cùm enim proponant omnibus fidelibus in generali,ac proinde indoctis,& doctis,quæ credere tenentur, inter ea numerant veritates, quas multi naturali lumine perspiciunt, ut Deum existere, esse omnipotentē, esse unum. Sentiunt ergo planè,simul cum scientia evidenti compatibilem esse fidem divinam de eisdem obiectis.

8. Quartò probat ratione, quia illi assensus,inter quos non est repugnantia, possunt esse simul; sed inter assensum obscurum fidei, & assensum evidentē scientiæ nulla est repugnātia;ergo possunt esse simul. Maior,& consequentia patent. Minor probatur,quia uterque est positiva cognitio eiusdem veritatis, & assensus fidei ideo solùm dicitur, & est obscurus, quia ex se, & ratione sui non affert clarā notitiā obiecti, quod sanè non obstat, quominus aliunde, & ex vi alterius medij per sciētiam cognoscatur clarè idem obiectum. Et sanè absurdum videtur, deterioris conditionis esse doctū Philosophum, qui evidenter cognoscit aliquas veritates fidei,quàm rudem fidelē; quod tamen infertur ex contraria sententia, nam Philosophus non potest de illis veritatibus habere fidem, cùm tamen rudis, & imperitus possit;sed fides est perfectior, & certior cognitio quàm scientia;ergo fælicior esset imperitus,quippe qui posset habere certiorem cognitionem, quàm illam, quæ est in Philosopho.

Confirmatur primò, quia experientia compertum est, postquàm aliquis fide credidit aliquid,posse adipisci evidentem cognitionem illius; ergo contrà,qui habet evidentiam obiecti, poterit posteà habere fidem. Patet consequentia à paritate rationis. Antecedēs verò probatur, nam cæcus v.g.potest credere esse lucem, & colorem; & tamen si Deus illi oculos aperiat,ut aperuisse constat ex Evangelio Ioan: 9. evidenter cognoscet eadem obiecta. Et discipulus, qui propter authoritatē magistri crederet aliquas veritates, posset posteà per evidentem demonstrationem eas assequi.Confirmatur secundò, quia opinio, & scientia possunt esse simul;ergo & fides,atque scientia. Antecedēs patet,quia opinio est quasi via ad scientiam, & sicut dispositio ad formam,inter dispositionem autem, & formam non est incompatibilitas. 9.

(:)?(:)
(:)



SEC-

SECTIO III.

Probabilior, & communior S. Thomæ sententia probatur authoritate, & ratione.

10. SEntentia sectionis præcedentis est sine dubio probabilis, & ego in Logica lib.7.disp.1.quæst.4.eam secutus sum: nunc autem re meliùs considerata contrariam censeo probabilioré. Eam docent S. Thomas quæst.14. de verit.art.9. & in art.4.& 5.huius quæstionis: ubi Caietanus, Bañez, Lorca disp.14.Torres disp.8.præsertim dub. 6.Magister in 3.dist.23.Scotus dist.24. quæst.1. §. *Ad quæstionem*, & §. *Sed si loquamur:* Molina 1.par.quæst.1. art.2. disp.4. & Sotus in cap.26. libri primi Posteriorum, Capreolus, Ferrara, Rhicardus, & Almain apud Lorcam, & Turrianum.

S.Thom. Caiet. Bañez. Lorca. Torres. Magist. Scotus. Molina. Sotus.

11. Ioann.20. Probatur primò ex illis verbis Christi Domini Ioann. 20. *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderũt.* Nam super illa excitatur à gravissimis interpretibus quæstio, quo pacto crediderit Thomas illud ipsum, quod videbat, & manibus contrectabat? Respondentq; S. Augustinus to.9.tract.121. in Ioannem, S.Gregorius homil.26.in Evangelia, S.Thomas art.4.ad 1.Salmeron tom.11.tract.27. Toletus annot.28. in cap.20. Ioannis, & Maldonatus in prædictum locum, S. Thomam non credidisse, quod videbat, scilicet humanitaté, sed Deitaté, quam non videbat, & virtute cuius facta est resurrectio. Maximæ ergo authoritatis est, cũ clara cognitione non esse compatibilem fidem divinam, quę obscura est, nam alioqui non esset apta declaratio prædictorum verborum Christi Domini, quam tanti Patres, & tam litterales interpretes docuerunt.

S.August. S.Gregor. S.Thom. Salmeron. Tolet. Maldon.

12. Ad Hebr. 11. Probatur secundò ex verbis Apostoli ad Hebræos 11. *Fides est argumentũ non apparentium.* Vbi cùm sine ulla restrictione doceamur, ea, quæ sub fidem cadunt, non esse apparentia, id est, clara, & evidétia, significat Scriptura, non solùm fidem essa obscuram, quia ex visua non manifestat veritaté evidenter, sed quia cum illa pugnat quælibet cognitio, virtute cuius clarè obiectum appareat. Id quod præsertim habet maximam vim, quia sancti Patres sic intellexerunt, & nobis tradiderunt. Primus sit Pelagius Papa II.in epist.3. quæ habetur to.2. Concil f 849. *Fides* (inquit) *eorum, qui Deum visuri sunt, quod non videt, credit; nam si videt, non est fides.* Secũdus sit S.Athanasius in tract de salutari adventu Iesu Christi: *Non enim* (inquit) *fides de ré evidenti concepta, fides dici poterit; sed fides est, quæ robur in imbecillitate credit.* Tertius S. Bernardus lib.5. de Cõsiderat. *Fides* (inquit) *est voluntaria quædam, & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis.* Quartus S.Cyprianus, seu quicumq; alius sit author tract. de Cardinalibus Christi operibus in serm.de Nativit. *Tr. dixerat* (inquit) *Isaias: Parvulus natus est nobis: hoc potuit videri, hic nullum fides meritũ quærit.* Quasi diceret, de eo, quod videtur, non est fides; nam si esset, meritum habere posset, cùm actus fidei sit meritorius, sicut & reliqui actus supernaturales. Quintus S. Augustinus tract.58.in Ioan. *Fides* (inquit) *quod non videt, credit; nam si vides, non est fides.* Sextus est S. Chrysostomus hom.21.in epist.ad Hebræos: *Si fides* (inquit) *est argumentum eorum, quæ non videntur, quid est quòd vultis ea videre, ut excidat is à fide?* Vide alia testimonia adducta tract. 1.disp.4

Pelag. Papa. S. Athan. S. Bernar. S. Cypria. S. August. S.Chrysost.

13. Ex quibus patet, Patres non solùm excludere claritaté ab ipso actu fidei, sed etiam ab eo intellectu, qui fidem habet; id quod præsertim elucet in verbis Athanasij, Chrysostomi, Augustini, Cypriani, & Bernardi: quibus adde testimonia adducta in primo argumẽto.

14. Tertiò probatur ratione S. Thomæ in art.4. quæ in hunc modum formari potest: Actus fidei, & actus evidés habẽt modos attingendi obiecta oppositos, & incompatibiles; ergo ex natura rei non possunt esse simul de eodẽ obiecto, & in eodem intellectu. Consequentia est evidens: antecedens verò probatur, quia actus evidens tendit ad obiectum, quia in ipso elucet veritas, & determinativum sufficiens ad assensum, sive immediatè, ut quando est

primum principium; sive mediatè, si sit conclusio; & ideò intellectus ex se fertur necessario ad illud, nec potest non assentiri veritati saltē quoad specificationē; actus verò inevidēs tendit ad obiectum, non quia sufficienter determinetur, seu moveatur ab illo, sed quia voluntas determinat, & inclinat intellectum ad assentiendum, sive cum formidine, si sit opinio, aut fides humana; sive certò, & infallibiliter, si sit fides divina: & ideo infrà ex Scriptura, & Patribus ostendetur, non posse sine pia voluntatis affectione elici actum credendi: habent ergo actus evidens scientiæ, & actus inevidens fidei, aut opinionis oppositos tendendi modos, & qui simul non cadunt in eandem potentiam limitatam intellectus creati.

15. Nec respōderi potest, quod iam semel, & iterum inculcatum est, scilicet eam incompatibilitatem esse solùm in eodem actu, & ex vi eiusdem motivi, non verò repugnare, duos actus simul existere, quorū unus ex vi motivi sciētifici manifestet obiectum, & necessariò rapiat intellectum; alter ex vi authoritatis obscurè loquentis non manifestet illud, nec determinare possit, nisi voluntas mentem inclinet. Non (inquam) id responderi potest. Primò, quia id non cohæret cum testimonijs Scripturæ, & Patrum iam relatis. Secundò, quia modi cognoscendi tam diversi non solùm in eandem actus entitatem, sed nec in eandem potentiam cadunt suapte natura. Quod quidem sic declaratur, & confirmatur: Cum evidentia perfecta visionis beatæ non est compatibilis actus fidei, ut suprà dictum est; ergo nec cum alijs actibus evidentibus. Probatur consequentia, quia quod evidentia sit magis, aut minùs perfecta, solùm facit, ut repugnantia sit maior, aut minor; incompatibilitas autem inter fidem, & visionem beatam præsertim oritur ex eo, quòd dum res clarè conspicitur, non manet locus obscuritati, nam alioqui cur dicere nō posset aliquis, licèt Deus videatur ut est in se ex vi unius motivi in patria per visionem beatam, adhuc posse cognosci obscurè per fidem ex vi alterius motivi?

Confirmatur iterum, quia sicut per visionem beatam cognoscitur Deus clarè ut est in se, ita per alias scientias evidentes possunt cognosci aliqua obiecta creata ut sunt in se, licèt aliunde revelētur à Deo obscurè; ergo de eiusmodi etiam rebus non possent simul haberi scientia, & fides, seu opinio; ergo etiam si scientia sit abstractiva dū modò sit clara, excludet fidem. Patet consequentia, quia evidentia abstractiva interdum potest esse maior, quàm evidentia intuitivę cognitionis, si nimirum innitatur motivo firmiori: sic enim nonnullæ demōstrationes Mathematicæ clariores sunt, quàm aliquæ veritates, quas intuitivè per sensus cognoscimus. 16.

SECTIO IIII.

Respondetur ad argumenta partis contrariæ.

AD primum S. Thomas explicans prædictum locum Apostoli lect. 2. super illud caput, obijcit sibi hoc ipsum argumētum, & respondet his verbis: *Dicendum est, quòd de Deo potest multipliciter haberi notitia: uno modo per Christum, in quantum scilicet est Pater unigeniti, & consubstantialis; & alia, quæ specialiter Christus de Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto docuit quantum ad unitatem essentiæ, & Trinitatem personarum; & hoc tantùm est creditum. Secundo modo, quòd solus Deus colendus est: & sic est tantùm creditum. Tertio modo, quòd est unus Deus, & hoc notum est etiam ipsis Philosophis, & non cadit sub fide.* Sentit itaque sanctus Doctor, cùm Apostolus ait, *accedentem ad Deū oportere credere quia est*, nō loqui de existentia Dei, quatenus est cognoscibilis naturaliter, sed quatenus affert aliquid supra vires intellectus seclusa revelatione. Et huic consonat, quod de veritate quæst. 14. art. 9. ad 5. dixit, his verbis: *Dicendum, quòd de Deo non est fides quantum ad id, quod naturaliter de Deo est cognitum, sed quantum ad id, quod naturalem excedit cognitionem.* Et in hac q. 1. art. 4. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quòd ea, quæ demonstrativè probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter* 17. S.Thom.

pliciter sit fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei, & oportet ea saltem per fidem præsupponi ab ijs, qui eorum demonstrationem non habent.

18. Hæc S. Thomæ solutio vera est: & ut facilior, ac expeditior sit, sic est accipienda, ut solùm contendat sanctus Doctor, non posse elici actum fidei circa existentiam, unitatem, & alias perfectiones Dei ab ijs, qui evidenter illas noverunt, si præcisè ad illas terminetur actus, & tunc recordetur homo, se de illis evidentem cognitionem habuisse: id enim tantùm requiritur ad veritatem doctrinæ, quam in sectione præcedente stabilivimus: si verò simul cum veritatibus naturaliter notis coniungamus alias veritates supernaturales, & per modum unius assensum illis præbeamus, non negat S. Thomas, posse elici circa illas actum fidei, sicut etiã elici poterit, si non recordemur demõstrationis evidentis: v.g. Deum esse, & esse unum, naturaliter cognosci potest per medium evidentiam gignẽs, unde Philosophus, qui huius medij recordatur, non potest elicere actum fidei divinæ, quo prædictas veritates præcisè credat: at verò Deum ita esse unum in essentia, ut simul sit trinus in personis, non est naturaliter cognoscibile, unde si quis velit uno actu hæc omnia complecti, elicere poterit actum fidei, non obstante priori illa evidentia, quia totum hoc, scilicet *Deus unus, & trinus*, nõ est obiectum clarè cognitum, sed obscure revelatum, quod proinde cadit sub fidem. Similiter licèt Deum esse unum, evidẽter cognitũ sit ab aliquo, fieri potest, ut obliviscatur medij, quod hanc evidentiam genuit, aut certè illud omnino non attendat, & tunc rectè poterit elicere actum fidei etiam circa hanc veritatem præcisè, quia perinde se habet comparatione illius, atque rusticus, vel indoctus, qui de ea re non habuit evidentiam.

19. Ad alium locum in primo argumento adductum ex eodem capite epistolæ ad Hebræos respondetur similiter, non doceri ab Apostolo, fide credi ab omnibus Deum esse authorem creaturarum præcisè, sed creatorẽ in tempore, sicut initio Geneseos dicitur: *In principio creavit Deus*, &c. hoc autẽ non est evidens, nonnulli enim Philosophi putaverunt mundum esse ab æterno, & saltem id fuisse possibile docent gravissimi authores, & ideò cadit sub fidem. Deniq; quod ex cap. 4. epistolæ ad Romanos adducitur, nõ obstat nostræ sentẽtiæ, nam licèt Abrahamus evidenter sciret in generali, Deum posse implere, quod promisit, cæterùm nec constat habuisse evidentiam, quòd hæc esset promissio divina, sicut nec nos habemus evidentiam, quod Deus promittat gloriam, licèt id certissimũ sit; nec scimus evidenter cognovisse, possibile esse quòd sterilis gigneret, & filius eius mortuus posset suscitari; optimè ergo potuit hæc omnia credere actu fidei certissimo, sed obscuro.

Ad secundum & tertium respondetur facilè iuxta dicta, à Patribus proponi omnia illa credenda, quia multis nõ erant evidentia, & ab ijs, quibus nonnullæ perfectiones divinæ evidenter notæ erant, poterant, & debebant credi simul cum alijs perfectionibus, quæ evidẽter sciri non possunt, ut explicatum est: & præterea, quia si obliviscerentur, aut non attenderent docti medium, per quod evidentiam habuerũt de prædictis veritatibus, poterant illas fide divina credere, etiam si cum alijs veritatibus obscuris non coniungerẽtur. 20.

Ad quartum respondetur negando minorem. & ad probationem iam diximus, actu fidei requirere, ut non solùm in se, sed nec in intellectu claritas reperiatur. Nec inde infertur doctũ Philosophum deterioris conditionis esse, quàm rudem fidelem, quia licèt ille nequeat actum fidei elicere circa obiecta evidenter nota, si præcisè sumãtur, potest tamen elicere, si coniungat, ut facilè coniũgere potest, cum alijs obiectis supernaturalibus, & obscuris: & similiter poterit quãdo obliviscitur, aut non attendit medium demonstrativũ, iuxta ea, quæ in solutione primi dicta sunt. 21.

Ad primam confirmationem respõdetur, eum, qui habet fidem, posse cõparare scientiam, sed tunc non poterit elicere fidem circa idem obiectum, ni- 22.

si modo dicto: contrà etiam eum, qui habet scientiam, posse elicere actum fidei, si obliviscatur scientiæ, aut coniungat obiectum evidẽter notum cum alio obscuro, sed non alio modo propter rationes dictas. Ad secundam confirmationem respõdetur negando antecedens, quia etiam habent modos oppositos: scientia enim habetur sine inclinatione voluntatis, opinio verò versatur circa obiectum, quod non determinat sufficienter ad assensum, ac proinde indiget determinatione volũtatis. Loquor autem de scientia evidẽte, nam si sit obscura, ut est Theologia, non repugnat cum opinione, sicut nec fides divina, nisi quando opinio afferret actualem formidinem, & quasi dubitationem, hæc enim cum fide certa, & scientia non est compatibilis. Denique notandum est ex S. Thoma art. 4 ad 2. Theologiam non pugnare cum fide, quia utraq; est certa, & obscura, ut enim ex 1. par. quæst. 1. cõstat, actus Theologiæ est conclusio deducta ex principijs fidei, ac proinde cum fide compatibilis est.

S. Thom.

SECTIO VLT.

Duo consectaria proponuntur, & comprobantur.

23. EX dictis in hac disputatione infertur primò, actum fidei divinæ esse posse simul cum evidentia in attestante, non ita ut idem met actus sit elicitus à fide, quam esse obscuram satis ostendimus, & simul sit evidens in attestãte, quia claritas, & obscuritas de eodem obiecto sunt incompatibiles in eadem entitate, ut in 1. sect. supposuimus; sed ita ut intellectus simul elicere possit actum fidei, & actum evidentem evidentia in attestante, quam explicuimus in disp. 5. Sic planè sentiunt S. Thomas infrà quæst. 5. artic. 2. corp. Turrianus d. 9. dub. 4. cũ Ferrara, Medina, & Vazquez: & potiori iure sentient Doctores, qui in generali putãt, fidem, & scientiam esse compatibiles. Probatur, quia licèt actus evidens in attestante veram, & Metaphysicam evidentiam habeat, ut constat ex disp. 5. nihilominus ea est minùs perfecta, & propria, ut Turrianus suprà dub. 3. affirmans esse communem sententiam; non enim manifestat rem in se ipsa, seu per principia intrinseca, sed per medium omnino extrinsecum, v. g. per miraculum patratum in veritatis confirmationem, aut quia clarè constat Deum esse qui revelat, & propterea ad eliciẽdum actum eiusmodi requiritur aliquod imperium voluntatis, sicut & ad actum fidei obscurum, ut docet S. Thomas loco citato; imò talis actus appellari solet fides, nam Iacobi 2. dicuntur *dæmones credere*, cùm tamen eorum credulitas sit propter signa, quæ evidenter manifestant, Deum esse, qui revelavit, ut patebit tract. 13. Confirmatur, quia cum evidentia morali cõpatibilis est fides, eò quòd illa non sit omnino perfecta evidentia, ergo similiter cum evidentia in attestante, quia est minùs perfecta non erit incompatibilis.

S. Thom. Turrian. Ferrar. Medina. Vazquez. Iacobi 2.

24. Sed obijcies primò S. Thomam, qui quæst. 14. de veritate art. 9. ad 4 ait, dæmones non voluntate, sed necessitate credere, ergo falso asseritur fidem, quę est evidens in attestante, indigere imperio voluntatis. Respondetur, in loco citato huius 2. 2. exp. esse docere, fidẽ dæmonum esse etiam ex imperio voluntatis; addit vero hoc imperium nõ esse spontaneum, sed quasi coactũ evidentia signorum: & hoc tantùm contẽdit in illo articulo quæstionis de veritate.

S. Thom.

25. Infertur secundò, actum fidei, & actum scientiæ etiam intuitivæ posse simul esse de potentia absoluta. Consectarium hoc est contra Turrianum disput. 8. dub. 5. sed probatur, quia argumenta adducta sect. 3. solùm persuadẽt ex natura rei esse incompatibiles eiusmodi actus, imò id ita probant, ut probabilitatem partis contrariæ non tollant; ergo non est, cur negetur divinæ omnipotentiæ eos supernaturaliter facere coëxistere in eodem intellectu, cùm alia multò difficiliora præstare possit, & soleat.

Turrian.

26. Atque hinc facilè intelligitur id, quod disputatione præcedente statuimus, scilicet in hac vita cõmunicatam

fuisse

fuisse peculiaribus personis evidentē cognitionem aliquorum, aut omnium mysteriorum, quæ fide obscura credūtur, quin propterea fidem ab illis excludi necesse fuerit. Imprimis enim de potentia absoluta non pugnant fides,& scientia; potuit ergo Deus patrando miraculum communicare evidentem cognitionem illis, qui fidem habebant. Deinde fides potest esse simul ex natura rei cum evidentia in attestante; ergo licèt hoc genus evidentię communicaret Deus viatori,adhuc elicere posset actum fidei. Tertiò,quia licèt simul esse non possent actus fidei, & actus perfectè evidens naturaliter loquendo, possunt esse in diversis temporibus, & quando quis non recordatur, aut non advertit evidentiam motivi;sic ergo licet pro eo tempore,quo B. Virgo v. g. evidenter cognoscebat aliquod mysterium, non posset ex natura rei elicere actū fidei, poterat posteà cùm ea evidentia cessabat, nam ut in disp.5. cit. diximus, evidentia mysteriorum communicata viatoribus est per modum transeuntis.

TRACTATVS TERTIVS de obiectis materialibus divinæ fidei in speciali.

ARTICVLVS SEXTVS, & Disp.1.

Vtrùm ea, quæ divina fide credimus, distinguenda, seu dividenda sint in varios articulos?

1. Ræmittit S. Thomas in hoc articulo, an ea, quæ divina fide credimus, distinguenda sint, seu dividēda in varios articulos: & ante omnia præmittit, nomine articulorum significari multiplicitatem partium, quæ sibi invicē coaptatæ sunt; sic enim articulos membrorum appellamus partes exiguas ad singula membra spectantes, & recto ordine coniūctas: unde articuli fidei erūt speciales veritates nostræ religionis certo quodam ordine dispositæ. Deinde respondet, fidei doctrinam varijs articulis distingui debere,quibus dilucidè, & ordinatè proponantur ea, quæ credituri sumus.

Sed difficultas est,ex quo principio colligēdum sit, quænam veritates pertineant ad articulos distinctos. Et imprimis ut rectè notat B. Thomas ad 1. non pertinent ad articulos veritates illæ, quæ in Scriptura nobis proponūtur ut minùs necessariæ ad salutē, ut sunt variæ historiæ, & gesta antiquorū; sed illæ,quæ per se spectant ad nostram fælicitatem, eò quòd fides sit substantia sperandarum rerum; & eiusmodi sunt veritates circa Trinitatem,& Incarnationem: ait ergo,illa,quæ in hoc genere habuerint specialem difficultatem, pertinere ad diversos articulos,ut mortem Christi,& resurrectionem;alia verò,quæ eiusdem,aut ferè æqualis difficultatis apparent, ad eundem articulū revocari, ut quòd Christus Dn̄s fuerit passus,mortuus,& sepultus. 2.

In solutione ad 2. ait B.Thomas rationem formalē obiecti fidei posse accipi dupliciter, uno modo ex parte rei creditæ,& sic eandem esse rationē formalem,propter quā omnia creduntur, scilicet divinam authoritatem; altero modo ex parte nostri,& sic rationē formalem obiecti fidei esse quòd sit non visum: in quo sanè videtur esse difficultas,quia fides solùm habet unum obiectū formale, & illud est authoritas divina obscurè revelans, quæ se tenet ex parte rei creditæ. Caietanus respōdet, non visum solùm esse conditionē obiecti fidei, & ita largè appellari obiectū; vult enim sanctus Doctor, ut aliquis credere posit fide divina, requiri quòd non videat clarè illud, quod credit, & propterea ait, secundum quod veritates fidei habent peculiares rationes non visi, id est, speciales difficultates circa veritates, quas non videmus, distinguendos esse articulos. Quæ solutio si rectè intelligatur, vera est; sic igitur debet explicari, ut ipsa 3. Caiet.

negatio claritatis sit conditio, seu potiùs effectus cōsecutus revelationem, quæ simul cum authoritate divina cōstituit adęquatum obiectum formale fidei; fides enim respicit authoritatē ita revelantem mysteria, ut ex vi revelationis non manifestentur nobis, ut in tract. 1. disſ. 3. & 4. dictum est. An autē, & quomodò verū sit, non posse videri clarè ab ipso credente illud, quod credit, cōstat ex dictis in tract. 2. disp. ult.

ARTICVLVS SEPTImus, & Disp. 2.

Vtrùm articuli fidei secūdum successionem temporum creverint?

1. N hoc artic. 7. definit S. Thomas, articulos fidei non crevisse per successionem temporum, quasi fideles minùs antiqui aliquid credant, quod saltē implicitè non fuerit creditum ab antiquioribus; addit tamen, crevisse quoad explicitam cognitionē, quatenus multa, quæ olim implicitè credebātur, modò magis explicitè cognoscuntur.

2. Vt autem hæc doctrina breviter declaretur, præmittendum est primò, triplicem fuisse statum fidelium. Primus fuit lex naturæ ab Adamo ad Abrahamum, & Moysen. Secūdus fuit lex scripta, à Moyse ad Christū Dñm. Tertius legis Gratiæ à Christo Dño ad finem mundi perseveraturus. Et quidē in omnibus istis statibus necessaria fuit fides, qua cognosceretur Deus ut author supernaturalis gratiæ, & gloriæ, sub qua ratione implicitè saltē continebantur mysterium Trinitatis, Incarnationis, & consequenter reliqua, quæ in istis, quasi in principijs, fundamētum habēt, ut latiùs dicetur infrà. Prætereà in omni lege floruerunt aliqui, quibus explicita notitia saltem præcipuarum veritatū Catholicę religionis concessa est, nam Adamus in lege naturæ eam sine dubio accepit, ut docet B. Thomas hic q. 2. art. 7. & 8. qui proinde eam cōmunicavit posteris usque ad Noë, & filios illius, ut qui erant pręcipui parētes fidelium, non destituerentur talium rerū cognitione. In lege verò scripta nemo negare potest, patefacta fuisse hæc mysteria Mosi, Davidi, & nobilissimis Prophetis. Deniq; in lege Gratię res est satis evidēs. Ex quibus manifestè patet, decursu temporum non fuisse auctam fidē, quasi aliquæ veritates saltem ex præcipuis credātur modò, quæ saltem implicitè non fuerint cognitæ à mundi exordio ab omni plebe fideliū, & explicitè à viris primarijs illorū sæculorum.

Secundò notandum est, quod attinet ad notitiam magis explicitā mysteriorum, verè aucta fuisse fidē decursu tēporū, nam tēpore legis scriptæ clarior fuit illorū notitia in tot excellentibus viris, qui ab Abrahamo usq; ad Ioannē Baptistam numerati possunt, quàm in lege naturæ; & in tēpore legis Gratię, quod à Ioanne, & Apostolis potest recenseri, clarior sine dubio est notitia mysteriorū, nā cùm isti fuerint Christo Dño propinquiores, magis illustrati sunt, & potioribus beneficijs aucti. 3.

Tertiò adverte, à tēpore Apostolorū usq; ad nostra sęcula nullos Catholicos floruisse, quibus clariùs, & distinctiùs patuerint veritates fidei, quàm Apostolis, cùm illi fuerint immediatè edocti à Christo Dño, & Spiritu sancto, qui ex promissione Dñi *docuit illos, & suggessit omnia*, ut habetur Ioa. 14. & proptereà dicuntur ad Rom. 8. *habere spiritus primitias*. Vnde Bañez dub. 2. cōc. 1. & Valencia pūct. 6. erroneū putāt asserere, plura credi modò, aut magis explicitè cognosci ab Ecclesia, quàm ab Apostolis cognita sint in ijs, quæ ad fidei doctrinā spectāt: secùs esset de subtilioribus argumentis, quibus Scholastici utuntur in indagandā mysteriorū veritatē. Et quāvis Concilia posteà definierint multa, illa tamen cognita erāt Apostolis, ut quòd B Virgo fuerit vera mater Dei, & alia; estq; sermo de rebus præcipuis fidei, & solidis mysterijs illius, nā quòd speciali aliqua revelatione aliqui modò sciant aliquid anteà ignotum Apostolis, non est incommo- 4. *Ioan. 14.* *Ad Ro. 8.* *Bañez.* *Valencia.*

dum,

dum, sed necessariò dicendum; sicut & quòd modò habeatur pro Canonico aliquis liber Scripturæ, qui initio nascentis Ecclesiæ nondum fuisset scriptus, aut revelatus omnibus Apostolis, sed ei tantùm, qui illum scripsit. Vtrùm autem hæc omnia cognoverint Apostoli in die Penthecostes, vel posteà aliqua priùs ignota fuerint illis manifestata, non multùm refert: videatur quæ affert Bañez dub.3.ubi contendit, omnia nota fuisse à die Penthecostes. Lege etiam Turrianum disp.13.dub.3.

Bañez.

Turrian.

5. Denique notandum est, non esse necessariū, ut omnes homines legis Gratiæ distinctiùs cognoscant veritates fidei, quàm antiqui fideles; nam clariùs cognovit Adamus, aut David, quàm multi modò cognoscunt; sed sufficit, quòd absolutè in statu legis Gratiæ habeatur plenior notitia, quàm anteà. Similiter licèt Apostoli pleniùs quàm nos cognoverint, non tamen est necesse, ut quo magis homines distāt à tempore Apostolorum, eò obscuriorē habeant notitiam; nulla enim est verisimilis ratio, quæ id suadeat, potest enim unum sæculum habere illustriores homines, & aliud sequens minùs illustres, vel è converso.

ARTICVLVS OCTAVUS, & nonus. Et disp.3.

Vtrùm articuli fidei convenieter enumerentur, & in Symbolo constituti sint?

COMMENTARIVS IN articulum octavum.



1. OSTENDIT B. Thomas in art.8. optima ratione distributā esse doctrinā fidei in quatuordecim articulos, quorum priores septē pertinent ad divinitatem, alij verò septem ad humanitatem Christi Domini. Solùm supersūt duę difficultates. Prior est circa solutionem primi argumenti; cùm enim sibi opposuisset B. Thomas, ea, quæ pertinent ad unitatē Dei, posse sciri lumine naturæ, ac proinde incongruè numerari inter articulos fidei, quæ solùm est de rebus non cognitis lumine naturæ: Respondet, sub nomine unitatis Dei cōprehendi plura, quæ investigari non possunt naturali ratione, ut quæ spectant ad Dei providentiam, omnipotentiā, & cultū, & ideò meritò proponi ut articulū fidei. Contra quā solutionē est, hæc omnia posse naturaliter cognosci, nam Theologi naturali ratione probant Dei providentiam, & potentiā, eumq; esse colendū ab hominibus. Omitto Caietani brevissimum cōmentariū, qui in hac parte mihi non probatur, & respōdeo cum Dominico Bañez, in providentia, omnipotētia, & cultu Dei esse aliqua spectantia ad ordinem supernaturalē, ut quòd habeat providentiam, & potentiam in ordine ad supernaturalia; quòd adorandus sit actibus etiam supernaturalibus; quæ omnia cùm pertineant ad Deū ut unū, & nō possint lumine naturæ cognosci, rectè numerari possunt inter articulos, quāvis non numerarētur alia, quę naturaliter sciuntur de his attributis, prout præcisè cadunt sub lumen naturale.

Caiet.

Bañez.

Circa solutionem ad sex tum est posterior difficultas, cur scilicet veritas Sacramenti Eucharistiæ non fuerit inter articulos numerata, cùm tam singularem difficultatem contineat? Et quidem præter rationem, quam reddit B. Thomas, potest etiam dici, quod bene notavit Bañez art.6.dub.1.ad 2.fideles in ipsa huius sacramēti susceptione instruendos esse de hac veritate, & ideò non oportuisse eā in articulis, & Symbolis explicari, in quibus ea solùm videtur posita, quæ sunt veluti instructio accedentis ad suscipiēdum Baptismū, antequàm tractetur de usu aliorum Sacramentorum. 2.

Bañez.

COMMENTARIVS IN articulum nonum.

IN artic.9. definit B. Thomas oportuisse articulos fidei in Symbolo cōprehendi, ut ad breve, & ordinatum 3.

compēdium essent redacta capita mysteriorum fidei, & ita facilè scirentur etiam à communi plebe. Circa hunc articulum notandum imprimis est, nomine Symboli, quæ est vox Græca, significari indicium,& collationem,ut Bañez affert ex S. Cypriano in expositione Symboli, seu potiùs ex Ruffino, qui creditur fuisse author illius expositionis; rectè autem accōmodatur in utraque acceptione nomen Symboli Summæ nostræ fidei, quæ Hispanè dici solet *El Credo*;appellatur enim indicium, seu signum, quia per illius doctrinam distinguitur Christianus ab infideli;& appellatur collatio, quia Symbolum Apostolorum editum fuit conferentibus Apostolis in unum id, quod quisq; sentiebat,ut ita constaret unā esse omnium fidem.

Bañez.

4. Deinde notandum est, quincuplex esse Symbolum. Primum dicitur Apostolorum,quod nimirū in horis recitat Ecclesia, & inter quatuor vulgatas orationes cani solet: fuit autē editum ab Apostolis,ut docet S.Cyprianus suprà, S. Augustinus ser. 115. de tempore, & alij plures Patres apud Valentiā pūct.5 sive id factum sit tribuentibus singulis singulas sententias, ut videtur docere S. Augustinus suprà,B. Thomas 3. dist. 25.q.1.art.2.& S.Bonavētura art.1.q.1 sive ab omnibus integrum Symbolum unanimi consensu editum fuerit.

S. Cyprian. S. August. Valent. S.Thom. S. Bonav.

5. Secundum Symbolum editum fuit in Concilio Nicæno I. celebrato cōtra Arium circa annum Dñi 330. & habetur in actis Concilij. Tertium editum fuit in II. Synodo Generali habita Cōstantinopoli circa annum 387. parūq; differt à Symbolo Nicęno,& recitatur in Missa paucis verbis mutatis. Quartū habetur in Concilio Calcedonensi celebrato anno Dñi 456. & solùm continet professionem sanctissimæ Triados. Quintum deniq; est Symbolū S. Athanasij, quod ab Ecclesia recitatur, & probatur authoritate Nazianzeni, qui in oratione de laudibus S. Athanasij paulò ante finem refert ab ipso Symbolum editum fuisse.

(∴)

COMMENTARIVS IN articulum decimum.

Affirmat B. Thomas spectare ad Summum Pontificem ordinarè Symbolum,seu illud proponere, ut ab omnibus credatur; sicut etiā ad illum spectat congregare Concilium generale,& alia eiusmodi. Circa hunc articulum disputari solēt multa de cōtroversijs, & regulis fidei; quare à nobis etiam explicanda sunt, breviter tamen,& Scholastico modo:sic enim nec rerum magni momēti notione defraudabūtur lectores, nec longitudine tractatuum molestiam patiemus.

TRACTATVS QVARtus de regulis in generali, quibus obiecta fidei divinæ discernuntur à falsis,aut incertis dogmatibus; deque illarum numero, & comparatione.

1. Nomine *Regula fidei* significatur in præsenti id, quod voce, vel scripto proponit veritates ad fidem pertinentes, ut illas amplectantur Orthodoxi; & falsa dogmata, ut illa ijdem respuant; & denique doctrinam incertam, ut sciāt sine errore posse utrumlibet credi, vel negari. Sunt autem eiusmodi regulæ numero duodecim. Prima sacra Scriptura. Secunda Traditio. Tertia Ecclesia. Quarta Summus Pontifex. Quinta Concilium Generale. Sexta Conciliū Provinciale. Septima Ecclesiæ Patres. Octava Doctores Scholastici. Nona Prælati, sive Episcopi. Decima Familiæ Religiosorū. Vndecima Historiæ Ecclesiasticæ. Duodecima naturalis ratio simul cum Philosophis,qui ductū illi⁹ secuti sunt.

2. Et quidem de singularum authoritate, aut infallibilitate in sequentibus ex professo disserendum est: nunc solùm breviter attingam ordinem illarum in infallibilitate, aut authoritate.

Primum ergo locum obtinet Scriptura, quia in illa ne unus quidem apex potest falsitatem continere. Secundum obtinet traditio divina, quæ licèt esse posit admixta historijs incertis, & in hoc ab Scriptura excedatur, quoad substantiam tamen, seu quatenus divina traditio est, dicitur, & est verbum Dei, seu aliquid immediate revelatū à Deo, ac proinde non minoris authoritatis, quàm Scriptura. Tertium Ecclesia, quæ est columna veritatis. Quartū Generale, seu Provinciale Concilium à Papa confirmatum. (Quo autem modo se habeat cōparatione Papæ, si non sit confirmatum, dicetur tractatu 8) Quintum Summus Pontifex, dū loquitur tanquam caput Ecclesiæ. Sextum omnes Ecclesiæ Patres. Septimum omnes Prælati, & Scholastici Theologi. Octavum omnes familiæ religiosorū. Nonum Historici. Decimum naturalis ratio cum Philosophis: quæ tamen si certa sit, non potest esse contraria cæteris regulis infallibilibus, quia veritas non potest esse veritati contraria.

TRACTATVS QVINTUS de Scriptura sacra, & traditione.

DISPVTATIO I.

An sit in Ecclesia aliquod Verbum Dei scriptum, & quanta sit authoritas Editionis Vulgatæ.



1. Vanquam nonnulli hæretici impudenter reijciant scripturam, seu Verbum Dei scriptum, certa fide credendum est, in Ecclesia Catholica esse Verbum Dei, id est, librum divino Spiritu ab scriptore sacro ut ipsius Dei calamo editū, cuius doctrinæ non sit minor authoritas, quā ipsius Dei; *Cuius sancto Spiritu inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, ut testatur Apostolus Petrus 2. Canonica cap. 1. & proptereà dixit S. Augustinus 12. de Civitate cap. 9. in fine, *Scripturæ fidem non immerito habere mirabilem authoritatem in orbe terrarum, atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras vera divinitate prædixit Christus Dominus.* 2. Petri 1. S. August.

2. Deinde hoc Dei Verbum complectitur omnes illos libros, & partes, qui in Vulgata Editione veteri habentur, & cuius emendatissimum exemplar in lucem editum est initio Pontificatus sanctissimi Domini nostri Clementis VIII. cùm tempore Sixti V. diligenter in eo opere laboratum sit, & quanvis hæretici conati fuerint aliquorum ex prædictis libris authoritati derogare, atque apud Catholicos etiam non semper æquè explorata fuerit eorum omnium authoritas; modò verò nulli licet dubitare, quin omnes sint infallibilis veritatis, ut expressè definitur in sess. 4. Concilij Trident. ubi post enumeratos omnes prædictos libros, seu partes Scripturæ, ita concludit: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & Canonicis non susceperit, anathema sit.* Trident.

3. Ex quibus verbis constat imprimis, apocrypham, id est, incertæ authoritatis esse orationem Manasse, quæ solet esse post libros Paralipomenon, quia nec ea est pars alicuius libri Canonici approbati in prædicto Decreto, nec habetur modo in Vaticana Editione facta tempore Clementis VIII. Apocryphi sunt etiam tertius, & quartus liber Esdræ; tertius, & quartus Machabæorum; Psalmus 151. Appendix quædam libri Iob, & liber Hermetis, qui inscribitur Pastor; omnes enim eiusmodi libri nec stabiliūtur authoritate Tridētini, nec in hac postrema editione Vulgatæ continentur: cæteri libri in ea contenti sunt omnino infallibilis authoritatis, & quanvis in eis defendēdis sint aliquæ difficultates, eas tamen optimè expedit Cardinalis Bellarminus to. 1. lib. 1. de Verbo Dei à cap. 4. Videdus est etiam Ioānes Driedo cap. 3. & 4. libri primi de Scripturis, & dogmatibus Ecclesiasticis. Bellarmi. Driedo.

4. Secundo infertur, Editionẽ Vulgatam Latinam esse maximæ, imò prorsus indubitatę authoritatis apud Catholicos. Patet, nam primò eam approbat Concilium Tridentinum suprà. Secundò, si hæc Editio est B. Hieronymi saltem magna ex parte, ut probat optimè Bellarminus lib. 2. cap. 9. habet pro se testimonia illustrissimorum Patrum, quos recenset idẽ Bellarminus cap. 10. *Bellarmi.* Tertiò cũ Ecclesia Latina per tot annos usa fuerit huius Editionis authoritate; & Concilia generalia, in quibus contingere poterit, paucos inveniri peritos aliarum linguarum, probent dogmata fidei adductis ex ista Editione testimonijs, spectabat sanè ad divinam providentiam non permittere, ut scriptor Vulgatæ erraverit, sed potiùs ita illum illuminare, ut nobis reliquerit fidelem translationem sacri sermonis, quem olim in alijs linguis dictavit Spiritus sanctus.

5. Et quidẽ prædicta approbatio Tridentini cõvincit, nihil esse in hac Editione Vulgata cõtrarium fidei, aut bonis moribus, alioqui illud reijcere potiùs quàm recipere teneremur: deinde error est docere, debere mutari aliquã partem huius Editionis, ita ut redderet sensum contrarium, & omnino incompatibilem cũ veritate, quæ in textu habetur. Probatur manifestè, nam Concilium inurit anathematis notam ei, qui pro Canonicis non susceperit omnes istos libros cum partibus suis.

6. Valde tamen notandum est, in Vulgata fuisse hactenus varias lectiones, & aliqua interdum minùs bene prælo mãdata propter librariorum errorem; & tunc qui ex varijs lectionibus quamlibet seligeret, aut propter librariorum incuriam aliquid depravatum agnosceret, non contradiceret isti decreto: modo verò, quia ex omnibus varijs lectionibus unam tãquam probatissimã elegit Sixtus V. in Biblijs Vaticanis editis tempore Clementis, & in fine præfationis istorum Bibliorum prohibitũ sit ad marginem textus alias lectiones annotari, videtur nulli licere privata sua authoritate aliam lectionẽ approbare, aut meliorem iudicare.

Denique qui ante hanc Editionem nimis licentiosi erant in damnandis etiam minutis partibus trãslationis Vulgatæ, aut in eis emendãdis, & illius partibus ut superfluis expungendis, non carent nota audaciæ, & minoris reverentiæ erga Scripturam, quam divino Verbo ante tot sæcula approbato debebatur; ut vero in fide errare iudicẽtur, qui de aliquibus in Vulgata contẽtis dubitaverint, diligenter considerãdum est, quid nomine *partis* intellexerit Concilium in Decreto suprà adducto, & an fuerit illius mens damnare eos, qui unum, aut alterum verbum in rebus minoris momenti, & ad religionem non spectantibus aliter, ac legitur in Vulgata, legendum esse opinarẽtur. 7.
Ego sanè, præsertim post hanc ultimã Editionem, non solùm singulas sententias, sed etiã verba, & minimum quęq; apicem approbare, & venerari vellem. In cuius confirmationem facit, quod refert Turrianus disp. 22. dub. 4. in 2. sententia, scilicet Sũmũ Pontificẽ Gregorium XIII. commisisse Cõgregationi Cardinalium explicationem Canonis Tridentini suprà relati, eamque sic respondisse: *Nihil potest asseverari, quod Latinæ Vulgatæ repugnet, etiamsi sola esset periodus, seu clausula, aut membrum, aut syllaba, iotavè unum.* Quod Turrianus ait hoc tempore esse valde certũ. Pro authoritate Vulgati videndi sunt præter Bellarminum Canus 2. de locis cap. 13. & 14. & Driedo lib. 2. cap. 1. Salmeron in 3. prolegomeno tom. 1. denique Valencia 2. 2. quæst. 1. pũct. 7 quæst. 8. §. 42. ad 1. quantum modestè desiderari posset, locutus est. *Turrian.* *Bellarmi.* *Canus.* *Driedo.* *Salmeron.* *Valenc.*

DISPVTATIO II.

Quidnam de alijs sacræ Scripturæ editionibus censendum sit.

IMPRIMIS quod attinet ad Editionem Hebraicã, verisimile est, & consentaneum ordini divinæ providẽtiæ, permanere adhuc libros legis, & Prophetarum à Mose, & 1.

Prophetis cõscriptos, & non solùm ab Esdra iterum eodem spiritu dictante fuisse in lucem editos. Præterea verum videtur, non esse multum à Iudæis depravatos codices Hebræos Scripturæ, tum quia incredibilis est illorum religio erga Scripturam, ut ex Philone, & Iosepho affert Eusebius lib. 8. de præparat. Evangel. cap.2. tum etiam quia si aliquid depravare voluissent, nihil certè magis corrumperent, quàm præcipua de Christo Domino vaticinia, quod tamen nõ effecerunt. Adhuc tamẽ rectè docet Bellarminus lib.2.cap. 2. ad finẽ cum Driedone, non esse omnino integram, & ab erroribus puram Editionem Hebræorum, maximè cùm facile sit ob litterarum similitudinem errare in illarum immutatione. Adde quòd Ecclesia nõ habet pro authẽtica hanc Editionem, neque ad eam recurrere vult, sed ad Vulgatam, ut fidei veritates confirmet; quàvis non dubium sit, quin valde interdum iuvet ad hanc, & alias versiones recurrere, ut investigentur varij sensus, qui illustrare solẽt loca Scripturæ. Ad hanc Hebraicam reducũtur Chaldaica, & Syriaca, in quibus etsi plura invenientur utilia, non tamen habent omnino firmam authoritatem.

Eufeb.

Bellarmi.

2. Deinde Bellarminus cap.5.lib.2.refert novem Editiones Græcas: potissima est illa, quæ à septuaginta duobus senioribus Iudæorum, iussu Ptolomæi Philadelphi in lucem edita est, de qua Driedo lib.1.cap.2. & Turrianus disp. 21.& alij. Dicendumque breviter est, illam non sine assistẽtia Spiritus sancti factam fuisse, maximæque authoritatis esse in Ecclesia, præsertim ante Editionem Vulgatam, cùm in eo tempore ex illa depromerẽt sancti Patres testimonia in suis libris, concionibus, & disputationibus, quanvis temporis decursu valde vitiata fuerit. Unde Sixtus V. prospiciens venerationi, quæ tam antiquæ Editioni debebatur, eam quàm maximè potuit correctam iussit prælo mãdari, & in eius prooemio hęc scribit: *Volumus, & sancimus, ut vetus Græcum testamentum iuxta LXX. ita recognitum, & expolitum ab omnibus recipiatur, ac retineatur, quo potissimùm ad Latinæ Vulgatæ editionis, & veterum sanctorum Patrum intelligentiam utantur: prohibentes, ne quis de hac nova Græca editione audeat in posterum vel addendo, vel demendo, quidquam immutare.* Hactenus sanctus Pontifex: in quibus non præcipit, ut prædictam lectionem in omnibus certam habeamus; nam cùm ea potissimùm Vulgatæ debeat inservire, quando contrarij fuerint sensus Vulgatæ. & LXX. nõ dubiũ est, quin LXX. omittendi sint, & Vulgato inhærendum. Notantur à Bellarmino nonnulli loci, & inter alios celebris est ille Geneseos 26. ubi enim noster Interpres legit, *invenimus aquam*, LXX. habent cõtradictorium, scilicet, *non invenimus aquam.*

Dried. Turrian.

Sixt.V.

Bellarmi.

Genes.26.

3. Quòd si nulla sit inter has lectiones contradictio, magnæ sine dubio authoritatis est, præsertim post ultimam editionem Sixti, cuius præceptum est, ut nemo eam immutet, sed recipiat, & retineat; quod ita in Ecclesia fit, recurrẽdo tamen ad Vulgatam, ut ad omnino infallibilem regulam: nec enim modò, nec antiquitus habuit Editio LXX. tãtam authoritatem, quanvis in ijs partibus, in quibus olim antiqui Patres cõveniebãt, ut in libro Canonico, habuerit firmitudinem. Atque hoc verum est de Editione Græca testamenti veteris: novũ verò præter Marcum, Matthæũ, & Paulum ad Hebræos, Græcè scriptũ est à suis authoribus; hęc autem editio si in sua prima puritate perseverasset, omnino infallibilem authoritatem haberet, sed quia vitiata est ex parte, ut ostendit Bellarminus lib.2. cap.7. non est omnino infallibile testimoniũ illius semper.

Bellarmi.

4. Tertiò licèt nostri temporis hæretici contendant, Scripturam edendam esse in vulgari sermone cuiuslibet nationis, ut eam omnes intelligant, sapiẽter tamen, & piè Ecclesia id prohibet propter incommoda, quæ inde promanarẽt; sufficit enim verbum Dei scriptum cõtineri tribus potissimis linguis, Hebræa scilicet, Latina, & Græca, quas Dominus suæ crucis titulo affigendo voluit honorare. Vide Bellarminum lib.2. cap.15. & 16.

(:)

DISPVTATIO III.

Quid sit Verbum Dei non scriptum, seu de authoritate, & necessitate traditionum.



1. QVAMVIS antiquiores hæretici Ecclesiæ traditiones reiecerint, ut advertit Canus lib.3. de locis cap.1. ex S. Augustino, & S. Epiphanio hæresi 73. Lutherani tamen sunt, qui in hoc negotium diligentiùs incubuerunt, contra quos doctè, & latè scribunt tum ipse Canus in toto illo libro, tum Bellarminus to.1. lib.4. de Verbo Dei non scripto, Hosius lib.4. adversus prolegomena Brentij, Valencia quæst. 1. pun&t 7. § 43. Bañez, & Aragon ad art. 10. quæst. 1. Nos brevissimè dicemus, quod ad traditionum materiam Theologo Scholastico necessarium, & sufficiens est.

Canus. *Bellarmi.* *Hosius.* *Valenc.* *Bañez.* *Aragon.*

2. Ac primùm quidē traditionis nomē in hac disputatione significat apud Doctores doctrinā, quę nō scripto, sed solo verbo tradita est à primo illius Doctore, licèt posteà ab alijs successoribus scripta fuerit. Rursus traditio duplex est, prior de fide, quæ scilicet continet doctrinam fidei; posterior de moribus, quæ pertinet ad doctrinam morum, seu fidelium institutionem: deniq; tūc dicetur traditionem esse divinam, quādo à Deo, atq; adeò à Christo Domino accepta est immediatè, & huic propriè convenit appellari Verbum Dei non scriptum; tunc verò esse Apostolicam, quādo ab Apostolis manavit; tunc denique Ecclesiasticam, quando post tempora Apostolorum ab Ecclesia docta, & retenta est.

3. Dico primò: præter doctrinam in sacris Biblijs contentam fuerūt in Ecclesia antiqua, & modò etiam sunt aliquæ traditiones tā ad fidem, quàm ad mores spectantes. Conclusio est dogma fidei. Probatur primò authoritate Scripturæ, & Patrum, in quibus mentio fit traditionis tanquam rei spectantis ad fidelium institutionem. 2 ad Thessal. 2. *Itaque fratres tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Vbi S. Chrysostomus hom. 4. *Hinc* (inquit) *patet, quòd non omnia per epistolas tradiderint, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide-digna; quāobrem Ecclesiæ quoq; traditionem censeamus esse fide-dignam: est traditio, nihil quæras ampliùs.* S. etiam Dionysius Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia c. 1 ait, *Primos illos nostros sacerdotalis muneris duces summa illa, & supersubstantialia rerum divinarum partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradidisse.* Et paulo anteà dixerat alia in eiusdem rei confirmationem. Vide innumeros alios Patres apud Bellarminum cap. 7. & Valenciam §. illo 43.

2. ad Thes. 2. *S. Chrysos.* *S. Dionys.*

Secundo probatur ex VII. Synodo Generali, seu Nicæna II. act. 7. in fin. §. ante epistolā Tharasij, ubi hæc veritas ita definitur: *Si quis traditionē Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valētem non curaverit, anathema sit.* Et Tridentinum sess. 4. cùm mentionem fecisset traditionum, quæ sine scripto per manus fidelium ad nos usque devenerunt, ita concludit: *Si quis traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.* 4.

7. Synod. *Trident.*

Tertiò probatur conclusio manifesto discursu: nam imprimis cùm Moses fuerit primus scriptor divinorum eloquiorū, necesse est, Ecclesiam, quæ ab Adamo ad Moysen usque duravit, sine Scriptura cognovisse ea, quæ ad salutē æternam consequendā requirebantur; ergo tunc erant aliquæ traditiones ad fidem, & mores pertinentes. Deinde post latam antiquā legem, quæ Iudaici populi terminis concludebatur, floruerunt alij viri iusti apud alias nationes; ergo ad illorum manus devenerāt antiquæ traditiones, quibus sufficienter instruebantur in fide, & moribus: imo intra prædictum populum necessarium erat aliquod sacramentum, quo fœminæ liberarentur ab originali peccato; cùm ergo illius sacramenti nulla mentio fiat in Scriptura, dicendum est, sola traditione cognitum, & creditū fuisse. Tertiò in lege Gratiæ multa occurrūt, quę in Scriptura nō continēntur, scilicet 5.

Baptismus

Baptismus parvulorum, materia, & forma sacramentorum Ordinis, Pœnitentiæ, & Confirmationis, virginitas perpetua Dei genitricis Marię, imaginum adoratio, ieiunium Quadragesimæ, & alia sexcenta, quæ approbat consensus fidelium; ergo in Ecclesia Catholica admittédę sunt verę traditiones. Quartò ipsius Scripturæ authoritas traditione Ecclesiæ comprobatur; ac postremò cùm apud quamlibet nationem vigeāt consuetudines à maioribus acceptæ, & lóga successione ad posteros devolutæ, non est cur in mētem veniat alicui, non esse firmas traditiones in republica Catholicorum.

6. Dico secundò: divinæ traditiones nó sunt minoris, sed æqualis omnino authoritatis, atq; verbum Dei scriptum. Conclusio etiam est de fide, & probatur manifesta ratione; quia non minoris authoritatis est, quod Deus proprio ore locutus est, quàm quod scriptis mādavit, imò id generale est cuicumque homini, ut non minor fides habeatur verbis, quæ seriò loquitur, quàm scriptis; sed traditiones divinæ sunt ea, quæ Christus Dominus proprio ore locutus est, aut quæ Deus ipse immediatè revelavit, ergo non minoris authoritatis sunt quàm Scriptura; unde non minùs certa fide tenentur Catholici credere propter divinum testimonium veritates, quas traditione didicerunt, quàm si eas scriptas in libris sacris invenissent. ¶ Quod verò attinet ad Ecclesiasticas traditiones, seu ad Apostolicas, quæ ab universa Ecclesia sunt receptę, dicēdum est, eas esse eiusdem authoritatis, quam habent omnia, quæ in fide, & moribus Ecclesia decernit: ostendemus autem in tract. 6. de fide esse, Ecclesiam in eiusmodi rebus errare non posse.

7. Sed obijcies primò: traditiones sunt doctrina, quæ per multa sæcula, & per tot hominum manus ad nostra usque sæcula pervenerūt; ergo cùm homines facilè decipi posśint, aut oblivisci, non potest traditio esse omnino firma, & constans; ergo solùm recurrendum est ad divinum verbum scriptū, ut ad certam regulam. Confirmatur, quia si cōtingat aliquam traditionem nondum esse ratam, & firmam, ut fuerunt aliquę ex illis, quas modo recipit Ecclesia, nulla poterit excogitari ratio, qua cōstet de illius firmitate, nisi fortè Deus illam revelet; quod vix continget. Cōsecutio probatur, nam solùm constare poterit authoritate hominū, qui cùm facilè decipi posśint, nullam afferent traditionibus firmitatem; ergo frustra recurrit Ecclesia ad certitudinem traditionum investigandam.

Respōdeo, imprimis hac obiectione, si quid valeret, convinci nullam esse Scripturæ authoritatem, nam hæc etiā per manus hominum ad nostra sæcula pervenit; & hi possent Scripturam depravare, & alia conficta decipere Ecclesiam; quod tamen ne ipsi impudentissimi hæretici concedūt. Dicendum ergo est, ad divinam providétiam spectare nó permittere, ut in Ecclesia pro vera traditione recipiatur nisi illa, quæ nunquam corrupta est, aut oblivione deleta. Accedit, Ecclesiam summo studio curare, ne fideles obliviscātur; unde Apostolus præcepit Timotheo epistola 1. cap. 6. *O Timothee, depositum custodi.* Præcipit etiam Ecclesia cuiuslibet sæculi filijs suis, præsertim pastoribus, quorum singulis seriò admonet verbis Vincētij Lyrinēsis lib. adversus prophanas vocum novationes cap. 27. ubi explicans prædicti Pauli locū, hæc scribit: *Depositū custodi propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo.* Et paucis interiectis: *Catholicæ* (inquit) *fidei talentum inviolatum, illibatumq; conserva, quod tibi creditum est: hoc penes te maneat, hoc à te tradatur: aurum accepisti, aurum redde.* 8.

1. Ad Timoth. 6.

Lyrinens.

Confirmatio etiam nullius momēti est, nam cùm Ecclesia sit columna veritatis, &, ut infrà ostendemus, errare non posśit, quia licèt constet ex hominibus, regitur infallibili authoritate Spiritus Sancti; inde provenit, posse ipsam à Deo illustratam declarare, quænam traditiones pro ratis, & infallibilibus admittēdæ sint, etiam quando aliqui Catholici dubitarent; sunt autem aliquæ regulæ, quibus tam ipsa Ecclesia, quàm eius filij utimur ad veras, & 9.

Canus. Bellarmi. Valenc. firmas traditiones dignoscendas, de quibus optimè Melchior Canus lib. 3. cap. 4. Bellarminus lib. 4. cap. 9. & Valencia ad finem §. 43.

10. Nos brevissimè has regulas statuimus. Prima est pro traditionibus divinis: Quando universa Ecclesia aliquid observat, sive ad fidem, sive ad mores pertineat, quod non nisi ab ipso Christo Domino institui potuit, tunc certa fide credendum est, id ex divina traditione derivari. Ratio huius rei est, Ecclesiam non posse errare in prædictarũ rerũ approbatione, ut posteà patebit, ergo cùm aliunde observat aliquid, quod ipsa non posset instituere, nec ulla alia creata potestas, certum signum erit, illud ab ipso Deo accepisse: v. g. institutio minorum ordinũ non potuit nisi à Christo Domino fieri, cùm ille solus sit author sacramentorum novæ legis: unde cùm istis ordinibus utatur Ecclesia ab ipso nostræ legis exordio, ut inter alia probat epistola antiquissimi S. Ignatij octava ad Antiochẽses, ubi ait: *Saluto Lectores, Ostiarios, Exorcistas*, &c. non dubiũ est, quin isti ordines à divina traditione profecti sint. Idem dicendum est de alijs, quæ non nisi divina revelatione, aut præcepto constant.

S. Ignat.

11. S. August. Secundam regulam pro traditionibus Apostolicis, expressis, disertisque verbis exhibet S. Augustinus to. 7. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod universa* (inquit) *tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentũ est, non nisi ab Apostolica authoritate traditum rectissimè creditur.* Loquiturq; de rebus etiã, quæ sine divina authoritate potuerunt ab Apostolis præcipi; nam si à solo Deo possent immediatè institui, potiùs ad divinas traditiones pertinerent. Regula ergo sic explicata manifesta est, nam cùm Apostoli fuerint prima veluti fundaméta Ecclesiæ, omnia, quę in Ecclesia observãtur, nec ab alijs promanasse constat, ab Apostolis instituta fuisse putandum est: inter hæc autem cõmemoratur ieiunium Quadragesimæ, quod strictè præcipitur in Canonibus Apostolorum can. 68.

Can. Apo.

12. Ad hanc regulam revocari potest illa, quæ deservit ad agnoscendas traditiones Ecclesiasticas, etiã si post Apostolorum tempora sint institutę. Etenim cùm Ecclesia in his rebus errare non possit, quidquid illa in aliquo sæculo præcipit observari, & posteà per manus derivatur ad successores, recipiendum est tanquam vera traditio.

Tertia regula ad decernẽdum, sitné aliqua traditio firma, & certa, quando fortasse in dubium revocatum fuerit, ex varijs capitibus colligenda est: nam si v. g. foret dubia (quæ nũc certissima est) traditio de perpetua virginitate B. Mariæ, si tũc Ecclesia nostri temporis, Summus Pontifex, aut Concilium Generale, saltem cũ suo capite, inspectis diligenter sanctorum Patrum voluminibus, & fide dignis historijs, comperiret, hanc fuisse antiquam Ecclesiæ receptam doctrinam; & pro data sibi à Christo Domino authoritate declararet, talem traditionem pro certa deinceps haberi debere; tunc cessaret omnis dubitatio, quia Spiritus sanctus eis assistit, ut in tanto negotio non errent, de quo infrà. Ex quo obiter intelligitur, contingere posse, ut aliquid, quod verè à Christo Domino traditum est, decursu temporis revocetur in dubiũ, eò quòd non fuerint diligenter inspecti libri, in quibus mentio fiebat de tali traditione, aut ob aliam similẽ causam: posteà verò diligẽter consideratis historijs, & alijs rebus, cõstet certò de tali traditione, ac proinde Ecclesia definiat, deinceps pro certa habendã esse: ad quod non est necessaria revelatio denuò facta nostris hominibus, sed sufficit antiqua, quæ veluti obscurata erat, & in hoc tempore in lucem editur. 13.

Secundò obijciunt multa Patrum testimonia, quæ sigillatim expendit, & explicat Cardinalis Bellarminus cap. 11. Solùm hic notanda sunt aliqua, quæ valde iuvabunt ad explicationem testimoniorum, quę hæretici nobis opponere possunt. Primũ est, Patres expressè pugnare pro traditionibus, loca verò in contrariũ adducta non nisi per quasdam consequentias videri favere sententiæ hæreticorum, cùm tamen re vera non faveant; patet autẽ maioris authoritatis esse debere expressa testimonia. 14. Bellarmi.

Secundum est, non quia dicant Patres solam Scripturam esse idoneam ad cõfirmationẽ fidei, inferri debere, ab eis reijci veras traditiones, quia cùm istæ quoad substantiam, seu quatenus traditiones divinæ sunt, non sint minoris authoritatis, & appellentur verbum Dei; quod de Scriptura dicunt, intelligi etiam volunt de traditionibus: sicut etiam hæretici, quia solam Scripturam commendant, non negabunt esse verũ, & firmum, quod à Christo Dño dictũ fuisset, etiamsi in Scriptura non contineatur, ut non contineri multa docet
Ioan.ult. Evangelista Ioannes cap. ult. Tertium, & apud me magni momenti est, quod sapienter notavit Valencia respondens ad quartum principale, scilicet quanvis Patres dicant ad solam Scripturam recurrẽdum esse, non ideò excludi traditiones, quia illæ etiam Scripturæ testimonio confirmantur, ut patet ex adductis, & ex alijs.

15. Tertiò obijciunt multa loca Scripturę, nam in quibusdam præcipitur nobis, ne aliquid addamus Scripturæ. Sed planus sensus est, non esse addendum aliquid illi contrarium, traditiones autem potiùs comprobantur authoritate Scripturæ. In alijs, ut Matth. 15. damnantur traditiones: sed ibi solùm fit mẽtio traditionum, quæ non habebãt authoritatem ab Ecclesia, aut erant contra bonos mores. Deniq; in alijs dicitur in Scriptura contineri omnia, quæ
Io.an.ult. sunt necessaria, ut Ioan. ult. videtur Ioannes dicere se scripsisse ea, quæ suf
2.ad Timoth.3. ficiebant ad salutem: & 2. ad Timot. 3. *Omnis Scriptura* (inquit Paulus) *utilis est, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Respondetur facilè, in priori loco Ioannẽ solùm velle se scripsisse ea solùm miracula, quæ sufficiebant ad credendam divinitatẽ Christi Domini, & ut sic credentes vitam æternam consequerentur, si nimirum crederent, & efficerẽt alia ad salutem necessaria. In posteriori verò dicitur omnis Scriptura utilis ad illa omnia, sed non necessaria, neq; sufficiens, cùm non in omni libro Scripturæ sint omnia necessaria, aut sine illo non possint in alijs inveniri.

(?:?)

TRACTATVS SEXTVS de Ecclesia Militante.

PLVRA, quæ spectant ad excellẽtem naturam illius Ecclesiæ, quæ in cælis gloriosa triumphat, dicta à nobis sunt in 1.2. cõtroversia 1. & ad quæst. 12. 1. par. Hoc loco solùm agendum est de Ecclesię Militantis natura, & authoritate, quia eius rei cognitio nobis viatoribus necessaria est, ut in dubijs de nostra fide, & fidelium moribus eam consulamus. Differemus autem hic in universum de ijs, quæ toti Ecclesiæ cõmunia sunt, in sequentibus verò ad illius membra sigillatim descendemus. 1.

DISPVTATIO I.

Quid propriùs nomine Ecclesiæ Militantis significetur, & an ea sit visibilis?

SECTIO I.

Variæ acceptiones huius vocis Ecclesia.

QVONIAM existimo, multa, quæ circa naturam Ecclesiæ disputãtur à Doctoribus, facilè expediri posse, si varias illius acceptiones teneamus, ideò illud ante omnia breviter ostendendum est, quid nimirũ hoc nomen *Ecclesia* significet, quotuplexq; sit huius vocis apud Doctores, & sanctos Patres usurpatio. *Ecclesia* igitur Græcis idem est, quod Latinis *Convocatio*, atq; adeò cœtus convocatorũ; quanvis inde traductum sit nomen ad significanda tẽpla, vel alia loca, in quibus multi sunt cõgregati: rursus licèt ille cœtus possit esse quorumlibet malorum hominum, iam tamen secundũ receptam Doctorum consuetudinem in bonam partem accipitur pro solo cœtu illorũ, qui ad aliquid religiosum, 2.

& ad divinũ cultu pertinens cõvocantur: in quo differt à Synagoga, quæ licèt apud Iudæos congregationẽ illius populi significaret, ex sua tamen ratione quemcumq; etiam pecudũ cœtum potest significare.

3. *S. August.* Tertio magis strictè interdum accipitur pro sola cõgregatione iustorũ: unde S. Augustinus tom. 7. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 18. dixit, *Ecclesiam esse in bonis, non verò in eis, qui ædificant super arenam*, id est, qui audiunt verbum Christi, & non faciunt: & ita intelligit *Cant. 2.* illud Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, id est, Ecclesia mea, seu cõgregatio iustorum inter in-*Turrecre.* iustos. Videatur Turrecremata in Sũma de Ecclesia lib. 1. cap. 2. ubi sexdecim Ecclesiæ acceptiones enumerat, & optime explicat.

4. Quarto magis usitata est apud Theologos acceptio Ecclesiæ pro cõgregatione hominum aliqua ratione fidem profitẽtium, ita ut fideles dici possint. *Lateran.* Sic accipitur à Cõcilio Lateranẽsi sub Innocentio III. cùm in Can. 1. ait, *Vnam esse fidelium universalem Ecclesiam, extra quam nullus omnino salvatur.* Suntq; alia multa testimonia in sequẽtibus adducenda, ex quibus perspicuè pateat hãc esse magis communem, & congruam acceptionem huius vocis *Ecclesia*, in qua proinde à nobis deinceps usurpabitur.

SECTIO II.

Ostenditur Ecclesiam esse visibilem.

5. QVintò advertendum est, dupliciter intelligi posse hanc fidei professionem, quæ necessariò requiritur, ut quis ad Ecclesiã quarto modo sumptam pertinere dicatur. Primò ita ut nemo sit de Ecclesia, qui internam fidem non habeat. Secundò, ut requiratur exterior professio veræ religionis per susceptionem Baptismi, per communionem eorũdem sacramentorum, ac postremò per talem vitæ conversationem, quæ indicet, hominẽ interiùs firmiter credere omnia, quæ vera Christi Ecclesia docet esse credenda. Et quidem ad integrum corpus Ecclesiæ constituendum, utrumq; necessarium est, ut docet divina fides: primum enim cùm vera Ecclesia sit sancta, ac proinde claudat iustos, aliunde verò sine interna fide nullus viator esse possit iustus, sicut nec sine gratia, & charitate, efficitur planè, in integro corpore Ecclesiæ internam fidem omnino requiri.

6. Deinde necessariam quoq; esse externam fidei professionem, ita demõstratur: Ecclesia Catholica est congregatio visibilis, sed non potest esse visibilis sine prædicta externa professione; ergo externa professio est omnino necessaria in integro corpore Ecclesię. Consequentia est evidẽs. Minor etiam probatur, quia quod merè internũ est, non potest reddere Ecclesiam visibilẽ, cùm homines intueri non possint suapte natura id, quod interiùs latet, nisi externis signis manifestetur; hæc autẽ signa nulla alia esse possunt, quàm exterior conversatio, & communicatio sacramẽtorum, quibus veram religionem Catholici profitentur.

7. Superest ostendamus contra impios hæreticos, quos refert Bellarminus to. *Bellarmi.* 1. lib. 3. de Ecclesia Militante cap. 11. maiorem nostri syllogismi, scilicet Ecclesiam esse congregationem visibilẽ, de quo inter alios optimè Petrus Canisius in Catechismo cap. 1. quæst. 18. *Canisius.* Probatur ergo breviter primò authoritate Scripturæ: Isaiæ 2. dum Propheta prædicit fælicem statum Ecclesiæ *Isai. 2.* Militantis in adventu Christi Domini: *Erit* (ait) *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & dicent: venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* In quo loco S. Cyrillus lib. 1. in Isaiam nomine *S. Cyril.* istius montis præparati intelligit Ecclesiam, *Quæ* (ut ipse inquit) *vere est excelsa, illustris, & omnibus ubiq; notissima*: & propterea ubi Vulgatus noster legit: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini*, Cyrillus legit: *Erit spectabilis mons*: & LXX. Interpretes: *Erit manifestus mons.* Quod perspicuè indicat Ecclesiæ visibilitatẽ. Sed illustrius est *Isai. 61.* testimonium eiusdẽ in cap. 61. *Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum*

in medio

in medio populorũ: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dñs. Vbi S.Cyril. Alexand. *Qui* (inquit) *in institutione, & doctrina filij sanctorum extiterunt, propter insignem probitatem, & vitæ pietatem omnibus sunt notissimi.* Quis autem dubitet, eiusmodi sanctos ad Ecclesiam secundum Cyrillum pertinere? Matthæi 5. loquens Dominus de præcipuis Ecclesiæ membris, scilicet Apostolis, & simul de successoribus: *Sic luceat* (inquit) *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Quæ sanè lux adeò manifesta fuit, & modò est, ut rectè dixerit S. Chrysostomus apud Canisium suprà, *Facilius esse solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.*

S.Cyril.

Matth. 5.

S.Chrysost.

8. Secundò probatur ratione, quia aliter sine speciali revelatione non posset homo cognoscere, ubi nam sit Ecclesia, & cui hominum cœtui aggregandus sit, ut in Christi Domini Ecclesia degat, & salutem obtineat: cùm ergo hæc revelatio non fiat ut in plurimum specialibus personis, omnes iure timeremus, versemurne inter oves, & gregem Christi Domini, an inter lupos: ex quo etiam oriretur maxima confusio, & rerum omnium perturbatio, cùm quisq; pro cerebro suo divinare vellet hos, vel illos homines esse Ecclesiam. Confirmatur, quia nullum est regnum, nulla respublica, cuius cõgregatio certis, & visibilibus signis dignosci non possit, & aliter inter homines conversari foret prorsus irrationale; absurdè ergo omnino sentiunt hæretici, qui Ecclesiam invisibilem fingunt, quasi verò non manifestet hoc ipsum illorum insaniam, & sectas alioqui falsas reddat omnino stultas.

9. Sed obijciunt hæretici plura Scripturæ testimonia, quæ facilè explicari possunt: illud solùm videtur non adeò facile, quod desumitur ex cap. 17. Luc. *Regnum Dei non venit cum observatione: nec dicent, Ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos est.* Vbi Christus Dominus Pharisæis interrogantibus quando oporteret venire regnũ Dei, respondet, regnum Dei, id est, Ecclesiam suam non posse aliqua externa nota dignosci, sed esse merè internam, & invisibilem. Respondetur tamen, nomine regni Dei intelligi ab aliquibus primum adventum ipsius Christi Dñi, qui fuit occultus, & absque signis, quæ multis essent manifesta; paucis enim pastoribus, & privatis quibusdam iustis innotuit læta nativitas Salvatoris. Quamvis paulò pòst sermonem cõvertat Christus ad discipulos suos, & de secundo adventu, tanquam de re manifesta loquatur: *Sicut fulgur* (inquit) *coruscans de sub cælo, in ea, quæ sub cælo sunt, fulget; ita erit filius hominis in die sua.* Maldonatus verò priora verba de æterna beatitudine, atque adeò de ultimo adventu intelligit, qui quoniam certò dignosci non potest aliquibus signis, antequàm veniat, dicitur non venire cum observatione. Quod verò addit: *Ecce enim regnum Dei intra vos est*, explicat, ut sensus sit, esse in illorum potestate obtinere hoc regnum, si credant in Christum, qui cum illis loquebatur: Sed ut cumque res habeat, non facit locus iste pro hæreticis, ut ex dictis patet.

Luc. 17.

Maldona.

SECTIO III.

An fides interna sit, quæ constituit membra Ecclesiæ?

10. HActenus docuimus, ad integrum Ecclesiæ Militãtis corpus requiri fidem internam, & externã illius professionem: superest breviter expendamus, an utrumq; sit etiam necessarium, ut quivis in particulari sit membrũ Ecclesiæ. Et quidem non dubiũ est, quin magis perfecta ratio mẽbri petat utrũque, ita enim erit magis conforme suo toti, quod interna, & externa fidei pulchritudine decoratur; quod verò ad aliquam rationem membri spectat, cẽseo quidem solam externam professionem sufficere, ut aliquis dicatur aliqua ratione membrum Ecclesiæ; sicut etiam sine dubio sufficiet interna fides, ut aliquis sit aliquo modo, imò simpliciter fidelis, atque adeò de Ecclesia, quæ iuxta suprà dicta est fidelium congregatio: quæ doctrina valde iuvabit, ut in sequentibus breviter expediamus quæstionem de membris Ecclesiæ.

11. Solùm hoc loco desiderabit aliquis nosse, quidnam præcipuè attēdendum sit, ut aliquis intra Ecclesiam cōstituatur, seu quænam sit potissima Ecclesiæ forma, an scilicet interna fides, an potiùs externa professio. Robertus Bellarminus lib. 3. de Ecclesia Militante cap. 2. & latiùs in cap. 10. contēdit, externam professionē esse præcipuè attendendam in membris Ecclesiæ.

Bellarmi.

12. Mihi tamē longè probabilius videtur, licèt externa sacramentorū cōmunicatio sit magis aspectabilis, potissimum, quod in membris Ecclesiæ attēditur, esse debere fidem internam. Ita sentiunt authores infrà referendi, qui docēt nullum pertinere ad Ecclesiam, si fidem internam non habeat. Probatur primò testimonijs Scripturæ, & Patrū. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hāc petram ædificabo Ecclesiam meā.* Vbi propterea constituitur Petrus caput, & fundamentum Ecclesiæ, quia firma fide crediderat Christi Dñi divinitatē; fides ergo est illud, quod potissimū attenditur in membris Ecclesiæ. Psal. 44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Vbi Regius Psaltes universam Ecclesiæ pulchritudinem in interiori homine videtur cōstituere, non quia in exteriori cōversatione non eluceat, nam propterea addidit, *In fimbrijs aureis circumamictā esse Ecclesiam varietatibus*, ut rectè perpendit S. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 9. sed quia præcipua Ecclesiæ pulchritudo interna est, & externa ab illa derivatur, sicut rivus à fonte. Confirmatur testimonio S. Augustini lib. de unitate Ecclesiæ cap. ult. ubi ait, nihil prorsus referre externā cōmunicationē sacramentorū, ut quis ad Ecclesiam pertineat, si fidem non habeat: *Multi tales* (inquit) *sunt in sacramentorum cōmunione cum Ecclesia, & tamen iam non sunt in Ecclesia.* Quibus verbis licèt non intēdat omnibus modis esse extra Ecclesiā homines prædictos, illud tamē sine dubio dicere vult, quòd scilicet præcipua, & quasi essentialis Ecclesiæ ratio in interna fide constituta sit. Pro quo faciunt etiā alij Patres, qui hæreticos absolutè dicunt non pertinere ad Ecclesiā, quia nimirū licèt exteriùs videantur Catholici, ac proinde imperfecto modo dici possint membra Ecclesiæ, absolutè tamen, seu quoad essentialē rationē non sunt, quia fidem internam amiserunt.

Matth. 16
Psal. 44.
S. Greg.
S. August.

Secundò probatur ratione, nā si externa professio fidei potissimùm esset attendenda, quodlibet membrū Ecclesiæ foret aliquid umbraticū in sola externa specie consistens, & præcipuè requireretur, ut aliquis esset Catholicus, id, quod potest esse merè fictitium, & plenū hypocrisi, quod nimirū quis exteriùs se Catholicum esse dicat, sive re ipsa sit, sive non. Hoc sanè perinde mihi esse videtur, ac si quis dum naturam corporis vivētis explicaret, potissimū diceret vitā corporis sitam esse in externis operibus vitalibus, sive illę oriātur ab interno principio vitæ, scilicet ab anima, sive solùm sint apparētes, ut cùm Angelus in corpore assūpto exercere videbatur operationes humanas; quæ tamen explicatio foret sine dubio parùm exacta. 13.

Atq; ex hoc desumitur tertia ratio à priori, qua perspicuè declaratur natura Ecclesiæ: sicut in viventibus præcipuum, & essentiale est interior anima, à qua ut à radice oriuntur affectiones, & operationes vitales, quæ internā vitā manifestant; ita in corpore mystico, & membris Ecclesiæ præcipuū, & quasi essentiale est interna fides, ex qua ut à radice provenit exterior cōmunicatio sacramētorum, & conversatio propria fidelium, iuxta illud Psal. 115. *Credidi, propter quod locutus sum.* Ex quo ulteriùs concluditur, sicut quādo Angelus exercet externas operationes vitæ in aliquo corpore non habente animam, dicimus illas operationes esse analogicè vitales, & sufficere, ut quodāmodò illud corpus dicatur vivēs, licèt absolutè neq; corpus vivat, neq; operationes illius sint vitales; ita in re, de qua agimus, hęreticum, qui exteriùs se gereret ut Catholicum, dici posse quodāmodò membrum Ecclesiæ, quatenus exercet operationes, quæ secundū apparentiā sunt propriæ Catholicorū, absolutè tamen, & secundū essentialē rationē non esse de Ecclesia, & illius externā professionem non nisi Catholicam analogicè esse, eò quòd ab interna Ecclesiæ forma non promanet. 14.

Psal. 115.

Vnde

15. Vnde tandem infertur, si Ecclesiæ corpus definiendum sit secundum essentialem sui constitutionem, dici debere, *Ecclesiam esse congregationem hominum interna fide coniunctorum*; ij enim sunt, qui propriè appellantur fideles, ut ait S.Augustinus to.3.lib.13.de Trinit. cap. 2. atque adeò eadem est hæc definitio cum illa, quam ex Lateranensi afferebamus: si verò Ecclesia definienda sit secundum id, quod sufficit, ut quis quomodocumque pertineat ad Ecclesiam, *Ecclesia erit congregatio eorum, qui aliqua ratione saltem exteriùs fidem profitentur.* Denique si utrumque complecti velimus, Ecclesia erit congregatio hominum interna fide coniunctorum, & illam exteriùs profitentium.

S.August.

16. Sed contra hanc nostram sententiã obijcit Cardinalis Bellarminus cap.10. longam rationẽ, quæ apud ipsum magni momenti est, & à nobis ad hãc brevem summam revocatur: si potissima, & essentialis Ecclesiæ forma foret interna fides, non esset Ecclesia visibilis, nec certò constaret, ubinam esset vera Ecclesia: consequens est absurdum, ergo antecedens est falsum. Minor, & consequentia sunt certæ. Consecutio verò maioris ita probatur primò, quia propterea Lutherani, & Calvinistæ coguntur concedere Ecclesiam invisibilem, quia licèt signa externa statuãt, dicunt solos iustos ad Ecclesiam pertinere, interna autem iustitia certò dignosci non potest ex signis visibilibus; ergo si ad Ecclesiam propriè solùm pertinent habentes internam fidẽ, cùm hæc ex signis visibilibus certò cognosci non possit, erit etiam Ecclesia Catholicorum invisibilis. Secundò probatur, quia cùm in nullo loco conveniant omnes fideles, & de singulis, qui exteriùs profitentur fidem, non possit certò constare, an habeant fidem internã; nec etiam certum erit, quænam congregatio sit Ecclesia; dicendum ergo est potissimùm attendi debere externam fidei professionem, & eam sufficere, ut certò putetur aliquis ad Ecclesiam propriè pertinere. Tertiò probatur, quia contingere potest, omnes Patres alicuius Concilij Generalis destitui interna fide; ergo si propterea non essent simpliciter membra Ecclesiæ, meritò dubitaremus de authoritate dogmatum, quæ confirmarent, cùm Spiritus sanctus non assistat nisi Patribus, qui sunt partes Ecclesiæ; ergo dicendum est sufficere externam illorum professionem, ut absolutè pertineant ad Ecclesiam.

Bellarmi.

Respondetur negando maioris cõsecutionem, & ad primam probationẽ dico, non propterea Lutheranorum Ecclesiam esse invisibilem, quia interna iustitia est illius forma, nam etiam Ecclesia Catholicorum in quantũ sancta, dicitur, & est visibilis, quia licèt sãctitas proveniat ab interiori iustitia, adhuc sunt externa signa, quibus convincitur esse evidẽter credibile, & evidẽtia morali verum, in Ecclesia Catholica reperiri veros iustos: solùm ergo dicitur illorũ Ecclesia invisibilis, quia non possunt ostẽdere signa, quibus fiat verisimile, illorum congregationẽ esse Ecclesiam, in qua resideat vera sanctitas, aut fides, sed meritò dubitari possit; imò sine dubio ex Scriptura affirmari eos ad Satanæ Synagogam pertinere. Vnde Brentius apud Bellarminũ cap.11. contra eorum Ecclesiam dissetens: *Nobis* (inquit) *invisibilem, solius Dei oculis conspicuam credere Ecclesiam necesse est.* Ad secundam probationem respondetur, non requiri, ut Ecclesia sit visibilis, quod certò constet fidelibus, an iste, vel ille homo; ista, vel illa Provincia habeat internam fidem, ac proinde pertineat simpliciter ad Ecclesiam; sed satis esse, si ex professione externa, & communicatione illorum, quos per totum orbem audimus esse dispersos, idẽ tamen sentire, quod nos sentimus, adiuncta authoritate Scripturæ, & traditione perpetua, colligamus esse evidẽter credibile, in tota hac congregatione esse homines, in quibus sit interna fides: prætereaquamquòd ipse Deus in Scriptura revelavit eam esse veram Ecclesiam, quæ visibiliter obedit Petro, & eius successoribus, sicut ista congregatio obedit sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. unde non solùm est evidenter credibile, sed etiam dogma fidei, congregationem 17.

Brentius.

hanc esse veram Ecclesiam, licet id non sit evidentia Metaphysica verum, sicut nec alia plura dogmata fidei. Quod egregiè notavit Valencia illo punct. 7. quæst. 1. §. 16. Ad tertiam probationem non negamus, eos, qui exteriùs fidem profitētur, esse aliquomodò mébra Ecclesiæ; id autem sufficit, ut eis assistat Spiritus sanctus, ne errent in doctrina fidei, & morum, quando in Cōcilio Generali congregati legitimè procedunt, & adest illius confirmatio; quod ipsum verum esse ostendemus infrà in Romano Pontifice, etiamsi exteriùs hæresim profiteretur, dummodò ab Ecclesia non foret depositus.

Valenc.

11. Accedit ad solutionem huius obiectionis, eam instaurari posse cótra sententiam oppositam, quæ solam externam professionem fidei docet sufficere, ut quis ad Ecclesiam pertineat absolutè. Primùm enim ad hanc Ecclesiā non pertinent nisi veri homines; at neque certitudine infallibili nobis constat ex signis externis hunc, vel illum esse verum hominem, ut Bellarminus ipse rectè notat §. *Sed neutra solutio Certè enim* (inquit) *Abraham, Loth, Tobias, & alij non rarò, homines esse crediderunt, qui Angeli erant.* Deinde non est Ecclesia sine veris Episcopis; at de singulis certò non constat, an sint veri Episcopi, cùm nemo certò sciat, an qui Episcopum baptizavit, & consecravit, habuerit internam intentionem prorsus requisitam, ut quis baptizetur, & consecretur. Sicut ergo dicendum est ad similes instantias, licèt in his, vel illis hominibus simus obnoxij deceptioni, sufficere ad visibilitatem Ecclesiæ, si certò constiterit, in tota hac congregatione esse veros homines, & Episcopos; ita in nostro casu respondendum est, ut suprà respondimus.

Bellarmi.

(:?.)



DISPVTATIO II.

Quinam homines pertineant ad Catholicam Ecclesiam?



1. EX dictis in præcedente disputatione facilè, & brevissimè expediri potest hæc difficultas. Dico ergo primò: infideles non baptizati, qui nullo modo professi sunt interiùs, aut exteriùs fidem Catholicam, non pertinent ad Ecclesiam. Conclusio est communis, & certa, nam Ecclesiæ fundamentum est fides saltem quoad externam professionem, & ad congregationem fidelium non potest pertinere ille, qui nec secundum aliquam apparentiam fidelis est.

2. Dico secūdo: Hæretici baptizati nō sunt absolutè Ecclesię mébra, si interiùs, & exteriùs fidē omnino reiecerint. Ita Turrecremata lib. 1. cap. 6. Bellarminus lib. 3. cap. 4. Canus 4. de locis cap. 2. Probatur primò authoritate sanctorum Patrum, apud quos videtur recepta doctrina, hæreticos absolutè esse extra Ecclesiam; quod ipsum videtur inter fideles Catholicos sine controversia supponi: unde S. Augustinus tom. 7. lib. de unitate Ecclesiæ totus est in probando, veram Ecclesiam non esse apud Donatistas hæreticos: & tom. 3. lib. de fide, & Symbolo cap. 10. *Hæreticos ait non pertinere ad Ecclesiam.* S. Cyprianus etiam lib. de unitate Ecclesiæ, seu de simplicitate Prælatorum: *Qui Ecclesiæ* (inquit) *resistit, in Ecclesia se esse confidit?* Quasi diceret, nullo modo pertinere posse ad Ecclesiam illos, qui Ecclesiæ contradicunt. Vide alia testimonia in Bellarmino suprà. Secundò ratio id persuadet, quia eiusmodi homines omnino se ab Ecclesiæ consortio separare volunt.

Turrecre. *Bellarmi.* *Canus.* *S. August.* *S. Cyprian.*

3. Adhuc tamen quia Baptismum, & illius characterem receperunt, ratione cuius habet Ecclesia iurisdictionem, ut illos puniat, ad suumque gremium redire compellat, dici potest eos secundum quid esse membra Ecclesiæ, quamvis valde imperfecta, ut egregiè

Valenc. *Bañez.* *Castro.* *Caiet.* notaverunt Valentia suprà punct. 7. q. 4. §. 14. versic. *Etsi autem*; & Bañez in fusioribus cõmẽtarijs art. 10. quæst. 1. dub. 1. ad 5. nec aliud voluerunt Castro lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 24. ad 2. & Caietanus to 1. Opusculorum opusc. 1. de authorit. Papæ, & Concilij cap. 22. cùm eiusmodi hæreticos dicũt esse membra Ecclesiæ, ipse enim Caietanus eos appellat membra secundum quid, etiam si sint in inferno.

4. Dico tertiò: hæretici occulti nõ pertinẽt ad Ecclesiam propriè, & simpliciter, seu secũdum essentialem formam, bene tamen secundum quid, seu quoad exteriorem professionem. Conclusio constat ex præcedente disputatione, & ea conciliat varia loca Patrum, & Do-
S. August. ctorum, nam S. Augustinus adductus suprà cùm eiusmodi hæreticos extra Ecclesiam constituit, consideravit formam essentialem Ecclesiæ, quam isti
1. Ioan. 2. non habent, & propterea Ioannes 1. Canon. cap. 2. de illis loquens dixit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.*
Turrecre. Idem voluerunt Turrecremata lib 4. Summæ de Ecclesia punct. 2. cap. 20.
Aragon. paulò ante finẽ illat. 2. & Aragon q. 1. art. 10. concl. 4. dum neminem absque interna fide ad Ecclesiam admittunt. Alij verò dum hæreticos occultos intra Ecclesiam constituũt, consideraverunt externam professionem, quæ est quid minùs præcipuũ in membris Ec-
Canus. clesiæ. Vnde Canus lib. 4. cap. ult. ad 12. eos appellat membra Ecclesiæ licèt
Valenc. arida, quod placet etiam Valenciæ in illo §. 14. versic. *Hæretici tamen non ma-*
Driedo. *nifesti.* Nec dissentit Driedo lib. 4. de dogm. Eccles. cap. 2. pũct. 2. paulò post initium §. *Pro solutione igitur horum.*

5. Dico quartò: omnes, qui exteriùs participant sacramenta Ecclesiæ, & illius caput visibile venerantur, simulq; habent internam fidem, verè, & propriè pertinent ad Ecclesiam, licèt maximis sceleribus cooperti sint. Conclusio est certa apud Catholicos, ut habetur in
Catechis. Catechismo Pij V. in explicatione Symboli. Et quidem quando eiusmodi fideles sunt iusti, non solùm sunt membra Ecclesiæ, sed membra viva, & præcipuæ illius partes, sub quibus etiam comprehendere possumus animos in Purgatorij igne detentos, quia illi adhuc retinent fidem, quamvis iam sint extra Ecclesiam Militantem, præsertim in quantum visibilis est.

Quod verò attinet ad alios fideles, 6.
qui sunt peccatores, quantumvis magni, quidquid Donatistæ reluctentur, docet concors sententia Catholicorum, eos ad Ecclesiam pertinere. Probatur primò ex parabolis Evangelij, in quibus regnum cælorum, id est, Ecclesia Militans comparatur decem virginibus, ex quibus quinque fatuæ erant; & nuptijs, in quibus erat homo sine veste nuptiali, id est, sine charitate. Et Apo-
calyp. 3. Episcopo Ecclesiæ Sardensis *Apoc. 3.*
dicitur: *Nomen habes, quòd vivas, sed mortuus es.* Secundò id ipsum docent san-
cti Patres, sed in speciali S. Hierony- *S. Hieron.*
mus in dialogo contra Luciferianos cap. 8. ubi ait, *in Ecclesia esse vasa aurea, & argentea cum ligneis, & fictilibus, seu*
iustos cum peccatoribus. Et S. Augustinus *S. August.*
de unitate Eccles. cap. ult. ait, *Aliquos, etiamsi sint rami infructuosi, eò quòd mala cupiditate agantur, nondum tamen præcisos esse à radice*, scilicet ab Ecclesia. Tertiò accedit ratio, isti enim homines sunt absolutè fideles, & Ecclesia est fideliũ congregatio.

Sed obijcies multa loca Scripturæ, 7.
in quibus adeò commendatur Ecclesiæ pulchritudo, ut peccatores prorsus
excludi videantur: Cant. 4. *Tota pulchra* *Cant. 4.*
es amica mea. Ad Ephes. 5. dicitur *Ec-* *Ad Eph. 5*
clesia gloriosa, non habens maculam. Isaiæ *Isaiæ 52.*
52. *Non adijciet ultrà, ut pertranseat per te incircumcisus, & immundus.* Quibus testimonijs videntur consentire aliæ sententiæ Sanctorum. Respondetur, interdum sumi Ecclesiam pro solis iustis, ut suprà notabamus, & confirmabamus authoritate S. Augustini; interdum etiam per synecdochen attribui toti, quod convenit ratione solius partis. In primo ergo loco dicitur Ecclesia tota pulchra, quia constat ex iustis, ijsque valde sanctis, qui propterea dicuntur sine macula absolutè, quanvis in leves defectus incidant. In secundo idem
dici potest, quanvis S. Hieronymus ad *S. Hieron.*
finem cap. 31. Ieremiæ id intelligat de Ecclesia triũphante. Tertium locũ explicat optimè S. Cyrillus lib. 5. in Isaiã

ad litteram de temporali persecutione Iudæorum, ut sensus sit, adeò pacata futura omnia in populo Dei, ut nullus infidelis accedat ad illum devastandũ; mysticè verò significatur Ecclesiã non fore ab infidelibus, & dæmone præsertim opprimendam. Ex his locis facile erit aliorum explicationem deducere.

8. Dico quintò: Schismatici, & excõmunicati, quandiu fidem internã retinent, simpliciter ad Ecclesiã pertinẽt. Ita Aragon tract. de Ecclesia concl. 4. Bañez suprà ad 8. id docet de excommunicatis; ad 7. verò ait, schismaticos quoad internam fidẽ pertinere aliqua ratione ad Ecclesiam: Valencia in illo §. 14. ait, non omnibus modis esse extra Ecclesiã. Colligitur apertè ex Castro suprà, qui eo ipso, quòd aliquis sit baptizatus, censet esse membrum Ecclesiæ. Turrecremata etiam lib. 1. cap. 8. ad 6. non omnino constituit excommunicatos extra Ecclesiam. Probatio desumitur ex dictis disputatione præcedente. Adhuc tamen aliqua ratione dicuntur extra Ecclesiam, quatenus schismatici ob inobedientiam separãt se à capite, scilicet Romano Pontifice, & excommunicati non admittuntur ad sacramenta, seu externam cũ fidelibus communicationẽ; & hoc tãtum probãt Catechismus Pij V. & testimonia Patrũ, quæ afferunt Canisius in Catechismo, & Bellarminus cap. 5. & 6. In cap. verò *Pudenda*, & cap. *Chism* 1 24. quæst. 1 ubi videntur schismatici absolutè cõstitui extra Ecclesiam, manifestè agitur de schismaticis hæreticis, qui proinde fidem non habent, ut ibi notavit Glossa.

Aragon. *Bañez.* *Valenc.* *Castro.* *Turrecre.* *Catechis.* *Canisius.* *Bellarmi.* *Gloss.*

9. Dico sextò: Catechumeni, qui licèt internam fidem habeant, adhuc aqua Baptismi non sunt abluti, pertinẽt quidem ad Ecclesiam secundum essentialem rationem, non verò ad illam prout visibilis est. Cõclusionem amplectitur sub his ferè terminis Turrecremata lib. 1. cap. 8. ad 8. & sequitur Valencia suprà, versic. *Catechumeni:* quod ipsum sub alijs verbis afferunt prædicti Doctores ex mente B. Thomæ, scilicet Catechumenos pertinere ad Ecclesiam merito, non numero. Prior ergo assertionis pars probatur, tum ex dictis disputatione præcedente, tum ex cap. *Veniens*, de presbytero non baptizato, ubi dicitur, *Hominem non solùm fieri verum membrum Christi per Baptismum, sed etiã per fidem Baptismi.* Posterior pars constat, quia Baptismus est ianua Ecclesiæ visibilis, & ideò nec non baptizati admittuntur ad alia Sacramenta, nec ab Ecclesia puniri possunt, ut rectè Bañez suprà ad 6.

Turrecre. *Valenc.* *Bañez.*

Ex dictis in hac disputatione inferuntur duo. Primum est, inter membra Ecclesiæ quædam esse viva, in quibus nimirum est vera charitas, & interna iustitia; alia verò appellari mortua, quia licèt aliqualem vitam habeant, eam nimirum, quæ provenit à fide interna, non tamen simpliciter vivunt vita spirituali defectu charitatis. Distinctio hæc fundamentum habet in Tridentino sess. 6. cap. 7. & explicatur ad rem nostram à B. Thoma 3. par. quæst. 8. artic. 3. ad 2. Alterum est, nec solos, nec omnes prædestinatos ad Ecclesiam pertinere. Patet, nam multi ex ijs, qui credunt in Christum, & alij, qui aliquando fuerunt iusti, non sunt ex numero prædestinatorum; hi autem sine dubio pertinent ad Ecclesiã. Contrà verò inter infideles, quibus nondũ prædicatum est Evangelium, erũt prædestinati non pauci, cùm tamen modò nihil habeant, ratione cuius sint membra Ecclesiæ. Vide Bellarminum lib. 3. cap. 7. ubi respondet ad argumẽta, quibus VVicleff, Huss, & Calvinus concẽdunt, ad Ecclesiam solos prædestinatos pertinere: legatur etiam Concilium Constantiense sess. 15. ubi dãnat Ioannem Huss asserentem, Ecclesiam ex solis prædestinatis constare. 10.

Trident. *S. Thomas.* *Bellarmi.* *Cõc. Const.*

DISPVTATIO III.

De notis, & proprietatibus Ecclesiæ Militantis.

De hoc argumento legẽdi præcipuè sunt inter alios Turrecremata lib. 1. Summæ de Ecclesia à cap. 6. ad 30. Canus 4. de locis cap. ult. ad 14. Bellarminus integro lib. 1.

Turrecre. *Canus.* *Bellarmi.*

Valenc. 4. de Ecclesia Militante, & Valencia in illo punct. 7. à §. 16. ad 26. Nos brevissimè, quia inter Catholicos degimus, ostendemus, in ea congregatione fidelium, quę obedit Vrbano VIII. inveniri eas notas, seu proprietates, quæ sufficiant, ut demonstretur evidenter credibile, prædictum cœtum esse veram Ecclesiam Militantem, quod docet fides, licèt non sit Metaphysica evidẽtia comprobatum: & quoniam lis hæc solùm est inter Catholicos, & hæreticos, afferenda sunt ad hanc rem concludẽdam ea principia, quæ ab ipsis necessariò concedantur.

2. Et quidem licèt hæretici varias notas, seu proprietates Ecclesiæ asignẽt, quas optimè reijcit Bellarminus cap. 2. duæ tamen potissimæ enumerantur à sectarijs, scilicet, *veritas fidei secundum doctrinam Scripturæ, & legitimus usus sacramentorum.* Vtriusq; meminit Turrianus ex Calvino li. 1. de dogmaticis characteribus verbi Dei fol. 29. col. 2. imò S. Augustinus to. 7. lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 19. dixit, *Antiquorum hæreticorum scelus putatum fuisse iustitiam propter sacramenta, & Scripturas, quas tenent ad speciem, non ad salutem* Sed ingeniose prof. ctò utramque refutat Valencia §. 18 & optime illustrissimus Martyr Cãpianus in suo aureo libello ad finẽ rationis nonæ; breviterq; refelli potest primò, quia singulæ secta, & nostra etiam religio contẽdũt, apud ipsas esse veritatem fidei secundum Scripturam, & legitimũ usum Sacramentorũ; quarè nisi ulteriùs progrediamur ad ostendendas notas, quibus probetur hæc duo in nobis, aut in illis reperiri, nihil efficitur. Secundò, istæ notæ sunt valde obscuræ, ac proinde prorsus ineptæ ad probandum, & ostendendum, quinam cœtus sit vera Ecclesia: unde enim patebit innumeris penè hominibus, qui ad Ecclesiam accedunt, quæ sit veritas fidei secundũ Scripturam, cuius intelligentiam vix doctissimi post multos annos assequũtur? & quomodò constabit nostrum sacramentorum usum potiùs quàm illorum esse legitimum, si quivis iactat esse legitimum, & res non est evidẽter vera, ut protervi cõvinci possint? Aliæ ergo notæ, aliævé proprietates assignandæ sunt.

S. August.

Valenc.

Campian.

3. Et quidẽ nullæ aliæ notæ clariores, & illustriores assignari possunt, quàm illæ quatuor, quæ habentur in Symbolo fidei edito à Concilio Constantinopol. I. & probato authoritate omnium Catholicorum, quod proinde canitur in Missarum solemnijs: *Credo unam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Affectiones illæ perspicuè patet, nec in alia, nisi in vera Christi Domini congregatione reperiũtur simul sumptæ, ut patebit manifestè ex illarum declaratione. ¶ Vt igitur rem totam declaremus, & simul ostendamus modum, quo hæretici refutãdi, & dogma de veritate nostræ Ecclesiæ confirmãdum sit, hanc argumentationem conficimus: *illa hominum congregatio est vera Ecclesia Christi Domini quæ est una, sancta, Catholica, & Apostolica; sed eiusmodi est congregatio hominum, quæ modò degit in terris sub obedientia Vrbani VIII. ergo ea est vera Christi Domini Ecclesia.* Consequentia est evidens. Maiorem probo: nam primò in divinis eloquijs habetur Ecclesiam esse unam: ad Ephes. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus, unus spiritus, una fides*, &c. Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiã meã*: non dixit, Ecclesias. Quodsi alicubi in sacra pagina Ecclesiarũ fit mẽtio, agitur de varijs partib⁹ eiusdẽ Ecclesiæ; sicut aqua maris aquæ etiã appellantur. Id ipsum ostendunt S. Cyprianus, & S. Augustinus in libris de unitate Ecclesiæ: & ratio id persuadet, nam ut suprà dicebamus, fides est præcipua Ecclesiæ forma, hæc autem non multiplex, sed una est. Secundò, nemo dubitare poterit, in sola Ecclesia vera esse sanctitatem, quia extra eam nemo salutem obtinet, nemo iustus est, sicut & nemo habet veram fidem, *sine qua impossibile est placere Deo*, ad Hebr. 11. propterea enim cõparatur arcæ Noë, extra quam nullus ab orbis inundatione liber extitit. Tertiò vera etiam Ecclesia Catholica est, quia nulla congregatio est tam universalis, ut in probatione minoris uberiùs ostendemus. Quartò tandem vera Ecclesia etiam secundum hæreticos est Apostolica,

Cõc. Const.

Ad Eph. 4.

Matth. 16.

S. Cypria.

S. August.

quia cùm Christus Dominus medijs Apostolis cœperit Ecclesiam suam dilatare, illa profectò erit vera Christi Ecclesia, quę omnino conformis fuerit institutionibus Apostolorum.

4. Venio iam ad probationē minoris, quæ etiā maiorē cōprobabit. Est imprimis cōgregatio hominū obediētiū Vrbano VIII. verè una, duplici ratione: prima, quia omnes, qui in hoc sæculo incipienti ab anno sexcentesimo supra millesimum degunt, habēt idem caput, scilicet Christum Dominum, & eius Vicarium; eandem fidem, quia eadem omnes credunt; eandem externā professionem, quia eisdem Sacramentis utuntur. Secunda, quia usque ad finem mundi sub eadem unitate perseverabit, & ab Adamo ad hoc usq; tēpus habuit eandem fidem, licèt sub diversis externis cultibus; nihil enim Patres antiqui divina revelatione acceptum crediderunt, quod nos non credamus: unde ab Adamo, & Eva, qui, ut ego suppono, gratiam, & fidem ob Christi Domini merita acceperunt, incepit Christi Domini Ecclesia, licèt ab Abel propter insignem eius puritatem, & celebre sacrificium, quod Scriptura cōmemorat, docere soleant Patres, Ecclesiam incepisse, non quidē absolutè, sed quoad maiorem splendorem; id enim tantùm efficiunt ea, quæ congerit Turrecremara lib. 1. cap. 25. qui profectò non plenè satisfacit in cap. 27. obiectionibus, quibus nonnulli Doctores, quos ipse tacito nomine refert, meritò contendunt ab Adamo, & Eva cœpisse Ecclesiam: non dixi autem ab Adamo solo, quia ad Ecclesiam, quæ est congregatio fidelium, non potest unus sufficere.

Turrecre.

5. Deinde Ecclesiam nostram esse sanctam, persuadet primò excellentia doctrinę: nihil de Deo cogitari potest excellentius, nihil hominibus salubrius, nihil rationi magis consentaneū, quàm quod docet hæc nostra Ecclesia; nihil verius, nam Ecclesia errare non potest in rebus, quæ spectant ad fidem, quidquid mentiantur nonnulli hæretici; id enim clarè docet Scriptura, Matthæi ult. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem.* Quod bene ad hāc rē explicat S. Prosper 2. de vocat. Gēt. cap. 2. Ioan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Quod non solis Apostolis promitti, sed in illis etiā nobis omnibus, constat ex loco Matthæi, & ex cap. 17. Ioānis, ubi pro successoribus Apostolorum etiam orat Dominus: imò propterea Apostoli edocti sunt, ut illustrem suam posteritatē docerent; & ita semper veritas permaneret in Ecclesia: unde 1. ad Timoth. 3: Ecclesia dicitur *firmamentum veritatis.* Et id sanè ad Christi Dñi providētiam spectabat, ut in rebus fidei non sineret errare Ecclesiam suam, quod idem est in moribus; unde nec potest Ecclesia quidquam ignorare necessarium ad salutem, nec docere aliquid ut dogma fidei, quod sit falsum; nec damnare ut peccatum id, quod bonū est, vel è contrà: in alijs verò, quæ vel non spectant ad fidem, & mores, vel non definiuntur ab Ecclesia, non est certum non posse errare, licèt piè credendum sit, nunquā omnes simul fideles errare. Intelligo etiam nomine definitionis ea, quæ licèt non sint contra fidem, statuuntur tamen adeò certa, ut oppositum iudicet Ecclesia erroneum, vel temerariū; in his enim notis inurendis errare non potest, ut infrà dicetur. Quòd autem Ecclesia, quæ errare non potest, sit hæc ipsa cōgregatio subdita Vrbano VIII. patet, quia cætera, quæ diximus, & dicemus, illi conveniūt; cur ergo hoc illi denegabitur etiam ab impio, & impudenti?

Matth. ult. *S. Prosp.* *Ioan. 16. & 17.* *1. ad Tim. 3.*

Secundò eandem sanctitatem persuadent tum illustrissimi Martyres, qui ob fidei confessionem vitam cum sanguine libenter profuderunt etiam in nostro sæculo; tum innumeræ religiosorum familiæ, quæ relictis omnibus Christum Dominum secutæ sunt; tum innumeri alij, qui coram oculis huius solis tam piè, tā iuxta Christi Dñi consilia vivunt, ut vix aliquos leves defectus in eis dignoscere possis; tum denique illustris, & honorata tot antiquorum Patrum, & Confessorum, ac Virginum vetustas, quæ iuxta infrà dicenda pertinent ad Ecclesiam nostram, ut planè irrationale sit dubitare, quòd hi pertineant ad congrega- 6.

tionem

tionem, quam Deus sibi in hoc mũdo delegit.

7. Venio ad tertiam Ecclesiæ proprietatem, scilicet eã esse Catholicam, seu universalem; hæc enim mirum in modum declarat, congregationem nostrã esse verum cœtum fidelium. Primùm enim nostra Ecclesia sibi vendicavit nomen Catholicæ, hæreticorum secta non ita. Secundo est universalis ratione sui principij, quia, ut paulò antè tã gebamus, ab ipso mũdi exordio cœpit; sed præsertim quoad maiorem splendorem, & illustrationẽ à tempore Apostolorum, ut citò dicam. Tertiò ratione suæ dilatationis, neminem excludit, si Dei verbo credere velit, non Barbarum, non Scytham, non Regẽ, non mãcipium, non sanctum, non peccatorem. Vide S. Augustinum de unit. Ecclesiæ à cap.6. ad 10. ubi egregiè probat ex Scriptura, nostram Ecclesiam esse veram, quia in ea impletur, quod de dilatatione Ecclesiæ prædictum erat in divinis eloquijs; modoque vident omnes quantum dilatetur apud Indos Orientis, & Occidentis, apud Iaponas, &c. Quartò est Catholica, quia semper duravit, & usque ad finem permanebit; hoc enim est regnum, *cuius nullus erit finis*, Luc.1. hæc Ecclesia, *adversus quam portæ inferi non prævalebunt*, Matth. 16. Vnde videtur dogma fidei permãsurã Ecclesiam à Christo Domino institutã usq; ad mundi finem: de Ecclesia vero ante Christi adventum videtur etiam certum nunquam defecisse, quia semper fuit in mundo congregatio, intra quam esset salus, & quæ conservaret veram fidem; nonnulli verò dicunt id nõ esse de fide, licèt contrarium sit error. S. August.

8. Dices, non constare, nostram Ecclesiam nunquam defecturã, sed id solùm dici de vera Ecclesia, quam quivis hæresiarcha putat esse in suis sectatoribus. Sed id refellitur efficaciter primò, quia nos retinemus eandem fidẽ, quam antiqui, & primi discipuli Salvatoris; ergo quod de illa Ecclesia dicitur, de nostra intelligitur. Secundò, quia in singulis sæculis à Nativitate Christi Domini fuerũt illustres Patres, qui senserint id ipsum, quod nos, ut ipsi hostes nostri, scilicet Centuriatores in sua vana historia perspicuè demonstrarunt, dũ nostros refellebant, ut egregiè notavit Valencia ad finem §. 24. ex nostro Turriano; ergo omnes pertinemus ad eandem Ecclesiã. Sanè multæ hæreses exortæ sunt, & Catholicos vexarũt, sed tandem paulatim sepultæ sunt, semper nostra fides perseveravit. Legatur etiam Iodocus Coccius, qui egregiã sanè meretur laudẽ, eò quod in Controversijs, quæ inter nos, & hæreticos versantur, singulari eruditione ostẽdat, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ ad nos usq; fuisse semper viros, & adhuc esse, qui dogmata, quæ Ecclesia Romana nunc tuetur, testati sint. Valenc. Coccius.

9. Sed obijcies: In Matutinis Feriarum 4.5. & 6. maioris hebdomadæ ad finẽ Laudum sola maxima candela permanet accensa, ut denotetur solam fidem in B.Maria perseverasse; ergo tũc nulla fuit Ecclesia, cùm hæc in uno consistere nequeat, ut suprà dicebamus. Turrecremata lib.1.cap.30. ad ult. cõcedit, in sola Virgine permansisse fidẽ, affertq; pro se S. Anselmum in lib. *Cur Deus homo*; Alexand. 3.par. in exposit. Symboli, & Guillielmum in rationali divinorum officiorum, & licèt loca nõ citet in speciali, id tamen expressè docet Alexander 3.par.quæst.69. memb. 5.art.1. in explicatione illius particulæ Symboli, *Ascendit ad cælos*. Sed non videtur id admittẽdũ ullo modo, tum quia in Iudæis, qui morti Christi Dñi non consenserãt, & alijs, qui procul aberant, cur dicetur defecisse fides? Tum quia id de Apostolis sine fundamento sufficienti asseveratur; unde Melchior Canus cap.5. ad 1. ait improbabilẽ esse sententiam Turrecrematæ, & eam reijciunt etiam Bellarminus, & alij; licèt post lectã semel, & iterum hãc Cõtroversiã, repererim hæc verba in S. Bern. in tra. de passione Dñi super illud Ioãnis: *Ego sum vitis vera*, cap.2. *Sola Virgo* (inquit) *per illud triste sabbathum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola*. Ad fundamẽtum verò ex consuetudine Ecclesiastica desumptum respondet primò, significationem illius esse, Apostolos à fidei cõfessione defecisse, aut in sola Virgine perseverasse fidẽ in suo vigore, licèt in Apostolis imperfecta Turrecre. Alexand. Canus. Bellarmi. S. Bernar.

 perman-

permanserit. Secundo docet, duodecim candelas extinctas significare Prophetas olim occisos; ultimum verò cereum Symbolum esse Christi Domini, qui brevissimo mortis tempore quasi absconditus est, ut citò resurgeret in magna gloria. Alia verò, quæ afferũtur ad probandum ex Scriptura Ecclesiam defecisse, affert Canus, & solvit.

10. Postremò Ecclesia nostra Apostolica est, fundata nimirum supra Apostolos, à quorum tempore usq; ad nostrũ sæculum permanet fides, quam docuerunt; nam si ut hæretici mentiũtur, aliquando post Apostolos cœpit secta Papistarum, & Romani sibi Ecclesiam assumpserũt, cùm iam veram fidem perdidissent, *Quando hanc fidem* (inquit Cãpianus ratione septima) *tantopere celebratam Roma perdidit? quo tempore, q.o Pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis urbem, & orbẽ religio pervasit aliena? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, nova sacramenta, novum religionis dogma provideret? nullus extitit historicus, qui rem tantã vel obscurè iaceret in commentarios?* Signum ergo manifestum est, nostram, & Apostolorum fidẽ, religionem, Ecclesiam eandem esse. Quòd si secũdum nostros etiam adversarios, apud Apostolos viguit vera Ecclesia, eadem sine dubio apud nos viget divino beneficio: quòd si cœlum proprium Catholicorum, seu verorum fidelium præmium est, ut verè est, *Obtestor* (inquit sapiẽtissimus Martyr Campianus ratione 10.) *testor Dei solium, & illud tribunal, ad quod stabo, aut nullũ cœlũ esse, aut nostrorum esse.*

Campian.

TRACTATVS SEPTImus de capite Militantis Ecclesiæ.

CONcors est Catholicorum, & hæreticorum sentẽtia, Christum Dominum non solùm esse caput Ecclesiæ Triumphantis, sed etiam Militãtis; verùm cùm modò degat in cœlis, nec visibiliter regat eam partẽ suæ civitatis, quæ secundum S. Augustinum in libris de Civit. dicitur in terris peregrinari, disserendum est, an sibi substituerit Vicarium, qui in Ecclesiæ gubernatione gerat vices ipsius, & quãta sit illius authoritas in ea gubernanda. Et quidem multa dici posset hoc loco de iurisdictione capitis Ecclesiæ erga homines universi orbis etiam infideles, de potestate condendi leges, de modo, quo Episcoporum authoritas ab Ecclesiæ capite derivatur; sed hæc omnia proprium sibi locum vendicant in alijs materijs; hic solùm quæ sunt propria præsentis instituti, breviter explicanda sunt.

DISPVTATIO I.

An in terris existat aliquod visibile caput Ecclesiæ Militantis, & quodnam illud sit?

SECTIO I.

Ratione ostenditur, debere esse in Ecclesia unum visibile caput.

DICO primò, ut Christus Dominus optima ratione gubernaret Ecclesiam, oportuit sibi deligeret in terris unum visibile caput, atque adeò unum in spiritalibus principem supremum. I. Conclusio, quod ad authoritatem attinet, ex professo probabitur in sequentibus assertionibus; nunc breviter ex ipsa natura optimi regiminis probandum est, oportere esse unum caput, quod consequenter erit visibile, cùm Ecclesia visibilis sit iuxta suprà dicta. Id igitur sic ostẽdo: Regimen Monarchicum postulat, ut unum caput præficiatur integræ reipublicæ, sed inter formas regiminis præstantissima est Monarchia, ergo iuxta illam credendum est Salvatorem nostrum unum caput Ecclesiæ suæ præfecisse. Maior perspicua est, nam sicut Democratia dicitur illud regimen, quod est apud omnem plebem; & Aristocratia illud, quod residet in optimatibus; ita Monarchia est regimẽ unius

principi-

Aristot. principatus. Minorem docet Aristoteles 8. Ethicor. cap. 10. & est communis
Bellarmi. scriptorum consensus, de quo latè Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 2.

2. Ratio etiã persuadet, quia quò regimen à pluribus pendet, eò difficiliùs concordia servari potest; & cùm tot sint sententiæ, quot capita, necesse est omnia perturbari, aut omnium approbari placita, quod est impossibile. Vnde natura ipsa rem hãc satis perspicuè declaravit, cùm unus sit Deus omnium princeps, & ad eius imitationem non solùm in animalibus, ut in apibus, sed etiam in plerisq; regnis unicum caput constituatur. Cùm ergo credendũ sit, à Christo Domino optimam regiminis formam fuisse servatam in institutione Ecclesiæ, quam unicè diligebat, fateamur etiam oportet, ab eo constitutum fuisse unum visibile caput, ut ita regimen esset Monarchicum, quod tamen aliquid habet admixtum Aristocratiæ, cùm ita sit unum caput, ut etiam inferiores prælati, scilicet Episcopi, potestatem habeant in singulares Ecclesias, non delegatam, sed ordinariam, licèt uni Summo Pastori subordinatam.

3. Sed obijciat aliquis: licèt in regnis Hispaniæ, Galliæ, & alijs regimen sit Monarchicũ, non propterea subijciuntur omnia uni regi, sed sufficit ad Monarchiam unitas Principis in quolibet regno; ergo quamvis regimen Ecclesię sit Monarchicum, sufficiet in qualibet Provintia, aut Ecclesia unicus pastor, quin necessariᵒ sit unus Episcopus omnium Ecclesiarum. Respondetur, ad Monarchiam requiri, ut unius regni, seu unius congregationis sit unum caput: cùm ergo Ecclesia sit una, requiritur in illa caput unum, licèt quia regna Hispaniæ, & Galliæ duo sunt, duos quoque reges habeant. Et si rursus petas, cur Ecclesiæ non sint absolutè plures, sicut & regna plura sunt; occurrẽdum est, hanc fuisse Christi Domini voluntatẽ, ut ex dictis patet, quod nobis sufficiẽs est; sed accedit etiam optima ratio, cùm enim regimen Ecclesiæ spirituale sit, totumq; pendeat ab unitate fidei, & charitatis, oportuit strictiùs fideles inter se colligari, ut omnes idem sentirent, nec quisq; in suo sensu abundaret, ad quod sine dubio unitas capitis valde conducit.

SECTIO II.

Beatum Petrum constitutum fuisse à Christo Domino caput Militantis Ecclesiæ.

DICO secũdò: B. Petrus Apostolus cõstitutus fuit à Christo Domino visibile caput totius Ecclesiæ Militantis. Conclusio est ex potissimis dogmatibus nostræ fidei, & latè cõtra hæreticos defenditur, & urgenter probatur à doctissimis quibusque, tam authoritate Scripturæ, quàm Patrum, Pontificum, & perpetui Ecclesiæ consensus. 4.
Legendi sunt inter alios Turrecremata lib. 2. Summæ de Ecclesia, Albertus Pighius Campensis lib. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Canus 6. de locis, Carpensis lib. 14. Bellarminus tom. 1. lib. 1. de Rom. Pontif. à cap. 10. ad finem libri, Ioannes Maldonatus in cap. 16. Matthæi versic. 18. & in cap. 21. Ioan. vers. 17. & Gregorius de Valencia in illo pũct. 7. sępe citato à §. 28. Ego summa brevitate attingam solidissima fundamenta Catholicorum. Turrecre. Albert. Campens. Canus. Carpens. Bellarmi. Maldona. Valenc.

Primum, & potissimũ desumitur ex duplici loco Evangelij, in quorum uno promittitur Petro primatus Ecclesiæ, in altero verò re ipsa confertur. Prior ergo locus est in Matth. cap. 16. ubi cũ Salvator noster discipulos interrogasset, *Vos autem quem me esse dicitis?* & reliquis tacẽtibus, apud quos res hæc nõ erat planè definita, solus Petrus divinitus illustratus respondisset: *Tu es Christus filius Dei vivi*; in præmium tam illustris confessionis, *Ego* (inquit Dñs) *dico tibi*, non Ioanni, non Iacobo, non reliquis Apostolis meis, *quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumq; ligaveris super terrã, erit ligatum & in cælis; & quodcumq; solveris super terram, erit solutum & in cælis. Tu es Petrus*, id est, tu es petra, ut manifestè constare ex Hebræo idiomate, in quo Matthæus scripsit, notant Maldonatus, & alij. *Et super hanc petram*, id est, super te, quem petram appellavi; 5. Matth. 16. Maldona.

alioqui quid elegantiæ, aut necessitatis haberet illa petræ repetitio? Super te, qui meam divinitatem confiteris, tanquam super præcipuum lapidē ædificabo Ecclesiam meam: te constituā principem illius. Ita explicāt innumeri Patres, quos afferunt Maldonatus, & Valencia §. 28. Et licèt S. Augustinus tom.1.lib.1.retract. cap.21. sub dubio relinquat, an nomine petrę ipse Petrus, an Christus intelligendus sit, cōmunis tamen Sanctorum, & ipse cōtextus non sinit iam nos dubitare. ¶ *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Vbi quanvis conferatur Petro potestas ligandi, & solvēdi, quam cæteris Apostolis etiam contulit Dominus, Matth.18. & Ioan.20. maiori tamen excellentia, & iurisdictione confertur Petro, id enim indicat in magis plena, & perfecta significatione nomen *clavium*, quo non utitur Dominus, cùm potestatē reliquis Apostolis cōfert; claves enim regiæ domus in manu sunt supremi custodis. Facit pro hac re locus Isai. 22. *Dabo clavē domus David super humerum eius.* Et Apocalyp.1. dicitur Christus Dominus *habere claves mortis, & inferni.* Vide Caietanum de authoritate Romani Pontificis cap.5. Solùm nota ex ijs, quæ dicemus 3.p. in fine materiæ de Pœnitētia, Episcopos, imò & omnes sacerdotes habere claves, sed non in ea perfectione, & plenitudine, qua B. Petro datæ sunt; idque solùm convinci ex verbis Christi Domini, dum solum Petrum allocutus est.

Valenc. *S. August.* *Isaiæ 22.* *Apocal.1.*

6. Veniamus ad posteriorem locum, in quo Salvator noster implet promissa: Ioan.21. cùm tam Petrus, quàm alij discipuli adessent, Petrum solū ter interrogat: *Diligis me plus his?* ut trinæ negationi trina confessio responderet. Cui Petrus: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Vbi perpende non interrogari Petrū, an Christum diligeret plusquàm discipulos, nec enim interrogatio videretur digna maiestate Christi, cùm parum ad rem pertineret: subdit enim statim: *Pasce agnos meos.* Sanè si ad pascendos agnos adeò sollicitus esset Christus Dominus de maiori Petri amore erga illum, quàm erga discipulos, reliqui etiam Apostoli ad pascendum eligerē-tur, cùm ardentiùs Christum, quā alios Apostolos amarent. Interrogat ergo, an ferventiori amore diligat, quàm reliqui diligebant: erat enim is amor optima dispositio, ut gregis dominici cura illi demandaretur, sicut re ipsa ter demandata est, illis verbis: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*: idem enim est. Quòd aliquid singulare hoc loco conferatur Petro, quis ambigat, nisi impudens hæreticus? nam Ioan.20. collata fuerat omnibus Apostolis potestas ligandi, & solvendi; posteà autem pascere oves iubetur Petrus. *Sed quas oves?* (eleganter interrogat S. Bernardus 2. de considerat. ad Eugen.) *illius, vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit: cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Est ergo secundùm Evangelium B. Petrus unicus pastor dominici gregis, atque adeò caput visibile Ecclesiæ Militantis.

Ioan.21. *S. Bernar.*

Secundum fundamentum complectitur plures B. Petri excellentias, quæ habentur in novo testamento, & planè indicant, illū aliquid præ cæteris Apostolis, atq; adeò prę omnibus fidelibus habuisse. Matth.10. numeratur primus inter Apostolos; non tēpore, quia prior fuit Andræas; sed dignitate. Petrus simul cum Christo Dño tributum solvit, tanquam caput, Matth.17. Pro fide Petri rogatur potissimùm Lucæ 22. & ille fratres cōfirmare iubetur ibidem. Petrus agit de eligendo successore Iudæ, Actor.1. & Ananiam, & Saphirā punit cap.5. Suntq; alia sexcenta, quæ alij latiùs persequuntur. 7.

Tertium deniq; desumitur ex clarissimis sanctorū Patrum testimonijs, qui ex locis Evangelij citatis colligunt Petri primatum. Videantur in Valencia §.34. & Bellarm. cap.25. unde semper hæc veritas ab omnibus Orthodoxis per omnia Ecclesię sęcula stabilita est; in cuius etiam confirmationem faciēt ea, quæ adducemus in conc. 3. 8.

Sed obijciunt hæretici aliqua, quæ suadere vidētur, Petrum reliquis Apostolis fuisse parem, imò aliquibus inferiorem. Primùm enim omniū æqualitas videtur declarata in Evangelio, ubi 9.

omnes

omnes mittũtur à Christo Domino, ut prædicent Evangelium omni creaturę. Deinde Iacobus fuit Episcopus Hierosolymorũ, cùm ille Episcopatus fuerit omniũ nobilissimus: imò Eusebius 2.hist. cap.1. refert ex S.Clemente, illũ fuisse Apostolorum Episcopum constitutum. Tertiò, Paulus absolutè dicitur Apostolus, non verò Petrus; ille ergo excellentior est. Quartò, Petrus multis sceleribus coopertus est, ut constat ex testamento novo; ergo erat indignus Pontificatu.

Euseb.

10. Ad primum respondetur, Apostolos fuisse æquales in Apostolica dignitate, in eo nimirum quòd à Domino electi sunt tanquam fundamenta Ecclesiæ, & iurisdictionem acceperunt in universum orbem: id, quod tantùm voluit S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ, dũ dixit, *Apostolis omnibus post resurrectionẽ tributam fuisse parem potestatem*: uam quòd Petrus fuerit omnium caput, ipsemet ibidẽ testatur, & probat ex Evãgelio; & eodem modo Victor Episcopus Carthaginensis in epistola Synodica, quæ legitur to.3. Concil. in Lateranensi sub Martino I. consult.2. dicit, *Omnes Apostolos pari honoris, & potestatis consortio præditos.* Excelluit ergo Petrus in eo, quòd cęteri Apostoli erãt illi subiecti, non autem sibi invicem; & in eo etiam, quòd Petrus hanc in universum orbem iurisdictionem habuit ex officio, cæteri verò ex delegatione.

S. Cypria. *Victor.*

11. Præter hæc Turrecremata lib.2.cap. 32.33.& 34. latè probat, solum Petrũ ordinatum fuisse Episcopum à Christo Domino immediatè, ab ipso verò alios ordinem Episcopatus accepisse, licèt ordinem simplicis sacerdotis, & Apostolatus dignitatem immediatè omnes accepissent à Salvatore: cui sententiæ subscribunt Bañez obiter in fusiori cõmentario dub.4.§.*Pro quo notandum*, & ex parte Henriquez lib.10.de sacramẽto Ordinis cap.3. §.2.lit.O. & optimè Bellarminus lib.1.de Rom.Pontif.cap. 23. Videturque mihi valde probabilis doctrina. Primò, quia ita servabitur optimus ordo, & verè dicetur, quod Innocentius I. dixit initio epistolæ ad Concilium Carthaginense, quæ est 91. inter epistolas S.Augustini.to.2. *à Petro emersisse Episcopatum, & totam huius nominis authoritatem.* Secũdò, quia Act. 13. Paulus, & Barnabas sunt ordinati ab alijs discipulis, ut etiã habetur cap. *Quod die Dominico*, dist.75. sed præcipuè urget caput *Porrò*, dist. 66. ubi Anicetus Papa ait, *B.Iacobum fuisse ordinatum primum Episcopum Hierosolymitanũ à Petro, Iacobo, & Ioanne*; & inde accepisse Ecclesiã ritum ordinãdi reliquos Episcopos; ergo sicut Apostolus Iacobus fuit ordinatus à Petro, & nõ à Christo Dño immediatè, ita reliquos post adventum Spiritus sancti, ut scribit Turrecremata cap. 32. ratione 9. initiatos fuisse credendum est, cùm eadem sit ratio omnium Apostolorum. Nec probanda est explicatio Valenciæ ad finẽ §.28. dicentis hanc ordinationẽ fuisse solùm designationem quandam iurisdictionis, nam ordinẽ iam susceperat; etenim verbum *ordinari* non significat designationẽ, maximè cùm dicat Pontifex, ex illa ordinatione didicisse Ecclesiã, quomodò Episcopos ordinatura esset. Dices, Petrum Act.1. dũ ageret de eligendo successore Iudæ, attulisse illud Psalmi, *Episcopatũ eius accipiat alter*; sentiebat ergo Iudã ante sui mortẽ, atq; adeò tẽpore cœnæ ultimæ fuisse consecratũ Episcopum à Christo Dño. Sed respõdet Bellarminus, ibi nomine Episcopatus intelligi dignitatem, seu præfecturam.

Turrecre. *Bañez.* *Henric.* *Bellarmi.* *Innoc. I.* *Act. 13.* *Anicet.* *Valenc.* *Act. 1.*

Ad secundũ, Iacobus fuit cõstitutus Episcopus Hierosolymorũ, sed nobilior erat Episcopatus totius orbis. Locus verò Eusebij corruptus est, ut notat, & bene probat Bellarminus cap.26. non enim legendũ est, *Apostolorũ*, sed *Hierosolymorũ Episcopus*; & ita habetur in editione Coloniæ Agrippinæ anni 1570. Tertiũ argumentũ solvunt verba S.Augustini to.7.lib.3. ad Bonifaciũ cap.3. *Apostolus cũ dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, & plus omnibus illis laboravit.* Ex hoc autem patet non inferri Petrũ non esse caput. Ad quartũ si negationem excipias, fortè nõ est in Petro aliud grave peccatũ ex multis, quæ accumulant hęretici; sed esto fuissẽt sexcẽta, cur propterea nõ erit caput si post peccata multa dilexit multùm? 12.

Bellarmi. *S. August.*

SECTIO III.

Statuitur, legitimos Petri successores in Episcopatu Romano, illi quoq; succedere in capitis dignitate.

13. DICO primò: In Ecclesia Catholica admittendus est legitimus Petri successor, qui eius dignitatẽ, & potestatem obtineat, isq; est Pontifex Romanus. Conclusio etiam est de fide ex perpetua Ecclesiæ traditione: omitto illustria testimonia Patrum Græcorũ, & Latinorum, quæ afferunt Bellarminus lib. 2. cap. 15. & 16. & Valencia §. 16. omitto clarissimos Romanos Pontifices, de quibus Canus cap. 4. & Bellarminus cap. 14. quos non est credibile per tot sæcula sibi tantam authoritatẽ usurpasse, nisi ea à Christo Dño legitimè derivaretur: omitto cõsensum Cõciliorum Generalium, & Provincialiũ, de quibus Valencia, Bellarminus cap. 13 & alij, in illis enim agnoscitur unus Petri Vicarius Romanus Pontifex. *Bellarmi.* *Canus.* *Valenc.*

14. Solùm ergo breviter probo conclusionẽ ratione desumpta ex locis Scripturæ suprà adductis: cùm enim Christus Dñs instituerit Ecclesiã perpetuò duraturam, cum qua esset usq; ad consummationem sæculi, & adversus quã portæ inferi non prævalerent, non est ullo modo verisimile, illi præfecisse solum caput, quod citissime defecturum erat; ergo in locis, in quibus Petro cõfert summam in Ecclesia authoritatẽ, non solùm alloquitur Petrum, sed legitimos Petri successores. Sanè qui regnum aliquod confert regi, cùm illi supremam potestatẽ confert, consequenter confert legitimis successoribus; quod in casu nostræ conclusionis præcipuè urget, nam cùm ex 1. cõclusione Christus Dominus elegerit regimen Monarchicũ in Ecclesia perpetuò duraturum, debuit consequenter illi providere caput in perpetuum.

15. Deinde legitimum successorẽ Petri esse Romanũ Pontificem pro tempore existentem, probatur, quia Petrus, ex divina ut creditur revelatione, licèt priùs fuerit Antiochiæ, tandem tamen cathedram fixit Romæ, ibiq; mortuus est; ergo Episcopus, qui Romę post eius mortem eligitur, est legitimus successor eius de iure divino, seu ex Christi institutione, sine qua in re tam gravi nõ decerneret Petrus id, quod statuit, scilicet figere Sedem suam in urbe Roma. De quo vide Valenciam §. 37. ubi probat cum alijs Doctoribus contra Sotum, de iure divino esse, quòd Petri successor sit Romanus Episcopus: & Sanderus lib. 6. de visibili Monarchia cap. 10. Et primò Petrum fuisse Romæ, constat ex 1. eius epist. cap. 5. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone:* quo nomine intelligit Romam, ut gravissima authoritate probat Sanderus. Secundò, Maldonatus in cap. 21. Ioannis versu 17. his verbis graviter contra hæreticos confirmat hanc veritatem: *Historiam proferant* (hæretici) *aliquam bonam, malã, quæ Romæ Petrum non fuisse doceat; nos enim historias omnes, authores omnes, si ea de re mentionem ullam faciunt, testes habemus Romæ fuisse, Romæ fixisse Sedem, Romæ glorioso martyrio vitam finivisse. Quid authores dico? Templa, saxa, ligna, Romæ fuisse testantur.* Hæc Maldonatus. Iam verò si Romæ cathedram ultimò fixit, quis dubitabit nullum potiori iure esse posse illius successorem, quàm Episcopum Romanum? Adde, quod egregiè notavit Valencia §. 38. in solutione 1. argumenti, licèt daremus id, quod planè absurdum est, Petrum scilicet Romæ Episcopum non fuisse, adhuc Ecclesiastica traditione constare, Episcopum Romanum ab illo designatum esse, ut foret successor in universalis Ecclesiæ gubernatione. Facit in confirmationem huius conclusionis, quod latè deducit Sanderus lib. 7. ab initio mũdi semper fuisse aliquod unũ caput totius Ecclesiæ. *Valenc.* *Sanderus.* *1. Petr. 5.* *Maldona.* *Valenc.* *Sanderus.*

16. Sed obijcies primò S. Hieronymũ, qui in epist. 85. ad Euagrium, & habetur cap. *Legimus* dist. 93. hæc scribit: *Si authoritas quæritur, orbis maior est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Vbicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Constantinopoli, sive Rhegij, sive Alexandriæ, eiusdem meriti est, & eiusdem sacerdotij. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit.* *S. Hieron.*

cit. Respondetur, de mente S. Hieronymi dubitari non posse, cùm in epistolis ad S. Damasum omnino agnoscat Sũmi Pontificis Romani authoritatem; unde in epist. 58. *Ego interim clamito, si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.* Sed elegãtiùs in epist. 57. alloquẽs S. Damasum Romæ Episcopum: *Quanquam* (inquit) *tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. Facessat invidia, Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris loquor: ego nullum primũ nisi Christũ sequẽs, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, cõmunione consocior: super illam petrã ædificatam Ecclesiam scio.* Hactenus S. Hieronymus: quare in priori loco, ut notant Canus lib. 6. cap. ult. ad ult. & alij, solùm invehitur contra quandam cõsuetudinẽ, quę ipsi displicebat, quòd scilicet Romæ ad testimoniũ Diaconi Presbyter ordinaretur; & contra quẽdã, qui Diaconũ Presbytero anteponebat. Et quod addit de æqualitate Episcoporum, referendũ est ad æqualitatẽ ordinis, in quo nihil habet peculiare Romanus Pontifex; non ad æqualitatẽ iurisdictionis, quæ in inferioribus Prælatis sæpe est valde inæqualis, nedum in supremo Christi Vicario.

17. Obijcies secundò: Ecclesia confert Romano Pontifici dignitatem; ergo ille non est successor Petri ex iure divino. Confirmatur primò, quia totũ hoc negotium pendere videtur ab humana electione, & est subiectum voluntati Pontificum, qui ad alia loca trãsferre possunt suam Sedem, non ergo ex divino iure Romanus Pontifex est caput Ecclesiæ. Confirmatur secundò, quia in Concilio Chalcedonẽsi actione 15. can. 28. dicitur, *Primatum Episcopi Romani ab ipsis Patribus antiquis derivatũ:* & ibidem asseritur, *deinceps habiturum eadem privilegia Archiepiscopum Constãtinopolitanum.* Imò in Concilio Nicæno I. can. 6. dicitur, *Morem esse, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Vbi videntur hi duo Episcopi esse æquales. Respondetur, ab Ecclesia designari hominẽ, quẽ sibi vult præficere, à Deo verò conferri tunc dignitatem, qua superat omnẽ Ecclesiam. Ad primam confirmationem, modus eligẽdi potest esse varius, & cum permisit Christus Dominus voluntati Ecclesiæ; at supposita electione Canonica, utcumque illa fiat, de iure divino est Pontifex Romanus successor Petri. Neq; Pontifices poterunt transferre Sedem ad alium Episcopatum sine Dei iussu; quod si interdum Pontifices in Gallia vixerunt, nunquam tamen desijt esse Episcopus Romanus, qui in Summum Pontificem eligebatur. Ad secundam confirmationẽ, illud Decretum nullius est roboris, quia statutum est absentibus Legatis Papæ. Vnde act. 16. Lucẽtius Episcopus, & Vicarius Sedis Apostolicę reclamavit, & Leo epist. 51. ad Pulcheriam conqueritur de iniustitia ibi facta cõtra instructionẽ suã.

Chalcedo. Nicænum. Lucentius. S. Leo.

18. Ad Canonẽ Nicæni respondet Carrança, in vetustissimo codice Latino non haberi illud verbum, *Romano Episcopo,* sed *Metropolitano Episcopo.* Sed esto habeatur, sensus est Alexandrinum Episcopum habere potestatem in aliquas Provintias particulares, sicut etiã habet Episcopus Romanus specialem potestatem in aliquas urbes; ubi non negatur generalis authoritas in universam Ecclesiam. Quæ explicatio perspicuè patet ex trãslatione nostri Turriani, quæ habetur to. 1. Concil. fol. 578. can. 8.

Carrança.

SECTIO IIII.

Appendix sectionum præcedentium.

19. POstquàm multis abhinc annis disputationẽ istam absolvi, legi in tomis Conciliorũ multa, & illustrissima sanè testimonia pro primatu B. Petri, & successorum eius in Episcopatu Romano, quæ ad illustrandam doctrinam sectionum precedẽtiũ, & ampliùs eam declarandã, visum est operæ pretiũ ad verbum referre, & in specialem locum adducere. S. Clemens Rom. epist. 2. to. 1. Concil. appellat Petrũ *Patrem omniũ Ecclesiarum, qui claves regni cælestis accepit.* S. Anacletus epist. 1. ferè ad finem: *Si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporũ, vel maiorũ iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam (si appellatum fuerit) referantur; quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris, ut maiores, & difficiliores quæstiones*

S. Clemẽs. S. Anacl.

ſemper ad Sedem deferantur Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus univerſam conſtruxit Eccleſiam, dicente ipſo. tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. Idem epiſt. 2. *Cæteri Apoſtoli cum eodem* (ſcilicet Petro) *pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque principem eorum eſſe voluerunt.* Epiſt. 3. *Hæc ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit; & eminentiam poteſtatis ſuper univerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt.* Et in eadem ait, Petro cõceſſum fuiſſe à Dño, ut reliquis omnib⁹ præeſſet Apoſtolis.

20. S. Fælix. S. Fælix I. Papa, & Martyr epiſtol. 3. quæ habetur to. 1. Concil. fol. 424. *Semper dubia, & maiora negotia teſtimonium ab hac ſancta Sede à tempore Apoſtolorũ, qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, accipere conſueverunt.* S. Marcel. Marcellus I. to. 1. Cõcil. epiſt. 1. *Sedes eius* (ſcilicet B. Petri) *primitus ad vos* (ſcilicet Antiochenos) *fuit, quæ poſteà iubente Domino Romã trãſlata eſt, cui adminiculãte gratia divina, hodierna præſidemus die.* S. Melchi. Melchiades Papa epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Inter Beatos Apoſtolos fuit quædam diſcretio poteſtatis; & licet cunctis par electio foret, B. tamẽ Petro conceſſum eſt, ut & alijs præmineret.* Multa de primatu Romanæ Eccleſiæ, & Conſtantini verè pij, & ſancti Imperatoris magnificentiſsima erga Eccleſiã benignitate, vide tom. 1. Concil. fol. 475.

21. Anaſthaſ. Anaſthaſius in epiſtola ad Marcum Papam, quæ habetur lib. 3. Concil. Nicæni, perſpicuè agnoſcit primatũ Romanæ Eccleſiæ, Marcus. ſicut & ipſe Marcus in epiſt. quã reſcribit. Conc. Nic. Vide lib. 3. Concil. Nicæni unum ex præſtantiſsimis teſtimonijs pro primatu Romani Põtificis. Iulius I. Iulius I. to. 1. Concil. in epiſt. ad Oriẽtales non pauca dicit de primatu Petri, & Romanæ Sedis. S. Athan. S. Athanaſius, & Aegyptij Epiſcopi in epiſtola ad Liberium Papam, quæ habetur to. 1. Concil. fol. 682. *Univerſalis* (inquit) *vobis* (ſcilicet Liberio) *à Chriſto Ieſu cõmiſſa eſt Eccleſia.* Et fol. 685. habetur eorundem egregia epiſtola ad Fælicem Papã II. ubi de eius primatu dicuntur multa; & inter alia, *Ipſa* (ſcilicet Romana Eccleſia) *eſt ſacer vertex, in quo omnes Eccleſiæ vertuntur, ſuſtentantur, relevantur.* S. Damaſ. S. Damaſus epiſtola 3. quę habetur to. 1. Cõcil. optimè de primatu Sedis Apoſtolicæ Romanę diſſerit. Cõc. Vaſẽſ. To. 2. Cõcil. in Cõcilio Vaſenſi II. cap. 4. præcipitur, ut in omnibus Miſsis dicatur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & nomen Papæ in Eccleſia recitetur.

22. S. Leo. I. Leo I. in epiſt. 4. cap. 1. quæ habetur to. 2. Concil. ait, *Epiſcopos à Sede B. Petri Apoſtoli accepiſſe conſecrationem honoris, & illam eſſe magiſtram dignitatis ſacerdotalis.* Epiſt. 44 reſervat ſibi graviores quaſdam cauſas. Theodor. Theodoretus in epiſt. ad Leonem I quæ habetur to. 2. Cõcil. fol. 70. *Si Paulus* (inquit) *præco veritatis ad magnum Petrum cucurrit, ut ijs, qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebãt, ab ipſo adferret ſolutionẽ; multò magis nos, qui abiecti ſumus, & puſilli ad Apoſtolicã veſtrã Sedem currimus, ut Eccleſiarũ ulceribus medicinã à vobis accipiamus.* Et paulò pòſt loquẽs de Eccleſia Romana: *Ea eſt* (inquit) *omniũ maxima, & præclariſsima, & quæ præeſt orbi terrarũ.* Leo vero I. epiſt. 87. ait, *Dignitatem Apoſtolicam in Beatiſsimo Petro principaliter fuiſſe collocatam, ut ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffũderet.* S. Chryſol. Petrus Chryſologus in epiſtola ad Eutichetẽ, Cõc. Chal. quę legitur initio Synodi Chalcedonẽſis, agnoſcit authoritatẽ ſupremã Eccleſiæ Romanæ, ſeu Sũmi Pontificis. Et in actione 3. loquẽs Conciliũ cũ Legato Leonis I. *Veſtra* (inquit) *ſanctitas primatũ tenet ſanctiſsimi Leonis.* Et ita Legati ſũt, qui primi ſubſcripſerunt damnationi Dioſcori. Et poſt actionẽ ſextã legitur epiſtola totius Concilij ad Leonem, in qua petũt ab eo confirmationẽ aliquorũ, quę non erant confirmata, & dicitur Leo præfuiſſe illis, *ſicut caput membris.*

23. Tarraconẽſes Epiſcopi in epiſt. 2. ad Hilarium Papã, eius primatũ confitentur. Gelaſius. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Siciliæ, quæ habetur to. 2. Concil. fol. 435. cap. 1. loquẽs de Romana Eccleſia: *Ubi Dñs* (inquit) *totius Eccleſiæ poſuit principatum.* Eunodius. Eunodius Diaconus Eccleſiæ Romanæ in libello pro defẽſione Symmachi Papę, qui habetur to. 2. Concil. fol. 483. col. 2. ita ſcribit: *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit homines terminare, ſed Sedis iſtius Præſulis ſuo ſine*

quæſtione

quæstione reservavit arbitrio; voluit B.Petri Apostoli successores cælo tãtùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.
Symmach. Symmachus Papa in Apologetico adversus Imperatorem Anasthasium(habetur to.3. Conciliorũ fol.496. *Omnes* (inquit)*Catholici Principes, sive cùm imperij gubernacula susceperunt, sive cũ Apostolicæ Sedis novos agnoverunt Præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent eius esse consortes.* Græci viri in libello, qui lectus est in
Conc. Lat. Concilio Lateranẽsi sub Martino I.consultat.2. qui habetur to.3. Conc.fol.101. ita alloquuntur Martinũ: *Omnium corda post Deum in vos pendent, summũ Ecclesiarum scientes vos caput à Christo Dño nostro præpositum.* Et paulò pòst legitur libel-
Sergius. lus Sergij Cypariensis Episcopi, in cuius initio mirè extollit Papam, & eius supremam dignitatem.

24. Agatho in epistola, quæ legitur in
Agath. VI.Synodo act.4.fol.246.ait: *Cuius authoritatẽ* (scilicet Ecclesiæ) *utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt.*
VI. Synod. Sexta Synodus act. 16.tom.3. Concil.f.363.Agathonem appellat *sanctissimum nostrũ Patrem, & Summũ Papã.* Et in eodem to.3. fol.411. col.2. Boni-
Bonifac. facius Episcopus Moguntinus se subijcit authoritati B.Petri, Gregorij II.&
Gregor. eius successorum. Et Gregorius III.in epistola ad eundem Bonifacium, ibid. fol.422.ait: *B.Petrus Apostolus Episcopa-*
Nicol. *tus principium extitit.* In epistola Nicolai III.ad Michaëlem multa habentur de primatu Romani Pontificis. Rotal-
Rotald. dus Episcopus in epistola, quæ habetur to.3.Concil.fol.956. Romanum Pontificem vocat *universalis Ecclesiæ summũ provisorem:* & infrà ait, *Romanam Ecclesiam esse matrem omniũ Ecclesiarũ.* Tom. 4.Concil fol.50.elegãtissima habetur
Leo.IX. epistola Leonis IX. ubi multa de primatu Ecclesiæ Romanæ. In sess.ultima
Florent. Florentini tom.4. fol. 89. Iosephi Archiepiscopi Constantinopolitani iamiam morituri, habetur illustre testimonium pro authoritate Papæ,& Ecclesiæ Latinæ, quod quidem definitur in litteris unionis. Pius II.in Bulla, quæ refertur in fine tomi quarti Conciliorũ, hæc refert ex S. Bernardo in libris ad *S. Bernar.*
Eugenium III. Papam: *Tu es sacerdos magnus, tu summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus.*

DISPVTATIO II.

Vtrùm Summus Pontifex errare possit in doctrina, quæ omnino ad fidem, & mores spectat?

SECTIO I.

Explicatur, in quo posita sit disputationis difficultas.



Conveniunt Doctores, Sũmum Põtificem posse dupliciter se gerere in alicuius quæstionis definitione: uno modo ut privatum Doctorem, altero ut caput Ecclesiæ; & licèt in utroque sensu habeat nostra disputatio difficultatem, oportet priùs explicari, quid hisce nominibus significetur. Et quidem Valencia supra §.3. ut omittam alios, breviter, & dilucidè dixit, *Pontificem tunc se gerere ut privatam personam, cùm suum de re proposita sensum vellet exprimere, sive edendo librum in lucem, sive in aliqua disputatione, aut aliquo colloquio, nihil curãdo de obliganda Ecclesia ad credendum, aut standũ dicto ipsius, etiamsi in Decretalibus haberetur. Nam* (ut bene Canus lib. 5.cap.5. §.Illud item damus) *non omnia, quæ sunt in Decretalibus, sunt de fide. Tunc verò definire ut Ecclesiæ caput, quando decretum ederet pro universa Ecclesia, quodque vellet à fidelibus indubitanter admitti.* 1. *Valenc.*

Deinde advertendum est, Pontificẽ, dum se gerit ut privata persona, posse sine dubio errare ex ignorantia etiam vincibili in rebus, quæ ad fidem nostrã pertinerẽt, quia non est sufficiẽs ratio, 2.

aut authoritas, quæ suadeat, hoc privilegium divino illi munere fuisse concessum: an autem scienter errare possit, aut ex ignorantia ita affectata, ut fidem amittat, valde controversum est, ut patebit in 3. sect. ¶ Rursus multò certius est, posse Pontificem in rebus Physicis, aut Metaphysicis decipi etiã post longam meditationem, ac proinde quandiu eiusmodi res non proponeret credendas ut à Deo revelatas, non teneri ullo modo fideles illius sententiam amplecti, cùm ad Ecclesiæ utilitatem nihil omnino referat, verè, an falsò in eiusmodi quæstionibus Pontifex opinetur.

3. Praeter hæc optimè notarunt Canus 6. de locis cap. ult. ad 4. Valencia, & alij, duo consideranda esse in Decreto Pontificis, etiam quando se gerit ut caput Ecclesiæ: unum est potissimum negotiũ, quod definitur, seu res ipsa, quã explicandam, & decernẽdam assumit; alterum est ratio, aut authoritas ad illius rei confirmationem obiter adducta, seu aliquid, quod obiter ex propria sententia asseverat. Et quidem in hoc secundo non repugnat errare Pontificẽ, quia cùm non sit id, de quo agitur, & quod contẽdit proponere Ecclesiæ, non est unde sufficienter probetur illi assistere Spiritum sanctum, ne in eiusmodi negotijs decipiatur: unde Nicolaus Papa in cap. *A quodam Iudæo*, de cõsecrat. dist. 4. cùm potissimùm interrogaretur, an Baptismus à Iudæo collatus esset validus, rectèque respondisset affirmanter, obiter dixit Baptismum in nomine Christi collatum valere, quod tamen falsum est, nã sine Trinitatis invocatione verus Baptismus conferri nõ potest; imò nunquam collatus est, ut in materia de Baptismo latè probabitur.

Canus. Valenc.

Nicolaus.

4. Deniq; notandum, in quæstionibus solius facti non esse infallibilem authoritatem Pontificis, v. g. in damnando aliquo Episcopo, qui ex falsa informatione crederetur nocens: unde non est in præsenti difficultas nisi de quæstionibus iuris, quæ scilicet spectant ad fidẽ, vel mores Ecclesiæ; nã in alijs, quæ merè pendent ex informatione humana, nulliꝰ momẽti est ad utilitatẽ totiꝰ Ecclesiæ quòd Papa non decipiatur.

De tribus igitur disputãt Doctores. Primum est, an Pontifex ut caput Ecclesiæ errare possit in eo, quod potissimũ definire contendit. Secundum, an ut privata persona ita errare possit, ut fidem amittat, & sit hæreticus. Tertium, an ex hypothesi, quòd in hæresim laberetur, amitteret Põtificiam dignitatẽ, nõ verò in ullo alio evẽtu. Hæc ergo in tribus sequentibus sectionibus breviter à nobis expedienda sunt. 5.

SECTIO II.

Pontificem errare non posse in doctrina fidei, & morum, dum aliquid definit ut caput Ecclesiæ.

DICO primò: Dum Summus Pontifex ut caput Ecclesiæ definit aliquid omnino pertinens ad fidem, aut mores, non potest errare. Conclusio est contra hæreticos, & ex parte contra nonnullos Catholicos, ut videbimus: sed eam amplectuntur B. Thomas in art. 10. ubi bene Caietanus, Bañez, & Aragon ex professo, Valencia in illo punct. 7. §. 39. 40. & 41. Canus 6. de locis, Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice à cap. 3. & alij multi, in quibus latè videri possunt fundamenta Catholicorum. Ego breviter probo primo ex verbis Christi Domini, Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Vbi cùm priùs Salvator noster discipulos omnes alloqueretur, ad Simonem convertitur, & cùm eum de tẽtatione, & vexatione, quam à dæmone perpessuri erãt omnes Apostoli, cõmonuisset, *Ego* (inquit) *rogavi pro te*, scilicet tanquam pro capite, & fundamento Ecclesiæ meæ, *ut non deficiat fides tua*, quæ est fundamentum spiritalis ædificij; propterea autem fidem tuam omnino firmam, & indeficientem esse volo, ut tu, non alius pro te, *aliquando conversus cõfirmes fratres tuos.* Vbi Maldonatus sapienter notat, hanc esse vim huius sententiæ: *Sicut ego te confirmavi, ita tu quoq; conversus, id est, similiter, seu iterum quando, & quoties opus fuerit, confirma in fide fratres tuos.* Ex quibus verbis tria colligit Ecclesia Catholica. Primum est 6.

S. Thomas. Caiet. Bañez. Aragon. Valenc. Canus. Bellarmi. Luc. 22. Maldona.

quod

Leo IX. quod observavit Leo IX.in epistola ad Petrum Antiochenum, scilicet sermonem esse cum solo Petro, seu cũ capite Ecclesiæ,non cum alijs; quod certe satis indicat illa tam iterata pronominis repetitio. Secũdum,ad Petrum,& eius successores pertinere confirmare fratres,id est,fideles in fide. Tertiũ,quod ad id ritè præstandum requiritur,scilicet quòd nunquam errare posit, dum fidem docet,& dogmata credẽda proponit Ecclesiæ: quod ampliùs confirmabunt dicenda in sectione sequente.

7. Secundò probatur testimonijs sanctorum Patrum,quæ in citatis legi possunt. Tertiò ex praxi Ecclesiæ, in qua damnati sunt errores à Romanis Pontificibus; & propterea Catholici credũt,eos esse verè errores. Quartò,quia Concilia petunt à Summo Pontifice cõfirmationem, quia scilicet sentiũt eam esse infallibilem,& ideò habita confirmatione nullus Catholicus dubitat de Conciliorum Decretis: signũ ergo est, Summum Pontificem errare non posse.

8. Sed quoniam sub generalibus verbis nostræ conclusionis multa continẽtur,oportet ad singula brevissimè descendamus,ut inde magis perspicua sit illius veritas,& certitudo. Imprimis quando rem,de qua inter fideles dubitatur, Pontifex definiret,ut dogma credendum fide divina,sine dubio certum est,illum errare non posse,nam tũc Ecclesia tenetur credere illud tanquam pertinens ad fidem;si autem non constaret certò,Papam errare nõ posse, nec etiam certò constaret de veritate rei, quam definit, & consequenter nec omnino obligaretur Ecclesia ad eam credendam. Vnde Aragon in tract.de Sũmo Pontifice existimat,licèt conclusio in hoc sensu non sit de fide, esse tamen ita certam,ut oppositum sit errori proximum: Bellarminus cap.2. in fine ait, contrariam doctrinam esse omnino erroneam,& hæresi proximam: Valencia conclusionem nostrã esse de fide: Melchior Canus lib.6.cap.7. §. *Sed quæris*, & §. *Nicolaus*, & Bañez in breviori cõmentario dub.2.cõc.4 dicunt,id posse in Concilio Generali definiri ut rem de fide;satisq; ostendunt, apud illos cõtrariam esse hæreticam; imo ita videtur docuisse Leo X.in Bulla contra Lutherum,quæ habetur to.5. Concil.fol. 194. ibi enim damnatur Lutherus,qui inter alios articulos dixit, non esse in potestate Papę statuere articulos fidei, nec esse hæresim sentire aliquid cõtra sententiam Papæ,& maioris partis Ecclesiæ. Atque hæc postrema censura mihi magis placet, adeò ut non mirari non possim non solùm aliquos Parisiẽses Theologos,sed etiam Adrianum in 4. in quæst.de confirmat.artic.3. ad 2. principale,& Castrum 1. contra hæreses cap.2. asseruisse, Pontificẽ in rebus fidei definiendis errare posse.

Aragon. *Bellarmi.* *Valenc.* *Canus.* *Banez.* *Le X.* *Adrian.* *Castro.*

9. Secundò, quando ageretur de dogmate,quod iam certo constat universę Ecclesiæ,eo quòd perspicuũ sit in Scriptura, aut olim ab alijs definitum sit, Turrecremata lib.2.cap.112. ad 7.argum. supponere videtur,non repugnare quod Pontifex erret,& velit alijs suũ errorem obtrudere;& Valencia §.40. obiect.3. id non reputat improbabile; quamvis Turrecrematæ authoritas nõ sit ad rem,existimat enim ipse,iam tũc non esse Papam, quia hæreticus eò ipso cadit à dignitate. Sed sanè quidquid sit de alia graviori censura, mihi non videtur probabile, ita in eiusmodi rebus posse Pontificem errare, ut eas definiat,seu Ecclesiæ credendas proponat. Primò,quia Christus Dominus rogat,ne deficiat fides Petri, & successorum eius, & sancti Patres id sine ulla limitatione intelligunt,sicut & sine limitatione in Evangelio dictum est. Secũdò,quia licèt tunc Ecclesiæ non immineret periculum errandi, eò quòd iam certa esset de veritate, adhuc tamen valde incommodum esset, quòd ex cathedra Petri hæresim doceremur, quã fortasse alij,imò & multi amplecterentur, sicut Lutheri, & aliorum minoris notæ hominum sectas amplexi sunt;foretq; tunc hæreticorum caput,qui Ecclesiæ Christi Domini caput est.

Turrecre. *Valenc.*

10. Tertiò, ut Pontificis definitio sit infallibilis, non est necesse, quòd dogma sit necessarium ad salutem, id est, sine cuius cognitione homo nequeat salutem æternam obtinere;sic enim nihil deinceps posset infallibiliter Pon-

tifex definire, cùm iam de rebus ad salutem necessarijs planissimè constet fidelibus; intelligenda ergo est cóclusio de quocumq; dogmate, quod tanquã à Deo revelatum proponitur, & in eo sensu est de fide nostra assertio. ¶ Vbi obiter advertendum est, posse à Pontifice aliquid definiri tanquam de fide, interdum verò tanquam conclusionem Theologicam, aut tanquam ita receptum, ut contrarium sit scãdalosum, vel temerarium. Et quidem quando in definitione dicit, illud dogma esse apertè in divinis litteris, esse perpetuam Ecclesiæ traditionem divinitus acceptã, oppositum sentiẽtes hæretico falli spiritu, aut anathematis notã illis inurit, sine dubio id definit ut de fide; quãdo verò excommunicaret oppositum sentientes, aut illos tanquam nimium audaces reprehenderet, non videretur id definire de fide, quanvis nec tunc errare posśit Pontifex ullo modo.

11. Quartò quod attinet ad morum doctrinam, non minùs certũ est, non posse definiri à Pontifice esse bonũ id, quod peccatũ est, quàm est certum non posse errare in doctrina fidei, cùm etiam ad fidem pertinere posśit credere, an hoc sit peccatum, vel non: unde non potest definire usuram non esse peccatũ, &c. Et quanvis demus, interdum posse à Pontifice ferri legem minùs utilem, aut prudentem; non tamen id indicandum facilè est, nec in eiusmodi potest aliquid præcipi Ecclesiæ, quod sit peccatum: quid enim absurdius, quàm in Ecclesia, quæ est columna veritatis, & exẽplar sanctitatis, sanciri aliquid malũ, ut ab omnibus fidelibus executioni mandetur? Adhuc tamen Canus lib. 5. cap. 5. §. *Sed an sit hæreticum*, non audet hæresis notam inurere asserẽtibus, posse errare Ecclesiam in aliqua mala consuetudine circa rem, quę non sit ad salutem necessaria, quia non propterea erraret in fide: sed tamen certum est in hoc decipi non posse. *Canus.*

12. Contra conclusionem hactenus explicatam, & confirmatã obijci possunt primò varia Pontificũ decreta, in quibus errasse videntur: sed omnibus respondent optimè Canus lib. 6. cap. ult. Valencia ad finẽ §. 41. & Bellarminus lib. 4. de Rom. Pot. à cap. 8. ad 14. ubi ab omni suspicione erroris vindicat quadraginta Pontifices, qui possent ab hæreticis accusari. Videndus etiam est Albertus Pighius lib. 4. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 8. etenim omnia, quæ opponuntur, vel falsò adscribuntur Pontificibus, vel ab eis nõ sunt definita tanquam id potiśsimum, quod Ecclesiæ proponere voluerunt. *Canus. Valenc. Bellarmi. Albert.*

13. Obijcies secundò: Vt Pontifex non decipiatur in ijs, quæ definit, oportet consulat viros doctos, & maturè se gerat in tanto negotio; sed potest sine cõsilio, & matura consideratione aliquid definire, ergo potest etiam errare. Respondet Valencia §. 40. obiect. 6. sive Pontifex consulat viros doctos, & prudenter se gerat, sive non, errare non posse, quia ad Dei providentiam spectat non permittere, ut in definitione decipiatur, licèt ipse peccare posśit, eò quòd debitam diligentiam non adhibeat. Sed mihi hæc solutio displicet primò, quia si verum esset Pontificem rectè definiturum, quanvis diligẽtiam non adhiberet, non peccaret, nec imprudenter se gereret nullum consulendo, nam prædictum consilium solùm requiritur ad indagandam veritatem, & ne subrepat error ob immaturam definitionem; si autem sine illa errare non posset, nulli periculo se exponeret Põtifex, ac proinde non peccaret neminẽ consulendo. Secundò, quia divina providentia suaviter omnia disponit, ac proinde licèt aśsistat Pontifici, ut non decipiatur, aśsistẽtia tamen accommodata est humano definiẽdi modo; non ergo excludit, sed postulat potiùs consilium, & debitam diligentiam. Meliùs ergo Canus lib. 5. cap. 5. ad 2. & Bañez in brevi. cõment. dub. 2. ad 3. respondent, eò ipso quòd Deus aśsistat Pontifici, ne decipiatur, aśsistere etiam, ut debitam diligentiam adhibeat, & ex certitudine illius primi inferri certitudinem istius secũdi. Et si roget aliquis, an ista propositio conditionata veritatem habeat: *Si Pontifex aliquid definiret absq; debito examine, posset errare*; ego sanè eam absolutè non concederẽ, sed cùm hypothesis sit imposśibilis, dicerem ex illa inferri utrumq; cõtradicto- *Valenc. Canus. Bañez.*

rium,

rium, scilicet posse errare, & non posse errare: sicut enim si quis roget, *an si homo esset equus, esset irrationalis*, respondendum foret, utrumq; inferri ex illa hypothesi impossibili, scilicet esse irrationalē, quia id est de essentia equi; & non esse irrationalem, quia id est cōtra naturam hominis; ita in proposito, si Pontifex per impossibile definiret non adhibita diligentia, errare posset, quia immaturè definit; & non posset, quia Deus illi semper assistit.

SECTIO III.

Probabile esse, nunquam Pontificem Romanum ita errasse, aut erraturum esse, ut fidem amittat.

14. VT certum omnino est, Pontificem quatenus est caput Ecclesiæ, nihil illi credendū proposuisse, quod falsum sit, si ad fidem, & mores pertineat; ita controversum est, an ille tanquam privata persona possit recedere à vera fide, credendo pertinaciter aliquid contra id, quod Deus revelavit: nam multi graves Doctores partem affirmantē amplectūtur, scilicet Castro, & Adrianus suprà, Driedo lib.4. de Ecclesiast. Dogmat.cap.3 punct.3. Canus 6.de locis cap.ult.ad 11. Turrecremata lib.2. cap.112. Sotus in 4.dist.22.quæst.2.artic.2. Bañez in brevior.cōment.dub.2. concl.1. Turrianus disput.16.dub.1. & Aragon in tract. de Summo Pontifice, ubi ait, oppositum esse errori proximū: quod minùs considerate dictum est, ut ex sequentibus patebit.

Castro. Adrian. Dried. Canus. Turrecre. Sotus. Bañez. Torres. Aragon.

15. *Adrian.* Probat Canus primò ex historijs, quia ut omittamus alios Pontifices, nō videtur Honorius Papa I. excusari posse ab hæresi Monotelitarum, cùm tanquam hęreticus damnetur in aliquibus Concilijs, & à Pontificibus. Secundò probat ex Can. *Si Papa*, dist. 40. & alijs, in quibus dicitur, in solo casu hæresis posse Papā à suis subditis iudicari; sentit ergo Ecclesia, illum posse esse hæreticum. Tertiò, quia sine ullo fundamēto affirmatur, eò ipso quod quis in Pōtificem eligatur, ita confirmari à Deo in fide, ut illam amittere non possit.

16. Dico tamen secundò: Pia, & probabilis sententia est, nullum Pontificem Romanum defecisse, aut in posterum defecturum esse à fide, etiam ut privatam personam. Ita sentiunt Albertus Pighi⁹ lib.4. Ecclesiast. Hierarch.cap. 8. Cardinalis Hosius lib.2. contra prolegomena Brentij, Cardinalis Bellar. lib.4.de Rom.Pontif.cap.6. Simancas de Cathol.instit. tract.45.nu.23. id ipsum docere videtur, & Ioannes Maldonatus in cap.22. Lucæ vers.33. ¶ Probatur primò ex illis verbis Christi Dñi Lucæ 22. *Simon, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Vbi propterea videtur Petrus in fide confirmatus, ut fratres cōfirmet ex officio pastorali: sicut ergo ex hoc loco colligitur Petrum nō amisisse fidem, ut rectè cōcedit Lutius Turrianus cum Bellarmino, imò cum sanctis Patribus, quos refert; ita colligetur non amissuros illius successores, quibus idem munus confirmandi fratres incumbit. Certè infallibile iudicium in definiēdis fidei controversijs, quod habet Pontifex, ex hoc loco colligitur, quia quod dictū fuit Petro, cōsequenter successoribus dictum creditur; ergo quod dicitur Petro, scilicet nunquam à fide defecturum ut privatā personam, dicitur etiam eius successoribus; cur enim quod Evangelista non limitavit, à nobis in tanto negotio limitandum est? cùm præsertim Patres, & antiqui Pontifices hunc locum explicantes, prædictam limitationem non adhibuerint, sed potiùs nobis adstipulentur, ut iam patebit.

Albert. Hosius. Bellarmi. Simanc. Maldona.

Secundò ergo probatur testimonijs Patrum, nam Lucius I. Papa, & Martyr in epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ, quæ habetur tom.1. Concil.fol. 394. ferè ad finem loquēs de Romana Ecclesia: *Hæc* (inquit) *à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit*: idque probat ex prædicto loco Evangelij. Quis autem dubitabit, si Pontifex foret hæreticus, hæresimque manifestaret alijs, etiamsi nihil definiret, verè dici posse errasse, & hæreticis novitatibus depravatum fuisse? Sentit ergo sanctus Pontifex, nō posse Romanum Pontificē à fide deficere. Similiter 17. *Lucius I.*

Hormisd. Hormisda Papa in epistola 2. ad Episcopos Hispaniæ, quæ habetur tom. 2. Concil. *In Sede*(inquit) *Apostolica extra maculam semper est Catholica servata religio.* Et Agatho Papa in epistola, quæ legitur in VI. Synodo actione 4. *Hac* (inquit) *Apostolica Ecclesia nunquã à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est.* ¶ Deinde Leo IX. in epistola ad Petrum Episcopum Antiochenum, quę habetur to. 4. Concil. fol. 66. explicans prædicta verba Luc. 22. *Venerabilis*(inquit)*& efficax oratio* (Domini scilicet, & Salvatoris nostri)*obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius.* At si Honorius, si Liberius, si alij Romani Pontifices hæretici fuerunt, & alij fidem amittere possunt, quo pacto verum est Petri fidem nec defecisse, nec defecturam esse in throno illius? Certè, qui hæreticus est, absolutè deficit à fide; ergo cõtra Leonem Papam sentiunt Doctores contrariæ sententiæ. Nec ex contextu potest ullo modo patere illũ loqui de Romano Pontifice, in quantũ aliquid definit; nec propriè loqueretur, si aliquid aliud vellet, quàm quod nostra conclusio affirmat. S. Bernardus etiam in epistola 191. ad Innocentium initio ait, *In Romani Pontificis cathedra non posse fidei sentiri defectum: cui enim alteri dictũ est, Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?* Favet S. Irenæus lib. 3. cap. 3. ubi ait, *In Ecclesia Romana conservatam fuisse usque ad sua tempora traditionem Apostolorum.*

Agatho.

Leo IX.

S. Bernar.

18. Tertiò probatur ratione, quia cùm Deus suavi providentia gubernet omnia, & aliunde valde violentum sit, non posse definiri falsum dogma ab illo, qui hæresim pertinaci animositate defendit, consentaneum omnino videtur, ut Deus, qui id facilè præstare potest, non patiatur, ut is, qui semper veritatẽ definire debet, & Ecclesiam docere, in hæresim labatur.

19. Ad primũ, Bellarminus suprà à cap. 8. Hosius, & Albertus Pighius optimè liberant omnes illos, & alios multos Pontifices à calumnia hæresis, & præsertim pro Honorio scribunt tum isti, tum multi alij gravissimi, quos affert Bellarminus cap. 11. ad 7. Itaq; probabilissimè suspicamur corruptas esse eas partes Conciliorum, in quibus Honorius damnatur. Videantur optima argumẽta pro hac re in Doctoribus citatis. Solùm adverto, Agathonem in epistola suprà relata asserere, *cunctis esse cognitum, quòd prædecessores sui confidenter semper confirmaverint fratres in fide.* Quod profectò non diceret, si prædecessor ipsius Honorius fuisset hæreticus, maximè cùm scribat ad Conciliũ, in quo damnatus est error Monotelitarum, qui ipsi Honorio imputatur. Ad secundum nego consequentiam; sed quia non est certum, Papam non posse esse hæreticum, sapientissimè providit Ecclesia, quid in eo eventu faciendum esset. Ad tertium satis patet ex dictis. Agatho.

SECTIO IIII.

An ex hypothesi, quòd Summus Pontifex esset hæreticus, caderet à dignitate, aut necessariò requireretur depositio?

DICO primò: Verus, & indubitatus Pontifex amittit dignitatem suã propter hæresim, & non propter aliud delictum. Conclusio est communis, de qua inter alios optimè Caietanus to. 1. opusc. tract. de authoritate Papæ, & Concilij, à cap. 25. & expressa est in cap. *Si Papa*, dist. 40. ubi Bonifacius Papa, & Martyr, *Huius* (inquit) scilicet Romani Pontificis, *culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cũctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicãdus, nisi deprehendatur à fide devius.* Et quidem quòd si incidat in hæresim saltem manifestam, amittat dignitatem, sive antequàm deponatur ab Ecclesia, sive posteà, colligunt Patres, & Doctores unanimi consensu ex Scriptura, in qua hęreticos vitare iubemur: & persuadet ratio, quia omnino dedeceret authoritatem Ecclesiæ, quòd caput illius omnino contra veræ fidei dogmata sentiret, & tamen à fidelibus id scientibus sustineretur. Propter alia verò peccata quantumvis atrocia deponẽdus non est, nec iudicãdus, quidquid velit Glossa in prædictum caput; quia cùm sit superior, quã Ecclesia, & hęc non habeat 20. Caietan. S. Bonif. Glossa.

à Domino

à Domino potestatem illũ deponendi, non poterit id præstare, licèt possit aliter suo bono prospicere, humiliter illũ corrigendo, non obediẽdo legibus ab illo iniustè sancitis, & denique orando Deum, ut tantum malum avertat.

21. Ex hac conclusione inferuntur tria consectaria. Primum est, quando dubiũ esset de legitima electione talis Pontificis, aut aliqua alia ratione non posset sufficienter constare Ecclesiæ de vero suo pastore, posse tunc ab Ecclesia deponi, & aliũ legitimè eligi, ut electus est olim Martinus V. ad vitandũ schisma. Ratio manifesta est ex ipso naturę lumine, nam alioqui maneret Ecclesia dubia de capite suo, & de omnibus, quæ ab illo sancirentur, & orirentur schismata, & alia incommoda: quare credẽdum est esse in Ecclesia potestatem, ut sibi in hoc negotio provideat; & propterea in conclusione sermo fuit de vero, & indubitato Pontifice.

22. Secundum est, sub nomine hæresis posse etiam comprehẽdi schisma, quatenus significat voluntatem recedẽdi à communione Ecclesiæ, & illam non regendi, etiamsi alioqui retineatur fides: quod rectè notavit Valencia 2.2. disp.3. quæst.15. punct.3. in 1. sentent. & probatur, quia Pontifex non potest validè eligi, nisi ipse liberè consentiat electioni suæ; & postquàm ab Ecclesia admissus est, licèt non statim ac ipse vult relinquere dignitatem, cadat ab illa, eò quod Ecclesia habeat ius, ut ab illo gubernetur; potest tamen sine dubio Ecclesia illum deponere, & interdum valde expediet: cùm ergo omnis, qui vult esse schismaticus modo dicto, velit se ab Ecclesiæ cõmunione, & gubernatione separare, consequenter poterit ab Ecclesia deponi, ut aliquando depositus est; ante iudicium verò Ecclesiæ non videtur esse depositus; quidquid sit de hæretico, de quo statim.

Valenc.

23. Tertium est, consultò dictum fuisse in assertione, non posse deponi Pontificem propter aliud delictũ quàm propter hęresim, quia possunt esse alij casus, in quibus sine delicto possit Pontifex deponi: quam rem ex professo tractat Caietanus suprà, & ad brevem epilogum reddit in cap.28. Et quidem non solùm quando dubitaretur de vero Põtifice, aut quando ipse renuntiaret; sed etiamsi incideret in amẽtiam, quæ post prudentem consultationẽ iudicaretur perpetua, posset ab Ecclesia deponi, quia illa amentia censetur absolutè mors; & si posteà casu rediret ad mentem suam, adhuc maneret depositus, quia depositio valida, & legitima fuit. Nec mihi placet, quod Caietanus ait cap.28. casu 2. scilicet illum Papam nõ esse deponẽdum, sed perinde ac si iam esset depositus, fore alterum eligendũ; etenim cùm adhuc ille Pontifex absolutè vivat, & non sit Metaphysicè certum illum non rediturum ad suam mẽtem, non est ipso facto privatus dignitate, nec absq; omnimoda spe habendi sufficientiam ad gubernandum; ergo oportet, Ecclesia sua authoritate illum deponat. Si verò non esset perpetuò amẽs, sed captivus detineretur sine spe redeundi ad suos, ut posset illos gubernare, fortasse quidẽ teneretur ipse renuntiare, ut Ecclesia alterum eligeret; sed si nollet, rectè docet Caietanus casu 1. & alij, non posse deponi, quia de eiusmodi potestate Ecclesię collata nõ constat, & aliunde posset Ecclesia Deũ orare, ut ipsi mederetur, sicut olim rogavit pro Petro in carcerem detruso, exaudireturque sine dubio in re tanti momenti.

Contra hanc conclusionem, & eius consectaria obijciet aliquis: Papa est superior quàm Ecclesia, ut infrà patebit, ergo non potest ab Ecclesia deponi. Patet consequentia, quia deponere aliquem, est erga illum exercere actum superioris, nũquam enim inferior princeps legitur superiorem deposuisse. Caietanus suprà cap.20 & 21. excogitavit subtilem magis, quàm veram distinctionem, ut ad hoc argumẽtum responderet; ait enim in Papa tria considerari, scilicet personam, Papatum, & coniunctionem utriusque: ex quibus dignitas, seu Papatus superior est quã Ecclesia; coniunctiò verò illius cum hac, vel illa persona est longè inferior: quo posito respondet, cùm Ecclesia eligit, vel deponit Põtificem, non exercere iurisdictionem erga dignitatem Papæ, sed erga unionem Papatus cũ tali 24.

Caiet.

persona, coniungendo scilicet illa duo per electionem, & separando per depositionem. Sed hoc meritò displicet Bellarmino, Valéciæ, & alijs, nam hoc modo quilibet, quantumvis infimus, habere posset iurisdictionem erga alterum quantumvis supremum; & sanè in communi acceptione eatenus dicitur aliquis altero superior, quatenus potest illi conferre, vel ab illo auferre dignitatem, nihil omnino curando de distinctione inter dignitatem, & illius cum tali persona coniunctionem.

25. Faciliùs ergo, & verisimè respõdetur, sicut cùm Ecclesia eligit Pontificē, non confert illi dignitatem, quia non potest conferre id, quod est longè superius; sed solùm designat personam, & posita hac designatione, Christus Dominus illi confert dignitatem, ut suprà dicebamus; ita cùm Pontificem deponit, non aufert ab illo dignitatē, quia non potest, sed designat personā, pronuntiando nimirum, illam non esse aptam tantæ dignitati; qua designatione posita, Deus ab illa aufert dignitatē. Vnde ad obiectionē facilè respondetur concesso antecedente, & negando consequentiam; ad probationē verò dico, tūc exerceri actum superioris in depositione alicuius, quando ab illo aufertur dignitas, non verò quando designatur persona, à qua alius superior auferre potest.

26. Constat igitur ex prima conclusione, Summum Pontificem, si foret hæreticus, posse, & debere amittere dignitatem: superest modò potissima difficultas, an istud peccatum hæresis debeat esse manifestum, an sufficiat hæresis sola mente concepta; & præterea an prædictus hæreticus ipso facto cadat à Pontificatu, an potiùs expectandum sit Ecclesiæ iudicium. Doctores variè sentiunt de proposita quæstione: eorum sententias simul cum veritatis declaratione referam, & explicabo.

27. Dico ergo secundò: Propter solam hæresim mente conceptam nec Pontifex est ipso facto depositus, nec ab Ecclesia deponi potest. Conclusio est cõtra Turrecrematam lib. 4. Sũmæ pũct. 2. cap. 18. & 19. Castrum 2. de iusta heret. punit. cap. 23. & 24. & Aragonem in tract. de Ecclesia: sed nobiscum sentiunt Caietanus, Sotus, Bellarminus, Valencia, Bañez infrà adducendi; & colligitur planè ex B. Thoma 2. 2. q. 39. art. 3. cuius verba infrà expendemus. Modò breviter probatur, quia si Pontifex ob hæresim internam esset ipso facto depositus, aut id constaret ex iure naturę, aut iure divino, aut Ecclesiastico; sed ex nullo constat, ergo. Maior, & consequentia patent. Minorem probo, nam primùm ius naturæ nihil statuit in hoc negotio, nec adduci potest ulla ratio urgens ad id persuadendum. Deinde id non constat ex iure divino, ut patebit perpendēti testimonia Scripturæ, quæ frustra congerit Turrecremata; quanvis enim in illis iubeamur vitare hæreticos, non tamen sine ulla alia sententia dicitur, eos esse dignitate privatos. Solùm adduci potest locus Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vbi Salvator noster statuit Petrum ut fundamentum Ecclesiæ propter fidē, qua crediderat illius divinitatem; unde videtur non posse esse fundamētũ Ecclesiæ, aut caput illius ille, qui nõ credit. Sed hoc facilē etiã habet explicationē: quãvis enim fundamentum Ecclesiæ sit fides Petri, quatenus qui fidem non habet, non est dignus Pontificatu, &, si constaret de illius hæresi deponeretur ab Ecclesia; non tamen id ita rigorosè intelligendum est, ut statim ac fides amittitur, cadat à dignitate. Deniq; id non cõstat ex iure Ecclesiastico, quia iuxta dicenda in tract. 15. Ecclesia nec punit, nec punire potest hæresim merè internã, ac proinde nec Pontificem ex hoc capite deponere.

Sed obijcies: Ille, qui non est membrum Ecclesiæ, non potest esse caput illius, cùm de ratione capitis sit esse membrum; sed hæreticus etiam internus non est membrum Ecclesiæ; ergo non potest esse caput illius. Respondetur iuxta dicta in præcedente tractatu, hæreticum internum non esse quidem de Ecclesia quoad essentialem rationem, bene tamen quoad professionem externam, & id sufficere, ut aliqua ratione sit membrũ, & etiam caput Ecclesiæ; cùm enim ratio capitis Eccle- 28.

Turrecre. Castro. Aragon.

Caietan. Sotus. Bellarmi. Valenc. Bañez. S. Thomas.

Matth. 16

siastici,

siastici, atque adeò dignitas Pontificis præsertim cõsistat in externa iurisdictione erga universam Ecclesiã, sufficiet exterior fidei professio, ut quis sit verus Pôtifex: imò Caietanus, & alij opinantur, sufficere characterẽ Baptismi, ut quis posset esse caput Ecclesiæ, cùm ille aliquo modo ad Ecclesiam pertineat, ut loco citato dictum est: quæ doctrina mihi vera videtur, & ex dicẽdis ampliùs confirmabitur; nam sicut sufficit esse baptizatum aliquem, ut retinere posit characterem sacerdotalẽ, & Episcopalem, ac proinde habere veram rationem sacerdotis Ecclesiæ, ita etiam idem sufficiet, ut habere posit iurisdictionem in universam Ecclesiã.

Caietan.

29. Dico tertiò: Pontifex etiamsi exterioribus signis hæresim suam manifestet, nõ ipso facto cadit à dignitate, sed necessaria est Ecclesię depositio; & idẽ consequenter dicitur de Episcopis, & alijs inferioribus Prælatis Ecclesiasticis. Conclusio est contra Bellarminum tom.1.lib.2.de Rom.Pontif.cap.30. & Valenciam disp.3.q.15 punct.3. asserẽtes, hæreticum si manifestus sit, eò ipso cadere à dignitate Ecclesiastica etiam Summi Pontificatus: sed eam docent Caietanus suprà cap.19. Sotus in 4.distinct.22.quæst.2.art.2. Bañez in brevior. Comment.dub.2.concl.2. & alij. Probatur unica ratione: Amissio dignitatis Ecclesiasticæ, præsertim Summi Pontificatus, est pœna gravissima; ergo dicendum non est, illam ipso facto infligi hæreticis, nisi ex aliquo iure cõstet: sed nullum ius est, ex quo posit sufficienter probari, pœnam hanc ipso facto infligi; ergo. Minor patet, quia nec ius naturæ id persuadet, nec similiter ius divinum, ut patet ex adductis concl. 2. Solùm superest ius Ecclesiasticum, aut Ecclesiastica traditio; & hãc nullam esse constabit, cùm ad authoritates, quas nobis opponunt adversarij, responderimus. Solam hanc rationem affert pro sua, nostraq; sententia Caietanus non immeritò, nam aliæ, quæ adducuntur ab alijs, verisimiliorem solutionem habent.

Bellarmi. Valenc. Caietan. Sotus. Bañez.

(:.?.:)
(?)

SECTIO V.

Explicantur testimonia, quæ militãt adversus tertiam assertionem.

30. Objiciunt ergo Doctores cõtrariæ sentẽtiæ multitudinẽ testimoniorũ, quibus sancti Patres perspicuè testari vidẽtur, hæreticos saltem manifestos cadere à dignitate Ecclesiastica absque ulla alia depositione. Primum fit Cælestini in epistola ad Ioannem Antiochenum, & habetur in Ephesina Synodo tom. 1. Concil. cap. 19. ubi ait, *Non valere excommunicationem latam à Nestorio, & eius sectatoribus, postquàm hæresim suam effutire non sunt veriti.* Et in cap.18. scribẽs ad Clerum Constantinopolitanum dixerat, *Id fuisse sancitum authoritate Sedis Apostolicæ.* Secundũ est Gelasij Papæ, & habetur cap. *Acatius* 24.q.1. dicentis, *Ab excommunicato non posse aliquẽ excõmunicari.* Vnde saltem Episcopi inferiores Papa excõmunicare non poterunt, cùm propter hæresim externam ipso facto excõmunicationẽ incurrãt: iam verò si excõmunicare nõ possunt, non sunt Episcopi, de quorum ratione est iurisdictio, & potestas excõmunicandi. Tertium est Alexandri II. qui in cap. *Audivimus* 24. q.1. *Ex quo* (inquit) *talia prædicare cœpit Archiepiscopus Ravenæs, neminẽ dãnare potuit, quia nec potest deijcere quidquã iam prostratus.* Sentit ergo Pontifex fuisse prostratũ, id est, à dignitate cecidisse ab eo tempore, quo cœpit falsam doctrinam prędicare. Et infrà: *Qui ab unitate Ecclesiæ fuerit alienus, execrare potest, consecrare non valet; excommunicationis, vel reconciliationis potestatem non habet.* Quartum est S.Cypriani lib.1. epistola 6. initio, & habetur cap. *Didicimus*, in eadem quæstione prima asserentis, *Omnes hæreticos, & schismaticos nihil omnino habere potestatis, ac iuris.* Et lib.2.epist.1. ait, *Hæreticos presbyteros ab hæresi ad vos redeuntes communicare debere ut laicos sine armis ordinationis, & honoris.* Et lib.4. epistola 2. post medium, & habetur cap. *Novatianus* 7.quæstione 1. *Qui se* (ait) *ab Ecclesiæ vinculo separat, li-*

Cælestinus. Gelas. Alex.II. S.Cypria.

cùt prius foret Episcopus, non potest habere potestatem, & honorem Episcopi. Quintũ est S. Ambrosij to. 1. lib. 1. de Pœnitētia cap. 2. dicentis, *Non licere hæresi solvere, aut ligare peccatores; ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est, hæresis verò sacerdotes Dei non habet.* Sextũ est S. Hieronymi, qui in dialogo contra Luciferianos cap. 7. cùm loqueretur de nonnullis, qui ex prǫscripto Synodi Alexādrinæ suis dignitatibus restituti sunt: *Non* (inquit) *quòd Episcopi esse possint, qui hæretici fuerant, sed quòd constaret eos qui reciperētur, hæreticos non fuisse.* Sentit ergo hæreticũ esse incapacem Episcopatus. Septimũ est B. Thomæ 2. 2. q. 39. ar. 3. ubi expressè ait, in hǫreticis non manere potestatē iurisdictionis, ac proinde non valere excōmunicationē ab ipsis latam, & alia similia.

S. Ambr. S. Hieron S. Thomas

31. Hæc sunt, quæ invenire potui contra nostram conclusionē urgētia, nam alia vel non sunt ad rē, vel ex adductis explicari facilè possunt. Ante solutionem verò notandũ est ex materia de excōmunicatione, quidquid excōmunicatus præstat, quod ad iurisdictionē pertineat, invalidum esse, nisi in casu extremæ necessitatis, ut concedunt Doctores; & quāvis hoc post Conciliũ Constantiense restrictum sit ad nominatim excōmunicatos, ante illud extendebatur etiā ad alios, & consequēter ad hǫreticos, qui semper aliquo modo fuerunt in Ecclesia excōmunicati. Vnde ad 1. 2. & 3. testimonium respondetur illos, de quibus agunt Pontifices, non potuisse validè excōmunicare, aut sententiam ferre, non quia dignitatem, & iurisdictionem amisissent, sed quia ex præscripto Ecclesiæ ita illa erat impedita, ut nihil validè exercere posset: & quoniam quādiu aliquis suam iurisdictionē exercere non valet, perinde cēsetur, ac si illā non haberet, meritò ait Alexander, illum Archiepiscopum esse prostratũ. Atq; hæc etiam solutio applicāda est 7. testimonio B. Thomæ, nō enim valēt acta hæretici excōmunicati, quia id impedit excōmunicatio, licèt non amittat absolutè dignitatem: loquitur autē B. Thomas de omni hæretico excōmunicato, & non solùm de nominatim denuntiatis, quia scripsit ante Concilium Constantiense, quod celebrari cœpit anno 1415. ut advertit Carrança, cùm tamen B. Thomas obierit anno 1274. secundum Cardinalem Bellarminum. ¶ Eodē modo solvitur 5. testimonium S. Ambrosij, nisi ipse loquatur de hæreticis non bene ordinatis, qui proinde nō essent veri sacerdotes; hos enim satis cōstat non posse absolvere, nec consecrare, ac proinde nec Episcopos esse. Quod verò in 3. testimonio dicit Alexander Papa, scilicet *alienum ab unitate Ecclesiæ non posse cōsecrare*, intelligendum est ita ut velit, non posse licitè consecrare; nam quòd validè possit, est omnino certum, si characterē sacerdotis habeat, de quo in materia de Sacramentis in genere.

Conc. Cōst. Carrança.

Ad 4. testimonium respondetur, S. Cypriani authoritatē in præsenti difficultate non esse tanti ponderis, quanti in alijs, nam ipse existimavit, hǫreticos non habere potestatē validè baptizandi, quod tamen omnino reiectũ est ab Ecclesia, & ita non mirum esset, si eisdem negaret potestatem consecrandi, & exercendi munus Episcopale: adhuc tamen quia aliqui ex illis locis habentur in Decretalib⁹, dico, in primo loco solùm velle, hæreticos utpote excommunicatos non posse validè efficere, quidquid ad iurisdictionem spectat. In secundo ipse sensit debere infligi pœnam illam hæreticis, & interdũ modò infligi poterit ab Ecclesia; sed id non probat, ipso facto incurri. In tertio idē vult, quod in primo. Ad sextum S. Hieronymi respondetur, eum velle, Episcopum quādiu hǫreticus est, non posse esse Episcopũ quoad iurisdictionē, non quia dignitatem amittat, sed quia eius acta nō valēt: sicut enim cũ Sāctus hic Doctor negat hæreticũ esse Episcopũ, non negat illi potestatē ordinis, sed solũ licitũ usũ illius; ita nec negat potestatē iurisdictionis absolutè, sed solùm dicit acta illius esse omnino invalida. 32.

Constat ergo ex dictis, eatenus esse invalidas actiones hæretici prælati, quatenus excōmunicatus est: unde fit primò, si absolvatur, non indigere nova electione, sed posse statim exercere actiones Episcopi proprias. Secũdò fit, cùm Summus Pontifex nō cadat 33.

à dignitate

à dignitate propter hæresim, non posse etiam reddi invalidas actiones illius, quia non potest ab ullo excõmunicari, cùm sit omnibus superior; unde in testimonijs adductis ferè sermo est de Episcopis inferioribus, & nullibi habetur expressum nomen Pontificis: quare nõ bene Bellarminus in illo loco S. Cypriani lib. 4. epist. 2. ubi ius Canonicũ, & alij libri legunt, *Etiamsi priùs fuerit Episcopus*, legit ipse, *Etiamsi primus fuerit Episcopus*, ut sermo ibi sit de Papa.

Bellarmi.

34. Ad extremũ rogabit aliquis, quãdo debeat Ecclesia Pontificem deponere propter hæresim externam? Caietanus ait deponendũ esse, nisi post primã, & secũdam correptionẽ resipiscat, iuxta illud Pauli ad Titum 3. *Hæreticum post unam, & secundam correctionem devita.* Itaq; corrigendus, & reverẽter admonendus est semel, & iterũ; quòd si hæresim retractare nolit, deponendus erit; & si posteà resipiscat, nõ propterea iterum admittẽdus erit. Vbi etiam obiter adverte, si Pontifex exteriùs defenderet hæresim, quã interiùs reijcit, & admonitus nollet desistere, posse, & debere deponi ab Ecclesia, etiã si absolutè non foret hæreticus, quia Ecclesia non iudicat de occultis, & secũdũ exterius forũ ille Pontifex sit hæresis labe infectus.

Caietan. Ad Titũ 3

DISPVTATIO III.

Vtrùm Summus Pontifex errare possit in canonizatione Sanctorum?

SECTIO I.

Præmittitur, quid sit canonizatio, & quotuplex.



1. Cardinalis Bellarminus to. 1. lib. 1. de Sanctorũ beatitudine cap. 7. hanc exhibet canonizationis definitionẽ: *Canonizatio est publicũ Ecclesiæ testimoniũ de vera sanctitate, & gloria alicuius hominis iam defuncti; & simul est iudiciũ, ac sententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur ijs, qui cũ Deo fæliciter regnãt.* Addit verò, eiusmodi honores ad septẽ reduci. Primus est decerni, ut ab omnibus dicantur, & habeantur Sancti. Secundus, invocari in publicis Ecclesiæ precibus. Tertius, templa, & altaria in illorũ memoriã dicari Deo. Quartus, sacrificiũ Missæ, & officiũ, seu horas offerri Deo in illorũ memoriã. Quintus, diẽ festũ illorũ celebrari. Sextus, eorum imagines certo quodam splendore depingi. Septimus, eorũ reliquias prętiosis thecis includi, & publicè adorari.

Bellarmi.

In hac definitione illud nõ omnino placet, quòd minùs generalis sit; cõplectitur enim solos canonizatos ab Ecclesia, cùm tamẽ alij sint ipsius Scripturæ, aut traditionis authoritate canonizati: & præterea nullũ adhuc viventẽ cõprehendit, cùm tamen Enoch, & Elias, qui adhuc vivunt, sint absolutè Sancti, & de hoc secundo recitetur, in illiusq; honorẽ offeratur sacrificiũ à religiosis Ordinis Carmelitarũ: & licèt S. Ioãnes Evangelista nondũ mortuus fuisset, ut aliqui, licèt falsò, putaverũt, censeri deberet canonizatus. 2.

Sylvester verbo *Canonizatio*, nu. 1. cũ Innocentio super caput *Audivimus* de reliquijs, & venerat. Sãctorũ, *Canonizatio* (inquit) *est canonicè, & regulariter instituere, quòd aliquis pro Sancto honoretur.* Quæ verba aptã (meo iudicio) definitionẽ continẽt, & sic declaranda sunt; dicitur enim *canonicè, & regulariter instituere*, ut denotetur iudiciũ, & firma attestatio, seu regula, quam significat vox *Canõ*, unde *Canonizatio* deducta est. Deinde additur, quòd honoretur pro Sancto, id est, quòd illi exhibeãtur, vel certè exhiberi possint, si nihil aliud obstet, omnes illi septẽ honores, quos Bellarminus enumeravit. Dixi autẽ, si nihil obster, quia quod attinet ad officiũ divinũ, seu Canonicas horas, cũ singulis diebus præscriptũ sit Ecclesiasticis officiũ, seu pensum horarũ Canonicarum, nõ possunt satisfacere obligationi suæ, si recitẽt in honorẽ huius, vel illius Sãcti canonizati, nisi Ecclesia id in speciali decernat, aut potestatẽ faciat; poterũt tamẽ privatim devotionis causa recitare horas Canonicas eo modo, quo publicè solet Ecclesia in honorẽ aliorũ Sanctorum; & si id fieret ex indulto Pontificis, non tenerentur ea die persolvere aliud officium. Deniq; illa par- 3.

Sylvester. Innocent.

ticula *pro Sancto*, denotat canonizari non posse nisi illum, qui gratia Dei insignitus obijt, & Dei conspectu fruitur; vel si nondum obijt, detinetur in loco certo ex Dei ordinatione, non ut pœnas subeat, sicut animæ Purgatorij, sed ut ob aliquod Dei obsequium rediturus sit in humanam conversationem, sicut Elias, & Enoch: itaq; nullus alius Sancti nomine comprehenditur in prædictis verbis Innocentij.

4. Pro definitione hactenus declarata facit primò, quòd Summi Pontifices in canonizationibus usurpant verba, quæ decretum, & definitionem, ac proinde firmum, & stabile iudicium sonant. Sic Ioannes Papa huius nominis XV. cum consilio Episcoporum Sanctorum numero adscripsit Vdalricum Episcopum, dicens: *Communi consilio decrevimus memoriam S. Vdalrici affectu pijssimo, & devotione fidelissima venerandam;* ut refert Baronius to. 10. anno Domini 993. & Paschalis II. anno 6. sui Pontificatus, Domini verò 1105. canonizavit Petrum Episcopum Anagniæ per diploma dicens: *Authoritate præsentium volumus, & mandamus, quatenus tertio nonas Augusti natalem eiusdem Confessoris, & Præsulis memorandi Sanctorum cathalogo congruè celebrem recolatis;* ut refert Baronius to. 12. in prædicto anno §. 14. Et Innocentius in Bulla canonizationis S. Leopoldi Principis Austriæ, quam refert Bellarminus lib. 3. de officio Principis Christiani, *Authoritate* (inquit) *Domini nostri Iesu Christi statuimus, definimus, & pronuntiamus, S. Leopoldum Sanctorum cathalogo adscribendum.* Et einsmodi sũt plura alia testimonia, quæ brevitati studens omitto.

Ioan. Pap. Baron. Pasch. Pa. Innoc. Bellarmi.

5. Secundò facit, quod notat Baronius tom. 11. Annalium anno Domini 1027. anno verò quarto Ioannis XX. Papæ, ritũ scilicet canonizandi, qui tunc erat in usu, hunc fuisse, ut nimirum petentibus cõcederet Apostolica Sedes super corpus alicuius altare construere, ut in eius honorem sacrificium Missæ celebraretur: refertq; ex Petro Damiani sic fuisse canonizatum S. Romualdum, & plures alios. Inde enim infertur, honores, qui deferuntur canonizatis, esse, & fuisse in Ecclesia Catholica erectionem altaris, celebrationem sacrificij, & consequẽter alios suprà ex Bellarmino adductos, qui minores sunt, & illos duos comitari solent.

Baron.

Tertiò facit, quòd præfata definitio convenit omnibus canonizatis. Pro cuius clariori probatione dividenda est canonizatio in eam, quæ est per verbum Dei, aut revelacionem divinam; & eam, quæ est ex consensu universalis Ecclesiæ, accedente saltem tacita approbatione Pontificis; & eam, quæ est ex speciali decreto capitis Ecclesiæ. De quibus sigillatim dicendum est. 6.

SECTIO II.

De canonizatione per verbum Dei scriptũ, aut per traditionem divinam.

NEgari non potest salva fide, esse aliquos adscriptos numero Sanctorum ipso Deo revelante, seu decernente, aut potius affirmante, & Ecclesiæ suæ declarãte: nam imprimis quod ad B. Virginem Dei genitricem spectat, licèt assumptio illius in cælum secundum corpus non habeatur ex divina revelatione, ita ut sit certa secundũ fidem, sed ex certa Ecclesiæ traditione, quæ saltem sine magna temeritate negari non posset; quoad gloriam verò animæ illius sine dubio censeri debet res ad fidẽ pertinens, quia ut omittam speciales revelationes, in id conspiravit universa Ecclesia, tanquam in dogma divinitus acceptum. 7.

Deinde Adamum, & Evam ad salutem æternam pervenisse, est dogma fidei ex perpetua Ecclesiæ traditione, ut docent Castro adversus hæreses verbo *Adam*, & Bellarminus tom. 3. lib. 3. de amissione gratiæ, & statu peccati. Imò S. Augustinus in epistola 99. id probat ex lib. Sapientiæ cap. 10. Tertiò de Abrahamo, Isaac, & Iacob præter alia Scripturæ testimonia, habemus verba Christi Dñi, *Recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorũ.* Lazarus similiter testãte Dño, Luc. 16. post mortẽ ab Angelis ductus est in sinũ Abrahę, id est, in locũ electorũ Dei, seu Limbum, ubi Patres detinebantur, donec post resurrectionẽ Christi Dñi 8.

Castro. Bellarmi. S. August. Matth. 8. Luc. 16.

in cælum

in cælum transferrentur, ut translatos fuisse docet fides. De Mose etiã, Davide, Iobo, & alijs loquitur sacra Scriptura tanquam de hominibus, qui Dei gratia insigniti obierunt: in lege etiã Gratiæ Lucæ 10. dixit Christus Dominus nonnullis discipulis: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis*: quod dictum esse, quia re vera prædestinati erant ad gloriam, censet Toletus in eũ locum, licèt Maldonatus dubitet, putans, fortasse solùm dictum fuisse, quia secundum præsentem militiam erant hæredes gloriæ, seu iusti: in quo sensu Cornelius super cap. 4. epist. ad Philippenses, ait dixisse Apostolum, *Nomina Clementis, & coadiutorum suorum scripta esse in libro vitæ.*

Luc. 10. Tolet. Maldona. Cornel. Ad Phil. 4.

9. Dicet fortasse quispiam, de omnibus, aut ferè omnibus istis hominibus solùm divina revelatione haberi eos bene vixisse, & mortuos esse gratia Dei insignitos; quòd verò re ipsa gloriam cõsecuti iam sint, & non detineãtur in Purgatorio, non esse revelatum: ad canonizationem verò requiri tale testimonium, virtute cuius constet eos iam esse in cælo, aut certè nullo supplicio affici in altera vita. Respondetur, licèt non de omnibus istis omnino expressum sit, de aliquibus apertè dici; nã primò Lazarus deportatus est in sinum Abrahæ, qui ante mortem Christi Domini erat locus Sanctorum, consequenter autem ibi erat Abrahamus; & omnes, qui ibi erant, nunc esse in cælo, ex fide certum est, quia Christus Dominus Limbum Patrum spoliavit. Secundò illustris, & certa est promissio illa Christi Domini ad Sanctum Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso*, id est, beatitudinem consequeris. Tertiò cùm omnes suprà enumerati, & alij similes mortui sint gratia insigniti, testante sacra Scriptura, & Ecclesia eos iam pridẽ ut Sanctos, & cælorum cives veneretur, videtur ita intellexisse testimonia sacræ Scripturæ, in quibus illorum sanctitas commendatur, ut nihil iam habeant puniendũ, sed potiùs æterna fælicitate fruantur: idq; sufficit, ut prędictorum canonizatio constare dicatur per verbum Dei, seu divinam revelationem.

Luc. 23.

10. Postremò ad hoc genus canonizationis pertinet non solùm illud perspicuum testimoniũ, quod de Sanctis Angelis præbuit Christus Dominus Matthæi 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei*; ubi non solùm gratia, sed consummatio gratię & sanctitatis tribuitur Angelis: verùm etiã Enoch, & Elias, qui nondum mortui sunt; nam si attendatur, quod de illis sacra Scriptura testatur, & quod habet perpetua Ecclesiæ traditio, constat eos gratos esse Deo, & in loco speciali nũc degere vitam sanctissimam, à qua nũquam excident, licèt in fine mundi redituri sint ad conversationem humanam, & novo triumpho novam coronã reportaturi; quod satis, superq; est, ut Dei testimonio canonizati censeri debeant: de quo dicemus Deo dante ad finem 3. par. in controversia de Novissimis ferè initio: vide etiam Azorium to. 2. lib. 5. cap. 6. quæst. 4. ubi enumerat quamplures, quos Scriptura Sanctorum numero adscribit.

Matth. 18. Azorius.

11. Ex dictis in hac sectione patet, definitionem canonizationis probatam à nobis convenire canonizationi, quæ habetur per verbũ Dei, nã quod Deus de Sãctis hactenus cõmemoratis revelavit, est veluti canon, seu sententia infallibilis de sanctitate illorum, in qua saltem implicitè continetur, eis debere deferri honores, qui deferuntur reliquis Sanctis, quos Ecclesia Sãctos iudicavit, imò potiori iure esse honorandos, cùm magis certum sit iudiciũ, & decretum divinum, quàm Ecclesiasticum.

SECTIO III.

De canonizatione ex consensu universalis Ecclesiæ, & saltem tacita Summi Pontificis approbatione.

12. IN primis Ecclesiæ Catholicæ sæculis non adscribebantur ulli homines Sanctorum numero per aliquod generale decretum, quod ab ipsa, aut eius capite Summo Pontifice dimanaret; sed in singulis provintijs proprius Episcopus diligenter inquirebat de Martyribus, & post sufficientẽ Martyrij probationẽ decernebat, ut in suo

Episcopatu honor Sāctorum proprius eis deferretur. Qua autem ratione id fieret, narrat Baronius to. 2. Annalium annoDñi 302. & Marcelli Papę anno 6 *In Africa*(inquit) *& alijs provintijs Episcopus, sub cuius Ecclesia aliquis Martyrio vita functus esset, rem gestā ad primatē eius provintiæ perferebat; ille verò rursum totius Africæ primatem, nempe Carthaginensem Episcopum diligenter admonebat, qui re accuratiùs considerata, & ut puto, cum alijs quoq; communicato consilio decernebat, cuinam Martyris cultus deberet impendi.* Itaque olim penes particularium Ecclesiarū Episcopos erat potestas privatæ cuiusdā canonizationis faciēdæ, ratione cuius licebat in eorū Episcopatibus, & non alibi, Martyres honore Sanctorum afficere, erectione altaris, celebratione sacrificij Missę, &c. quod tamen propter abusus prohibitum est Episcopis, & negotium hoc ad Summū Pontificem revocatum. Vnde Alexander III. in cap. *Audivimus*, de reliquijs, & veneratione Sanctorū: *Etiam si* (inquit) *per aliquem miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absq; authoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.*

Baron.

Alex. Pa.

13. Sed antequàm hæc Apostolicæ Sedis prohibitio facta fuisset, & consequenter antequàm canonizationis munus sibi soli reservasset, in more positū erat, ut Martyres, quos unus Episcopatus venerabatur, aliæ civitates, & provintiæ eū imitantes colere inciperent; sicq; tandem omnes provintiæ, & universalis Ecclesia tanquam Sāctum veneraretur; quod fieri non posset, nisi sciente, & tacitè saltem consentiente Summo Pontifice. Atq; hic canonizationis modus aptè dicitur ex consensu universalis Ecclesiæ provenire, & in illum sine dubio cōvenire definitio tradita in 1. sect. est enim hæc etiam sententia, seu iudicium, quo decernebantur honores Martyribus ut verè Sanctis.

14. Nec minùs propria, & universalis canonizatio censeri debet ea, quæ non solùm Martyribus propria est, sed ad Confessores, & Virgines extenditur, consistitq; in eo, quòd authoritate Ecclesiæ universalis, & Summi Pontificis in divinis officijs publicè ab omnibus Ecclesijs recenseantur; aut aliter omnes Ecclesiæ audiente, & tacente Papa conspirent in approbanda alicuius sanctitate, ut bene Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 6. quęst. 3. Vnde existimo verissimum cum doctis recentioribus, quos consului, censeri debere canonizatos ab universali Ecclesia, & Summo Pontifice omnes illos, qui in Martyrologio Romano continētur: etenim de illis, tanquam de veris Sanctis fit mentio, & solemnis memoria in universali Ecclesia, in qua per annū singulis diebus recitantur, qui tunc obierunt; & Summus Pontifex id præcipit fieri, ut patet ex motu Gregorij XIII. qui pręfixus est prædicto Martyrologio; ubi etiā hortatur eos, qui privatim recitāt, ut eodem Martyrologio utantur, & sine limitatione semel, & iterum appellat sanctos eos, qui in illo continentur; dicitq; eos in singulis diebus recenseri ad eorum laudem, ad fructum nostrum, ad Deiq; gloriam: non est ergo dubium, quin universalis Ecclesia, & caput illius eos omnes tanquā sanctos veneretur, & colat, ac proinde eis deferri possint omnes illi honores, quos suprà retulimus in prima sectione.

Azor.

Gregor. 13

15. Quare absque ullo scrupulo depingi potest imago cuiuslibet Sancti in Martyrologio Romano contenti, & in illius cultum erigi altare, celebrariq́ue Missæ sacrificium in eius honorem; licèt cavendum sit, ne aliqui scandalum subeant, audientes nominari in Missa sanctos, quorum notitia vix habetur; quod tamen scādalum sæpe vitari posset, declarando ignorantibus, id esse omnino licitum, nam licèt canonizati non sint eo modo, qui nunc est in usu, & statim explicabitur, Ecclesia universalis eos iudicat verè Sanctos, nec illos adscriberet cathalogo Sanctorum absque sufficiēti cognitione integritatis, & sanctitatis vitæ.

16. Confirmatur, & declaratur hoc ampliùs, quia certum est, multis deferri in Ecclesia honores proprios Sanctorum, qui non aliter canonizati sunt, quàm cōsuetudine, & generali approbatione tacita, vel expressa Ecclesiæ, & Summi Pontificis, ut rectè Bellarminus ubi suprà cap. 8. in fine; quæ autem maior

Bellarmi.

appro-

approbatio, quàm in Martyrologio approbato ab Ecclesia, & Pontifice, publicè legi in divinis officijs per universam Ecclesiã titulo, & nomine Sanctorum? Licet ergo his eundem honorem deferre, qui Sanctis canonizatis à Papa defertur, sicut defertur Augustino, Hieronymo, & innumeris alijs, qui hac sola ratione Sanctorum numero adscripti sunt, consuetudine scilicet, & tacita Ecclesiæ approbatione. Vitari tamen debet scandalum, ut diximus, & nihil præter cõmunem morem faciendum, præsertim erga Sanctos veteris testamenti, quibus erigi altare, & honor sacrificij Missæ deferri non solet in Ecclesia, nisi paucissimis.

SECTIO IIII.

De canonizatione per diploma Summi Pontificis.

17. *Alex.III.* A Tempore saltem Alexandri III. qui regere cœpit Ecclesiã anno Dni 1160. certum est, non esse in usu aliã canonizationẽ, quàm eã, quę fit expressa authoritate Sũmi Pontificis, qui post diligẽtem inquisitionem de vita, & morte, adscribit aliquem numero Sanctorum, & iubet eum Sanctum nominari, & honoribus suprà enumeratis affici. Quo autem modo procedatur in hoc canonizationis genere, & de quibus rebus fiat inquisitio, colligi potest ex varijs Bullis, ut ex illa, qua canonizatur Sanctus Didacus, & refertur ab *Ema. Rod.* Emanuele Rodriguez in suo Bullario; *Bellarmi.* & ex illa, quam pro canonizatione S. Leopoldi retulimus suprà ex Bellarmino, & pluribus alijs: videãtur Emanuel Rodriguez in Summa to.3. cap. de canonizatione, *Azorius.* Azorius suprà in fine illius *Rocha.* capitis, & Rocha in lib. de canonizatione.

18. Nunc solùm advertendum est, istũ canonizandi modum multò esse antiquiorem Alexandro III. nam Paschalis *Pasch.Pa.* Papa II. anno 1105. per diploma canonizavit S. Petrum Episcopum Anagniæ, ut refert *Baronius.* Baronius to.12. in prædicto anno §.14. & Ioannes Papa XV. *Ioan.XV.* anno 9. sui Pontificatus, Domini verò 993. cum Concilio Episcoporum adscripsit numero Sanctorum S. Vdalricũ, ut testatur idem Baronius tom.10. ubi refert Decretum ipsum Pontificis, & subscriptiones ipsius, & cęterorũ Episcoporum: & Stephanus III. in 3. anno *Steph.Pa.* sui Pontificatus, qui fuit à nativitate Domini 754. commisit Episcopis, ut informarentur de vita Sancti Suviberti, ut ita Sanctorum numero adscriberetur. Sic refert Baronius tom. 9. ubi addit dilatã fuisse canonizationẽ istã usque ad tẽpora Leonis III. qui anno *Leo. III.* 9. sui Pontificatus, Domini verò 804. eum scribi iussit in cathalogo Sanctorum, ut idem Baronius in eo tom.9. in *Baron.* Leone III. scribit. Et Bellarminus suprà *Bellarmi.* ait, hunc esse primum, de cuius canonizatione Pontificis authoritate, & expresso Decreto facta ipsi cõstat: nec ego alium antiquiorem novi.

Concludo ergo, canonizationem istam, quæ facta diligẽti inquisitione de meritis, & vita, nunc est in usu, saltem 19. cœpisse octingentis abhinc annis, & eo ampliùs; quanvis in modo inquirẽdi sit nunc strictior, & diuturnior diligentia: fortasseq; in aliquo ex sæculis antiquioribus etiã postquàm Sanctus Suvibertus canonizatus est, fuit aliquis Sãctus in Martyrologio Romano appositus, & sic per consensum Ecclesiæ, & tacitam Pontificum approbationem canonizatus, iuxta dicta in sectione præcedente, quin aliquod diploma, aut alia expressior declaratio interveniret. Quàm verò aptè cõveniat definitio canonizationis suprà à nobis posita in eam, quæ nunc est in usu, non indiget explicatione.

SECTIO V.

Respondetur ad dubium, quod in titulo disputationis propositum est.

20. QVæ hactenus diximus, præmittenda necessariò fuerunt, ut responderi posset ad propositam quæstionẽ, an scilicet Sũmus Pontifex errare possit in canonizatione Sanctorum: nunc autem, ut dilucidiùs pateat, in quo cõsistat difficultas, colligenda sunt ex dictis duo certa consectaria. Primum, de canonizatione facta verbo Dei, &

explicara in 2.lect. nullum dubiũ existere posse, nam non minùs certum est in eam non posse cadere errorẽ, quàm Deum non posse falli. Secundum, in canonizatione illa privata, quæ, ut vidimus in sect.3. olim erat in usu, potuisse errari, ac proinde honorari pro Sancto illũ, qui Sãctus non esset; nam una, vel altera particularis Ecclesia, aut Pótifex eius decipi sine dubio potest. Solùm ergo superest expẽdamus, an Pótifex errare possit, cùm Sãctum canonizat, & universæ Ecclesiæ colendus proponitur, sive id fiat per tacitam approbationem eius, & cõsensum totius Ecclesiæ, ut olim fiebat iuxta dicta in 3.sect. sive per expressum canonẽ, aut diploma, ut modò consuevit.

21. Ratio dubitandi est, Ecclesiam, & caput eius errare posse in quæstionibus facti, ut suprà dictum fuit; sed canonizatio pertinet ad quæstionẽ facti, ergo Ecclesia, & Pontifex errare possunt in canonizatione. Minor probatur, quia quæstio facti appellatur illa, quæ pendet ex factis, seu ex informatione, & inquisitione hominum; eiusmodi autem esse canonizationem perspicuè patet, cùm ea fiat diligenter inquirendo de moribus, & vita eius, qui cathalogo Sanctorum adscribẽdus est. Itaque sicut Pontifex errare potest in damnando aliquo innocẽte, quia eius mores, aut gesta cognoscuntur media inquisitione humana, sic ob eandem rationem errare poterit in canonizando eo, qui non bene, sed malè vixit.

22. Dicendum tamen omnino est, Pontificem, atque adeò Ecclesiam universalem errare non posse in canonizatione Sanctorum. Sic S.Thomas quodlib. 9.art.ult. Canus 5.de locis cap.5.paulò ante finem, Sylvester verbo *Canonizatio*, in fine; Bellarminus to.1.lib.1.de Sanctorum beatitudine cap.9. Valencia pũct.7.§.40. Bañez in breviori cõmentario huius articuli decimi dub.7. concl.2. Aragon ad finem tractatus de Pontifice, Azor ubi suprà, Angelus, Rocha de canonizatione cap.39. & 40. Turrianus disp.16.dub.3.& communis sententia Doctorum. Probatur, quia qui canonizatur, proponitur universæ Ecclesiæ colendus, proponitur ut exẽplar sanctæ vitæ; proponitur, ut orationibus illius iuvetur cœtus fidelium ad impetrãda divina beneficia, & in illius honorem eriguntur altaria, & celebratur augustissimum Missæ sacrificium; absurdum autem foret, & cõtra authoritatem Ecclesiæ, quæ est columna veritatis, & sanctitatis, si hæc omnia præstaret erga hominem Deo inimicum, & qui Tartarorum carceribus inclusus pœnas peccatorum lueret. Omnino ergo sentiendum est, ad Dei providentiã pertinere non permittere, ut in tanto negotio possit esse deceptio.

S.Thomas. Canus. Sylvester. Bellarmi. Valenc. Bañez. Aragon. Azorius. Rocha. Turrian.

Nec ullius momenti est ratio dubitandi suprà posita, nã canonizatio non est quæstio soliꝰ facti, sed pertinet multùm ad mores, ut patet ex proximè adductis; si enim erraretur in ea, non in eo tantùm consisteret deceptio, quòd pro Sancto reputaretur, qui Sanctus nõ est; sed in eo, quòd Ecclesia universalis plures virtutum actus erga illũ exerceret, quod profectò moribus Ecclesiæ integerrimis adversaretur. Vnde meritò appellari debet quæstio de canonizatione Sanctorum, media inter eas, quæ sunt solius facti, & eas, quæ omnino pertinent ad mores. 23.

Et si petat aliquis, quanta sit huius nostræ assertionis certitudo; Valencia putat esse certam secundum fidem; id quod probabile censet Turrianus, & omnino approbat Rocha. Sed rigida censura est, cùm quæstio hæc, ut diximus, habeat aliquid ad factum pertinens, & in quæstionibus facti non sit infallibilis authoritas Pontificis; ideòq; magis probo censuras aliorum. Canus ait contrarium esse temerarium, & irreligiosum: Turrianus esse saltem temerarium: Aragon esse valde temerarium: Bañez esse valde temerarium, & scandalosum. Certè magnum scandalum gigneret, qui Pontificem in hoc errare posse doceret, & dignus esset, qui tanquam de fide aliquantulum suspectus puniretur. 24.

(:?:)



DIS-

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm Summus Pontifex errare possit in beatificatione Sanctorum?

SECTIO I.

Quid sit Beatificatio, & in quibus differat à Canonizatione.

1. ON multis abhinc annis in more positum esse incepit, ut nonnulli viri, & fœminæ, qui magna cũ laude vixerunt, antequã canonizentur, speciali quodam honore ab Ecclesia afficiantur, qui à Sũmis Pontificibus appellatur Beatificatio, ipsique prædicto honore affecti Beati nuncupantur. Vt autẽ hoc meliùs percipiatur, & statuatur, an Pôtifex in hoc errare possit, necné, operæpretiũ erit declarare, quid sit hæc beatificatio, & in quo à canonizatione distinguatur. Subijciemus vero in exemplũ nonnulla ex diplomatis beatificationis S. Ignatij, & S. Xaverij, quanvis cùm hæc prælo mandantur, iam sint canonizati.

2. Beatificatio ergo, quantum ex diplomatis Pontificijs, & nonnullis authoribus colligere potui, in hunc modum aptè definitur: *Beatificatio est potestas facta à Summo Pontifice, ut aliquis pro Sancto publicè honoretur, sub certis tamen limitationibus.* Dicitur potestas facta, ut indicetur singulare discrimen inter beatos, & canonizatos, quod egregie notavit Emanuel Rodriguez tom. 3 Summæ cap. 59. concl. 2. canonizatos enim expresè definit Pontifex esse Sãctos, & illos pręcipit ab Ecclesia haberi pro Sanctis, ut patet ex verbis, quæ retulimus in præcedente disputatione sect. 1. & ex ipsa voce canonizationis, quam ibidẽ expendimus: quibus nunc addenda sunt alia. Etenim Alexander III. in canonizatione Eduardi Regis Anglorum, quã refert Baronius to. 12. anno Dñi 1161. Alexandri verò anno 2. §. 1. *Corpus* (inquit) *ipsius glorificandũ censuimus, & debitis præconijs adorandum in terris.* Et scribẽs ad Episcopos Galliæ de canonizatione S Bernardi, ut in illius vita refertur, *S. Bernardũ* (inquit) *cathalogo Sanctorũ adscribi mandavimus.* Et Sixtus V. in Bulla canonizationis S. Didaci, *In Sanctorum* (inquit) *Confessorũ numerum, & cathalogum adscribendũ esse decrevimus, eumq; ut sanctum ab omnibus venerandum esse mandamus.*

Rodrig. *Alex. Pa.* *Baronius.* *Sixtus V.*

3. At vero cùm quis beatificatur, nulla expressa definitio est, nullum mandatum, sed licentia, seu potestas appellãdi illum beatum, & Sanctorum honoribus afficiendi, ut patet primò ex Bulla Clementis VIII pro beatificatione Ioannis de sancto Facundo Ordinis S. Augustini apud Emanuelem in Bullario fol. 503. *Vt officiũ, ac Missam* (inquit) *liberè, & licitè celebrare possint, authoritate Apostolica concedimus, & indulgemus.* Secundo patet ex Bulla beatificationis S. Patris nostri Ignatij: *Dominus noster Paulus Papa V. indulsit, & concessit, ut dictus Ignatius de Loyola in posterum beatus nuncupari possit, & valeat, & de eo officiũ, & Missa liberè, & licitè recitari, & celebrari possit.* Tertiò ex Bulla eiusdem Pontificis in beatificationem B Xaverij Societatis Iesu: *Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, ut ipse bonæ memoriæ Frãciscus Xaverius beatus nuncupari, atque de eo officium recitari, & Missa celebrari liberè, & licitè valeat.* Et eiusmodi inveniuntur alia in aliorum Beatificatione.

Clem. VIII. *Paul. V.*

4. Deinde additur in definitione, hãc potestatem, seu licentiam debere fieri à Summo Pontifice, quia sicut iam nulli alteri licet canonizare, ita nec beatificare. Iure enim optimo sibi reservavit Pôtifex hoc negotiũ, quippe quod publicũ est, & pertinet ad universam Ecclesiã eo modo, quo in sequentibus explicabitur.

5. Tertiò additur in definitione, *Vt aliquis pro Sancto publicè honoretur*: quibus denotatur primò eum, qui beatificatur, dici posse Sanctum, nam licèt in diplomatis Papa utatur nomine *Beatus*, re vera significat idem, quod nomine *Sanctus*; beatus enim est, qui Deo iam fruitur, & hic meritò Sanctus appella-

tur: unde in Bulla B. Ioannis de Sancto Facũdo suprà relata in principio sic ait Clemens VIII. *Beatorum virorum, qui cũ Christo gaudent in cælis, memoriam in terris ad Dei gloriam propagare libenter curamus.* Sentit ergo, beatos esse, qui iam Deo fruũtur, & hæc fruitio non solùm sanctitas, sed consummata sãctitas est. Adde quòd in officio, quod recitatur in honorem beatorum, sæpe appellantur Sancti, cùm sit illud ipsum, quod in Sancti canonizati festo recitatur. Contrà verò Sancti canonizati appellantur sæpe beati in ipso officio, & Missa; indifferẽter ergo usurpari potest nomen *Sanctus*, & *Beatus*.

Clem. Pa.

6. Secũdò in eisdem verbis denotatur, eosdem publicos honores, qui Sanctis canonizatis deferuntur, deferri posse beatificatis. Et quidem cùm celebratio sacrificij Missæ, & recitatio officij sint præcipui honores publici, & hos deferri beatificatis cõstet ex Bullis suprà relatis, consequenter censeri debet Pontifex potestatem facere tribuendi illis cæteros honores enumeratos disputatione præcedente sect. 1. nam omnes illi aliquo modo continentur in officio, quod recitatur, & in sacrificio Missæ, quod in illorum honorem celebratur: quod patebit per singulos discurrendo.

7. Et quidem quod ad primũ attinet, iam diximus licitum esse appellari, & ab omnibus haberi pro Sãctis eos, qui beatificati sunt, cùm in officio sic appellentur; non tamen propter Decretum, aut definitionem Pontificis, sed per potestatem, seu licentiam, quam vocant. Vnde Turrianus in disput. 17. dub. 8. rectè affirmat multis placere beatificatos posse appellari Sanctos, idq; verum esse, dummodò non denotetur esse adscriptos cathalogo Sanctorum, perinde ac canonizatos.

Turrian.

8. Secundus honor, scilicet invocari posse in publicis Ecclesiæ precibus, indiget explicatione: nam si significetur, posse orationem publicam recitari nomine Ecclesiæ, qua postuletur auxiliũ à Deo per merita illius, non dubiũ est, quin iste honos deferri possit beatificato, nam cùm celebretur Missa, & recitetur officium de illo, & ibi recitentur orationes eiusmodi, consequenter invocatur in publicis Ecclesiæ precibus. Si verò significetur adscribi posse in Litanijs, & inter alios Sanctos invocari, cùm Litaniæ recitantur, aut cantantur, non potest hic honor beatis deferri, nisi Pontifex id specialiter concedat, quia in generali concessione beatificationis id non includitur, & nõ potest sine peccato deferri beatificato publicus honor, qui Sanctorũ proprius est, & illi non concessus.

Tertius honor est ædificatio templi, & erectio altaris. Et quidem de erectione altaris non est dubium, nam cùm liceat offerre sacrificium Missæ in honorem beatificati, & hoc non nisi in altari offeratur, consequenter licet erigere altare: rursus cùm istud in aliquo sacello erigi possit, non video cur sacellum, seu capella non possit ædificari in honorẽ Sancti beatificati: & ita docet cõmunis praxis. Imò B. Franciscæ erectum est sacellũ sine diplomate beatificationis; & S. Didaco olim ædificatum est sacellum nulla licentia requisita à Pontifice, cùm tamen id laudet Sixtus V. in Bulla canonizationis illius § *Ad eius corpus.* An verò integrum tẽplum ædificari in honorem beatificati, & illi dedicari sit licitum, dicetur alibi. 9.

Sixt. Pap.

De quarto honore, qui est celebratio Missæ, & recitatio horarum, satis constat, cùm expressè concedatur in diplomate beatificationis. Solùm hic addendum est, eo ipso quòd alicui religioni fiat potestas celebrandi sacrum, & recitandi horas canonicas in honorem sui fundatoris, ut concessa est Societati Iesu in honorem B. Ignatij, cõsequenter concedi potestatẽ id faciendi eo modo, quo Ecclesia in rubricis generalibus præscribit faciendum esse cum Patronis, nam mens Pontificis est, ut in hoc regulas generales observemus: cùm ergo de Patrono recitetur cum octava, & ille quotidie invocetur in Missa, cùm dicitur cõfessio, & de eo fiat commemoratio in fine Laudum, & Vesperarum; id totum concessum est religioni, cùm fundator eius beatificatur. Et idem dicendum est de nominatione, & invocatione illius in oratione 10.

A cunctis,

A cunctis, ubi cùm cōcedatur facultas nominandi aliquē Sanctum in speciali, nullus certè maiori iure nominari debet, quàm Patronus. Vbi obiter adverte, posse beatificatum assumi ut Patronum ab ijs, quibus licet recitare officium, & celebrare in honorem illius, dummodò id fiat authoritate eorū, qui habent potestatem designandi Patronos Ecclesijs; quod certè videtur proprium Episcoporum, aut aliorum superiorum Ecclesiasticorum.

11. Quintus honor est celebratio festi. Et quidem hæc celebritas complectitur multa, nam quòd templum ea die ornetur, quòd concio habeatur de laudibus beatificati, quòd aliqua domus privata in honorem illius non laboret, sine dubio licitum est, coniunctumque cum Missa, & recitatione officij. Imò si ille, qui beatificatur, esset Patronus. ut est B. Ignatius Pater noster comparatione Societatis Iesu, licebit cōmunitati, cuius est Patronus, festum diem agere in eius honorem abstinendo ab omni labore, quia id infertur ex eo, quòd beatificetur tanquam Patronus, cuius solemnitas est ferè præcipua talis communitatis. Propter hanc enim rationem eadem Societas in Can.1.suę septimæ Congregationis statuit, ut in pervigilio B. P.N. Ignatij ieiuniū omnibus suis religiosis indiceretur: & in hoc sensu verum est, quod docet Emanuel tom. 3. Summæ cap.168. scilicet licere Episcopo indicere diem ieiunij, & festi in honorem beatificati, ubi solemni ritu colitur; & ob hanc rationē B. Ioannis de Sancto Facundo festum servatur Salmāticæ, quia ibi concessit Clemens VIII. facultatem recitādi de illo, & celebrandi, eò quòd corpus illius in ea urbe requiescat, unde videntur illi cives eum habere Patronum. *Rodrig.*

12. Sextus honor sine dubio deferri potest beatificatis, omnes enim depingūtur splendoribus illustrati. Septimus deniq; deferri etiam potest, nam cùm imago beatificati possit publicè proponi veneranda, potiori iure proponi poterit verū corpus ipsius, & consequēter partes, seu reliquiæ, illæq; pretiosis thecis inclusæ, ut decet rem tanta veneratione dignam: & hi duo postremi cultus inferuntur etiam ex eo quòd de beatificato celebretur Missa, nam eò ipsò erigitur illi altare, ubi invocetur, & ad invocationem pertinet ibi esse imaginem, aut partem illius, ut in memoriam reducatur, & quasi præsens habeatur.

Postrema particula definitionis est, *Sub certis quibusdam limitationibus:* quia hoc est secundum, & magnum discrimen inter Sanctum canonizatum, & beatificatū, quòd illi absolutè, & simpliciter exhiberi possunt septem honores hactenus enumerati; beatificatis verò non nisi cum limitatione, cum ea nimirum, quam Pontifex in suo diplomate exhibuerit. Vnde in beatificatione multorum in hoc nostro sæculo solùm fit à Pontifice potestas celebrandi Missam, & recitandi officium in determinatis quibusdam locis, & temporibus, atq; à determinatis personis: unde non licebit in alio loco, aut tempore, aut per alias personas. Et similiter non est licitum alios honores deferre beatificatis, nisi illi colligantur ex ijs, quos Summus Pontifex concessit. Imò si aliquis ita beatificaretur, ut non cōcederetur potestas celebrādi Missam, aut recitandi officium in eius honorē, ut accidit in prima beatificatione Ludovici Gonzaga Societatis Iesu, teste Turriano disp.17.dub.4. ad finem, non liceret celebrare, aut recitare; sed ea beatificatio esset valde stricta, nec de ea agimus in præsenti disputatione. 13. *Turrian.*

SECTIO II.

Ex definitione beatificationis inferuntur nonnulla consectaria.

14. Ex dictis in præcedente sectione infertur primo, quādo in diplomate beatificationis dat facultatem Pontifex, ut sacerdotes alicuius communitatis tantùm celebrent sacrificiū Missæ in honorem beatificati, non licere alijs sacerdotibus celebrare, ut optimè notavit Turrianus suprà du.8. Probatur, quia nulli potest deferri cultus proprius Sanctorum, nisi ex concessione Papæ, ut patet ex dictis; ergo neque potest deferri nisi cum ea limitatione, *Turrian.*

cum qua conceditur à Papa; ergo si ipse expressè limitat cultum, concessa solùm facultate celebrandi quibusdam sacerdotibus, cæteri celebrare non poterunt. Et sanè cùm res hæc sit gravis, quippe quæ spectat ad sacrificium Missæ, rem nimirum omnium, quæ in Ecclesia sunt, pretiosissimam, non excusarem à culpa læthali eum, qui secùs faceret, nisi ob ignorantiam, aut inadvertentiam.

15. Sed obijcies, in aliquorum beatificatione solemnissima festa fuisse peracta, in quibus personæ in excellentissimæ dignitatis fastigio positæ Missam in eorum honorem celebrarunt, licèt non essent de numero illorum, quibus facta fuit potestas celebrandi; ergo eo ipso, quòd alicui Congregationi fiat potestas celebrandi sacrum in honorē beatificati, censetur facta cæteris sacerdotibus. Respondetur, in hac materia, sicut & in alijs, esse locum epicheiæ; licèt ergo soli certi sacerdotes habuerint expressam licentiam celebrandi, prudenter credi potuit, fore gratum Summo Pontifici, si ad prima festa solemniùs celebranda unus, aut alter ex viris primarijs extra illam cōmunitatem, in eius tamen templo in honorem eiusdem beati celebraret: inde tamen non bene inferretur, id ipsum alijs licere.

16. Quæret fortasse quispiam, an si in diplomate Pontificio fiat sacerdotibus alicuius religionis potestas celebrādi in honorem alicuius beati, & non addatur particula *tantùm*, vel particula *solùm*, possent alij quicumque sacerdotes in illius honorem celebrare sacrificium Missæ. Respondetur, mihi videri valde probabile posse celebrare, dummodò id fiat petentibus illis sacerdotibus, quibus ea potestas concessa est. Probatur ex regula 72. de regulis iuris in 6. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*; ergo qui potestatem habet celebrandi in honorem alicuius beati, consequenter censetur habere, ut per alium celebret: & in huius rei confirmationem facit sententia, quam sequitur Hieronymus Gonzalez super regulam octavam Cancellariæ, Glossa 5. à nu. 71. cum alijs Doctoribus, & de-

Gonzal.

cisione Rotæ, scilicet si quis in fundatione Capellaniæ obliget Capellanū, ut celebret certum numerum Missarū in singulis hebdomadis, satisfacere Capellanum huic obligationi, si per aliū sacerdotem eas faciat celebrari; idem ergo in re proposita dicendū est, cùm sit eadem omnino ratio.

Infertur secundò, non licere celebrare sacrum, aut recitare divinum officium in honorem alicuius beati, nisi in eo loco, in quo Sūmus Pontifex concedit. Probatur eodem omnino argumento, quo præcedens consectarium, non enim licet publicum cultū alicui deferre, nisi iuxta præceptum, aut facultatem Ecclesiæ, seu capitis eius; ergo quando illud limitat, aut restringit ad certum locum, in quocumq; alio illicitus erit. V.g. in diplomate beatificationis S.P. Francisci Xaverij fit potestas omnibus Presbyteris Societatis Iesu celebrandi Missam in suis Ecclesijs ubique terrarum: non licebit illis celebrare in alienis Ecclesijs, ut in aliqua parœcia, aut Monasterio alterius religionis. Et si obiter petas, an sit culpa mortalis: Respondetur, si id semel, aut bis fieret, non videri peccatum læthale, quia cùm celebratio sit licita, quòd solùm mutetur altare, vel Ecclesia, nō videtur gravis inordinatio, nisi ea mutatio toties fieret, ut meritò iudicari posset valde contraria Decreto, & legi Summi Pontificis. 17.

Infertur tertiò, non licere in alijs diebus celebrare, aut recitare: v.g. cōceditur, ut in die obitus celebretur Missa in honorem beatificati, non licebit in alijs anni diebus celebrare, imò nec cōmemorationem (quam vocant) agere. Probatur eadē omnino ratione, qua præcedentia consectaria. Nec auderē à mortali culpa excusare eos, qui secùs facerent, celebrando non solùm in prædicto die, sed etiam in alijs per annum, nisi bona fides, aut ignorantia excusaret. Verum quidem est, cùm primùm conceditur prædicta potestas, licere quasi pro initio, & inchoatione festivitatis Missam celebrare in honorem beatificati, etiam ante diem à Pōtifice præfixum, si dies hęc multum distet à tempore, pro quo fit concessio; 18.

praxis

praxis enim declaravit, hanc esse tacitam voluntatem illius.

19. Petet aliquis, an in quocumque die liceat recitare officiũ devotionis gratia in honorem beatificati, officium (inquam) quod Ecclesia illi tribuit in suo determinato die. Respondetur non licere: & quidem quod attinet ad satisfaciendum præcepto, certissimum est non impleri præceptum recitandi hodie v. g. si quis sacerdos recitaret matutinas preces de communi Confessorum applicatas alicui beatificato; sed præterea licèt ex devotione id fieret, crediderim non licere extra diem deputatum à Pontifice, & tunc non nisi à personis determinatis, quibus potestas recitandi facta est. Probatur, quia ex hypothesi quod hoc divinum officium ordinatum sit ab Ecclesia, ut in honorem Sanctorum recitetur, censetur, & verè est publicus cultus; non licet autem Sancto beatificato deferre cultum publicum, nisi quando, & quibus Pontifex concedit. Itaque sicut extra diem deputatum non licet celebrare Missam, quantumvis occultè id fiat, nec similiter licebit recitare officium divinum, nam utrumq; ex Ecclesiæ institutione est publicus cultus.

20. Sed objicies, inde inferri peccare Clericos, qui in die beatificati iuvant presbyteros communitatis, quæ celebrat festum illius, recitando simul cum illis Vesperas in honorem huius Sãcti, cùm soli illi communitati id concedatur. Respondetur negando sequellam, quia id non est per se, & absolutè recitare, sed iuvare alios, qui ad id habent privilegium: sic enim non peccat sæcularis, qui ministrat sacerdoti illius cõmunitatis in ea die sacrũ facienti, quia eo ipso quòd sacerdos celebret, ius habet, ut ab alijs adiuvetur.

SECTIO III.

Respondetur ad difficultatem propositam in titulo disputationis.

21. SI quæ hactenus diximus, rectè perpendantur, perspicue patebit Summum Pontificem errare non posse in Sanctorum beatificatione. Assertionẽ non reperi expressam in libro alterius authoris, quàm nostri Luysij Turriani disp. 17. dub. 5. quia nullus alius, quem ego legerim, prælo mandavit tractatũ de beatificatione; sed tamen viri doctissimi disertis verbis eandem sententiam testantur, & sine dubio colligitur ex authoribus relatis in præcedenti disputatione, qui negant, in canonizatione errare posse Pontificem. *Turrian.* Probatur efficaci ratione, nam Beatus ex Decreto Pontificis appellari potest optimo iure talis ab universa Ecclesia; eo autem nomine significatur, qui glorioso Dei conspectu fruitur: & licèt non omnibus fiat potestas offerendi sacrificium Missæ, & recitandi officiũ in illius honorem, at certè conceditur universis fidelibus, ut illi sacrificio assistant, & sic publicè honorent eum tanquam Dei conspectu fruentem; insuperque imaginem illius coram omnibus adorent: si autem in hoc negotio Pontifex posset errare, magnum incommodum inferretur, coleret enim publicè universa Ecclesia hominem damnatum ad inferos; appellaret Sanctum eum, qui impius esset; & sanctissimum Missæ sacrificium nomine Christi Domini, & universæ Ecclesiæ celebraretur pro honore inimici ipsius Christi Domini, & æternis cruciatibus addicti; quod sanè contra Ecclesiæ maiestatem, & authoritatem, atq; contra ipsius sacrificij celsitudinem, & puritatẽ omnino foret.

Et si petat aliquis, quanta sit huius assertionis certitudo, Turrianus suprà dubio 6. putat contrarium esse temerarium, impium, & scandalosum, non tamen in eo gradu, in quo temeritatis, impietatis, & scandali nota inureretur asserentibus, Papam errare posse in canonizatione: Quod doctè, & prudenter mihi dictum videtur. Et quidem non esse ex fide certum, imò nec ex fidei principijs evidenter illatum, Pontificem non posse errare in beatificatione, constat ex disputatione præcedente, ubi ostendimus idem dicendum esse de canonizatione. Deinde contrarium esse temerarium probatur, quia sine ratione, 22.

& authoritate assereretur contra communem sensum fidelium. Similiter fore impium,& scádalosum facilè suadetur, quia contra pietatem fideliũ esset credere in hoc negotio posse errari, & scandalum, seu offensionem magnam incurreret, qui nunc assereret beatificatos ab Ecclesia esse inimicos Dei,& reprobos.

23. Postremò in beatificatione non posse errari,esse minùs certũ, quàm in canonizatione, probatur primò,quia modus ipse canonizandi suprà declaratus id manifestè persuadet, etenim canonizatum definit Ecclesia esse Sanctum, præcipit pro Sancto haberi, cathalogo Sanctorum adscribit; beatificatum nó ita,sed solùm appellari posse beatum,& publicè honorari concedit Pontifex, idq; adhibitis limitationibus; non ergo sentit Ecclesia tam certã esse unius, quàm alterius sanctitatem. Secundò probatur, quia beatificatio est via ad canonizationem, & in diplomate ait Pontifex, concedi Sanctis hunc honorem,donec canonizentur; non ergo est in uno tanta certitudo, quanta in altero. Tertiò, quia post beatificationem fit adhuc ulterior inquisitio,& examen diligentius, non ergo omnino manet Ecclesia certa,quasi non desideret certitudinem maiorem. Quartò nomen *Canonizatio* id præsefert, nimirum regulę,& sanctionis certitudinẽ;id quod non exprimit nomẽ *Beatificatio*,& ideò non malè Angelus Rocha in suo libello cap.38. ad finem, beatificationem appellat semicanonizationem. *Rocha.*

SECTIO IIII.

Appẽdix de honore, qui tribui potest nondũ beatificatis.

24. *Sossa.* Franciscus à Sossa Ordinis S. Francisci primùm Generalis, & posteà Episcopus Canariensis, in prologo approbationis vitæ sanctæ fœminę Ioãnæ triplicem externum cultum distinxit. Primum, qui exhibetur nomine totius Ecclesiæ, atque eius expresso, vel tacito consensu. Secundum secretũ,& omnino privatum, qui nimirum ex peculiari devotione alicui exhibetur. Tertium publicum,& manifestum,sed non exhibitum nomine Ecclesiæ. Primum affirmat deferri posse solis canonizatis,& beatificatis, in ea tamen mensura,& cum ea limitatione, quam Pontifex statuerit,iuxta suprà dicta. Secundum docet tribui posse cuilibet viro, vel fœminæ,qui sanctè vitam transegerit, licèt beatificatus non sit. Tertium quoque fatetur tribui posse etiam non canonizatis, aut beatificatis, dũmodò prudenter exhibeatur, & habita sufficiente probatione morali de illorum eximijs virtutibus.

Mihi quidem huius docti Theologi distinctio, & sententia probatur. Et quod ad primam assertionem attinet, satis constat ex dictis in hac, & præcedente disputatione:& sanè cùm nomine Ecclesiæ non fiat,nisi quod fit authoritate Ecclesiæ, absurdum esset velle tribuere alicui cultum,qui non exhibetur nisi nomine Ecclesiæ,absq; eius,seu absq; capitis sui authoritate,seu potestate: cùm ergo cultus,qui nomine Ecclesiæ exhibetur,reducatur ad illos septẽ honores, de quibus in disputatione præcedente sect.1.& in prima etiam huius disputationis dictum est,videtur nullus eorum deferri posse non canonizatis,aut beatificatis. Et ita sentiunt Bellarminus lib.1. de Sanctorum beatitudine cap. 10.& Luysius Turrianus in disp.17.dub.11. 25. *Bellarmi.* *Turrian.*

26. Sed objiciat aliquis, plures ex his honoribus tribui solitos Sanctis etiam nondum beatificatis. Nam primò appellari solent Sancti.Secundò in honorem B. Franciscæ, & S. Didaci erecta sunt sacella,antequàm beatificarentur. Tertiò cùm post septem menses plus minusvé ab obitu S. Thomę Aquinatis corpus eius ab uno in alterum locum Monachi transferrent,videntes suavissimum ab illo odorem efflari, Missam solemnem de uno Confessore celebrarunt, cùm tamen nondum esset canonizatus, aut beatificatus; id quod posteà Ioánes XXII.dicitur laudavisse. Quartò imagines multorũ solent depingi radijs illustratæ, antequàm beatificẽtur. *Ioan.Pap.*

27. Respondetur, hæc non obstare veritati assertionis stabilitæ.Non primũ, quia non canonizati, aut beatificati

appel-

appellantur aliquando Sancti cum additamento, v.g. si dicatur fuisse Sãctus vir, aut Sanctus Pater; at absolutè nec solent, nec debent, v. g. dicendo, *Sanctus fulano;* & id tantùm est proprium canonizati, aut Beati. Non secundum, quia ea sacella erecta fuerunt ex interpretativa voluntate Pontificis, sine illius autem authoritate id non liceret. Non tertium, quia id videtur factũ speciali instinctu Spiritus sancti, qui tanti Doctoris eximiam sanctitatem voluit manifestare; nos autem hic loquimur de honore, qui secundum cõmunem legẽ deferri potest, & debet. Nec denique quartum, quia licèt ille pingendi modus sit proprius beatificatorum, habet tamẽ gradus suos beatificatio, & unus illorum est, ut imago cum eo splẽdore depingi posbit, huncq; gradum habere credendi sunt illi, quorum imagines sic depictæ fuerunt in Ecclesia coram oculis omnium, saltem implicitè consentiente Pontifice.

28. Secunda assertio suprà proposita nõ indiget peculiari probatione, nam privatim, & secretò potest quis venerari eũ, qui in Dei civitate iam vivere gloriosus creditur probabilibus coniecturis, & quem in hac vita mortali videt prælucere sanctitatis exemplo, faciendo in eius honorem ea, quæ non sunt publici cultus signa, v. g. petere ab illo, ut à Deo impetret beneficia nobis, gestare collo appẽsam syngrapham illius serico operimento contectam, & similia. Et ita solet fieri à viris prudentibus, & sapientibus.

29. Tertia assertio probatur primò, quia cùm agitur de alicuius Sãcti canonizatione, solet inquiri, an ille pro Sancto habitus sit à cõmuni plebe, & an eum venerati fuerint fideles; signũ ergo est solere præcedere aliquos publicos honores, qui prudenter exhiberi possunt nondum canonizatis, aut beatificatis. Secundò probatur, quia solùm prohibemur exhibere non canonizatis, aut beatificatis eos honores, qui deferũtur nomine Ecclesiæ, & quos ipsa solis Sãctis, aut Beatis præfixit; ergo alij honores deferri poterũt publicè. Vnde Turrianus suprà dub. 10. optimè probat licere accendere cæreos ad sepulchrum alicuius eximij viri, aut fœminæ ante canonizationem, aut beatificationẽ, piasque tabellas, aut vota suspendere, quia hæc non sunt cultus deputati ab Ecclesia solis Sanctis, aut Beatis: similiq; ratione liceret publicè deosculari pedes, aut manus defuncti, qui vitæ sanctitate præluxit, præcidereque aliquid vestimenti illius, honoris causa, & similia. Quæ, ut diximus, prudenter fieri oportet, ne alioqui eiusmodi cultus vilescãt, aut confirment bonam quidem, sed vulgarem, & communem vivendi rationem.

Turrian.

SECTIO V.

Appendix sectionis præcedentis.

POstquàm publicè legeram, quæ in præcedente sectione statuta sunt, 30. editum est in lucem sapientisbimũ Decretum Congregationis Cardinalium Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, quod visum est dictis subijcere, ut iuxta illud limitentur, & corrigãtur, quæ nos prius dixeramus.

EXEMPLAR DECRETI.

Feria V. Die 13. Martij, Anno à Nativitate D. N. Iesu Christi M.DC.XXV.

In generali Congregatione S. Romanæ, & Vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Vaticano corã S.D.N.D. VRBANO Divina providentia Papa Octavo, ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S.R.E. Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISS. D. N. solicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colẽdis quibusdam cum Sanctitatis, aut Mar-

tyrij fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratorijs, atque Ecclesijs, alijsque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus proponuntur; miracula, & revelationes, aliaque beneficia, à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulcra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificãda, & lampades, & alia lumina apponũtur: Volensq; proinde huiusmodi abusibus pro debito Officij pastoralis occurrere, re etiam cum Illustriss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in Vniversa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus cõmunicata, & maturè considerata, ac discussa, declaravit, statuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum Sanctitatis, seu Martyrij fama (quantacumque illa sit) defunctorũ Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud, venerationem, & cultum præseferens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesijs tam sæcularibus, quàm regularibus, cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequàm ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, sive Martyrij fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atq; approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat; & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatũ in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusq; responsum expectet: Revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris, horum hominum vitam, & gesta continẽtibus, hactenus sine recognitione, atq; approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulcra, vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque Imagines, ex cæra, aut argento, seu ex alia quacunque materia tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi, aut affigi, & lãpades, sive alia quæcunque lumina accẽdi sine recognitione ab Ordinario omnino, prout suprà, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quòd per suprascripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per cõmunem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilẽ temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij, coluntur.

Vt autem præmissa diligentiùs observentur, Vniversis, ac singulis tam Ordinarijs, quàm hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtè præcipit, ut in sua quisq; Diœcesi, vel Provincia sedulò pervigilẽt, ne sine approbationibus prædictis, Imagines cum memoratis signis exponãtur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliavé contra superius disposita, fiant: transgressores veró, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, necnon & suspensionis à divinis; si verò Clerici Sæculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis à divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneq; suorum ordinum respectivè, alijsque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligẽdis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculp-

ſerint, ſeu quoquo modo eſin xerint, vel formaverint, cæteriq́ue Artifices circa præmiſſa qualitercunq; delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniarijs, alijſque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis gravitatem, eorundē Ordinariorū, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contrarijs quibuſcunque non obſtantibus.

Et ne præmiſſorum ignorantia poſsit ab aliquo prætendi, voluit, ut Decretum huiuſmodi, ſeu illius exemplū ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vrbis, ac in Acie Campi Floræ affixum omnes perinde arctet, atque afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet; quódque præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Io. Antonius Thomaſius S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Not.

Anno milleſimo ſexcēteſimo vigeſimo quinto, indictione viij. Pontificatus Sanctiſsimi D. N. D. Vrbani divina providentia Papæ VIII. anno eius ſecundo, die verò quarta menſis Aprilis, ſupradictū Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Cāpi Floræ, ut moris eſt, per me Braud. martem Latinum Sāctiſſ. D. N. Papæ Curſorem.

Octavius Spada Mag. Curſ.

ROMAE.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ. M.DC.XXV.



DISPVTATIO V.

Vtrùm Pontifex errare poſsit in approbatione religionum?

1. IN eo, quod attinet ad approbationem religionum, deſideratur ſanè modeſtia, qua Melchior Canus de alijs rebus agere ſolet, minùs conſideratè, & prudēter loquēs lib. 5. cap. 5. ad finem de recto iudicio Pontificis in hac parte. Modeſtiùs, & veriùs locuti ſunt Bañez dub. 8. Aragō proximè citatus; ſed optimè Gregorius de Valencia. Di.o ergo imprimis, Pōtificem errare non poſſe, approbando inſtitutum alicuius religionis, quod tamen ſit contra Evangelicam perfectionem; & oppoſitum Bañez appellat hæreticum: certè error eſt, aut errori proximum, nam cùm eiuſmodi religionē teneatur acceptare Eccleſia, & liceat illam profiteri ad obtinendam perfectionem, valde errarent fideles, ſi religio illa quidpiam alienum ab Evangelio profiteretur. In ijs verò rebus, quas ipſa religio ſine Pontificis cōfirmatione ſtatuiſſet, non repugnaret errare. *Canus. Banez. Aragon. Valenc.*

2. Dico ſecundò. Pontifex non poteſt ita errare in approbanda religione, ut licèt illa ſecundum ſe ſit conſentanea Evangelio, minùs tamen congruat illi ætati, vel tempori, in quo approbatur. Probatur, quia res hæc eſt magni momenti, pertinetq; ad authoritatem Eccleſiæ, quæ eſt columna veritatis, ut nūquam publicè admittat aliquem ſtatū, in quo ſecundum rectam prudentiam non liceat fidelibus vitam agere. Fieri quidem poteſt, ut religio, quæ prudenter cōfirmata eſt ab uno Pontifice, prudenter etiam ab alio poſteà reijciatur, quia mutantur circunſtantię, ex quibus provenit, ut pro hoc tēpore minùs cōgruat, quod pro altero conſentaneum erat; & id tantū probāt argumēta Cani. Adhuc tamen hæc ſecunda cōcluſio nō eſt omnino certa, quia cū pertineat ad prudentiam potiùs quàm ad fidem,

admittere religionem consentaneam quidem Evangelio, sed non tempori, non videretur tantum incommodum, si in hac re interdum erraret, ut sentit Aragon; quanvis ego nunquam admittam id posse contingere. Vide Turrianum disput.16. sect.ult. qui bene difficultatẽ huius disputationis expedivit. *Aragon.* *Turrian.*

TRACTATVS VIII. De cæteris regulis fidei, & partibus Ecclesiæ Militantis.

DISPVTATIO I.

Quæ, & quanta sit authoritas Concilij Generalis in rebus fidei, & morum definiendis?

SECTIO I.

Quid sit Concilium Generale, & quotuplex fuerit in Ecclesia.

1. De Concilijs Generalibus multi copiosè, & eruditè disseruerunt, sed præsertim vidẽdi sunt Doctores, quos nos legimus, scilicet Turrecremata lib.3. Summę de Ecclesia, Caietanus to.1. Opuscul. opusc.de authoritate Papę, & Cõcilij, & in Apologia pro eodem tractatu: Canus lib.5. de locis, Bellarminus to.1. in Controversia de Concilijs, quæ duobus libris continetur; Valencia suprà §.44. Aragon, & Bañez ad art.10. quæst.1. Turrianus in disp.18. & alij infrà afferẽdi. Nos brevissimè perstringemus ea, quæ ad huiusce disputationis difficultatem expediendam necessaria videbuntur. *Turrecre.* *Caiet.* *Canus.* *Bellarmi.* *Valenc.* *Aragon.* *Bañez.* *Turrian.*

2. Concilium ergo Generale est (ut Turrecremata cap.5. definit) *Congregatio maiorum Prælatorum Ecclesiæ, Romani Pontificis authoritate cõvocata ad aliquod religionis Christianæ negotium pertractandum Papa ipso, vel eius Legato præsidente.* Et quidem de iure pertinent ad Generale Concilium non laici, quia Ecclesię regimen ad Ecclesiasticos spectat, Actor.20. nec omnes sacerdotes, quia id foret penè infinitum; sed Episcopi, quibus præcipuè incumbit Ecclesiam gubernare; quanvis ex privilegio, & consuetudine admittãtur Cardinales, Abbates, & Generales religionum ad ferenda suffragia, & alij homines docti, ut disputent de rebus propositis: adesse etiam solent laici, non ut partes Cõcilij, sed ut ij, qui assistunt propter tantæ Congregationis authoritatem, & pacem. Rursus licèt ad Concilium Generale omnes Prælati convocandi sint, non tamen id nimis presse intelligendum est, sufficiet enim nullum nisi legitimè excludi, & maiorem Episcoporum partem adesse Cõcilio, sive per se, sive per internuntios, qui gerant vices illorum; id enim constat ex usu Ecclesiæ, & docet Valencia cum Turrecremata, & Cano. Denique cùm Summus Pontifex sit caput Ecclesiæ, ad munus eius spectat prædicta totius Ecclesiæ convocatio, necessariaque est illius assistentia personalis, aut interventu Legatorum, aliter Synodus erit acephala, & planè imperfecta defectu potissimæ partis, à qua in reliquas influxus derivatur, ut patebit ampliùs ex dicendis. Notat verò egregiè Caietanus in illo opusc. cap.16. in aliquibus eventibus congregari posse imperfectum Concilium Generale absq; authoritate Pontificis, non quidem ad res fidei infallibili certitudine definiẽdas, sed ad deponendum Pontificem hæreticum, vel ad eligendum alium, quando alioqui schisma in Ecclesia sub utrum esset. Lege in Doctoribus citatis ea, quæ spectant ad uberiorem probationem, & defensionem definitionis hactenus explicatæ. *Actor.20.* *Caietan.*

3. Multa Concilia Generalia in Ecclesia celebrata sunt, sed solùm libet breviter recensere ea, quæ absolutè approbata sunt à Summo Pontifice, sine cuius authoritate firmitudinem habere non possunt: de reliquis verò aliquid dicetur sectione sequente. Primum est Nicænum I. sub Sylvestro I. celebratũ 300. anno post Domini Ascensionem,

in quo damnatus est Arius negās Christi Domini divinitatem. ¶ Secundum est Constantinopolitanum I. anno 381. sub Damaso Papa contra Macedoniū, qui negabat Spiritum sanctū esse Deū. ¶ Tertium est Ephesinum sub Cælestino I. in anno 430. ubi damnatus est Nestori⁹, eò quòd duas in Christo Domino personas esse mētiretur. ¶ Quartū est Chalcedonēse celebratum anno 451. sub Leone Papa I. contra Euticheten, qui post Incarnationē fingebat non fuisse duas naturas in Christo Domino, sed solam divinam permansisse. ¶ Quintum est Constantinopolitanum II. sub Vigilio Papa anno 553. & in eo præsertim dānatus est Theodorus Episcopus Mopsuestiæ, Nestorij magister, cum nonnullis alijs. ¶ Sextum est Cōstantinopolitanum III. sub Agathone anno 673. contra Monotelitas, qui in Christo Domino unam tantùm voluntatem, & operationem asserebant. ¶ Septimū est Nicænum II. sub Adriano I. celebratum anno 781. cōtra Iconomacos: ubi stabilitum est Imagines esse adorandas. ¶ Octavum est Constantinopolitanum III. sub Adriano II. in anno Domini 868. ubi depositus est Photius, & restitutus Ignatius Archiepiscopus illius urbis. ¶ Nonum est Lateranēse I. sub Calixto II. anno Dñi 1119. celebratum pro ineūda pace inter Ecclesiām, & Imperium, & recuperanda Terra sancta. ¶ Decimum est Lateranense II. sub Innocentio II. anno 1139. contra Anacletum, & Victorem Antipapas, eorumq; fautores. ¶ Vndecimum est Lateranense III. sub Alexandro III. anno Domini 1180. contra hæreses Catarorum, seu Vualdenses, & Albigenses. ¶ Duodecimum est Lateranēse IIII. sub Innocētio III. celebratum anno 1215. ubi damnatus est Abbas Ioachim, qui negabat tres divinas personas esse propriè unam substātiam, seu essentiam. ¶ Decimum tertium est Lugdunense I. sub Innocentio IIII. anno Domini 1245. pro suscipiēda expeditione in Terram sanctam. ¶ Decimum quartum est Lugdunense II. sub Gregorio X. anno 1274. ubi definitum est, Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere, ut ex uno principio, & unica spiratione. ¶ Decimum quintum est Vienēse sub Clemente V. anno Domini 1311. contra errores Begardorum, & Beguinarum, quorū unus erat posse à nobis videri Deum sine lumine gloriæ; & contra alios. ¶ Decimum sextum est Florentinum sub Eugenio IIII. anno Dñi 1438. ubi multa dogmata stabilita sunt, & facta unio Græcorum, & Latinorum. ¶ Decimū septimum est Lateranense V. sub Iulio II. & Leone X. anno Domini 1517. ubi inter alia agitur de animæ immortalitate, & natura. ¶ Decimum octavum est Tridentinū sub Iulio III. Paulo III. Marcello II. Paulo IIII. & Pio IIII. anno Domini 1563. in quo multa ad fidē, & mores pertinentia stabilita sunt.

SECTIO II.

Statuitur, Concilium Generale approbatum à Romano Pontifice errare non posse; contrà verò, si sit reprobatum.

PRæiactis ijs, quæ in sectione præcedente declaravimus, vidēdum est, 4. quanta sit authoritas Concilij Generalis, quantumq; infallibilitas eius pendeat ab approbatione Summi Pontificis.

Dico ergo primò: Concilium Generale confirmatum authoritate Romani 5. Pontificis, non potest errare in doctrina fidei, & morum. Conclusio absolutè pertinet ad dogmata nostræ fidei: & probatur primò authoritate Scripturę, & Patrum, quam attulimus in tractatu præcedente, ut probaremus infallibilē Papæ authoritatem in prædictis rebus definiendis; eadem enim convincitur non posse errare Concilium, cuius Decreta sunt etiam ab ipso Pontifice definita. Secūdò probatur ex locis, in quibus Ecclesiæ authoritas cōmendatur: cùm enim Canones Concilij Generalis à Pontifice confirmati omnino habeātur rati, & firmi ab omnibus Catholicis, & quidquid Concilium definit, Ecclesia firmiter credat; planè quibus Scripturæ, & Sanctorum verbis convincitur Ecclesiam errare non posse, eisdē persuadetur infallibilis authoritas

Conciliorum. Tertiò ad rem sunt verba Christi Domini Matth.18. *Vbi sunt* Matth.18.
duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quasi diceret, quoties aliqui legitimè congregãtur, ego adsum eos illuminans, & meo calculo sententiam illorum confirmãs. Fortasse propterea videtur nonnullis iste locus parùm ad rẽ, de qua agimus, accõmodatus, quia nimium probat; quis enim dubitet, plures legitimè congregari, & errare, sicut errarunt etiam Concilia Provintialia, nõ ex duobus, aut tribus, sed ex multis Prælatis coacta? Sed adhuc optimè deservit nostro instituto: adest nimirũ Deus ijs, qui in illius nomine congregantur, sed diverso modo, congregationi enim peculiari adest, ut ad superiorem recurrens ab ipso veritatem edoceatur; at ubi congregatio suprema est, ubi Ecclesia cum suo capite cogitur, non est superior, ad quem recurrat; quare necesse est, in medio Concilij Generalis sit nostræ salutis assertor, ut in veritate decernenda non
Innoc. decipiatur. Quare Innocentius apud Gratianum cap. *De quibus* distinct. 20. &
Bellarmi. aliqua Cõcilia apud Bellarminum lib. 2. cap. 2. afferunt prædictum locũ pro Conciliorum authoritate. Concilium verò Provintiale ad Pontificem recurrat, nam quandiu illius authoritati non coniungitur, non sunt duo, vel tres cõ-
Maldona. gregati in nomine Christi, ut Maldonatus ad hunc locum annotavit; quare mirum non est, si in errorẽ prolabatur.

6. Circa hanc conclusionem adverte, Concilium Generale Romani Episcopi authoritate cõfirmatum errare non posse in illis omnibus rebus, in quibus suprà diximus Summum Pontificem errare non posse: & quanvis certior sit authoritas istius Concilij, quàm solius Pontificis, tum quia de infallibili iudicio Concilij nullus Catholicus dubitavit, authoritatem verò Papæ nonnulli (licèt absurdè) in dubium revocarunt; tum etiam quia Concilium complectitur Episcopos, & plures Doctores, quorũ authoritas magni-faciẽda est; adhuc tamen dicendum est, magis certa esse, quæ Concilium definit circa doctrinam fidei, & morum, quàm quæ circa Sanctorum Canonizationẽ, & approbationem religionum, iuxta ea, quæ loco citato latè discussa sunt.

Sed contra obijcies primò: In antiqua Synagoga errare potuerũt omnes Prophetæ, & pastores etiam in Concilio congregati; ergo idem verum erit in nostra Ecclesia. Antecedens patet tum ex multis locis, tum maximè ex illis verbis Isaiæ 56. *Speculatores eius cæci* Isaiæ 56.
omnes, nescierunt universi, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiã. Imo Ioannis 11. Ioan. 11.
cùm Pharisæi Concilium collegissent, iniquam in Salvatorem nostrum tulere sententiam. Respondetur ex Melchiore Cano cap. ult. ad 2. & 3. multò cer- Canus.
tiora testimonia nobis esse pro infallibili iudicio Concilij Generalis in Ecclesia Catholica, quàm in Synagoga, ac proinde non esse legitimam argumẽti consequentiam. Deinde negatur antecedens, & ad probationem præterquãquòd ibi non agit Propheta de pastoribus in Concilio cõgregatis, id per hyperbolem accipiendum est; quod enim multis accidit, solent concionatores extẽdere ad omnes, sicut in cap. 1. cùm dixisset, *à planta pedis usque ad verticem capitis non fuisse in antiquo populo sanitatem,* satis indicat adhuc fuisse viros electos, cùm subdit, *nisi Dominus reliquisset nobis semen* &c. Locus Ioan. 11. ita explicandus est, ut primò iudicium illud iniquum fuerit iuxta Pharisæorum mẽtem; sed re ipsa iustissimum, si divinæ providentiæ ordinem consideremus, expediebat enim unum hominem mori pro populo, ne omnes periremus. Secundò cùm iam Christus Dominus, atque adeò legis Gratiæ tempus adesset, non mirũ est, si antiquæ Synagogæ pastores errarẽt, licèt posteà in lege Gratię errare non possent, iuxta illud Christi Domini Matth. ult. *Ecce ego vobiscum* Matth. ult.
sum usq; ad consummationem sæculi.

Obijcies secundò S. Nazianzenum, 8.
qui in 55. epist. ad Procopium ait, *se fugere Concilia Episcoporum, quoniã nullius* S. Naziãz.
Concilij finem lætum, & faustum vidit; & S. Augustinum, qui tom. 6. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ait se nolle uti au- S. August.
thoritate Concilij Nicæni. & to. 7. lib. 2. de Baptismo cap. 3. ait Concilia plenaria priora à posterioribus emẽdari. Deniq; multi sunt errores in Concilijs

approba-

approbatis,ergo falsum est in Concilio Generali approbato esse infallibilem definiendi authoritatem. Respōdetur, hæc omnia optimè à Catholicis solvi: Nazianzenus enim loquitur de Concilijs illegitimis,qualia in eo tempore, in quo Sanctus Doctor scripsit illam Epistolam,credebat futura propter multitudinem Episcoporum hæreticis favētiū; solùmq; loquitur de Synodis Provintialibus,ut notatur inScholijs illius epistolæ. Augustinus in priori loco nō vult proferre testimonium ex Nicæno, non quia illud firmissimum esse non putaret, cùm illius authoritatem ibidē paulò antè cōmendasset,sed quia obtinere valebat ab adversario,ne uteretur authoritate Concilij Ariminēsis, quod erat illegitimum : in posteriori verò loco vel loquitur de Cōcilijs prioribus illegitimis, quæ à posterioribus legitimis corriguntur; vel de non confirmatis à Papa,quę cùm errare valeant,possunt ab alijs posteà corrigi: vel agit de quæstionibus facti, in quibus errare possunt Concilia,vel de præceptis,quæ ab antiquo Concilio imposita fuerunt prudenter pro tempore antiquo, sed decet mutari à Concilio posteriori,eò quòd circunstantiæ temporum aliud exposcant. Quod verò ad errores Conciliorū attinet, vel illa non sunt approbata, vel optimè ab erroribus liberantur. Vide Bellarminum lib. 2. cap.8. Canum cap.ult. & alios ex suprà adductis. *Bellarmi.* *Canus.*

9. Dico secundò:Concilium Generale à Sede Apostolica reprobatum errare potest,imò eò ipsò errasse convincitur, quòd à Romano Pōtifice reprobetur. Conclusio est etiam certa apud Catholicos, nam eò ipsò quòd caput Ecclesiæ,cuius iudicium est omnino infallibile, reijciat aliquam Synodum,efficitur planè, vel ipsam non fuisse legitimam, vel certè in indaganda veritate minùs fuisse solertem, aut tandem non attigisse veritatē. Sunt autem eiusmodi Synodi reprobatæ septem. Primum est Antiochenum anno 345. ubi dānatus est S.Athanasius. Secundū,Mediolanense. Tertium,Ariminense. Quartū, Ephesinum II. Quintum,Constantinopolitanum sub Leone Isauro contra sacras Imagines anno 730. Sextum etiā Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo anno 755. Septimū est Pisanum anno 1511.

Ad hæc Concilia revocātur alia partim approbata, partim reprobata,quæ proinde ex una parte authoritatem habent, ex altera verò non : illa autē sunt Concilium Sardicense,Syrmiēse, Quinisextum, scilicet inter quintā, & sextam Synodum Generalem quasi medium, in quo editi sunt Canones Trullani absq; Romani Episcopi assistentia immediatè, vel interventu Legatorum. Vide Canum cap.ult. ad 6. & Bellarminum suprà cap.7. Turrianum in lib. de VI. VII. & VIII. Synodo, & præsertim Baronium tom. 8. in anno 692. ubi acriter in hos Canones invehitur, licèt Vazquez lib.2.de Adoratione putet, non posse dubitari de horum Canonum authoritate.Et sanè ubi veritati non contradicunt, magni ponderis sunt. Francfordiense reprobatum est solùm quoad illam partem, in qua ex errore damnat VII. Synodum Generalem. Constantiense etiam, & Basileense reprobata sunt, in quantum Cōcilium docuerunt esse maioris authoritatis, quàm Papam ; imò ex Basileensi nihil est probatum prēter dispositiones quasdam circa beneficia. His tandem adde Concilium Pisanum anno 1400. de quo dubium est inter Doctores, an fuerit legitimum, ac proinde non est certæ authoritatis. Vide Bellarminum cap.8. 10. *Canus.* *Bellarmi.* *Turrian.* *Baron.* *Vazquez.*

SECTIO III.

Explicatur, an Concilium Generale ante approbationem errare possit.

Venio iam ad id, de quo in hac disputatione dissentiunt Catholici, an scilicet Concilium Generale Romani Pontificis authoritate congregatum, sed nondum confirmatum errare possit in doctrina fidei,& morum. Partem negantem sequuntur Sotus in 4. dist.20. quæst.1. art.4. ad 2. Castro 1. de hæret.punit. cap.6. Corduba in tractatu,quem appellat *Arma fidei*, propofit.9. & Aragon ad art. 10. quæst.1. in 11. *Sotus.* *Castro.* *Corduba.* *Aragon.*

Vega. tract. de Concilijs: tribuitur Vegæ lib. 1. in Trident. cap. 6. sed non ita clarè loquitur. Addunt nonnulli Iuniores, licèt Concilium legitimè congregatum ante Pontificis confirmationem errare non posſit, non tamen eſſe omnino firmæ authoritatis Canones illius, donec à Pontifice ſtabiliantur. Corduba etiã addit in §. *Si autem*, Concilium decipi poſſe, ſi nimirum negligens ſit in indaganda veritate.

12. Dico tamen tertiò: Concilium licèt legitimè procedat, errare poteſt ante confirmationem Pontificis. Concluſio *S. Thomas* colligitur ex B. Thoma in hac 2. 2. q. 1. artic. 10. ubi cùm ageret de infallibili authoritate definiendi res fidei, non meminit Concilij, ſed ſolius Pontificis *Turrecre.* Romani: ſed eam expreſſè docet Turrecremata lib. 3. cap. 58. conc. 2. *Caiet.* Caietanus ſuprà cap. 11. & in Apologia cap. 21. *Campenſ.* Campenſis lib. 6. de Eccleſiaſtica Hierarc. cap. 13. & is videtur eſſe ſcopus illius libri: *Canus.* Canus 5. de locis cap. 4 & magis expreſſè in cap. 5. paulò ante finem quæſt. 1. quem ſequi videtur *Bañez.* Bañez in brevior. Comment. dub. 4. (quãvis poſteà addat, nullum Concilium legitimè congregatũ erraſſe, de quo ſtatim) *Bellarmi.* Bellarminus lib. 2. cap. 11. & *Valenc.* Valencia §. 44.

13. Vt diſtinctè probetur cõcluſio, varij illius ſenſus diſtinguendi ſunt: primùm enim conſiderari poteſt Generale Cõcilium cum Legatis quidẽ, ſed ita inſtructis à Pontifice, ut iſte tanquam caput Eccleſiæ ſuam ſententiam protulerit, & eam uberiùs confirmandam mittat ad Concilium; & tunc ſi Concilium quidquam contra eiuſmodi ſententiã definiat, errat ſine dubio, cùm iudiciũ Pontificis omnino infallibile ſit, ut vidimus ſuprà; & propter hanc cauſam *Epheſ. II. Leo Papa.* erravit Concilium Epheſinum II. ut conſtat ex Leone epiſt. 25. nec de hoc ſenſu diſputamus in hac concluſione. Ex quo fit ſecundò, ſi Patres Concilij iuxta prædictam inſtructionẽ definiãt, errare non poſſe, ſicut nec Pontifex errare poteſt; & tunc ſolùm deſervit Cõcilium ad pleniorem veritatis declarationem, & confirmationẽ. Vnde Leo Papa in epiſt 63. cap. 1. agẽs de doctrina Concilij Chalcedonenſis, quam ipſe priùs definierat, hæc ſcribit: *Quæ Dominus noſtro priùs miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, ut verè à ſe prodijſſe oſtẽderet, quod priùs à prima omnium Sede formatũ, totius Chriſtiani orbis iudiciũ recepiſſet, ut in hoc quoque capiti membra concordent.* Tertiò ſi Pontifex ita mittat ſententiam ſuam ad Concilium, ut ex parte ſua illam definiat, & ſolùm expectet conſenſum Patrum Concilij, ut tanquam omnino certam, & infallibilem publicè proponat Eccleſiæ, non videtur errare poſſe Cõcilium, ſi Pontifici conſentiat, tũc enim erraret Pontifex, ſi Concilium deciperetur, quod tamen eſt impoſsibile, ut loco citato oſtenſum eſt: & pro hoc faciunt, quæ ex Concilijs congerit Bellarminus ſuprà in quarto modo, nec iſtud negat ulla ratione noſtra concluſio.

¶ Quartò, convenire poſſunt Patres ſine Legatis Papæ, aut quia illos expectare noluerunt, aut quia violenter eiecerunt à Concilio, aut quia licèt adſint Legati, volunt Patres definire contrarium ei, quod Pontifex definiendũ propoſuit, iuxta dicta in tertio modo proximè explicato: & in his omnibus evẽtibus Concilium eſt illegitimum, cùm contra Pontificis voluntatem, aut ſine gerente vices illius congregetur; quare dubitandũ non eſt, quin errare poſſit, ut erraſſe dicitur Conſtantinopolitanum tempore Nicolai I. neq; id negant Doctores adducti ante noſtram concluſionem.

14. Quintò ergo convenire poſſunt Patres Concilij ſimul cum Legatis, qui tamen non ſint peculiariter inſtructi à Põtifice, ſed ſolùm mittantur ad tractandũ de rebus fidei, quæ in Concilio diſputabuntur; vel ſi fortè inſtructi ſint, Pontifex tamen nihil protulit ut Pontifex, ſed ut peculiaris Doctor aperuit ſententiam ſuam, licèt omnino ſubiectã veritati, ſi poſteà eluceret, tunc enim perinde ſe habet Pontifex, ac ſi nihil diceret Legatis; cùm doctrina illius, ut privatus Doctor eſt, non minùs falſa eſſe poſſit, quàm quæ ab alijs Doctoribus ſolet affirmari. Concluſio ergo noſtra ſtatuit, in prædicto eventu errare poſſe Cõciliũ Generale, licèt in omnibus alijs legitimè ſe gerere videatur,

& in

& in hoc sensu illā amplectuntur Theologi à nobis citati.

15. Probatur autem primò, quia omnis congregatio hominum potest errare in rebus fidei,& morum,nisi ex speciali Dei privilegio habeat infallibilem in suis sentētijs authoritatem; sed prædicta congregatio,seu Concilium Generale ex nullo Dei privilegio habet infallibilem in suis sententijs authoritatē, ergo potest errare in rebus fidei, & morum.Consequentia legitima est, & maior ab omnibus Catholicis admittetur sine controversia. Minorem probo,quia nec ex Scriptura,nec ex doctrina Patrum,& Doctorum,nec ex sufficiente ratione istud privilegium colligi potest, ergo sine fundamento asseritur illud concessum fuisse Concilio Generali. Antecedens persuadetur, quia imprimis nulla urgens ratio id ostendit, ut patebit in solutione obiectionum;deinde sancti Patres id non asserunt, nec ullus profertur ab adversarijs; ex Doctoribus verò plures sūt pro nobis, ut patet ex adductis, & illi sunt de numero eorum, qui rem multò magis ex professo tractarunt, & in cōtroversijs scribendis,atq; Concilijs, & Patribus evolvendis fuerunt diligentissimi. Deniq; in Scriptura id nō habetur, nam hæc solùm commendat nobis infallibilem authoritatem Pontificis, & Ecclesiæ;at ibi non assistit Pōtifex,nec universa Ecclesia, sed solùm quamplures illius Prælati:imò in Cōcilijs Oriētis solebant adesse paucissimi ex Patribus Occidentis, cùm tamen Concilia illa forent Generalia: præterquāquòd nomine totius Ecclesiæ intelligendū est etiam caput; iam autem ostēdimus Concilium simul cum Pontifice errare non posse.

16. Dicet aliquis,licèt ibi non adsit universa Ecclesia, adsunt tamē Patres universam Ecclesiam repræsentantes, Legatus enim repręsentat Pontificem,reliqui verò Prælati cætera membra; unde Decretum Cōcilij dixit Leo suprà non solùm esse iudicium totius Ecclesię,sed totius orbis Christiani: quare in locis Scripturæ, qui infallibilem dicūt esse sententiam Ecclesiæ, haberi sine dubio videtur, Concilium, cui adsunt Episcopi, & Legatus, errare non posse. In cuius confirmationem facit, quòd cùm cōmunis plebs non ferat, nec ferre debeat sententiam in controversijs fidei, sed dumtaxat illorum Prælati, si isti decipi possent,consequēter universa deciperetur Ecclesia,quod est absurdum.

Hæc tamen solutio refellitur efficaciter primò, quia Concilium prædictū rigorosè loquēdo non est universa Ecclesia,sed illius repræsentatio;Scriptura autem non dat infallibilitatem ijs solùm,qui communem plebem repręsentant,quando in Concilio congregatur, potiùs quàm extra illud;quare non minùs in Concilio,quàm extra illud decipi possunt: in speciali verò potestas infallibiliter definiendi, quam Pontifex habet, non potest ab illo concedi suis Legatis, ut rectè docuerunt Turrecremata cap.38.Canus cap.5.apud Valenciam ad confirmationem primæ obiectionis, Castro suprà; colligiturque ex Bellarmino suprà. Vnde eleganter dixit Caietanus in illo cap.11. dum ageret de veritate nostræ cōclusionis,*Gratiam personalem repræsentati non transire in repræsentantem;* ut inductione perspicuum est, non enim Legato Petri, sed Petrò dictum est: *Ego rogavi,ut non deficiat fides tua.* Secundò refellitur,quia privilegia universalis Ecclesiæ in definiendo tribui censentur membris,& capiti; quare solùm hac obiectione convincitur,non posse errare Concilium simul cum vero capite; Legatus autem verum caput non est.Tertiò soli Prælati, quorū suffragijs decernitur aliquid in Concilio, non repræsentant integrā Ecclesiam,nec universam plebem, sed partem illius, nam quod decernitur in Concilio,nō ab omnibus statuitur, sed sufficit maioris partis consensus, etiāsi solū maioritas proveniat ratione unius tantùm suffragij: licèt ergo si omnes Prælati Christiani orbis errarent in sua definitione,errare censeretur communis plebs, & propterea verū videatur, omnes illos simul errare non posse, sive extra Conciliū, sive intra illud, cùm eadem sit ratio,sive intra,sive extra Synodū decipiātur; non tamen inde probatur,Concilium errare non posse,tum

17.

Turrecre. Canus. Castro. Bellarmi. Caietan.

quia maior pars Episcoporum bene potest errare, nec propterea diceretur errare omnis plebs; tum etiam quia si bona pars Episcoporum in Concilio non consentiat Decretis, & aliunde multi Episcopi possint Concilium non adire, ut patet ex suprà dictis, fiet consequenter, absolutè maiorem Episcoporum partem non errasse. Deniq; si Concilium non sit legitimum, adhuc Episcopi repræsentant plebem, & tamen errare possunt secundum omnes; ergo idẽ erit, si legitimè procedant; non ergo ex eo quòd maior pars Episcoporum aliquid statuat in Concilio, statim censendum est illud esse Decretum totius Ecclesiæ, donec accedat Pontificis confirmatio, tunc enim iam censetur universus orbis illud approbare iuxta sententiam Leonis Papæ, quam retulimus.

18. *Basileens.* Secundò probatur præcipuè conclusio, quia Concilium Basileẽse legitimè congregatum est in principio, ibique affuit Legatus Eugenij, & Martini V. in sess. 1. & 2. nec constat quidquam egisse contra Romani Pontificis instructionem; & tamen in 2. sessione PP. statuerunt Concilium esse maioris authoritatis, quàm Papam, quod omnino falsum est, ut infrà patebit; ergo non repugnat Concilium errare præsentibus Legatis. Respondent aliqui, Legatos nec astitisse, nec subscripsisse, & aliunde Episcopos fuisse paucissimos. Sed contrà, quia ex Actis Concilij non cõstat absentes fuisse Legatos; quòd vero non subscripserint, nihil refert, cùm firmitas Canonis non cõsistat in subscriptione Legatorũ; quando enim ipsi non afferunt instructionem definitivã Pontificis, rectè possunt errare, & contra Concilium falsò sentire. Quod verò attinet ad paucitatem Episcoporum, non constat illam fuisse tantam, ut propterea Concilium non fuerit Generale.

19. *Turrecre.* Tertiò deniq; probatur, quia Concilia petunt à Romano Pontifice confirmationem, ut eruditè ostendit Turrecremata cap. 34. quod signum est, non videri Patribus adeò certa sua dogmata, ut ab omnibus inconcusa fide teneri debeant, nisi à Summo Pontifice confirmẽtur. Quod etiam confirmatur ex doctrina Turrecrematæ lib. 2. cap. 100. quam approbat Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia, scilicet consuetum fuisse Romanis Pontificibus cõgregare Romæ Concilia, ut ita approbare possent Synodos Generales, quibus ipsi non interfuerant nisi per Legatos; & ita fecit Sylvester, ut Nicænum I. confirmaret postulãte Hosio Præside Concilij Niceni, ut patet ex epistola eius ad Sylvestrum, quam affert Castro suprà. Confirmatur secũdò ex testimonio Cõcilij Chalcedonensis, quod refert ibidem Turrecremata ex Isidoro dicente, Concilia confirmari solita authoritate Apostolicę Sedis, quia aliter nullum robur habebant; non ergo sentiunt Pontifices, esse infallibile iudicium Concilij ante confirmationem. Nec verisimile est, quod ait Corduba, scilicet Patres Concilij si nimium negligentes sint, errare posse, secùs verò non; nam si Spiritus sanctus eis assistit, ut ipse concedit, consequenter assistet, ne sint negligentes sicut suprà ex eo quod Pontifex errare nequeat, collegimus, non posse esse negligentem in indaganda veritate; quarẽ utcumq; res se habeat, dicendũ est non constare de infallibili iudicio Concilij, donec adsit authoritas Episcopi Romani. *Sanderus.* *Castro.* *Chalcedo.* *Turrecre.*

SECTIO IIII.

Obiectiones afferuntur, & diluuntur.

20. SED obijcies primò: Potestas definiẽdi res fidei non residet in solo Pontifice, sed in integro Concilio; ergo non solus Pontifex, sed reliqui etiam Patres errare non possunt. Antecedens patet primò, quia certius est, Conciliũ simul cum Pontifice non posse errare, quàm solum Pontificem. Secundò, quia Patres Concilij non solùm sunt consiliarij, sed veri iudices, ut optimè probant Bellarminus, & Turrecremata, colligiturque ex modo, quo ipsi subscribunt Concilio dicentes, *Ego N definiens subscripsi*: & alioqui non differret Conciliũ Generale à congregatione hominum de fide disputantium iussu Pontificis, quod est omnino falsum. Iam verò si iudices sunt, non solùm Papæ, sed illis tribuendum est privilegium veri definendi.

niendi. Respondetur, antecedens esse verissimum, si loquamur de Concilio ex membris, & capite constanti, hoc enim non ratione solius Pontificis, sed etiam Patrum simul cum Papa veritatē definit, & errare non potest, & quodā modò habet maiorem authoritatem, quàm solus Papa, ut probat obiectio; sed ipsi Patres secluso capite non habent infallibilem authoritatem, ut in definitione non errent, quia illorum authoritas, & iudicialis potestas, quā verè habent à Deo, ut Ecclesiæ pastores, est veluti inadæquata, & pendēs à Pontifice, ut infallibilis sit; quare neganda est argumenti consequentia.

21. Obijcies secundò: Pontifex tenetur cōfirmare decreta Concilij Generalis absq; ullo alio examine, si solùm cōstet Patres cum Legatis definijsse; sed Pontifex confirmare non potest falsitatē; ergo non potest esse falsum id, quod in tali Concilio fuerit definitum. Respōdetur, maiorem esse veram, quando aliunde non constiterit Pontifici illos Patres à veritate defecisse: unde si Cōcilium confirmet, infallibilem habebit authoritatem non ex ipso solo, sed ex eo à Pontifice confirmato. Quoniam tamen divina providentia gubernat Pōtificem, & Christus Dominus rogavit, ne deficeret fides eius, ipse illuminabit illum, si fortè aliquid falsum à Patribus fuerit statutum, & posita tali illuminatione patebit defectus, nec tenebitur Pontifex Concilium confirmare.

22. Obijcies tertiò: Concilium ante cōfirmationem Pontificis, anathema inurit oppositum sentientibus; ergo sentit se habere infallibilem authoritatē definiendi. Confirmatur, quia licitè videtur posse Concilium excōmunicare, & punire rebelles suis definitionibus, etiam ante approbationem Pontificis, imò qui tunc negaret dogmata definita à Concilio, puniri posset meritò ut suspectus in fide, ergo Concilium istud errare non potest. Respondetur negādo consequentiā, sed Patres definiunt, quod ipsis videtur esse de fide, relinquunt tamen Pontifici authoritatē cōfirmandi id, quod ab omnibus inconcussa fide credēdum est: sicut si aliquis Theologus diceret, sibi videri hoc dogma certum secundum fidē, expectare tamen, ut ab Ecclesia confirmetur. Ad confirmationem, licèt Concilium errare possit, quandiu tamen de illius errore manifestè non constat ex Scriptura, aut Pontificis declaratione, nimiùm audax esset, & plusquā temerarius, qui illi contradiceret, & ideò meritò posset excommunicari, aut puniri rebellis etiam ante confirmationem Papæ: sic enim indoctus, qui audiret à multis doctis Theologis aliquid esse de fide, plusquàm temerarius esset, si contradiceret sine manifesta ratione, aut authoritate, & tamen sententia illorum Theologorum non est infallibilis propter authoritatem eorum.

Obijcies quartò: Si Concilium adhæreat uni sententiæ, & Pontifex alteri, potiùs standum est Concilio; ergo illud etiam ante confirmationem Pontificis errare non potest. Respondetur distinguendo antecedens, si enim Pontifex aliquid doceat ut privata persona, aut suam sententiam subijciēs aliorum iudicio, adhærendum potiùs erit Cōcilio, in quo sunt multò plures, illique doctissimi; facilius namque est unum privatū Doctorem errare, quàm plures: si verò aliquid definiat ut Pontifex, illius doctrinæ potiùs, quàm Cōcilio adhærendum est. 23.

SECTIO V.

Appendix præcedentium Sectionum: An Cōcilium Generale sit Summo Pontifice superius?

OCcurrit verò gravis difficultas, etsi ex parte iam suprà expedita sit, an scilicet Concilium Generale secluso Pontifice maiorem habeat, quàm Pontifex, authoritatem, atque adeò potestatem habeat supra illum. De hac re legendi sunt inter alios Turrecremata lib.3. à cap. 44. Turrianus in tribus libris de hoc argumento, Bellarminus lib. 2. de authoritate Concilij à cap.13. & Valencia suprà §. 44. argument.6. Caietanus opusc. de authoritate Papæ, & Concilij. Et quidem Concilium esse supra Papam, asserunt 24.

Turrecre. *Turrian.* *Bellarmi.* *Valenc.* *Caietan.*

hæretici nostri temporis, & nonnulli Catholici, quos refert Bellarminus cap. 14. Probatur primò, quia Christus
Matth. 18. Dñs Matth. 18. dixit Petro: *Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ;* ergo Ecclesia superior est Petro, etiam ut Pontifex est, nam in cap. 16. iam ei tradiderat claves. Secundò, quia ita defi-
Basileens. Constant. nierunt Concilium Basileense, & Constantiense sess. 5. approbatũ à Martino V. in sess. ult. Tertiò, quia in varijs casibus adductis suprà potest Põtifex deponi ab Ecclesia, seu Concilio, ergo est illis inferior.

25. Contrariam sententiam docent Iuniores, præsertim Theologi unanimi consensu, & Bellarminus meritò ait in cap. 17. esse ferè de fide, & Valencia oppositum pugnare cũ certissima fide
Ferrara. de primatu Petri: Ferrara etiam ait vanam, & à fide alienam esse contrariam doctrinam, 4. contra Gentes cap. 76. §. ult. Probatur imprimis ex verbis Chri
Matth. 16. sti Dñi Matth. 16. *Super hanc petrã adificabo Ecclesiam meã, & tibi dabo claves regni cælorum.* Ecce Salvator noster dat potestatem Petro, & consequẽter eius successoribus supra universam Ecclesiam; non ergo Ecclesia dat illi hãc potestatẽ, ac proinde nullo modo potest esse Petro superior. Confirmatur, quia Concilium Generale constat ex Patribus, qui sunt oves Christi; Pontifici autem dictum est: *Pasce oves meas.* Quis audeat, oves dicere maioris potestatis esse quàm pastorem, aut pastorem illis subditum esse? Secundò id ipsum con-
Lateran. stitutum est in Lateranensi ultimo sub Leone X. sess. 11. & quamvis non desit, qui id ibi definiri neget, certè adeò gravibus verbis asseritur, ut negari nul-
Florent. lo modo possit: & Concilium Florentinum sess. ult. ad fin. *Definivimus, Romanũ Pontificem in universum orbem tenere primatum, &c.* Tertiò, reverentia, quã omnia Concilia exhibent Pontifici, certus index videtur veritatis nostræ conclusionis. Quartò, inter alias Pontificum
Bellarmi. sentẽtias, quas affert Bellarminus cap. 17. optima sunt pro hac veritate verba
Pasch. Pa. Paschalis Papæ, quæ habentur in cap. *Significasti*, Extrav. *de electione*, ubi clarè dicit, non posse leges præfigi Pontifici à Concilio, & Concilia facta fuisse, & robur accepisse ab Ecclesia Romana; & quamvis Pontifex possit permittere Concilio, ut sententiam aliquam cõtra ipsum ferat ipso consentiente, non tamen id habet ex ullo iure: unde in cau-
sa Marcellini Papę, qui idolo sacrificiũ obtulerat, cùm Pontifex suum crimen agnosceret, & pœnitentiam sibi iniungeret, ita Synodus congregata, cui Papa aderat, respõdit, ut affertur in Summa Conciliorum in Marcellino: *Quia ore suo condemnatus est, & ore suo anathematizatus accepit maranatha, nemo enim unquam iudicavit Pontificem, quoniam prima sedes non iudicabitur à quoquã; tu eris iudex, ex te condemnaberis, tamen in nostra præsentia; tu enim iudex, tu reus.* Nihil profectò illustrius adduci potest, ut cõstet de suprema Pontificis authoritate. Marcelli. Papa.

Ad primum, Petrus nondũ erat Pontifex, sed illi promissus erat Pontificatus; quare loquitur Christus Dñs cum eo, ut cum persona privata. Pręterquã quòd Pontifex ipse dicere poterit crimen fratris Ecclesiæ, non ut superiori cõparatione Pontificis, sed ut congregationi, coram qua erubescat incorrigibilis frater, & à qua puniatur. Ad secundum, Concilium Basileẽse non fuit in hac parte approbatum, sicut neque Constantiense, quia Martinus V. solùm approbavit ea, quę Conciliariter in eo statuta sunt, scilicet re diligenter examinata: decretum autẽ hoc, quod impugnamus, sine examine factum est, ut Bellarminus notat, & latè persequitur Caietanus cap. 8. satisq; declarat praxis Ecclesiæ, & Conciliũ Lateranense posteà celebratum, non fuisse mentem Martini V. approbare pręfatũ decretũ. Ad tertiũ, non deponit Ecclesia Pontificẽ nisi designando personã, ut ab illa Deus auferat dignitatẽ: hoc autẽ non est signũ superioritatis, ut supra notabamus. 26.

In fine huius disputationis adverto, à Luysio Turriano latè, & bene explicari in disput. sua 19. an, & quatenus liceat Concilio cõcedere hæreticis salvũ conductũ, & quando, & quo modo obligetur ad servandũ iuramentum de non puniẽdis hæreticis, si ad Conciliũ veniẽtes, nihilominus nõ resipuerint. Sed nos brevitatis causa hanc disputa- 27.

tionem

tionem omittimus, & reijcimus ad materiam de iuramento, nam iuxta illius generalia principia facilè potest hæc difficultas expediri.

DISPVTATIO II.

De authoritate Concilij Provintialis, Sanctorũ Patrum, Scholasticorum, historiæ Ecclesiasticæ, & aliarum specialium Congregationum.

SECTIO I.

De Concilio Provintiali.

1\. NOMINE Concilij Provintialis comprehenduntur omnia, quæ generalia nõ sunt, sive sint diœcesana, in quibus nimirũ conveniunt presbyteri cum suo Episcopo; sive Provintialia, quibus præest Archiepiscopus, & cum suis suffraganeis tractat de rebus ad Provintiæ bonũ pertinentibus; sive Nationalia, quibus adsunt omnes Prælati unius nationis, præsidetque Patriarcha, vel Primas, cuiusmodi est Archiepiscopus Toletanus. Dico ergo breviter, omnia hæc Concilia à Pontifice cõfirmata errare non posse in fide, & moribus; habetque hæc veritas non minorem certitudinem, quàm quod Pontifex errare nequeat, de quo suprà. Antè verò quàm confirmentur, licèt non posiit quivis sine urgenti fundamento illis contradicere, errare sine dubio possunt, ut erravit *Carthag.* *S.Cyprian.* Concilium Carthaginense, cui præfuit B.Cyprianus, ubi definitum est, baptizatos ab hęreticis debere iterum baptizari, cùm ad Ecclesiam redierint.

2\. *C.ad Abo.* Sed obijcies caput *Ad abolendam*, Extrav. de hæreticis, ubi dicit Põtifex, se inuretre notam anathematis illis omnibus, quos Episcopi per suas diœceses simul cum Concilio Clericorum hæreticos iudicaverint. *Sixt. IIII.* Et Sixtus IIII. in Bulla, qua confirmavit Conciliũ Complutẽse contra Petrum Oxomensem, asserere dicitur, ea, quæ de Pontificis mandato fiunt, plenam obtinere roboris firmitatem: ergo Concilium particulare coactum authoritate Romani Pontificis habet infallibilem authoritatem, antequàm confirmetur. Respõdetur, in priori loco sermonem esse de hæreticis, qui negãt veritates iam sufficiẽter definitas, & declaratas ab Ecclesia, tũc enim optimè potest Episcopus excõmunicare illos, à quibus noverit, eiusmodi veritates negari; nos verò solùm dicimus cum cõmuni Doctorum, in controversijs fidei posse errare, saltem quando res non est adeò perspicua. Aliter respõdet Canus cap. 4. conc. 8. scilicet illud committi posse à Pontifice, quia decreta istorum Conciliorum faciunt rem sufficienter probabilem, ut quis ut hęreticus probabiliter reputetur, saltem in causa minùs obscura. In posteriori verò non agit Pontifex de doctrina fidei, & morum, sed de iurisdictione, quam illud Concilium habuit ad cogendum comparere illum hæreticum, & compellẽdum, ut sententiam retractaret.

Rogabit aliquis, quænam Concilia non Generalia sint à Pontifice confirmata. Respondetur, in cap. *De libellis* dist. 20 haberi pro confirmatis Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Africanum, & Carthaginensia. Sunt 3. *C.de libel.* etiam confirmata Toletanum I. Arausicanum II. Milevitanũ, & Complutense sub D. Alphonso Carrillo, ut affert Carrança in Summa Conciliorũ in Sixto IIII. Vide Bellarminũ lib. 2. cap. 10. ad finem, qui etiam addit cũ Cano lib. 5. de locis cap. 4. conc. 5. alia Toletana, Arelatensia, Hispalensia, & Bracharensia esse quasi implicitè, seu quodammodò probata consensu Ecclesię; quod idẽ docet Valencia §. 44. de alijs Concilijs, quæ ad notitiam nostrã pervenerunt, & in veneratione sunt apud Catholicos. *Carrança.* *Bellarmi.* *Canus.* Vnde docet Canus, licèt ex his nõ sumatur omnino certũ argumẽtum, sumi tamen probabile; imò videtur profectò temerariũ illis sine urgẽtissimo fundamẽto cõtradicere, ut docuit Bellarmin⁹: cõfirmaturq; authoritate Octavæ Synodi Generalis act. ult. 4.

in cuius Canone I. honorificè suscipiũtur Synodi particulares. Quod ad Cõcilium Elibertinum attinet, dicemus in materia de Incarnatione tract. ult. de Imaginum adoratione, licèt rectè explicentur varij Canones, in quibus falsa doctrina contineri videbatur, nihilominus in 1. tom. Concil. dici nunquam fuisse ab Ecclesia receptũ. Extat liber editus in huius Cõcilij defensionem, quẽ memini me legisse, etsi nunc non recorder authorẽ, & in eo fit mentio de approbatione illius à Summo Pontifice facta.

SECTIO II.

De authoritate Sanctorum Patrum.

5. Lyrinens. Campian. Canus. SEcundò de authoritate Sanctorum Patrum legendus est libellus planè aureus Vincentij Lyrinensis adversus prophanas omnium hęreseon novationes, Campianus in 5. & 6. rationẽ scripsit etiã copiosè, & eruditè Melchior Canus toto lib. 7. de locis; aliquid etiã tangit noster Valencia suprà in §. penult. Breviter dico primò: in rebus Physicis etsi non desit Sanctis Patribus authoritas magni habenda, non tamen repugnat omnes simul errare, cùm in eiusmodi rebus non sint isti ut magistri cælitus nobis dati. Secundo in rebus fidei, & morum, in explicanda antiqua traditione, valet multum authoritas aliquorum; sed quando alij ex Patribus pijs, & Catholicis contrarium docent, non sumitur certum, & infallibile argumentum, ut satis perspicuum est, & non paucis exẽplis illustrari posset. Tertio si omnes Patres, aut ferè omnes (ita ut contrarium non doceat unus, vel alter, cuius authoritas sit non parvi momẽti) si (inquam) ferè omnes Patres, aut certè omnes ex professo aliquid doceant ut doctrinam à Deo revelatam, ut mores Catholicos, ut verũ sensum Scripturæ in rebus ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentibus, id tanquam certum tenendũ est, nec in eiusmodi rebus tam illustris hominum cõgregatio decipi potest. Multa congerit Canus optimè pro hac veritate in cap. 3. Sane Scriptura monet, ut Ecclesia istis viris credat, & ab illis ne latum quidem unguẽ recedat: Proverb. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Isti sunt illi egregij Doctores, quos secundùm Paulum ad Ephes. 4. dedit nobis Deus, *ut non circumferamur omni vento doctrinæ.* Qui ab istis recedunt, ad quos obsecro accedere poterunt, ut obscuram Dei nostri revelationẽ addiscant? *Quidquid ergo* (ait Lyrinensis cap. 39.) *vel omnes, vel plures Patres, qui in fide, & cõmunione Catholica sanctè, sapienter, constanter vivẽtes, docẽtes, & permanẽtes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt;* (ij sunt Patres, quorũ sententię secũdũ Lyrinensẽ, & veritatẽ standũ est) *quidquid ergo omnes isti, vel plures, uno, eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint; id pro indubitato, certo, ratoq́, habeatur.* Valenc. Prover. 22. Ad Eph. 4. Lyrinens.

6. Ex quo fit quartò, si quid ab omnibus Patribus, aut certè multis obiter, & quasi per transenam dictum sit, non adeo firmam authoritatẽ facere, licèt ea contemnẽda non sit: similiter si res, de qua tractant, non magni, sed parvi momenti est ad ædificationem doctrinæ Christianæ, non adeo infallibile est illorum testimonium; & propterea Tridentinum sess. 4. agẽs de explicatione Scripturæ, solum præcipit, in ijs rebus fidei, & morum, quæ pertinent ad ædificationem doctrinæ Christianæ, neminem audere interpretari Scripturam contra unanimem consensum Patrum: & Lyrinensis cap. 39. *Antiqua Sanctorũ Patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solùm certè præcipuè in fidei regula magno nobis studio & investiganda est, & sequenda.* Quæ autem sint istæ quæstiunculæ, difficile sanè explicatu est; nec exempla, quæ ad explicationẽ affert Canus, mihi omnino probantur. Benedictus Pererius to. 1. lib. 3. in Genesim disp. de Paradiso q. 5. §. *Quid igitur*, in exemplũ affert quæstionem, *An existat paradisus*; & ita videtur in his & similibus non esse tam infallibilem omnium Patrum consensum, quamvis magni faciendus sit. Trident. Perer.

SEC-

SECTIO III.

Quanti habenda sit Scholasticorum Theologorum consensio.

7. Tertiò de authoritate Scholasticorum diximus aliquid in præfatione nostrarum lectionu, & multa dicit Melchior Canus 8. de locis. Nostra, & cōmunis, nec a doctissimo Cano aliena sententia, hæc est. Primùm in rebus physicis valet quidem omnium Theologorum authoritas, sed certam fidem non facit; quid enim incōmodi, si omnes Scholastici in explicanda tēporis, aut loci natura decipiātur? Deinde in rebus fidei, & morū, quidquid omnes ut certum, & a Deo revelatum serio, & ex professo tradunt, adeo certam fidē habet, ut hæreticus, vel hæretico proximus sit, qui id cum pertinacia negaret, ut rectè Canus cap. 4. conc. 3. Etenim hi etiam sunt Doctores, quos secundùm Paulum Deus nobis dedit, *ut non circumferamur omni vento doctrinæ*: hi sunt, qui perspicuè ostēdūt, quid Scriptura, quid Patrum cōsensus, quid Cōciliorum decreta definiant circa aliquam rem, illorumq; iudicio acquiescit Ecclesia; ergo sicut hæc errare non potest, ita nec omnes Theologi, sed absolutè certum est, quidquid apud illos certum est. Tertiò, quod non asserunt ut à Deo revelatum, sed tamen ex professo tractant, & verum reputāt omnes, verum absque dubio est, si disputatio sit Theologica, & sine temeritate refelli non potest; quis enim tam audax, qui sentētiolam suam, & novellam opinionem tantæ authoritatis pōderi non subijciat? & Ecclesiæ magistros errasse credat, sibi uni detectam veritatem? Quòd si obiter rem tractent, minimè temerarius, qui ab illis, maturè tamen, interdū recedat; quòd si bonos pro se habeat authores, etsi paucos, probabiliter, & interdum verissimè recedere ab illis poterit. Denique si Scholastici rem defendant ut incertam, & solùm probabilem, credamus oportet esse probabilem: sed non erit temerarius, qui oppositam probabilem dixerit. Ad Scholasticos revocare poterimus Canonistas, quibus in declarando Iure Canonico, quando omnes conveniunt, sua quoque, & non exigua authoritas tribuenda est.

Canus. Ad Eph. 4

8. Ex dictis colligo, videri probabilissimum, non posse moraliter loquendo deficere à fide omnes Theologos Doctores etiam huius, vel alterius cuiuscumque ætatis. Primùm enim cùm eorum iudicio acquiescāt cæteri fideles, videtur spectare ad Dei providētiam non permittere, ut falsum in fide, & moribus doceant: deinde cùm si cōtra fidem aliquid pertinaciter sentirent, facilè possēt alios decipere, atq; adeò cōmunem plebē, non permittet Deus, ut errent, atq; adeò hæretici sint: sicut neque ut omnes ignorent id, quod ad salutem necessarium est, & cōmunem plebem docere tenentur.

SECTIO IIII.

De authoritate Prælatorum, & Historicorum.

9. Quartò, quod ad omnes Prælatos attinet, vera est sententia Bellarmini to. 1. lib. 3. de Ecclesia Militante cap. 14. & Cani lib 4. cap. 4. conc. 4. quamvis magis limitatè loquatur, omnes in rebus fidei, & morum errare nō posse. Probatur tum ex loco Pauli ad Ephes. 4. suprà adducto, tum authoritate Patrum, quos refert Canus; tum denique, quia ipsis ex officio incūbit populos edocere, ipsos tenetur plebs audire; nam secūdum Christum Dñm: *Qui vos audit, me audit*: si autem ipsi errarēt, universa plebs errare posset, atq; adeò populus Christianus. Atq; id quidem magis certò probat non posse errare in docendo, sed etiam verum videtur non posse in ipsis deficere fidē, quia inde consequens fieret, ut docerent errorem suum.

Bellarmi. Canus.

10. Sed objicies: Licèt Prælati errarēt, superstites essent multi alij Doctores, & religiosi viri, qui Prælatis contradicerent, maximè cùm non semper Episcopi sint doctiores; ergo non est necessarium eos non errare. Respondetur negando consequentiam, quia Episcopis ex officio incūbit regere Ecclesiā, & docere

& docere populos, ac proinde incongruum esset, si omnes illi deciperētur, minusq; damnum esset alios Doctores errare. Vt autem obiter de plebe, & religiosis aliquid dicamus, illam quidē moraliter certum est in universum errare non posse; si pastores omnes non errent, ut non errabunt. Religiosi quidem omnes nunquam errabunt: quis enim ex ignorantia, vel malitia errasse credat optimam Ecclesiæ partē, in qua viget sanctitas multò magis?

11. Quintò quilibet Prælatus inferior Romano Pontifice, & illius subditi errare possunt. Romanum Pontificem diximus nec ut privatam personam *Bellarmi.* posse à fide deficere: imò Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 4. id ipsum existimat de populo, seu Clero Romano, id est, de urbe, quam Pontifex inhabitat: id quidem saltem probabile, & pium est, quia in tanto numero hominum moraliter non deerūt, qui pastoris sui vocem audiant, idq; decet illius urbis dignitatem: quare bene S. *S. Naziāz.* Naziāzenus in carmine de vita sua fol. 7. dixit: *Veterem Romam ab antiquis temporibus habere rectam fidem, & adhuc eam retinere, sicut decet urbē, quæ toti orbi præsidet.*

12. Sed præterea addo, absolutè dici debere, Ecclesiam urbis Romæ errare non posse, nam cōtraria propositio as- *Oxomensis* serta fuit à Petro Oxomēse inter alias, quas Alphonsus Carrillus Archiepiscopus Toletanus ex commissione Sixti IIII. cum multis Theologis damnavit Compluti ut hæreticas, erroneas, scandalosas, & male sonantes. Sic refert *Carrança.* Carrança in Summa Conciliorum.

13. *Canus.* Sextò, de Historicorum authoritate differit bene Canus lib. 11. in cuius cap. 4. ait, licèt unus, aut alter historiæ Ecclesiasticæ scriptor decipi posit, nec proinde certam fidem faciat, plurium tamen, si graves sint, magni-faciendum esse testimonium; &, si omnes consentiant, rem facere certam: unde concludo, si apud omnes historicos, imò & apud plerosq; traditum sit, aliquid fuisse in aliquo approbato Concilio definitum, ita sine dubio credendū esse, si aliunde nihil convincat: quid enim stultius, quàm fidem non habere historijs, quibus de totius antiquitatis negotijs efficimur certiores? Sanè ad Dei providentiam spectavit non decipi omnes historicos in rebus ad religionem nostram pertinentibus.

DISPVTATIO III.

Vtrùm in dignoscendis veris nostræ fidei dogmatibus, solius authoritatis, an etiam rationis, atque adeò Philosophorum ratio habenda sit?


HABET sine dubio in prædictis rebus suum quoque locum naturalis ratio Primùm, quia quidquid evidenter dictat rationis lumen, falsum esse non potest, ac proinde nec contrariū divinæ revelationi, quæ non nisi de veritate haberi potest, ut in tract. 1. dictum est. Deinde, quia in solvendis infideliū obiectionibus necessaria sæpe est ratiocinatio; & principiorum naturalium enucleatio, ut ita fidei nostræ veritas elucescat. Tertiò, quia sæpe in Theologicis argumentationibus cum una præmissa fidei iungitur altera ex naturali ratione petita, & ad rectè inferendum, & disponendum Theologicas quæstiones naturalis ratiocinatio conducit. Et quoniam Philosophi naturales magnæ authoritatis sunt in rebus naturalibus, illorum quoque suffragia Theologus, atq; adeò fidei nostræ professor non contemnit. 1.

Duo tamen attendenda sunt: unum est, faciliùs posse decipi omnes Philosophos in re naturali, quàm omnes Patres, aut Theologos in re Theologica; atq; adeò minoris ponderis esse Philosophorū, quàm Theologorū cōsensum. Res quidem naturalis minoris momēti est, & humanæ imbecillitati magis accommodatur; res Theologica magni ponderis est, & ad supernaturalem providentiam, quæ magis specialis est, revocatur; adhuc tamen certum, aut ferè certū est, quidquid in Philosophia 2.

omnes

Canus. omnes Philosophi cōstanter asseverāt; ut bene Canus lib. 10. cap. 3. ubi etiam cap. 7. 8. & 9. docet utilissimam esse Theologo iuris civilis peritiam. Alterum est, cohibendas esse rationis naturalis habenas, ne, dum nimium currit, terminos trāsgrediatur veritatis: nihil novum asserendum est contra infallibiles regulas suprà assignatas; sed quæ vetusta sunt, novè debent illustrari: licebit tamen plura excogitari nova, cū nullo modo præiudicatur antiquitati, & rationi rectæ de quo in quadam nostra præfatione diximus ex professo: vide Canū lib. 9. ubi latè differit de utilitate, quā afferre potest Theologo peritia scientiarum naturaliū, licet recte admoneat cap. 1. non aridam rationē solùm sed Scripturam, Patres, & Concilia evolvenda, & inserenda esse Scholasticis disputationibus.

COMMENTARIUS IN art. 1. & 2. quæst. 2.

AGIT in quæst. 2. B. Thomas de actu interno fidei tam secundum se, quàm prout est necessarius ad salutem; & in art. 1. explicat, & approbat definitionem actus fidei desumptam ex S. Augustino; in 2. verò distinguit triplicem modum credendi, scilicet credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Credere Deum, est habere illū pro obiecto formali actus fidei. Credere Deo, est habere illum pro obiecto materiali. Credere in Deum importat præter actum fidei actum voluntatis, qui dum imperat intellectui, ut credat Deo dicenti, videtur actum fidei reducere in ipsum Deum, maximè quando iste actus voluntatis eliceretur à charitate. Nota tamen, quòd interdum credere Deo, est habere illum pro obiecto formali, ut Genesis 15. *Credidit Abraham Deo*: & ita habetur in alia editione B. Thomæ; credere enim Deum dicit denotare, obiectum materiale esse Deum; at verò credere Deo, esse habere illum pro obiecto formali. Genes. 15.

(?)

TRACTATUS NONUS de actu interno fidei secundum se.

POstquàm explicuimus ea, quę pertinent ad obiectum fidei, agendum consequēter est de actu illius interno: hic autem dupliciter cōsiderari potest, scilicet secundum se, & prout ad salutē necessarius est: sub priori ratione consideratur in hoc tractatu cum B. Thoma in duobus prædictis articulis; sub posteriori vero pertinet ad sequentem tractatum, qui circa sequentes articulos instituetur.

DISPUTATIO I.

In quo consistat essentia interni actus fidei divinæ?

BEATUS Augustinus to. 7 lib. de prędest. Sanct. cap. 2. *Necesse (inquit) est, ut omnia, quæ creduntur, præveniēte cogitatione credantur; quāquam & ipsum credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare.* Ex quibus verbis collegit B. Thomas in art. 1. illā actus credendi descriptionem: *Credere est, cum assensione cogitare.* Quibus terminis, ut actus credendi divina fide distinguatur ab omni alio actu intellectus, intelligendus est assensus firmus circa obiectum, quod clarè non videtur per ipsummet actum; in hoc enim differt actus credendi à scientia, quia hæc est evidens, ille verò obscurus; & ab opinione, & fide humana, quæ sunt incertæ; fidei verò divinæ actus omnino certus est: & hac ratione utcumq; intelligitur essentia interni actus fidei divinæ. 1. S. August. S. Thom.

2. Exactiorem aliam huius actus credendi definitionem exhibuit ipse B. Thomas artic. 9. huius quæstionis his verbis: *Credere est actus intellectus assentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam.* Ubi non solùm habetur id; quod est essentiale actu fidei,

fide i, sed etiam aliud, quod ad illũ eliciendum requiritur, nempe imperium voluntatis ex divina gratia procedẽs, de quo in sequentibus dicendum est.

3. Si autem præcisè velimus complecti id, quod actui divinę fidei intrinsecum est, poterit in hunc modum confici definitio: *Actus internus fidei divinæ est iudicium supernaturale immediatè innitens divinæ authoritati obscurè revelanti.* Prima definitionis particula petit, actum hũc internum esse iudicium; in quo non solùm differt ab actibus voluntatis, qui non sunt iudicia; sed etiam ab apprehẽsionibus, imò & ab actibus sensuum tam internorum, quàm externorum, in quibus absoluta, & perfecta iudicandi ratio non invenitur.

4. Secunda particula exigit iudicium esse supernaturale, id est, non debitum naturæ, seu supra naturę facultatem. Et quidẽ in triplici sensu intelligi potest, actum fidei esse supernaturalẽ. Primus est, quia versatur circa obiectũ super naturale, seu quod naturali lumine cognosci non potest: & hoc modo certum omnino est, actum fidei esse supernaturalem saltè quoad plura, quæ creduntur, scilicet mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ; & licèt aliquando credãtur fide divina veritates naturales, semper tamen obiectum formale est aliquid supernaturale, nã hoc obiectum est divina authoritas obscurè revelans; Deus autem, in quantum author naturalis, nihil nobis loquitur obscurè, ita ut ad certum, & infallibilẽ assensum determinet: nã locutio Dei ut authoris naturalis, est per effectus naturales, quos creavit, quiq; probabiliter, aut evidenter nobis manifestant perfectiones naturales Dei ipsius, aut creaturarum eius. Hoc verò quod est, Deum interponere authoritatem suã, ita ut determinet ad credendũ aliquid certò, & obscurè, licèt fortasse fieri à Deo possit medijs actibus entitatis naturalis, certè saltem quoad modum est supra cursum naturæ. Vnde apud Aristotelem, & alios Philosophos, qui ductum naturæ secuti sunt, nullam huius divinæ fidei notitiam, aut mentionem invenimus.

5. Secundus sensus est, actum fidei esse supernaturalem, id est, esse ex gratia Dei, & non ex solis viribus liberi arbitrij, cuius oppositum docebãt Pelagiani, & S. Augustinus aliquandò, ut ipse refert to. 7. lib. de prædest. Sanct. cap. 3 sed res est omnino certa secũdum fidẽ. Tertius sensus est, ipsum actum fidei esse in sua intrinseca entitate supernaturalem. Et in hoc etiã sensu certissimũ est. Sed quoniã in 1. 2. controv. 8. tract. 1. disp. 4. tam de hoc, quàm de secũdò sensu latè disserui, nihil ampliùs hoc loco dicendum est.

Pelag.
S. August.

6. Tertia particula definitionis requirit, ut actus fidei immediatè innitatur divinæ authoritati; in quo non solùm differt ab omni fide, quæ humano, aut Angelico testimonio inniteretur; sed etiam ab actibus Theologiæ, qui cùm sint cõclusiones deductæ ex principijs revelatis, non innituntur immediatè Deo dicenti, sed mediatè, quatenus scilicet inferuntur ex actibus fidei, qui immediatè feruntur ad divinum testimonium. Ex quo obiter patet id, quod tract. 1. dictũ est, actum fidei non esse discursum, sed quasi primum principiũ, ut rectè docuerunt Scotus in 3. dist. 24 q. unica, §. *Ad propositũ,* Capreolus ibi art. 3. ad 3 contra 2. cõc. Valentia q. 1. punct. 2. & plerique alij. Ratio nimirũ est, discursum esse conclusionem illatã ex principijs, actum verò fidei immediatè tendere ad Deum independẽter à præmissis.

Scotus.
Capreolus.
Valent.

7. Sed objicies: Nullum est dogma fidei, quod non possit cognosci per conclusionẽ aliquam, seu discursum, ergo non repugnat fidei actum esse discursum. Antecedẽs patet discurrendo per omnia; sufficit autem hoc exemplum: veritas hæc, *Deus est trinus,* aut *factus est homo,* est sine dubio de fide, & tamen potest hoc syllogismo concludi: Quidquid Deus dicit, est verum; Deus dicit se esse trinũ, ergo Deus est trinus, &c. Respondetur, licèt omnes veritates fidei possint per discursum cognosci, nõ tamẽ sunt actus fidei sub hac ratione, sed in quantum sine discursu ob Dei authoritatẽ immediatè cognoscũtur; quod notavit optimè Scotus suprà.

8. Ex quibus infertur, non esse veram sententiam Gabrielis Vazquez 1. par. Vazquez.

disp.

disput. 5.cap.3. asserentis, actum fidei divinæ generari per discursum, ita ut primum principium, cui innititur, sit complexum illud, *Deus dicit*; ex quo infert esse verum id, quod credit: contra hoc enim est, actum fidei divinæ esse Theologicum, ac proinde immediatè versari circa Deum revelantem, non verò circa actum, quo ego affirmo id revelari à Deo, quasi ex tali actu inferam id, quod credo. Confirmatur, quia illi actui, *Deus dicit*, immediatè assentio propter divinum testimonium, & non quia ex alio actu inferatur; alioqui abiretur in infinitum; ergo idem dicendũ est de reliquis actibus fidei, cùm omnes sint eiusdem rationis, ac proinde debeant habere eandem rationem formalem immediatam.

9. Postrema particula petit, ut assensus fidei versetur circa Deum obscurè revelantem, quia hæc obscuritas necessariò requiritur ad obiectum fidei, ut actus illius ab alijs actibus circa Deum clarè revelantẽ versantibus distinguãtur, iuxta dicta in 1.tract.disp.4.

DISPVTATIO II.

Vtrùm ad eliciendum actum supernaturalem fidei requiratur semper actus voluntatis, à quo imperetur?

1. Holcot. OBERTVS Holcot in 1. quęst.1.art.1.existimavit, actum fidei non pendere ex libera motione voluntatis; unde concludit art. 6.ad 1. dubij primi, si sufficienter applicentur motiva credibilitatis, necessitatem imponi intellectui, ut credat. Scotus in 3 dist.25: quęst.2. dixit, ad eliciẽdum actum fidei supernaturalem requiri quidem quòd voluntas non resistat, eò autẽ ipso quòd non renuat, sufficienter determinari intellectum ab obiecto fidei sufficienter proposito, quin voluntas aliquo actu positivo imperet talem assensum. Maior dist. 23. quæst.11.ad 7. affirmat, ut in plurimum non requiri, ut quemlibet actum fidei præcedat imperium voluntatis, sed solùm quando occurrit specialis aliqua difficultas. A qua doctrina ferè non differt, quod alius opinatetur, scilicet ad primum actum fidei, vel ad paucos alios requiri imperium voluntatis, non tamen semper, maximè quando homo frequenter elicere actus fidei consuevit. Sed nullus ex prædictis Doctoribus assecutus est veritatem, & mentem communis sententiæ, ut patebit ex sequentibus assertionibus, in quibus illorum rationes adducentur, & dissolventur.

Scotus. Maior.

Dico ergo primò: Actus supernaturalis fidei absolutè pendet ex libera voluntate credentis, ita ut propositis motivis sufficiẽtibus, & necessarijs ad credendũ, possit non credere, si libuerit. Conclusio est communis, ut patebit ex Doctoribus infrà adducendis, & videtur dogma fidei. Probatur primò ex Scriptura, in qua tribuitur laudi, vel vitio credere, vel nõ credere rebus fidei sufficiẽter propositis. Marc. ult. increpavit Dominus discipulos, *eò quòd ijs, qui viderant eum à mortuis surrexisse, non credidissent*. Et præcipiens illis, ut Evangelium prædicarent omni creaturæ. *Qui crediderit* (inquit) *& baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Erat ergo in potestate audientium doctrinam Evãgelicam, credere, vel non credere; alioqui non foret incredulitas occasio damnationis. Similiter Genes. 15: *Credidit Abrahã Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quem locum affert Paulus ad Rom.4.& cap. 10. *Corde* (inquit) *creditur ad iustitiam*, id est, intellectu, & voluntate, ut optimè Cornelius ibi. Erat ergo in potestate Abrahami credere, vel non credere; nam aliter, qua laude digna esset fides illius? 2.

Marc. ult. Genes. 15. Ad Ro. 4. & 10. Cornel.

Secundò probatur authoritate Ecclesiæ: atque omisso Decreto Concilij Arausicani, quod commodiùs afferetur disputatione sequente, Concilium Toletanum IIII. Can.55. & habetur cap. *De iudæis* dist.45. præcipit, ne alicui Iudæo vis ad credendum inferatur: *Sicut enim* (inquit) *homo propria arbitri*- 3.

Tolet. 4.

voluntate serpenti obediens perijt; sic (vocante se gratia Dei) propriæ mentis cõversione quisque credendo salvatur. Et Tridentinum sess. 6. cap. 6. expressè docet, *hominem excitatum divina gratia, liberè moveri in Deum, credendo vera esse ea, quæ audierat tanquam à Deo revelata.* Et Can. 4. absolutè damnat asserentes, *hominem à Deo excitatum non posse dissentire, si velit:* quæ doctrina etiam de actu fidei intelligenda est.

Trident.

4. Tertiò id ipsum docent Sancti Patres. Irenæus lib. 4. cap. 72. *Non tantùm* (inquit) *in operibus, sed etiam in fide liberum, & suæ potestatis arbitrium servavit Dominus.* Vbi id confirmat aliquibus Scripturæ testimonijs præter adducta. S. Augustinus ubique, & to. 7. lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 19. ait, *Neminem per fidem venire ad Deum, nisi velit.* Et lib. 1. ad Simplicianũ q. 2. non longè ab initio, *Nec credit* (inquit) *aliquis, nisi libera voluntate.* Et alibi. Theodoretus in cap. 4. epist. ad Rom. explicans cum Apostolo excellentiam fidei Abrahæ, satis declarat, quãta laude sit illa digna; quod certè non posset vere dici, si non esset in nostra potestate. Hugo 2. de Sacramentis par. 6. cap. 7. dixit, *Credere esse voluntarium:* & S. Bernardus lib. 3. de considerat. *Fides* (inquit) *est voluntaria prælibatio veritatis.*

S. Irenæus. S. August. Theol. Hugo. S. Bernar.

5. Quartò probatur ratione: & imprimis experientia satis declarat manifestè, nulla necessitate cogi nostrum intellectum, ut credat, sed posse dissentire post proposita quæcumque motiva. Et ratio à priori est, intellectum non necessitari nisi ab obiecto clarè viso, seu ab evidentia veritatis; cùm ergo res fidei, prout sub fidem cadunt, non sint evidentia, ut suprà ostẽsum est, non poterit intellectus cogi ad assensum, ita ut non maneat in potestate voluntatis illum cohibere.

6. Sed obijciat aliquis: Plura, quæ credimus fide humana, non possumus non credere, quãtũvis volũtas resistat; ergo idem erit de fide divina, cũ illius testimonia sint multò firmiora. Antecedẽs patet, nam Romam, & Indos esse, pertinet ad fidem humanam, nec tamen poterat id non credere quivis, etiam si vellet. Respondetur primò negando antecedẽs, quidquid cõtrà sentiat Medina lib. 4. de recta in Deum fide cap. 2. nam ut ex dicẽdis ampliùs patebit, intellectus non potest elicere aliquem assensum inevidentẽ, nisi determinetur à voluntate; imò in sensu nostræ conclusionis, etiamsi actus intellectus sit evidens, potest voluntas cohibere assensum, imperando intellectui, ut actum non eliciat; quare aliqua ratione pendent omnes actus intellectus à libero consensu voluntatis, ut dixi lib. 5. Logicæ. Secundò tamen addo, specialem rationẽ in divina fide reperiri; cũ enim illa credat mysteria admodũm sublimia, & contra quorum veritatem formari possunt argumenta infidelibus difficilia, meritò dicimus absolutè pẽdere à voluntate actum fidei divinæ; at verò alia, quæ cadunt sub humanam fidem, sunt inferioris ordinis, nec afferunt secum difficultatem, & ideò licèt dependeat assensus à voluntate, ferè id non advertitur, sed quadam morali necessitate voluntas imperat intellectui, ut credat. Medina.

Dico secundò: Ad eliciẽdum actum supernaturalem fidei non sufficit volũtatem non resistere, sed requiritur positivus consensus, saltẽ aliquando. Conclusio est contra Scotum, sed cõmunis Theologorum, ut patebit ex infrà adducẽdis, & videtur omnino certa. Probatur primò ex Scriptura, nam in testimonijs adductis concl. 1. non solùm fides laudatur, quia homo sua voluntate non restitit, & impedivit in intellectu suo assensum; hoc enim modo etiam laudari posset, quòd assensum præbeat rebus prorsus evidentibus, quia etiam voluntas poterat intellectum cohibere ab assensu; sed potiùs, quia illa positivo actu libero inclinavit mentem ad credendum ea, quæ non videbat, subijciendo hanc præstantissimam potentiam Deo obscurè nobis loquenti: & proptereà Paulus ad Philippẽses 2. dixit, *Se gaudere supra sacrificium, & obsequium fidei illorum;* quia nimirum positivè offert voluntas Deo in sacrificium prædictam subiectionem. 7. Ad Phil. 2

Secundò probatur ex Conc. Arausi. can. II. cap. 5. ubi ad credendũ postulat 8. Arausic.

in vo-

in voluntate *credulitatis affectum corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem*: id, quod ait provenire ex gratiæ dono, & inspiratione Spiritus sancti. Quæ verba satis indicant, requiri à Concilio, saltem cùm quis accedit ad fidem, aliquem positivum actum volútatis. Tertiò id ipsum docet S. Augustinus, nam tract. 26. in Ioan. *Credere* (inquit) *non potest quisquam, nisi volẽs.* Et lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 19. ut suprà retuli, *Neminem*, ait, *venire ad Deum per fidem, nisi velit.* Qui modi loquendi positivum actum voluntatis indicant. Sed præsertim hoc docet in ijs locis, in quibus affirmat voluntatem à Domino præparari per gratiam, ut inclinet hominem ad credendum; quod sanè non diceret, si non exigeret positivum actum voluntatis ad credẽdum. Hæc autem testimonia afferentur disputatione sequente. Verba etiam S. Bernardi, & Hugonis suprà relata id ipsum significant. Quartò deniq; probatur ratione, quam commodiùs explicabimus in sequente conclusione.

S. August.

9. Dico ergo tertiò: Quoties aliquis elicit actũ fidei, necessarius est ex parte volũtatis positivus actus, quo intellectum determinet ad credendum, imperando nimirum, ut credat. Conclusio videtur cõmunis Theologorum: nam primò B. Thomas sæpissimè docet, actum fidei pertinere ad intellectũ, prout à voluntate movetur; nec unquam docuit, ad primò credendum, vel ad credendum in re difficili, sed absolutè requiri voluntatis imperium: videatur q. 1. art. 4. corp. q. 2. art. 2. & 9. & ideò q. 4. art. 2. tam in intellectu, quàm in voluntate constituit habitum, quo homo determinetur ad credendum, quia scilicet existimat, semper requiri aliquid ex parte utriusq; facultatis, ut assensus fidei eliciatur. Secũdò Hẽricus quodlib. 12. quæst. 2. ad 2. *Credere* (inquit) *est assentiri veritati per intellectum cum voluntatis imperio.* Vbi sine ulla distinctione docet requiri imperium voluntatis ad fidem. Tertiò, Albertus Magnus apud Dionysium 3. dist. 24. quæst. 2. ait, *Ad credendum non induci intellectum, nisi ex voluntate libera velit.* Id ipsum docet Gabriel dist. 23. quæst. 2. dub 4. versic.

S. Thom.

Henric.

Alb. Mag.

Gabriel.

Quartò dicitur. Quartò, S. Bonaventura dist. 23. art. 1. quæst. 2. dicit, *Intellectum non habilitari ad assentiendum veritati primæ secundum suum iudicium, sed secundum voluntatis imperium*: & propterea fatetur, fidem non solùm pertinere ad intellectum, sed etiam ad voluntatem. Quintò, Caietanus 1. 2. quæst. 65. art. 4. ita necessarium putat actum volũtatis ad credendum, ut aliter dicat non posse elici actum fidei. Sextò, idem apertè sumitur ex Medina suprà, ubi actũ voluntatis constituit ut partem essentialẽ fidei; & ex Molina in Concordia d. 8. Deniq; Vega 6. in Trident. cap. 14. Valencia disp. 1. quæst. 1. punct. 4. quæst. 1. ad 3 & Bañez q. 1. art. 4. dub. 2. absolutè requirunt actum piæ affectionis in voluntate, ut homo credat: & id ipsum sequi videtur Rhicardus in 3. dist. 23. art. 6. q. 1. tanquam doctrinam multorum: novissimè etiam Luysius Turrianus disp. 29. rem accuratè tractans, nostram assertionem, & præcedentes amplectitur.

Caietan.

Medina.

Molina.

Vega.

Valenc.

Bañez.

Rhicard.

Turrian.

Probatur conclusio unica ratione, quæ desumitur ex Alberto, Bonaventura, & Gabriele. Propositis omnibus motivis ad credendum requisitis ex parte intellectus, adhuc ipse intellectus non est omnino determinatus ad eliciẽdum actum fidei, ergo requiritur ex parte voluntatis aliquis actus, qui illum determinet ad credendum; ergo cùm non solùm in primo actu fidei, sed semper habeat intellectus hanc indeterminationẽ, semper erit necessarius actus voluntatis, qui intellectum determinet ad actum fidei eliciendum. Antecedens probatur primò ex adductis pro conclusione præcedẽte, cùm enim certum sit requiri actum voluntatis ad credendum, non potest ille esse necessarius ob aliam rationem, quàm quia intellectus non est sufficienter determinatus ex vi motivorum; alioqui sufficeret voluntatem non resistere, ut statim homo crederet. Secundò, quia hoc discrimen est inter assensum evidentem, & inevidentem, quòd illius obiectum rapit necessariò intellectũ, si voluntas non resistat; obiectum verò assensus inevidentis non rapit, sed relinquit indifferentiam. Tertiò, experientia 10.

rientia suadet veritatem huius antecedentis, nullus enim est, qui sentiat intellectum suum necessariò ferri ad firmiter credēdum res fidei, cùm potiùs tot viri timorati patiantur primos dubitationis motus circa illas, & tot hæretici constanter defendant errores oppositos.

11. Prima verò consequentia argumentationis propositæ facilè probatur, nā intellectus est potentia naturalis, quæ non potest se ipsam determinare, nisi ab aliquo determinetur, ut patet ex libris de Anima, disputatione de intellectu; in hoc enim differt à voluntate, quæ cùm sit libera, potest propendere in obiectum, quod libuerit; ergo cùm nihil assignari possit, à quo determinetur intellectus, ut credat, præter liberā voluntatem, quæ potest assensum fidei imperare, dicendum est, requiri ad credendum ex parte voluntatis aliquem actum, quo determinetur intellectus.

12. Ex quo etiam patet secunda consequentia, quia postquàm aliquis primò credidit, non minùs indifferens manet intellectus ad eliciendum actum fidei, quàm anteà, cùm eiusdem rationis sit semper, & motiva, quę initio proposita sunt ad credendum, proponantur posteà, rationesq; factæ pro antecedente, formari æque possint de reliquis actibus fidei, atq; de primo; ergo sicut propter hanc indifferentiā requiritur actus voluntatis ad primò credendū, requiretur etiam, quoties actus fidei eliciendus est.

13. Confirmatur, quia licèt ad alios actus inevidentes eliciendos non semper requireretur actus voluntatis determinās, quod tamen falsum existimo propter dicta, certè in actu fidei divinæ est longè maior ratio, nam veritates, quas credimus, sunt longè altiores, & difficiliores, & in earum assensu petitur à nobis summa firmitas; ergo semper indigemus actu voluntatis, qui in tanto negotio omnino subijciat intellectum Deo, *& in captivitatem redigat in obsequium Christi*, ut loquitur Paulus 2. Corinth. 10. ne unquam à tanta firmitate deficiat.

2. Ad Corinth. 10.

14. Sed obijcies primò: Postquàm aliquis assensum præbuit sæpè alicui conclusioni, posteà potest illi assentiri sine præmissis, supplente habitu conclusionis defectum illarum, ut in Logica dictum est; ergo postquàm aliquis frequēter credidit rebus fidei, posteà poterit credere sine imperio voluntatis, supplēte habitu fidei defectum illius. Patet consequētia, quia non minùs requiruntur præmissæ ad conclusionē, quàm voluntatis imperium ad actus fidei. Respondetur negando consequētiam, & ratio discriminis est, præmissas solùm requiri, ut intellectus inveniat sufficiēs motivum assentiendi conclusioni, ad hoc autem, quando iam per habitum est facilis in tali assēsu, sufficit, si recordetur se præbuisse assensum præmissis, virtute quarum infertur talis conclusio, ut possit habere sufficientem rationem assentiendi: at verò actus voluntatis requiritur, ut determinet intellectum, qui non potest determinari necessariò nisi ab obiecto evidenti; cùm ergo hanc indeterminationem semper retineat, semper indiget imperio volūtatis, ut credat. Dices, sufficere si recordetur se anteà habuisse voluntatem credendi. Sed id nullo modo sufficit ad determinandam indifferentiam intellectus, alioqui eò ipso quòd aliquādo voluisset credere, & id recordaretur, maneret necessitatus ad credēdum modo, quod est absurdum; cōstat ergo semper manere indifferentē, atq; adeò semper indigere determinatione voluntatis.

15. Obijcies secundò: Volūtas per prædictum imperium non proponit intellectui aliquam novam rationē, aut motivum, quod suadeat veram esse doctrinam fidei, ergo impertinens est ad fidem iste actus voluntatis. Patet consequentia, quia intellectus solùm determinatur ad credendum à ratione, quæ ostendat veritatem, quæ est illius obiectum. Caietanus suprà docet ex imperio volūtatis posse provenire, ut intellectus determinetur ad assentiendum etiam sine ullo sufficienti motivo. Quæ doctrina dupliciter intelligi potest: primò, ita ut intellectus possit ex imperio voluntatis iudicare aliquid esse verum, quāvis nullum motivum proponatur, quod ostendat veritatem; & id est im-

Caietan.

possibile,

possibile, quia obiectum iudicij est verum, ergo si nulla apparet ratio veri, nõ potest haberi in intellectu iudicium; sicut quia obiectum amoris est bonum, ubi nulla elucet ratio boni, nullus potest esse amor. Secundò ita ut voluntas inclinet intellectum ad iudicandũ aliquid esse verum propter testimonium dicẽtis, quamvis aliunde tale testimoniũ non sit omnino convincens, sed creditur posse esse expositum falsitati: & hoc non repugnat, quia tunc non deest motivum, scilicet authoritas dicentis, quæ quamvis non sit convincẽs, determinat tamen simul cum imperio volũtatis; & fortè hoc non est alienũ à mẽte Caietani, si attentè legatur.

16. Vtcũq; tamẽ res se habeat, concesso antecedente obiectionis, nego consequentiã, quia intellectus non solùm determinatur à ratione, quæ suadet esse verũ id, quod credit, sed etiã à volũtate, quæ illũ inclinat, ut credat propter authoritatẽ Dei, aut alia motiva; sicut etiã habitus fidei determinat intellectũ, quin aliquam rationẽ veri proponat de novo.

17. Ex dictis colliges, quo pacto verum sit, ad credẽdum requiri piam affectionem voluntatis; nomine enim piæ affectionis possunt intelligi duo: primũ est prædictũ voluntatis imperiũ, seu actus efficax, quo volũtas vult, ut intellectus credat; & hoc modo semper est necessaria pia affectio, ut vidimus: secundũ est specialis quidam affectus, Hispanè *Afficiõ*, & quasi quoddã desideriũ, quo optamus verum esse, quod proponitur credendum, sicut optare solemus vera esse, quæ ab amicis præclarè gesta fuisse narrantur; & hoc modo iuvat quidẽ multum pia affectio ad fidem, sed non video rationem, quæ suadeat, illam esse necessariam ad credendum: pia ergo affectio, quæ dici solet requisita ad fidẽ, est illud voluntatis imperium, & de ea in hoc sensu deinceps loquemur.

18. Notãdũ deniq; est, quod diximus in hac disputatione de necessitate huius piæ affectionis, intelligi debere de potẽtia, & lege cõmuni, nã Deus ex absoluta potẽtia posset sine dubio in intellectu nostro producere actũ fidei, quin pia affectio præcederet in volũtate, ut bene Turrianus suprà dub. ult. cũ nulla in hoc appareat verisimilis cõtradictio. *Turrian.*

DISPVTATIO III.

Vtrùm actus voluntatis, qui ad credendũ requiritur, sit in sua entitate supernaturalis: Vbi ad quam virtutem pertineat.

1. Pelagiani, qui liberũ hominis arbitriũ dicebant sufficere ad assentiendũ rebus fidei, consequenter asserẽrent, voluntatem credẽdi non esse necessario ex gratia. Imò Scotus, alioqui Catholic⁹, & doctus Theologus, loco suprà citato existimavit, sufficere naturalẽ voluntatis motionẽ ad credẽdũ, etiãsi positivus actus volũtatis foret ad fidẽ necessarius, quod ipse negavit disputatione præcedente. *Pelag.* *Scot.*

2. Dico tamen primò: Ille actus volũtatis ad credẽdum requisitus est in sua entitatẽ supernaturalis. Et quidẽ conclusio, prout docet hanc volitionẽ haberi non ex viribus naturæ, sed gratiæ, videtur de fide. Eam docẽt B. Thomas infrà q. 6. art. 1. ad 3. Molina in Concordia disp. 8. Colligitur ex S. Bonavẽtura dist. 23. art. 2. q. 2. ubi ait, habitum fidei esse infusum, atq; adeò eius actus esse ex Dei gratia; cũ tamen priùs dixisset art. 1. q. 2. fidẽ non ad solum intellectũ, sed etiam ad voluntatem pertinere. *S. Thom.* *Molin.* *S. Bonav.*

3. Probatur primò ex Concilio Arausicano II. cap. 5. ubi hæc veritas in hunc modũ definitur: *Si quis sicut augmentum, ita initium fidei, ipsum credulitatis affectũ, quo in eum credimus, qui iustificat impium, non per gratiæ donum, id est per inspirationẽ Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur.* *Arausic.*

4. Secũdò probatur authoritate B. Augustini, qui lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 19. ait, *Vt quis credat, excitari desuper volũtatem eius*: quod est proprium gratiæ. Et de prædestin. Sanct. cap. 5. cùm dixisset fidem pendere ex nostræ voluntatis libertate, hæc *S. August.*

subdit: *In electis præparatur voluntas à Domino, ideò ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet, quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?*

5. Deinde verò quatenus conclusio asserit, istum actum voluntatis esse in sua entitate supernaturalem, ut bene concedit Molina suprà, licèt sub his terminis non habeatur definitum, videtur tamen omnino certum, quia ut dicebamus disp. 1. isti actus, quos non nisi ex dono gratiæ fieri posse docent Concilia, sunt entitativè supernaturales. Ratione etiam probatur conclusio sub utroque sensu explicato: Actus fidei divinæ est supernaturalis; ergo & iste actus voluntatis. Antecedens patet ex disput. 1. Consequentiam probo, quia ista volitio habet necessariam connexionem cum actu supernaturali fidei, sed nihil supernaturale habet necessariam connexionem cum naturali, ita ut ex illo necessariò inferatur, ergo.

6. Dubitabit tamen meritò quispiam, ad quam virtutem pertineat iste actus voluntatis, ac proinde quodnam sit obiectum formale illius. *S. August.* B. Augustinus proximè adductus videtur eum appellare fidem, & *Molina.* Michaël Medina suprà, cùm dicit esse partem fidei. B. *S. Thom.* Thomas de veritate quæst. 14. art. 2. ad 10. ait, *Nec esse actum charitatis, nec spei, sed esse appetitum boni repromissi:* quod amplectitur etiam *Caietan.* Caietanus infrà ad artic. 1. quæst. 6. At verò idem B. Thomas hic quæst. 4. artic. 2. argument. 2. iuncta solutione, & Medina suprà videntur eum revocare ad obediētiam, quæ Deo exhibetur. *Valent.* Valentia quæst. 1. *Turrian.* punct. 4. quæst. 1. ad 3. & Turrianus disput. 37. dub. 5. dicunt pertinere ad virtutem studiositatis, quæ secundum B. Thomā infrà quęst. 166. art. 2. moderatur desideriū cognoscēdi veritates, inclinando hominem, ut discat ea, quæ expediunt, & non alia; cùm ergo cognitio fidei sit homini tam necessaria, ad illam inclinabit virtus studiositatis medio actu imperante assensum fidei.

7. Dico secundò in hac disputatione: Actus voluntatis requisitus ad fidem debet pertinere ad aliquam virtutem, quæ præcisè habeat connexionem cum fide, & sine ulla alia possit reperiri. Probatur, quia iste actus solùm requiritur ad credendum, & semper debet comitari fidem; ergo non potest pertinere ad illas virtutes, sine quibus potest fides inveniri. Ex quo principio infertur primò, eum non pertinere ad charitatem, aut spem, cùm fides sine illis esse possit, ut infrà dicetur. Secundò infertur, non spectare ad aliquam ex quatuor virtutibus moralibus, nec consequenter ad studiositatē, in quantum hæc est una ex virtutibus moralibus per se infusis: & idem est de obedientia. Probatur, quia omnes istæ comitantur gratiam, & ea destructa destruuntur; ergo cùm fides esse possit sine gratia, etiam erit iste actus voluntatis. Dices, bene posse ab homine peccatore elici actus virtutum moralium, dependentiam verò virtutum moralium à gratia solùm esse quoad habitus. Sed contrà, quia, ut dicetur quæst. 4. iste actus voluntatis requisitus ad credendum, habet etiam habitum, qui semper comitatur fidem.

Dico ergo tertiò: Obiectum formale huius volitionis est ipsa honestas, 8. quæ invenitur in credendo. Probatur, quia cùm illa ordinetur ad imperandū assensum fidei, nihil magis accommodatum excogitari potest, à quo specificetur, quàm ipsa honestas, quæ est in amplectenda fide, præsertim cùm hoc motivum sit per se cōnexum cum fide, & nemo possit credere, nisi videat honestum esse se subijcere rebus fidei: Et si dicat aliquis, etiam posse credere hominem propter honestatem, quæ est in ipsis mysterijs fidei, ac proinde non esse maiorem rationem, ob quam iste actus piæ affectionis desumat speciem ab honestate credendi, potiùs quàm ab honestate rerum, quas credit: Occurrendum est, mysteria fidei esse multa, & essentialiter diversa, ac proinde piam affectionem, quæ debet esse una virtus, non posse aptè specificari ab illis, maximè cùm non semper proponātur simul omnia mysteria; honestas verò, quę in actu credendi reperitur, semper est una: quod ampliùs confirmabitur disputatione sequēte, cùm agemus de iudicio, quod dirigit prædictam volitionem.

9. Duo tamen adverto ad uberiorem conclusionis explicationem: unum est, hanc voluntatem credendi posse sortiri varias denominationes, ratione quarum Doctores suprà citati variè de illa locuti sunt, nam quatenus ea est per se connexa cum actu fidei, appellata est à B. Augustino fides, & à Medina pars fidei: quatenus verò per illã imperatur actus credendi, quo homo subijcit Deo suum intellectum in ijs, quæ non videt, appellata est à B. Thoma, & Medina actus obedientiæ: Valencia verò dixit esse actum studiositatis, non quidem virtutis moralis, quæ moderatur appetitum sciendi res, quæ vel fidem supponunt, vel ab illa non dependent; hæc enim charitatem comitatur, ut suprà dicebamus; sed alterius specialis virtutis, quæ determinat ad sciendam fidem, & vocari potest studiositas circa materiam fidei. Denique cùm B. Thomas dixit hanc volitionem esse appetitum boni repromissi, solùm voluit versari circa honestatẽ fidei, quæ æterna bona nobis promittit; non enim dubium est, quin valde incitetur homo ad amplectendam fidem, quia honestas eius talis est, ut nobis promittat beatitudinem.

10. Alterum est, actum fidei posse imperari ab actibus aliarum virtutum, præsertim quando homo habet gratiam, & virtutes omnes infusas, nam ex motivo charitatis, spei, religionis, & aliarum potest incitari voluntas, ut velit imperare actum fidei; quare nos solùm egimus de voluntate credendi, prout est specialis virtus necessariò connexa fidei, tam quoad actum, quàm quoad habitum, & ea non potest esse ulla ex prædictis virtutibus, nam quantumvis nollet homo illarum actus exercere, adhuc posset sine dubio credere.

(?)

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm piæ affectionis actum præcedere debeat aliquod iudiciũ supernaturale intellectus: Vbi ad quam virtutem pertineat.

DICO primò: Vt voluntas efficaciter imperet actum credẽdi, præcedere debet saltẽ priùs natura aliquod iudiciũ distinctũ ab actu fidei, quod evidenter dictet, bonũ esse hic, & nũc credere. Potest hæc assertio verisimiliter colligi ex varijs Doctoribus suprà adductis, nàm cũ dicunt requiri evidentiam credibilitatis priorẽ saltẽ natura, quàm actũ fidei, sub eo nomine hoc iudiciũ cõprehendunt: præsertimq; B. Thomas q. 1. art. 4. ad 2. dixit, *Quòd homo non crederet mysteria, nisi videret ea esse credenda*, id est, nisi iudicaret bonũ esse credere. Valencia q. 1. punct. 4. q. 3. ad 3. magis expressè declaravit naturã huius iudicij. Colligiq; potest ex S. August. de prædestinat. Sanct. cap. 2. ubi sic ait: *Nullus credit aliquid, nisi priùs cogitaverit esse credẽdũ*, id est, nisi priùs iudicaverit bonum esse credere. 1. *S. Thom.* *Valenc.* *S. August.*

Ac primùm quidẽ, aliquod iudiciũ esse necessariũ, ut quis velit credere, satis patet, quia omnis actus voluntatis prærequirit actũ intellectus, & volitio efficax prærequirit iudiciũ dictans bonũ esse obiectum, circa quod versatura est; ergo cùm ad credendũ requiratur actus efficax voluntatis, necessariũ est, ad illũ præsupponi iudicium dictãs, bonũ esse velle credere. Consequentia est evidẽs, & antecedẽs patet ex 1. 2. controv. 2. ¶ Deinde iudiciũ hoc debet esse distinctũ à fide, quidquid velint aliqui, nã illud est prius natura, quàm imperiũ voluntatis; sed actus fidei est posterior tali imperio, ergo est etiã posterior quã illud iudiciũ. Et sanè satis patet incongruum, voluntatem, à qua determinatur intellectus, ut credat, determinari simul ab ipsomet actu fidei, ut credat. Confirmatur, quia illud imperium voluntatis debet versari circa aliquam rationem boni, quæ vo- 2.

luntatem alliciat, sed sæpe continget, actum fidei non proponere voluntati ullam rationem boni, à qua moveatur; ergo imperium istud voluntatis non dirigitur ab aliquo actu fidei.

3. Ex quo fit tertiò, illum assensum esse evidentem per modũ practici iudicij: positis enim motivis credibilitatis, evidenter videt intellectus non quidẽ esse veram nostram fidem, sed esse bonum illam amplecti; sicut dum homo operatur prudenter attentis circunstantijs, elicit iudicium evidens, quod dictat bonum esse hic & nunc abstinere à cibis, vel obedire superiori, aut quid simile; nec unquam voluntas amplectitur honestatem alicuius obiecti, quin intellectus habeat simile iudicium. Et quidem Almainus in tractat. 2. Moral. cap 4. dixit sufficere rationem probabilem ex parte intellectus, ut voluntas imperet assensum fidei. Sed fortè nomine rationis probabilis intelligit propositionem fidei, quæ fit à Parocho, vel alio homine, cuius testimonium probabiliter apparet dignum creditu; negari enim non potest, posita tali ratione elici ab intellectu iudicium practicum evidens, quod proximè dirigit piam affectionem.

Almain.

4. Dico secundò: Iudicium hoc est in entitate sua supernaturale. Placet ista conclusio doctis Iunioribus, & aliqui certum existimãt, saltẽ hunc assensum esse ex dono gratiæ. Probatur primò ex Concilio Arausicano II. cap. 9. ubi absolutè definit, *Divini muneris esse, cum rectè cogitamus.* Quibus verbis videtur significari, saltẽ illas cogitationes, quæ disponunt proximè ad beatitudinẽ, vel ad aliquid supernaturale, esse ex gratia Dei, atq; adeò supernaturales: cũ ergo istud iudiciũ disponat ad fidẽ supernaturalẽ, erit etiam supernaturale: & id eodẽ modo docere videtur Apostolus 2. Corinth. 3. dicẽs: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quem locum bene ad hanc rem perpendit S. Augustinus de prædest. Sanct. cap. 2 & de bono perseverantiæ cap. 13. sed optimè lib. 2. contra duas epistolas Pelagian cap 8.

Arausica.

1. *Corin.* 3.

S. *August.*

5. Probatur secundò à priori, quia iudicium hoc dirigit voluntatem, proponendo illi obiectum supernaturale; ergo consentaneum est, illud constituere entitatis supernaturalis. Patet consequẽtia, quia actus habẽs obiectũ supernaturale, magis proportionatè cõstituitur supernaturalis, ut ita correspõdeat obiecto suo, si nihil sit, quod obstet. Antecedens verò probo, quia imperium voluntatis requisitum ad credendum, est supernaturale, ut suprà visum est, ac proinde habere debet obiectum supernaturale; hoc autem à nullo alio proponi potest, quam ab isto iudicio. Et si objicias: Istud iudicium est evidens, & versatur circa obiectum supernaturale, ergo iam habemus evidentiam rerum supernaturalium: Occurrendum est negando cõsequentiam, quia illud iudicium non videt evidenter talem honestatem esse supernaturalẽ, sed solùm clarè dictat bonum esse amplecti fidem, quę proponitur nobis ut quid supernaturale; & id sufficit, ut ipsum iudicium sit supernaturale, & ut dirigat imperium supernaturale voluntatis, quod verè imperat in nobis assensum supernaturalẽ fidei, ac proinde respicit supernaturalem honestatem, quæ in illo reperitur, licèt nõ sit cognita evidenter secundum suam naturam.

Tertiò probatur conclusio, quia ad eliciendum actum charitatis, & spei supernaturalis requiritur actus fidei supernaturalis ex parte intellectus; & ut voluntas eliciat actus supernaturales virtutum moralium, constituunt Doctores actum prudentiæ supernaturalis ex parte intellectus; ergo eodem modo ut voluntas supernaturali actu velit credere, necessarium est in intellectu aliquod supernaturale iudicium. Vbi obiter advertẽdum est non requiri ad prædictam volitionem semper existere in intellectu tale iudicium, sed sufficit, saltem sæpius extitisse, & hominem recordari quòd illud habuerit; sicut etiã in materia de Spe ad quæst. 17 tract. 1. disp. 5. dicemus non requiri actualem existentiam actus fidei, quoties voluntas elicit actum spei. 6.

Sed objiciat aliquis primò, ex hac conclusione inferri processum infini- 7.

tum

tum in actibus supernaturalibus intellectus, & voluntatis: nam si ad imperãdum assensum fidei requiritur actus supernaturalis in voluntate, & hunc præcedit necessariò iudicium supernaturale intellectus, ad hoc etiam imperãdum requiretur actus supernaturalis in voluntate, & ante hunc necessarius erit alius actus in intellectu, & ita in infinitum abibitur, quod est incommodum. Respondetur non inferri talem processum, nam cùm istud iudicium supernaturale præcedens piam affectionem sit evidens, non indiget positivo actu voluntatis, qui determinet intellectum, sed eo ipso quòd voluntas non resistat, manet sufficienter determinatus intellectus, ut illud eliciat: hoc enim discrimen est inter assensum evidentem, & inevidentem, quòd illum necessariò elicit intellectus ab ipsa evidentia convictus, si non renuat ipsa voluntas; hunc verò elicere nequit, nisi motus à voluntate: quod ex dictis hic & lib 5. & 7. nostræ Logicæ colligi potest. Et inde roboratur amplius, quod suprà dicebamus, scilicet hoc iudiciũ, quod præcedit piam affectionem, debere esse evidens, nam si esset obscurum, aut probabile, requireretur ad illud alia pia affectio voluntatis, & consequenter haberet locum processus infinitus, qui contenditur in obiectione.

Obijcies secundò: Actus fidei est
8. primus inter actus supernaturales nostri intellectus, ergo istud iudiciũ, quod saltem est prius natura, quàm assensus fidei, non est supernaturale. Respondetur negando antecedens absolutè, quia ut patebit ex disputatione sequẽte, certum est, prærequiri ad actum fidei aliquam illustrationem ordinis supernaturalis. Verum quidem est, hunc actum, & illustrationes reduci ad fidẽ, cùm sint veluti dispositiones ad illam, & ita dici potest actus fidei primus, quia reliqui, qui præcedunt, sunt veluti quædam inchoationes illius.

Superest una brevis difficultas, ad
9. quam virtutem pertineat istud iudiciũ supernaturale. Nonnulli volunt elici ab aliquo dono Spiritus sancti, ut à dono scientiæ. Sed hoc mihi semper displicuit: primò, quia dona Spiritus sancti, saltem quoad habitus, non sunt in peccatore; at istud iudicium reperitur in peccatore non solùm quoad actum, sed etiam quoad habitum; cùm enim sit quasi dispositio ad fidem, sicut hæc, & pia affectio sunt etiam quoad habitum in peccatore, ita esse debet illud iudicium. Secundò, quia actus donorum Spiritus sancti sunt ad extraordinarios effectus, & supra communes leges prudẽtiæ, ut suppono ex 1.2. quæst. 68. seu controversia 5. tract. 2. at istud iudicium requiritur ad credendũ modo communi, & secundum ordinarias leges.

Gregorius de Valencia suprà dixit 10.
pertinere ad prudentiam. Sed hoc *Valenc.*
duobus modis potest intelligi: primò ita ut pertineat ad virtutem moralem, quæ est una ex quatuor Cardinalibus: & in hoc sensu non placet ista sententia. Primò, quia virtutes morales infusæ non permanent quoad habitum in peccatore; at verò istud iudicium manet etiam quoad habitum. Secundò, quia ista virtus prudentiæ versatur solùm circa materias virtutum moraliũ, quæ fidem supponũt, ergo non inclinat ad id, quod prærequiritur ad fidem.

Altero modo intelligi potest, ut hoc 11.
iudicium sit quædam virtus solùm inclinans ad iudicandum hic & nunc esse honestum credere; quæ propterea appelletur specialis prudentia, quia sicut virtus moralis prudentiæ inclinat ad iudicandum, quid sit agendum attentis omnibus circumstantijs circa materias aliarum virtutum, quæ supponunt fidẽ; ita hoc iudicium inclinat ad iudicandum, an hic & nunc expediat assentiri rebus fidei. Et hoc modo videtur vera ista sententia, nec indigens alia maiori probatione, cùm de re iam cõstet, quæ sit illius natura, & sufficiens ratio reddita sit, ob quam dicatur prudentia. Solùm nota, istud iudicium non esse discursum, sed simplicem assensum, quẽ intellectus facit supposita aliqua propositione mysteriorum fidei, qualis requiritur ad credendum ex tractatu 2. disp. 3. (?)

DISPVTATIO V.

Sintne aliquæ supernaturales apprehensiones, quæ suapte natura præcedãt actum fidei, & iudicium prudẽtiæ explicatum proximè. Vbi de illustratione, & inspiratione præcedente fidem.

1. ERTA fides docet, ad eliciendum actum supernaturalem fidei prærequiri illustrationem ex parte intellectus, & inspirationem ex parte voluntatis. Vnde Arausicanũ II. cap. 7. ait, *Hæretico fallitur spiritu eos, qui dicunt posse hominẽ consentire prædicationi absq; illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti.* Et Tridentinum sess. 6. cap. 5. requirit illuminationem in ijs, qui convertuntur. & Can. 3. damnat asserẽtes, *posse hominem sine præveniente Spiritus sancti inspiratione credere, sicut oportet, ut iustificationis gratia conferatur.* Vbi nomine inspirationis etiam videtur illustrationem complecti, nam ut cõstat ex cap. 5. indifferenter utitur utroque nomine pro eadem re, quamvis re vera distinguantur, quatenus illustratio significat actum intellectus, & inspiratio actum voluntatis. *Arausica.* *Trident.*

2. Res hæc quoad plenam explicationem pertinet ad materiam de Gratia, seu ad controversiam 8. 1. 2. tract. 5. & 6. Solùm hic breviter adverto primò, cùm sufficienter proponitur fides alicui, immitti à Deo supernaturalem actum independenter à libero consensu recipientis illum, & per hunc illustrari intellectum tam ut percipiat simplici modo res, quæ proponuntur credendæ, & divinam authoritatem illis esse applicatam; quàm ut per modum cuiusdam imperij invitetur ad credendum. Interdum etiam hæc illustratio complecti potest aliqua iudicia supernaturalia à Deo in mentibus nostris posita, licet hæc non sint tam propriè illustrationes, ut tract. 1. disp. 5. tangebamus. Ex parte etiam voluntatis immittitur à Deo inspiratio, id est, simplex quidã affectus erga res fidei, non liber, sed necessarius. Secundò adverto, hominẽ ista gratia preventum iudicare bonum esse credere, & statim libera voluntate efficaciter velle credere, & illicò elici supernaturalem assensum fidei exhibẽte Deo concursum supernaturalem. Tertiò, postquam homo elicuit actum fidei, saltem semel & iterum, non videtur indigere inspiratione volũtatis, sed solùm illustratione intellectus. De quo late diximus in controversia de Gratia tract. 5. disp. 2. sect. 5. intelligentes cũ hac limitatione Canones Arausicani, & Tridentini relatos.

Ex dictis infertur, ad actum fidei supernaturalis prærequiri aliquas apprehensiones supernaturales rerum, quæ creduntur, & similiter dicendum est requiri aliquas apprehensiones supernaturales ad iudicium explicatum disputatione præcedẽte. Probatur primò, quia illustrationes prærequisitæ ad fidem sunt supernaturales, sed istæ ut in plurimum sunt per modum apprehensionis, ergo. Secundò, quia omne iudicium suapte natura præcedunt aliquæ apprehensiones, ergo iudicium supernaturale præcedent apprehẽsiones supernaturales. Dices nõ haberi in nobis species, à quibus efficiãtur: sed de hoc dicetur ad quæstionem 4. nec est specialis difficultas in apprehensionibus, cùm eadem ratio sit de assensu fidei, qui est supernaturalis, ac proinde debent dari species, à quibus efficiatur. Confirmatur, quia omnẽ conclusionem supernaturalem præcedit principium supernaturale; ergo omne iudicium supernaturale præcedent apprehẽsiones supernaturales, cùm sit eadem omnino ratio. Atque hæc conclusio colligitur ex B. Thoma infrà quæst. 8. art. 8. ad 2. ubi ait, *donum intellectus quodammodò esse prius actu fidei*, quatenus scilicet aliquis intellectus, id est, supernaturalis apprehensio rerum fidei præcedit actum credendi. 3. *S. Thom.*

Sed obijcies primò: Si darẽtur eiusmodi apprehẽsiones, Deus infunderet habitum, qui intellectum elevaret ad 4.

illas efficiendas: sed fictus est sine ratione,& authoritate talis habitus; ergo & tales apprehensiones. Respondetur primò, sicut iuxta communem doctrinam non infundit Deus habitũ, qui efficiat illustrationes, quia istæ non sẽper immittuntur à Deo, & sunt veluti quædam inchoatio actuum perfectorũ fidei, spei,& aliarum virtutum, ad quorum actus eliciẽdos Deus infundit habitus; ita dicendum esse non infundi ad istas apprehẽsiones, præsertim cùm illæ sint quasi via quædam ad fidem, & qui iam frequenter credidit, non indigeat actuali existentia illarum. Secundò respondetur dari talem habitum: sicut enim donum intellectus est habitus, ut in 1.2. controversia 5. tract. 2. dictũ est; & tamẽ fortè illius actus solùm sunt apprehensiones; ita poterit dari habitus ad apprehensiones, quæ fidem præcedunt.

5. Obijcies secundò: Actum fidei supernaturalis, qui fuit in Angelis, non præcesserunt apprehẽsiones; ergo nec in nobis. Patet consequentia, quia fides in omnibus est eiusdem speciei. Antecedens probatur, quia apprehensiones solùm requiruntur in eo, qui indicat componendo, & dividendo, sed Angeli iudicant simplici modo, ergo. Respõdetur negando antecedens: sicut enim Angelus indiguit illustratione ad credendũm, ita & apprehensione supernaturali. Ad probationem verò dico, Angelos in rebus supernaturalibus iudicate componendo, & dividendo, ut in materia de Angelis tract. 7. disp. 4. ostensum est.

6. Obijcies tertiò: Res fidei sunt plures specie, imò & genere distinctæ, ergo illarum apprehẽsiones non possunt esse supernaturales. Confirmatur primò, quia multa ad fidem pertinentia sunt entitatis naturalis, ergo non possunt apprehendi actibus supernaturalibus. Confirmatur secundò, quia sic darentur plures apprehensiones supernaturales specie distinctæ, v.g. aliæ circa Trinitatis mysterium; aliæ circa veritatem Eucharistiæ, ac proinde iudicia fidei, quæ virtute illarum elicerentur, essent specie distincta; ergo fidei actus nõ essent unius speciei. quod est falsum. Respondetur, hoc argumẽtum instaurari etiam posse in ipso assẽsu fidei, qui sine dubio est supernaturalis. Dico ergo, quòd sicut omnia obiecta materialia cognoscuntur per actus fidei eiusdem speciei, quia omnia iudicantur propter unam rationem formalem, scilicet Dei authoritatem; ita etiã apprehendi possunt apprehensionibus eiusdem speciei, quia non percipiũtur medijs apprehensionibus supernaturalibus, nisi prout illis applicatur divina authoritas. Ad primam confirmationem, sicut actus fidei versans circa res naturales est supernaturalis, quia illas respicit sub Dei authoritate, quæ est motivum supernaturale; ita apprehensiones istæ sunt supernaturales, quia simplici modo percipiunt hæc obiecta, prout subsunt divino testimonio: nihil enim aliud est apprehensio præcedens fidem, quàm talis modus percipiendi divinam authoritatem ut applicatam huic, vel illi obiecto materiali, ut virtute talis modi intelligendi determinetur intellectus ad credendum: sicut etiam apprehensiones præcedentes actum primi principij, est talis modus cognoscendi prædicatum unitum subiecto, qui determinet ad iudicandum aliquid ita esse, vel non esse. Ad secũdam confirmationẽ patet ex dictis, sicut omnia illa obiecta sunt materialia respectu actus fidei, ac proinde fidem non diversificant essentialiter, ita sunt materialia respectu apprehensionũ supernaturaliũ; præter quas non nego dari alias apprehensiones naturales, quæ pro varietate obiectorũ possint essentialiter distingui. Solùm addo, quòd in apprehensionibus, quæ præcedunt illud iudicium evidens explicatũ disp. 4. est eadem difficultas, & eodẽ modo debet declarari, scilicet quòd omnes versantur circa eandem veritatem, nimirum honestum esse assentiri rebus fidei ob Dei authoritatẽ; quòd vero res fidei sint illæ, vel illæ, esse quid materiale etiã respectu harũ apprehensionum, & propterea omnes illas, quæ supernaturale iudicium evidens præcedunt, esse eiusdem speciei. 7.

Postremò notandũ est, apprehensiones supernaturales determinantes ad

fidem, distingui specie ab alijs, quę determinãt ad illud iudiciũ evidens; tum quia determinãt ad diversas veritates, tũ etiã quia apprehẽsiones determinãtes ad iudicium evidens debẽt habere aliquid speciale, saltem in modo tendẽdi, essentialiter diversũ ab eo, quod habent apprehensiones determinãtes ad iudicium inevidens.

COMMENTARIVS IN art. 3. & alios ad octavum usque.

IN articulo 3. statuit D. Thomas, necessarium esse ad salutem æternam credere aliquid supernaturale, in adultis quidem quoad actum, in pueris verò saltem quoad habitum: licèt S. Doctor de adultis solùm agere videatur, ut notat Caietanus dub. 3. In art. 4. dicit, necessarium esse per fidem credi aliqua, quæ naturali lumine sciri possunt, v.g. Deum esse: quamvis ad 2. addat, harum rerum fidem solùm esse necessariam illis, qui eas naturali lumine non scirent, de quo suprà in tract. 2. disp. 7. In quinto definit teneri hominem credere explicitè articulos fidei, alia verò sufficere si credat implicitè, ita ut sit paratus saltem non negare illa, quando proposita fuerint ut à Deo revelata. In sexto ait, magis explicitè debere credere Doctores Ecclesiæ, quàm minores, qui ab illis erudiuntur. In septimo, & octavo dicit, semper fuisse necessariam ad salutem fidẽ de mysterijs Incarnationis, & Trinitatis, licèt diverso modo in diversis temporibus, ut explicabimus.

TRACTATVS DECIMUS de interno actu fidei supernaturalis, prout ad salutem necessario.

DVpliciter intelligi potest aliquid esse necessarium ad salutẽ, id est, ad gratiam, & gloriam comparandam. Primo necessitate medij, seu finis, cuiusmodi sunt illa, sine quibus homo nõ potest salutem adipisci, licèt eorũ invincibilẽ ignorantiã habeat, eò quòd per se instituta sint à Deo tanquã omnino requisita ad huius finis adeptionem. Secundò necessitate præcepti: & ad hoc genus pertinent ea, quæ divino, vel Ecclesiastico præcepto implere tenentur fideles, non quia præcisè requirantur ad salutem consequendam, sed quia superior hanc obligationem imposuit; unde qui illam invincibiliter ignoraverit, non solùm liber erit à culpa, sed etiam gratiam, & gloriã poterit obtinere, si alioqui habeat cætera, quæ requiruntur. Et quidem in utroq; sensu disputatur modò, an actus fidei supernaturalis sit necessarius: estq; sermo de ijs, qui iam habẽt rationis usum, nam infantibus sufficiunt gratia, & habitus virtutũ, quæ infunduntur in baptismo, & olim infundebãtur in susceptione Sacramenti, quod contra Originale peccatum erat institutum.

DISPVTATIO I.

Vtrùm actus fidei supernaturalis in omni statu fuerit necessarius ad gratiam, & gloriam obtinendam?

PRimò conveniunt Doctores, in omni statu, scilicet legis Naturę legis Mosaycæ, & legis Gratiæ fuisse necessarium actum fidei supernaturalis, saltem necessitate præcepti; in quo errarunt Pelagiani, qui non solùm in lege Naturę dixerũt pervenisse homines ad beatitudinem sine fide, sed etiam posteà satis esse credere fide naturali; quod satis reijcietur ex dicendis, nam fides nostra est supernaturalis, ut tract. 9. probabamus, & de ea loquuntur Scriptura, & Patres, cùm fidem ad salutem requirũt. Difficultas ergo disputationis est, an actꝰ iste fidei 1. *Pelagian.*

sit

sit necessarius necessitate medij, ut adultus obtineat gratiam, & gloriam.

2. Vega. Andræas à Vega 6. in Tridentinum cap. 20. contendit, eos, qui invincibiliter ignorarent mysteria fidei, posse gratiam, & gloriam adipisci, atq; adeò actum fidei non esse necessarium necessitate finis. Suaderique potest primò, quia Deus infinitæ iustitiæ, & misericordiæ, quiq; vult omnes homines salvos fieri, nō potest plus ab homine exigere, ut salutem obtineat, quā id, quod in illius potestate situm est; sed in potestate eius, qui invincibiliter ignorat mysteria fidei, solùm est cognoscere ea, quæ naturaliter sciri possunt sine fide, & rectè operari secūdum dictamen legis naturalis; ergo si hæc præstiterit, obtinebit salutem, quantumvis non habeat actum fidei.

3. Secundò, ille, qui in infantia fuisset ablutus aqua baptismatis, atque adeò gratiam, & [illegible] infusas cōsecutus; si posteà [illegible] ad annos discretionis, & [illegible] ignoraret res nostræ fid[illegible] [illegible]tereà peccaret, licèt actum [illegible] eliceret, cùm nemo obligetur ad impossibile; ergo si tunc moreretur, obtineret gloriā; ergo ille actus fidei supernaturalis non est adulto necessarius necessitate finis ad gloriam consequendam.

4. Ad Rom. 2 Tertiò, quia Paulus ad Romanos 2. *Gentes* (inquit) *quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*; ergo secundùm Apostolū potest quis vivere secundum legem Dei, quamvis nullam notionem illius habeat per fidem: sed quicumque vivit iuxta divinā legem, obtinet salutem; ergo fides non est necessaria necessitate finis. Vnde B. Thomas lect. 3. in epist. ad Rom. explicans prædicta verba, nihil aliud videtur requirere ex parte intellectus ad salutē, quàm illud, quod naturæ lumine cognosci potest, licèt addat requiri gratiā ad movendum affectum. B. Thom.

5. Dico tamen primò: Actus fidei supernaturalis est necessarius necessitate medij, ut quis perveniat ad beatitudinem, & acquirat gratiam, quam in infantia non acquisivit in Sacramento Baptismi in lege Gratiæ, vel in alio Sacramento, quod in antiqua lege Naturæ, vel scripta supplebat vices illius. Conclusio est cōmunis Theologorum in 3. dist. 25. B. Thomæ hic, & multorū aliorum, quos in discursu huius tractatus nominabimus; estq; omnino certa, adeò ut Canus infrà referendus oppositam appellet erroneam, & forsan hæreticam. Probatur primò ex Scriptura: Paulus enim ad Hebræos 11. *Sine fide* (inquit) *impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirētibus se remunerator sit.* Ex quibus verbis, & toto capitis contextu manifestè patet, sermonem esse de fide actuali, & non de solo habitu, cùmq; sine illa nemo possit ita ad Deū accedere, ut illi placeat, profectò sentit Apostolus, actum fidei necessariū esse, ut quis denuo ad iustificationem accedat, & gloriam consequatur. Rursus hanc fidem esse debere supernaturalē, ipse Paulus ostendit varijs in locis, cōstatque ex Conciliorum definitione. B. Thom. Canus. ad Heb. 11

6. Trident. Secundò probatur authoritate Cōcilij Tridentini sess. 6. cap. 8. ubi explicans verba Apostoli ad Rom. 8. asserētis, *iustificari hominem per fidem*, ait, *hoc propterea verum esse, quia fides est humanæ salutis initium, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortiū pervenire.* Vbi manifestè agit de actu fidei, cùm in eo, & alijs capitibus tractet de actibus, quibus adulti disponuntur ad iustificationem: unde in Can 3. dānat anathematis dicentes, *posse hominē sine Dei gratia credere, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia cōferatur.* Multa alia ex Scriptura, & Patribus pro hac conclusione afferentur disputatione sequente.

7. S. Thom. Tertiò probatur ratione S. Thomæ in artic. 3 Omnia, quæ in hoc universo subiecta sunt alijs in ordine ad aliquā operationem, necesse est, ut præter effectum sibi proprium, habeant alium provenientem à superiori agente, cui subijciuntur; sicut aqua, quę cælestibus orbibus subordinata est, præter motū sibi connaturalem, quo tendit in centrum, habet alium à Luna provenietē, quæ causa est fluxus, & refluxus maris; ergo cùm homo subijciatur Deo in ordine ad adeptionem finis supernaturalis, oportuit, præter naturales opera-

tiones sibi proprias, habeat supernaturalem operationem à Deo provenientem, qua ad talem finē dirigatur. Rursus in hac directione se habet homo tanquam discipulus, qui à magistro discit viam, qua tendat in suum finē; omnem autem discipulum oportet priùs aliquid credere secūdum Philosophū; ergo necessarium fuit, hominem habere supernaturalem actum fidei.

8. Quartò tandē probatur, quia ut homo gratiam obtineat, necessaria est aliqua supernaturalis dispositio ex parte voluntatis, & consequēter ex parte intellectus, qui voluntatē dirigit: hæc autē operatio ex parte intellectus debet esse fides; ergo. Minor patet, illa enim est, quę proponit voluntati Deū ut bonum supernaturale, quod ametur, & ut ultimum finē sperandum, atq; ut dñm, quē nostris peccatis offendimus, ut ita doleamus; ergo cùm amoris, spei, & doloris actus requirantur ad iustificationem, requiretur etiā actus fidei supernaturalis.

9. Dico secūdò: Licèt aliquis in infantia acceperit gratiā, & habitus virtutū infusarum, non potest gloriam adipisci sine actu supernaturali fidei, si iam habeat usum rationis. Non est hæc cōclusio tam certa, quàm præcedēs, sed adhuc non auderem illam negare, tum quia Scriptura, & Patres absolutè requirunt aliquem actum fidei ad salutē, ut præsertim patebit ex adducēdis disput. 2. tum etiam quia nullum Doctorē legi, qui inter adultum in infantia baptizatum, & eū, qui denuò iustificatur, hoc discrimen cōstituat, quòd scilicet iste indigeat actu fidei, nō ille; sed omnes, si unum Vegam, aut alterum Doctorem excipias, actum fidei requirūt in omnibus adultis; præsertim id exprimunt B. Thomas art 3. & sequentibus, (B. Thom.) sed clariùs in 3. dist. 25. q. 2. art. 1. q. 1. ait, *in omni habēte usum liberi arbitrij non sufficere habitus virtutū, sed requiri actus; unde in omni, qui habet liberum arbitrium, exigitur ad salutem eius, quòd habeat actū fidei, & non solùm habitum.* Durandus (Durand.) etiam q. 1. n. 6. & 7. Paludanus ibidem, (Paludan.) Gabriel quæst. unica art. 2 concl. 1. (Gabriel.)

10. Rationem reddit B. Thomas, quia (B Thom.) nimirū omnis adultus non solùm pervenit ad gloriā ob merita Christi Dñi, sed ob merita propria, in eo enim differt ab infantibus: principium autem omnis meriti est actus fidei, quæ est fūdamentū ædificij spiritualis; ergo omnis adultus indiget actu fidei supernaturalis. Confirmatur, quia hæc videtur lex divinę providentiæ, ut quisquis capax est propriarum operationum, quibus ad beatitudinem pervenitur, nunquam sine illis perveniat. Vnde ad secundum argumentum, quod nostram conclusionem videtur oppugnare, respondemus, in eo casu, & similibus recurrendum esse ad divinam providentiam, ut si ille tunc sit moriturus, vel interiùs illuminetur, vel cōcionatore extraordinariè ad eum accedēte, vel Angelico ministerio ita illi proponātur fidei mysteria, ut elicere possit actum fidei.

Sed urgebis: Non plus requiritur ad obtinendam gloriam [illegible] ad gratiā, quæ est veluti sem[illegible] sed ut ille homo habeat gr[illegible] indiget actu fidei; ergo neq; [illegible] ad gloriā. Respondetur maio[illegible] verā, si cōsiderētur in eodem statu gratia, & gloria; secùs verò, si in diversis, ut in præsēti contingit: [illegible]tenim non plus requiritur ad comparandam gratiam in infantia, quàm ad gloriam in eadem; sicut etiam id, quod sufficit, ut adultus disponatur ad gratiam, sufficit, ut obtineat gloriam, quandiu illam non amisit: at verò si quis in infantia iustificatus est, & postquàm est adultus, pervenit ad beatitudinem, non indiguit actu fidei ad iustificationem, quia tunc non erat capax illius; indiget vero ad beatitudinem, quia omnis adultus proprijs actibus pervenit ad ultimum finem suum. 11.

Sed adhuc obijcies, videri sufficere ad salutem, quòd quis habeat fidei actū in voto, ad quod sufficit habere habitum fidei infusum in Baptismo: sic enim ipse Baptismus in voto sufficit ad salutem ijs, qui notitiam Baptismi non habuerunt. Ex quo etiam videtur responderi posse ad argumenta pro prima conclusione, licèt enim fidei actus sit necessarius ad salutem, sufficiet illum habere in voto implicito, cùm eadem ratione Scriptura nobis commendet 12.

Baptismi necessitatem,& tamen sufficiat illũ in voto recipere. Respondetur tamen, ex Scriptura, & Patribus; atque Doctorum explicatione colligi satis, requiri ad salutem verum actum fidei, non verò Baptismum re ipsa susceptum, quando adultus haberet actũ contritionis,&c. Præterquamquòd actus fidei non continetur in voto in suo habitu, ut enim adultus dicatur habere Baptismũ,vel aliquid aliud in voto, necessarium est habeat aliquem actũ, qui sit saltem virtuale desiderium illi⁹, quod dicitur in voto haberi, ut patet ex communi explicatione: quare solus habitus fidei non continet actum in voto, & cùm nihil aliud possit assignari, quod illum contineat, dicendum est requiri ad salutem ipsum actum fidei. Vnde etiam patet non posse hac ratione solvi argumenta pro prima conclusione, nam omnes actus, quos adultus elicit,antequ[illegible]d fidem accedat, vel sunt natu[illegible] naturale cõtinet ullo mo[illegible]naturalem; vel sũt illum[illegible]rnaturales Dei, & actus v[illegible] quibus velit illis respondere;[illegible] hoc auxilio adiutus faciat homo, quod i[illegible]est, Deus illi cõmunicabit actual[illegible]em, qua ad iustificationem, aut[illegible]tam æternam disponatur,ut iam explicabo.

13. Ad primum ergo omissa solutione minimè vera, quam multis abhinc annis exhibui, respondetur modò ex latè dictis in materia deGratia,seu in 1.2 controversia 8. tract.6. disp 1. nullum esse adultum, quem Deus aliquoties in vita non illuminet, & inspirationibus tangat, ita ut si velit,possit eis respondere, & si respondeat, Deus illum ulteriùs suis auxilijs prosequetur,ita ut fidem actualem habeat,& iustificetur; quòd si non responderit,mirũ non erit, si damnetur saltem propter alia peccata,quæ contra legẽ naturæ faciet.Itaq; nullus adultus est, in cuius potestate non sit habere actum fidei supernaturalis, & cæteros, qui ad salutem requiruntur.Concessa ergo maiori neganda est minor argumenti.

14. Ad secũdum respondetur similiter, illum hominem illuminandum à Deo, ita ut,si velit,possit se disponere,ut ante mortem habeat actum fidei: quòd si non faciat,quod potest,mirum non fore si damnetur, vel propter culpam nõ respondendi vocationi divinæ, vel ob aliud mortale,quod patrabit ante mortem, ita Deo disponente, aut permittente,qui adultum non coronat, si non crediderit.

Ad tertium respõdetur, Apostolum velle, homines non per naturam solã, sed per naturam gratia sanatã,implere legem Dei, etiam si legem Mosis non profiterentur,ut bene B.Thomas in eũ locum, qui non ait ibi, non requiri ex parte intellectus actũ fidei, sed solùm posse naturali lumine homines cognoscere obligationem præceptorum naturalium, licèt illa implere nequeât sine dono gratiæ moventis affectum,& illum confortantis,ut bene operetur. 15. S. Thom.

DISPVTATIO II.

Quidnam sit necessarium necessitate finis credere ante, & post adventum Christi Domini?

DVpliciter credi potest aliqua veritas,uno modò explicitè, altero implicitè. Illud dicitur explicitè credi,in quod expressè fertur assensus credẽtis, ut cùm quis verè cõcipit esse Romam, quando credit id asseverantibus,licèt non cognoscat distinctè sitũ urbis, & speciales alias circumstantias: illud verò creditur implicitè,quod aliqua ratione continetur in alio explicitè credito, ut qui crederet à Deo proventuram hominibus æternam fœlicitatem, virtute, seu implicitè credit,esse media,quibus ad eã perveniamus,licèt ignoraret,quænam illa sint. Scio,non ab omnibus Doctoribus eodem modo explicari divisionẽ hanc fidei in implicitam, & explicitam, ex quo fortè orietur aliqua dissensio,quæ non sit rerum,sed verborum: nos tamẽ id advertemus in sequentibus,cùm necessarium fuerit ad aliquorũ Scholasticorum sententiam percipiendam. 1.

SECTIO I.

In omni statu fuisse omnino necessariam explicitam fidem Dei ut authoris supernaturalis, & implicitam unius Mediatoris.

2. DICO primò: In omni statu post lapsum Adæ fuit medium necessarium ad salutem explicita fides Dei ut authoris supernaturalis. Non agimus de statu innocētiæ, quia & ille parum duravit, & tunc homo erat instructus cognitione rerum naturalium, & supernaturalium; de quo in 1. par. controversia 8. tract. 5. Conclusio ergo loquitur de triplici statu post lapsum, scilicet legis Naturæ, Scriptæ & Evangelicæ; estq; cōmunis Doctorum, quos in hac disputatione referemus. Probatur primò ex Paulo ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* (AdHeb.11) Quæ verba aliquam expressam Dei notitiam requirunt ad salutem: nec sufficit eam notitiam haberi de Deo ut existit author naturę, & remunerator medio aliquo naturali præmio, quia cùm notitia fidei deserviat ad dirigendum hominem ad supernaturalem beatitudinem, nō sufficeret sola cognitio Dei ut naturaliter remunerantis, ut quis se gereret tanquam Catholicus, & tenderet in finem suū. Quare rectè Michaël Medina lib. 4. de recta in Deum fide (Medina.) cap. 8. ad finem dixit, fidem, sine qua dixit Apostolus loco citato neminem posse placere, esse debere assensum supernaturalem circa Deum ut supernaturalem authorem.

3. Ex quo desumitur secunda ratio, nā fides necessaria est, ut quis habeat notitiā sui ultimi finis, sicq; illum diligere posit, & sperare æternam fœlicitatē simul cum remissione peccatorum, & alijs medijs, quæ ad illam obtinendam requiruntur; sed ad hoc requiritur notitia Dei ut authoris supernaturalis, ergo explicita fides illius necessaria est in omni statu. Minor patet, quia Deus est ultimus finis hominum in quantum possidendus media visione supernaturali; charitas etiam, & spes tendunt ad Deum ut finem supernaturalem; ergo necesse est, ut fides ad salutem requisita versetur circa Deum ut authorem supernaturalem. Nec sufficit implicita fides huius veritatis, tum quia nihil aliud assignabitur, quod credamus explicitè, & in quo implicitè contineantur ea, quæ spectant ad Deum ut authorem supernaturalem; tum quia qui expressè non agnovit suum ultimum finē, quo pacto poterit suas actiones ad illū referre, & illum supernaturali charitate diligere, prout ad salutem necessarium est?

Ex quo etiam patet, quænam ex ijs, quæ ad Deum pertinēt, fuerint semper credenda, ut quis gratiam, & gloriam obtineret. Placet enim mihi cōmunior sententia, scilicet in verbis Pauli suprà citatis ea sufficienter contineri: ac primùm quidē petit credamus, *Deum esse*: quibus verbis petitur cognitio unius divinitatis, non plur[illegible] quamvis enim illud naturali rati[illegible]sci possit evidenter, adh[illegible] poterat divina fide, tun[illegible] non patet evidenter, [illegible]es haberi potest de rebus al[illegible]itis, si coniūgantur cum alijs veritatibus non cognitis evid[illegible] ut patet ex tract. 2 disput. ulti[illegible]alenti autem cognitio unius Dei debebat coniungi cum notitia unius boni supernaturalis, & ultimi finis, & utrumque simul non potest lumine naturę cognosci, ac proinde potest ad fidem pertinere. Deinde credere tenentur omnes, *Deum esse remuneratorem*, id est, esse bonum quoddam supremū, à quo provenire nobis debent beatitudo supernaturalis, remissio peccatorum, & dona ad beatitudinem obtinendam necessaria; quę quidem cognitio sufficiēs esset ad amandum Deū, ad sperandam beatitudinem, & remissionem peccatorum, atq; ad dolendum de peccatis commissis. Neque aliquid aliud video fuisse omnino necessarium explicitè credere circa Deum: atq; ad prædicta revocantur ea, quæ postulant Aragon art. 5. conc. 3. & Valencia q. 2. punct. 3. (Aragon. Valenc.)

Dico secundò: Ad iustificationem, & gloriam semper fuit medium necessariū saltē implicita fides Mediatoris 5.

seu

seu Christi Dñi. Conclusio est cõmunis Theologorũ, Magistri in 3. dist. 25. ubi Durandus in expositione litteræ, S. Bonaventuræ art. 1. q. 2. Rhicardi art. 3. q. 1. & 2. Gabrielis q unic. art. 2. concl. 3. quãvis enim illam fidẽ appellet explicitam, re vera loquitur de implicita. S. Thomas etiã art. 7. ait, semper fuisse de necessitate salutis credere saltẽ implicitè unum Mediatorem; & quãvis ipse, & aliqui fortasse alij nõ distinguãt expresse necessitatem medij, & præcepti, intelligendi tamen sunt de necessitate medij, quia id videtur significare illud verbũ, *de necessitate salutis*: & ita cũ intelligunt, & sequũtur Bañez art. 8. du. 2 Aragon ad art. 5. Canus relectione de Sacramẽtis in genere punct. 2. conc. 2. Valencia q. 2. punct. 4. & Medina lib. 4 cap. 3.

Magister. Durand. S. Bonav. Rhicard. Gabr. S. Thom. Bañez. Aragon. Canus, Valencia. Medina.

6. Ad Ro. 3. Probatur primò ex Scriptura, nam Paulus ad Rom. 3. *Iustitia* (inquit) *Dei per fidem Iesu Christi in omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Ubi manifestè docet, Christi fidẽ omni peccatori necessariã ad iustitiã obtinendã: & proptereà 1. ad Corint. 10. dicũtur antiqui Patres *bibisse de spiritali petra*, scilicet Christo, cuius aqua salutari per fidem bibita sordes peccatorũ abluebantur.

1. Ad Cor. 10.

7. S. August. Secundò probatur ex Patribus, nam S. Augustinus to. 2. epist. 157. ait, *Omnes iustos, sive ante Incarnationem, sive post illã non vixiße, nec vivere, nisi in fide Incarnationis Christi Dñi.* S. Hieronymus in ea verba cap. 2. ad Galat. *Non iustificatur homo ex operibus legis: Admonere* (inquit) *debemus, Sanctos, qui antiquitus fuerant, ex Christi fide iustificatos.* Estq; manifestum ex contextu, non solùm appellare fidẽ Christi illam, quæ propter Christũ nobis donatur, sed eam, qua in Christum creditur; addit enim, antiquos habuisse notitiã Christi Dñi, ut prędictã veritatẽ cõfirmet. Et in cap. 3. epist. ad Ephes. in ea verba, *In quo habem⁹ fiduciã*, loquẽs de tẽpore legis Gratiæ, ait. *principiũ nostri accessus ad Deum esse fidem in Christum Dominum.* Unde in cap. 21. Matth. utrũque coniunxit dicens, *proptereà in glorioso ingressu Salvatoris die Palmarum in Ierusalem, populum, qui præcedebat, & populum, qui sequebatur, Christum Dominũ collaudasse, ut nimirum significaretur, confessionem huius Salvatoris pertinere ad omnes tam ante, quàm post adventum illius.*

S. Hieron.

Theodore. Theodoretus etiã in verba citata Pauli ad Rom. 3. *Ostendit* (inquit) *per fidem in Dominum Christum eos illa frui, sive sint Iudæi, sive Græci.* & addit, *proptereà Paulum loqui de omnibus, ut ostenderet, hæc ad Iudæos, & Gentiles pertinere.*

Tertiò probatur ratione, quia cùm ex Scriptura apertè constet, salutem omnium hominum post lapsum Adami ab uno Dei, & hominũ mediatore proventuram, consentaneum omnino fuit, ut aliqua ratione in illũ crederent omnes, qui salutẽ hanc essent consecuturi; sic enim illi unirentur, ut ad eos influxus tam illustris capitis derivaretur. Porrò licèt fides hæc implicita nõ eodem modo explicetur, probabilius tamen est (licèt contrarium supponat Molina 1. p. q. 1. art. art. 1. disp. 2.) in ijs, quæ diximus debere explicitè credi circa Deum, contineri implicitam fidẽ Mediatoris, nã eo ipso quòd credatur, à Deo proventuram nobis gloriam, remissionem peccatorum, & gratiã, creditur hoc faciendũ esse aliqua ratione statuta à divina providẽtia: cùm igitur ea fuerit Incarnatio unigeniti Filij, ut esset Mediator noster, consequẽter sub fide Dei remuneratoris, quasi sub velamine continebatur fides Mediatoris: atq; hoc modo explicuit fidem implicitam Christi Dñi B. Thomas art. 7. ad 3. 8.

Molin.

S. Thom.

Postremò circa cõclusionẽ adverto, in hac implicita fide Mediatoris implicitè credi ab omnibus mysterium Trinitatis, quia Mediator futurus erat unigenitus Filius æterni Patris, cuius Incarnatio efficiẽda erat virtute Spiritus sancti. Unde B. Thomas art. 8. corpore dixit, eodẽ modo credi implicitè mysterium Trinitatis, quo creditur mysterium Incarnationis, & ita utriusq; fidẽ fuisse omnibus necessariã. Deinde nota, non potuisse ab omnibus credi ea, quæ diximus in 1. & 2. conclusione, nisi aliqua ratione crederetur, aut saltem lumine naturæ cognosceretur animæ 9.

immortalitas; nam Deum esse remuneratorem, intelligendum erat de æterni præmij largitione; hoc autem sine immortalitate animi consistere nequit: quare necessarium ad salutem fuit, & est semper, scire hanc veritatem, licèt non tam explicitè, quàm alias, sed implicitè in fide Dei ut remuneratoris inclusam.

SECTIO II.

Ante promulgationē legis Gratiæ sufficisse fidem implicitam Christi Domini; post promulgationem verò requiri fidem explicitā, ut medium necessarium ad iustificationem, & gloriam.

10. DIco tertiò: Fides implicita unius Mediatoris fuit sufficiēs ad salutē ante promulgationem Evangelij. Est cōmunis conclusio, ferèq; sub his terminis expressa à Doctoribus citatis cōclus. 2. Probatur primò ex Paulo ad Galat. 3. *Priùs* (inquit) *quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Quasi diceret, ante adventum Christi Dñi fuisse quasi velatum hoc Incarnationis mysteriū sub umbra tot sacrificiorū, & cæremoniarum, ac proinde non esse ab illis hominibus postulandā expressam Salvatoris fidem, ut medium necessariū ad salutem: quāvis enim tunc fuerint aliqui præcipui homines, quibus hoc mysteriū explicitè cognitū est, & illud explicitè credere tenerentur sub præcepto, ut posteà dicetur; nulli tamen illorum fuit mediū necessariū, quia in eodē statu, seu in eadem lege eadē media sunt omnibus necessaria, & sufficiētia: cùm ergo cōmuni plebi non fuerit medium necessariū explicita fides Mediatoris, neq; etiā alijs viris primarijs fuisse dicendū est. Secundò probatur cōclusio, quia lex antiqua adhuc erat imperfecta; ergo non petebat tā expressam cognitionē huius excellentis mysterij, quā petitur in lege Gratiæ; sed in hac non desunt, qui existiment non requiri fidē explicitā Christi Dñi ut mediū necessariū ad salutē; ergo extra controversiā esse debet, eam non fuisse medium necessarium in lege antiqua.

Ad Gal. 3.

Advertit tamen rectè Petrus Aragō suprà cōc. 4. & 5. fidē implicitā Mediatoris in lege Naturæ sufficientem fuisse eo modo, quo illam explicuimus conclusione præcedente; in lege verò Mosaica necessariam fuisse fidē magis explicitam, qua nimirum unus Mediator venturus saltem in universali crederetur; cū enim lex hęc fuerit propinquior Evangelio, & tota ferè cōsisteret in adumbrando, & expectando Messia, consentaneum omnino est asserere, minùs implicitam fidem necessariā, quàm in lege Naturæ; imò comparatione fidei legis Naturæ hæc fides legis Scriptæ dici potest explicita, quāvis comparatione fidei legis Gratiæ dicenda sit implicita, eò quod hæc sit multò magis distincta, ut explicabitur. 11.

Aragon.

Superest iā præcipua disputationis difficultas, an scilicet in lege Gratiæ post sufficientē promulgationē Evangelij necessaria sit fides omnino explicita Christi Dñi, ut quis salutem obtineat. Partem negantē sequuntur Sotus in 4. dist. 5. q. uni. ar. 2. dub. ult. Luysius Turrianus disp. 27. & alij recentiores, qui probabile putant, interdū sufficere votum implicitū huius fidei eo modo, quo sufficit adulto Baptismus in voto, ut salvetur. Et videtur esse sententia Rhicardi suprà art. 4. q. 1. ait enim, si alicui non essent modò cogniti articuli fidei, eò quòd nullus concionator, aut divini verbi Minister illi occurreret, sufficere ut salvetur, si explicitè credat ea, quę necessarium erat credere in lege Naturæ. Medina etiam cap. 10. dicit sufficere implicitam fidem Christi Dñi; quāvis §. *Est autem in hac parte advertendum,* ita illam explicet, ut vix differat ab explicita: additque illa nullas Gētes antiquas fuisse destitutas; quod minùs bene dictum videtur. Denique Suarez disput. 12. sect. 4. magis expressè hanc sententiam secutus est. Canus verò suprà, Aragon art. 5. dubio de hac re concl. 1. & 2. & Bañez art. 8. dubio de hoc argumento, conc. etiam 1. & 2. dicunt, ad iustificationem, seu gratiā cōsequendam sufficere etiā in lege Evāgelica fidem implicitam Christi Dñi; ad obtinendam verò gloriam requiri fidem explicitam illius. 12.

Sotus. *Turrian.* *Rhicar.* *Medina.* *Suarez.* *Canus.* *Aragon.* *Bañez.*

Dico

13. Dico tamen quartò: Non solùm ad gloriam, sed etiam ad gratiã consequẽdam requiritur necessario explicita fides Christi Dñi post sufficientẽ Evangelij promulgationem. Conclusionem hanc prout docet, ad beatitudinem requiri modo fidẽ explicitã Christi Dñi adeò certã existimat Canus, ut oppositam appellet errorem: sed excessit sine dubio, cùm viri docti id non improbabiliter tueantur; & potiùs Medina distinctionẽ, quã ex Cano retulimus, paradoxon appellet; prout verò sine distinctione docet conclusio, ad gratiam, & gloriam requiri hanc fidẽ explicitam, defenditur à Gregorio de Valencia suprà punct.4. Lorino in cap.10. Actorũ vers. 2. Lorca ad art.8. disp.22. Molina 1.par. q.1. art.1. disp.2. & Iosepho de Acosta lib. 5. de procuranda Indorum salute. Et planè desumitur ex Gabriele in 3. dist.25. q.unica, art.2. conc.3. & ex S.Thoma ibi. q.2. art.2. q.2. ubi loquẽs de fide Redẽptoris, *Post adventum* (inquit) *Christi omnes tenentur ad explicitè credendum; &, si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.* Sentit ergo sanctus Doctor, hanc fidem esse medium necessarium, alioqui non oporteret revelari à Deo, ut quis salvaretur, sed sufficiẽter excusaretur ob ignorantiã. In hac verò quęstione art. 7. etiã petit fidẽ explicitam Christi Dñi, sed non omnino distinguit necessitatem medij, & præcepti, ut pateat, de qua loquatur: & idem dubium remanet de sententia Magistri in 25. dist. lib. 3. & S. Bonaventuræ ibidem art.1. quæst.3.

Valencia. *Lorinus.* *Lorca.* *Molin.* *Acosta.* *Gabr.* *S. Thom.* *Magister.* *S. Bonav.*

14. Probatur primò ex Scriptura, & Patribus. Ioannis 10. dixit Christus Dñs, *se esse ostium, per quod si quis introierit, salvabitur, secùs verò non:* quia qui per illũ non ingreditur, fur est, & latro, ac proinde indignus æterna salute. Quẽ locũ expendens S. Gregorius tom.4. lib.7. Registri epist.47. ait, *Illum intrare per ostium, qui intrat per Christum, vera sentiẽdo, ac prædicando de illo.* Quibus verbis satis indicatur cognitio aliqua expressa Salvatoris. Et cap.17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi secundũ explicationẽ satis probabilẽ sermo est de beatitudine huius vitæ, quæ posita dicitur in cognitione Dei, & Christi, quæ per fidẽ habetur: cùm ergo utriusque rei fidem æquali modo cõstituere videtur Christus Dñs ut id, in quo beatitudo huius vitæ cõsistit, videtur profectò utrũq; exigere ut mediũ necessariũ. Marc. ult. *Qui crediderit* (scilicet in Christum, quẽ præcipuè Apostoli prædicaturi mittebantur) *& baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, cõdẽnabitur.* In quẽ locũ notat S. Bernardus epist.77. propterea à Christo Dño non fuisse iterũ repetitã illam vocem *baptizatus*, sed solùm verbũ *crediderit*, ut indicaret, *solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa nihil.* Cùm ergo certum sit, Baptismum saltem implicitè creditũ, & volitũ, esse medium necessariũ ad salutem, si magis necessaria est fides Salvatoris, certè necessaria erit explicita illius cognitio. Et Actorũ 16. cùm custos carceris diceret, *Quid me oportet facere, ut salvus fiam?* Paulus, & Silas dixerunt, *Crede in Dominũ Iesum.* Est ergo fides expressa Christi Dñi ad salutem necessaria. Apostolus etiam ad Galatas 2. *Nos* (inquit) *in Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Christi.* Quæ verba si coniungãtur cum multis alijs, quæ docet in alijs locis, plus exigere videntur, quàm fidẽ implicitã. Vnde S. Hieronymus in cap.1. epist. ad Ephes. *Cùm prædestinet nos Deus per Iesum Christum, non antè filij esse possumus, nisi filij eius Iesu Christi fidẽ, & intelligẽtiã recipiamus.* Quæ verba sine dubio videntur intelligenda de fide explicita. Deniq; S. Augustinus de prædest. Sanct. cap.7. cùm tã ibi, quàm alibi supponat, Cornelium (de quo latè tractabimus sect. sequẽte) habuisse fidẽ Dei explicitã, atq; adeò implicitã Christi, reddens rationẽ, ob quam Actorum 10. mittitur Petrus, ut eum instruat, hæc scribit: *Si posset sine fide Iesu Christi esse salvus, non ad eum mitteretur Apostolus Petrus.* Sentit ergo in lege Gratiæ necessariam esse explicitã fidem Christi Domini.

Ioan.10. *S. Gregor.* *Ioan.17.* *Marc.ult.* *S. Bernar.* *Actor.16.* *Ad Gal.2.* *S. August.*

15. Respondet Canus ad hæc, aut alia similia testimonia, eis rectè probari, fidem explicitã Christi Dñi esse mediũ necessarium ad salutem, seu beatitudinem æternam, non verò ad iustificatio-

18. Ex quo etiā patet, quomodò sit medium ad salutem necessarium in lege Evangelica credere mysterium Trinitatis. B.Thomas art 8. dicit, explicitè debere credi;sed non videtur loqui de necessitate medij; nam eodem modo dicit, in antiqua lege debuisse credi explicitè à viris præstātioribus,quibus tamen id non fuit medium necessariū. Suarez suprà n. 25. solùm requirit fidē implicitam, quæ in voto contineat explicitam: Valencia verò suprà pūct.5. & Bañez conc.2.fine, eodē modo vidētur exigere explicitam fidē Trinitatis, atq; Incarnationis; & ita verū est,quia fine cognitione Patris, & Filij non potest explicitè cognosci mysteriū Incarnationis,in quo Filius Dei creditur incarnatus: & cū Incarnatio facta sit virtute Spiritus sancti, cui tribuitur speciali titulo, ut patet ex symbolo, hæc etiā persona cognosci debet. Vnde S. Thomas eodē modo loquitur de necessitate credendi Incarnationē,& Trinitatem.

S. Thom.

Suarez.

Valenc.

Bañez.

SECTIO III.

Proponuntur,& diluuntur obiectiones cōtra quartam conclusionem.

19. PRæcipua obiectio contra nostram quartam conclusionē desumitur ex Actor 10 ubi Cornelius dicitur *Vir religiosus,ac timēs Deū,imò & vir iustus,cuius eleemosynæ acceptæ erant Deo:*& tamē nondum crediderat in Christum Dnm, sed potiùs Petrus Apostolus missus est, ut ei manifestaret Iesum; ergo etiā tēpore legis Gratiæ potest homo iustificari sine explicita fide Christi Domini. Respondetur, triplicem exhiberi solutionē huic argumento. Prima est,Cornelium non fuisse iustificatū, antequàm Petrus ei prædicaret Christum Iesum. Colligitur hæc solutio ex S.Chrysostomo homil. de fide,lege Naturę,& Spiritu sancto,quæ habetur ad finem to.3. ubi inter alia docet,*Opera Cornelij fuisse mortua, dum Christi fidem ignoravit*: & licèt ibi dicat,eius opera placuisse Deo, satis constat ex contextu eum loqui de quadam congruitate, quæ inerat illis operibus, ut à Deo impetrarent remediū,non verò quia illa essent meritoria de condigno. Sed etiam Augustinus to.2. epist.57. dicit, *Non habitasse Deū in Cornelio,sicut in tēplo,antequàm bapizaretur.* Vbi ex contextu patet, nomine templi Dei intelligere iustos. Et to.4.lib.1 ad Simplicianum q.2. ait, *Fidem Cathecumenorum, & Cornelij ante Baptismum non fuisse sufficientem ad obtinend m regnum cælorum.* Vbi cōstat loqui de Cornelio, & de Cathecumenis eodē modo; cùm autem certum sit,Cathecumenū,si ante Baptismum haberet gratiam, posse obtinere regnum cælorum, idem profectò diceret de Cornelio, si iustus esset,antequàm in Christum crederet, & baptizaretur; quare secundum Augustinum Cornelius tunc iustus non erat, sicut nec Cathecumeni, de quibus loquitur.

Actor.10.

S.Chrysost.

S. August.

20. Deniq; Medina in illo cap.10. citato latè contendit, non posse colligi ex Scriptura,Cornelium ante fidē Christi Dñi fuisse iustum,quāvis enim dicatur in loco citato religiosus,& timēs Deū, id solùm significat non fuisse cultorem idolorū, sed potiùs timuisse denegare cultū uni vero Deo,sicut Exodi 1. obstetrices Hebræorum dicuntur timuisse Deum,quia noluerunt occidere masculos,qui ab Hebræis fœminis pariebantur,licèt Rex Aegypti præcepisset. Deinde eleemosynas illius fuisse acceptas Deo, solùm significat fuisse congruam dispositionē, ut Deus illū illuminaret, sicut re ipsa illuminavit.Tertio Cornelius non appellatur iustus ab Evangelista Luca, aut alio sacro scriptore; sed ministri,qui ab ipso missi sunt,ut vocarent Petrum,dixerunt eum esse iustum; in quo errare potuerūt,nisi fortè locuti sunt de iustitia minùs propria,qualis reperitur in homine,qui secundum externam apparentiam videtur rectè vivere,saltem ut in plurimum. Denique cùm Petrus dixit, *In veritate cōperi,quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi;* non significavit, Cornelium priusquàm in Christū Dñm crederet, fuisse iustū, sed Deū admittere ad gratiam Evangelij omnes etiā Gentiles,qui Deum timuerint,& bene operati fuerint,& illis conferre veram

Medina.

Exod.1.

iustitiam, si per ipsos non steterit, quã vis non dicat eam conferri ante fidem Christi Domini. Ex quo etiam patet multò faciliùs posse defendi, neque Eunuchũ reginæ Candacis, de quo Actor. 8. neque Lydiam purpurariam, de qua Actor. 16. habuisse gratiam, antequàm in Christũ crederent, cùm nihil in gens ex Scriptura afferri possit ad id probandum.

21. *Magister.* Secunda solutio videtur Magistro placuisse, saltem sicut probabilis, in 3. dist. 25. ait enim, *Cornelium verè habuisse expressam notitiam incarnationis, licet nesciret, an re ipsa foret iam facta; & ita fuisse quidem iustificatum, sed non sine expressa fide in Christum Dominum.* Sed hæc solutio nõ omnino videtur satisfacere, nec tam placet, quàm prima.

22. *Valenc. Lorin.* Tertia solutio est Gregorij de Valencia suprà, & Lorini supra, doctrinam nostræ conclusionis intelligi post sufficientem promulgationem Evangelij, nam ut in materia de Legibus, seu t. 2. controversia 7. tract. 4. dixi, Doctores præscribũt aliquod tempus, ut sufficiẽter manifestaretur mundo lex Evangelica, & sicut ante illud impletum poterant pueri iustificari sine Baptismo per remedium legis Naturæ, postea vero non poterant; ita etiam potuisse homines salvari ante promulgationem Evangelij cum fide implicita Christi, non vero posteà. Dico ergo, Corneliũ fuisse iustum, antequàm Christum Dominum explicitè crederet, ut præter

Salmeron. citatos docent Salmeron tractat. 31. in Acta, & alij apud Lorinum, quia eo tẽpore nondum erat sufficiẽter promulgatum Evangelium, præsertim Gentilibus; quod fiet verisimile, si advertamus, conversionem Cornelij accidisse anno 41. Christi Dñi, atque adeò septi-

Baron. mo ab eius Ascensione, ut refert Baronius, qui contendit, hũc fuisse primum ex Gentilibus ad Christum conversis: nec deest illi fundamentum in cap. 10. Actor. ubi quadam visione didicit Petrus iam adesse tẽpus prædicandi Gentilibus & primus, ad quem tunc accessit, fuit Cornelius.

23. Obijcies secundò: Illud solũ est medium necessariũ ad salutem, quod sufficit ad amandum Deum, ad sperandũ, & dolendũ de peccatis; sed ad id sufficit explicita fides Dei, qui est horum actuum obiectũ, licet solùm habeatur fides implicita Christi Dñi; ergo fides explicita illius non est medium necessarium. Confirmatur, quia nihil est assignandum modò ut medium necessarium, quod non fuerit etiam in antiqua lege. Respondetur, ad Dei providentiã spectare, ut qui credit Deum, & revera eum est amaturus amore charitatis, & peccata detestaturus, habeat explicitã notitiam Christi Dñi, & ita nunquam dabitur charitas, quæ est necessaria ad salutẽ, sine fide explicita Christi. Vnde cõcessa maiori negãda est minor, quia nunquam id præstabitur sine fide explicita Salvatoris, neq; Deus ad tales actus concurret, nisi simul efficiendo, ut expressa fide cognoscaturChristus. Ad confirmationem, sicut in antiqua lege Naturæ sufficiebat ad salutẽ parvulorũ generale quoddam remedium, de quo agemus in materia de Sacramẽtis, modo vero requiritur Baptismus; ita etiã requiretur modo expressa fides Christi Domini, licet olim sufficeret fides implicita, & magis in generali.

DISPVT. III.

Quidnam fuerit olim, & modò sit necessarium credere necessitate præcepti?

SECTIO I.

De ijs, quæ in lege Naturæ, & Scripta credi oportebat.

DICO primò: In omni statu obligat sub mortali præceptum credendi illa omnia, quæ pro illo statu sunt necessaria necessitate medij. In hac conclusione non potest esse dissensio, nam quicumque tenetur sub gravi crimine exequi media, sine quibus obtinere non poterit finem suum, nisi invincibili ignorantia excusetur, alioqui valde negligens esset in negotio maximi momenti, à quo nimirum 1.

pendet

pendet æterna salus: omnia ergo, quæ in præcedente disputatione diximus esse media necessaria pro singulis statibus, ea sine dubio tenebantur homines credere sub mortali.

2. Dico secũdò: In omni statu fuit etiã omnibus impositũ præceptũ credendi alia, quæ licet nõ sint media ad salutẽ necessaria, requiruntur ad rectam institutionem vitæ, qualis decet hominẽ creatum ad supernaturalem fœlicitatẽ, & ad vivendum, sicut decet fideles. In hac etiam conclusione sub his generalibus terminis non est dissensio; difficultas tamen est, quænam fuerint eiusmodi res in antiqua lege, & modo præsertim in lege Gratiæ.

3. Ac primùm quidem in lege Naturę videtur fuisse præceptum credendi, Deum esse creatorem hominis, imo & aliarum creaturarum, sive id fuerit factum ab æterno, sive in tempore: nec enim hoc videtur tam necessarium, ut inducat omnibus obligationẽ, præsertim gravem. Probatur, quia ad exhibẽdum uni Deo debitum cultũ videbatur hæc veritas maximè necessaria. Deinde videtur omnes fuisse obligatos ad sciendã mandata, quæ in Decalogo cõtinentur, non quidem distinctè, sed saltem sub duobus illis generalibus principijs, *Cole Deum super omnia*, & *Quod tibi non vis, alteri non facias*: ex his enim facilè quivis inferre poterat, malum esse furari, adulterari, occidere. Sic Medina lib.4.cap.6. (Medina.) Tertiò tenebantur credere immortalitatem animi nostri, nã sine hac cognitione difficilè abstineret homo à multis peccatis, & se ipsum referret ad Deum. Quartò aliqui cum Cano (Canus.) admittunt obligationem credendi peccatum originale: quod saltem verum est de cognitione aliqua, qua in cõfuso crederent, vitiatam esse naturam humanam, & indigere aliquo remedio etiam in parvulis. Probatur, nam hoc erat maximè necessarium singulis hominibus, sive ut filijs suis providerent Sacramentum, quo illud peccatum deleretur, sicut modò deletur per Baptismum; sive ut curarent propriam salutẽ; & si forte in infantia non fuerant iustificati medio prædicto Sacramẽto, quærerent medicinam tanti mali. Quintò addi potest notitia obligationis Deum orãdi in periculis; quæ fere colligitur ex dictis, nam qui Deum supremum dominum coleret, facilè adverteret se debere ad illum recurrere saltem in gravissima necessitate. Præter hæc autem & similia, non occurrũt alia, quæ in eo statu omnes credere tenerentur.

Deinde in lege scripta credere tenebantur omnes ea, quæ diximus in statu legis Naturæ; & præterea primò videntur fuisse obligati distinctiùs scire decem præcepta Decalogi, quæ tanta solemnitate promulgata sunt populo Iudaico, non quidem ita ut ea tenerentur memoria recitare, & ordine proferre, sed ita ut de singulis rogati facilè respondere scirent, illa esse præcepta Dei. Deinde tenebantur credere, circũcisionem esse Sacramentũ, quod pueris applicandum erat, ut deleretur peccatum originale; ac postremò tenebantur nosse alia, quæ specialiter illi populo commendabãtur, ut notitia eductionis illius de terra Ægypti &c. 4.

SECTIO II.

De ijs, quæ tenentur omnes credere in lege Gratiæ.

Tertiò in lege Gratię est maior difficultas, & dissẽsio: nam præter ea, 5. quæ spectant ad legem Naturæ & maiori ratione obligant in lege Gratiæ, sunt alia, de quibus non eodem modo loquuntur Doctores. Et imprimis quod attinet ad quatuordecim articulos, multi ex antiquis solùm dicunt teneri omnes explicitè credere eos, qui in Ecclesia publico & solemni ritu celebrantur, vel qui sufficiunt, ut rectam intentionem habeant circa ultimum finem, non tamen teneri ad credendũ omnes articulos expressè. Ita S. Thomas in 3. dist.25.q.2.art.1.q.3. S. Bonaventura art.1.q.3. Scotus q.1. Rhicardus art.4. q.1. Gabriel q.un.art.2.conc.5 & alij, quos affert Medina lib.4. de recta in Deum fide cap.6. colligiturq; ex Durando dist.25.q.1.n.9. Ex Iunioribus verò Valencia q.1.p.4.& 5. affirmat, seclusa ignorantia invincibili, omnes teneri credere explicitè articulos in (S. Thom. S. Bonav. Scot. Rhicar. Gabriel. Medina. Durand. Valenc. Bañez.)

Symbolo contentos, maximè illos, qui solemni ritu in Ecclesia celebrantur. Bañez. Idē sine ulla limitatione docet Bañez suprà, videturq; expressa B. Thomæ sētentia art. 7. & 8. quamvis dicat id præcipuè esse intelligendum de articulis, qui communiter in Ecclesia solemnizantur.

6. In hac re breviter sentio primò, ex quatuordecim articulis teneri omnes fideles in lege Gratiæ credere explicitè illos, qui spectant ad Deum ut unū, nam etiam in antiqua lege erat eadem fere obligatio: & eiusmodi sunt, Deum esse unum, creatorem, Salvatorem, & glorificatorem: etenim ferè omnes isti sunt de necessitate salutis, ut patet ex disp. 2. & quòd Deus sit creator omniū pro omni statu necessarium fuit agnoscere, iuxta dicta.

7. Sentio secundo, teneri explicitè omnes credere mysterium Trinitatis. Ita B. Thomas, S. Bonaventura, Durādus, Bañez, & Valencia. Probatur, quia hoc est præcipuum mysteriū nostræ fidei, & quod Deus voluit esse adeò perviū hominibus, ut in ipsa Ecclesiæ ianua, scilicet in Baptismo, expresse poneretur. Et quidem Scotus suprà docet, si foret aliquis adeò rudis, ut formare non posset notionē naturæ, & personæ, sufficere si in hac parte credat, sicut credit Ecclesia. Scot. Sed existimo nullum esse, cui nō possit hoc mysterium ita declarari, ut satisfaciat præcepto credendi explicitè; sufficiet enim, si intelligat non esse plures Deos, & tamē Deum esse Patrē, & Filium, & Spiritum Sanctū, ita ut Pater non sit Filius, aut Spiritus S. nec e cōtrà: nec requiritur perfecta huius rei cognitio, sed aliqua, etsi confusa, & imperfecta.

8. Sentio tertio, quod attinet ad articulos humanitatis, teneri omnes explicitè credere, Christum D. esse Deum, & hominem, cōceptum ex Maria semper Virgine, natum mortuum, quòd resurrexerit, & sit modò in cælesti gloria, quodq; venturus sit ad iudicādum. Probatur, quia hi omnes articuli solemni ritu celebrantur in Ecclesia, nec in aliqua illorum notitia comparāda potest esse ulla difficultas; ergo grave peccatum esset ea nescire, maximè cùm ab horum cognitione pendeat recta existimatio de mysterio nostræ redemptionis, quod tantopere refert ad fidelium institutionem. Videantur in Bañez varij loci Scripturæ, ex quibus colligitur necessitas credendi aliquos saltem ex prædictis articulis, nec enim de omnibus est æqualis certitudo. Bañez. Circa resurrectionem verò notandum, etiam teneri nos explicitè credere resurrectionē cæterorum hominum, ut unusquisque pro meritis aut gloriam obtineat, aut æternam pœnam; hoc enim maximè necessarium est ad institutionem fideliū, & in articulis habetur expresse. Solus superest articulus de descensu ad Inferos, qui non celebratur solemniter in Ecclesia; & quidem non videtur res tāti momenti, ut sit obligatio, præsertim gravis, illam explicitè credēdi; & multò minùs aliquas circunstantias passionis, ut quòd passus sit sub Pontio Pilato, quòd crucē humeris impositam detulerit, & similia; & hoc saltem suadēt tot graves Theologi suprà citati, & vix contradicent alij, nam parum pro nihilo reputatur, & ideo qui reliquas articulorum veritates agnoverit, absolutè dicitur omnes illos credere, quamvis unum minoris momenti ignoret.

9. Deinde quod attinet ad Symbolum Apostolorum, B. Thomas, Valencia, & Bañez dicunt teneri credere explicitè veritates illius, maximè quæ solemni ritu celebrantur: imò videntur teneri illud mandare memoriæ, nā in cap. *Ante viginti* de cōsecrat. dist. 4. præcipitur, ut baptizandi omnino edoceantur symbolum: & cap. *Baptizandi*, & cap. *Non liceat*, iubentur illud reddere, scilicet memoriter, Episcopo, vel presbytero. B. Thom. Valenc. Bañez. Et quidem quæ in symbolo continentur ex quatuordecim articulis, tenentur omnes credere, sicut & articulos: excipio descensum ad Inferos, de quo non est gravis obligatio. Præterea sūt in symbolo aliæ veritates, ut quòd credatur sancta Ecclesia, Sanctorum communio, remissio peccatorum, vita æterna: de his duobus ultimis non est dubium, quia in omni statu fuit necessaria illorū cognitio, ut colligitur ex dictis. De primo existimo teneri omnes credere dari congregationem fidelium,

in qua salus æterna obtinetur; hoc enim est maximè necessarium, ut quis noverit, in qua lege, & sub cuius disciplina vivat. Deniq; quod attinet ad sanctorum communionem, obligãtur omnes credere saltem sub hac generali ratione, quòd nimirum sint fideles participes eorundem Sacramentorum. Et quidem qui rogatus sciret rectè respõdere, quamvis memoriter non recitaret symbolũ, aut articulos, quin potiùs ordinem inverteret, aut interdum obliviceretur, sufficienter impleret hoc præceptum credendi, maximè si ob ingentem difficultatẽ articulos, aut symbolum non mandaret memoriæ, nam si ob negligentiam id omitteretur, videtur culpa venialis. Nec prædicta capita oppositum concludunt, nam illorum intentio est, ut sciatur symbolũ quoad veritates, quæ in illo continẽtur; quod verò aliqua minoris momẽti non ignoretur, aut omnes reddãtur memoriter, licèt sciantur, non videtur saltem sub gravi præcepto iniungi. Dices, in Concilio Rhemensi, ut refert Medina, iubẽtur non admitti ad sumptionem Eucharistiæ, qui symbolum ignorant. Respondetur, præterquamquòd illud est Provinciale, & consuetudine non receptũ in hac parte, præcipua illius intentio est, ut symboli veritates sciantur, & quamvis eam pœnam imposuerit, non comprehendit nisi eos, qui rogati nescirẽt veritates symboli, præsertim quæ sunt maioris momenti, iuxta dicta. *Conciliũ Rhemense.*

10. Tertiò, tenentur omnes fideles explicitè credere Baptismum, qui est omnibus omnino necessarius; & Sacramẽtum pœnitẽtię, ut noverint remedium peccatorum, quæ post Baptismum commiserint. Similiter etiam Eucharistiã, non solùm quando tenerẽtur illam recipere, de quo in materia de Eucharistia, sed etiã vbi primùm obligãtur audire sacrum, alioqui nõ adorabũt illud Sacramentum, ut decet. Deniq; alia Sacramenta, quãdo quis ea esset recepturus, ut ita sciret dispositionem requisitam ad illa dignè suscipienda; in quo tamen non difficilè reperiri potest invincibilis ignorantia; qui enim non audivit, ad Sacramenta requiri saltem actum contritionis, quando adest conscientia peccati mortalis, non potest id culpabiliter ignorare, maximè si sit indoctus.

Quartò tenentur omnes scire mandata Dei saltem tam expresse, quàm in lege Mosis, & similiter præcepta Ecclesiæ, ad quæ obligãtur. Idem docet Valencia de oratione dominica, & sumitur ex Concilio Rhemensi cap. 2. ubi dicitur nulli Christiano licere illam ignorare, & in Concilio Foroiuliensi præcipitur omnibus, ut memoriter sciant non solùm symbolum, sed etiam orationem dominicam, quia sine hac benedictione nullus poterit in cælesti regno percipere benedictionem. Videatur etiam Concilium Moguntiacum can. 45. Sed non video sufficiẽtem rationẽ, qua obligemur illam scire sub mortali: quod idem docet Medina suprà; nam licèt sit præceptum orandi, sufficit tamen orare verbis, quæ necessitatem nostram Deo proponant, quãvis sint diversa à verbis orationis dominicæ, fortasseq; verba Rhemẽsis Cõcilij provincialis solùm significant nõ decere Christianum nescire hanc orationem, & ad summum committi posse culpam venialem ab eo, qui negligens esset in ea addiscenda. Alia etiam duo Concilia Provintialia sunt, & ad summum potest ex ijs colligi, præceptũ impositum fuisse fidelibus illarum Provintiarum; nisi fortè voluerunt teneri omnes scire orationem Dominicam, id est, petitiones, quas effundere debet quis ad Deum, quando orare tenetur. 11. *Valencia.* *Cõcil Rhe.* *Foroiulie.* *Mogunt.* *Medina.*

SECTIO III.

De ijs, quæ tenentur credere Maiores, & Magistri Ecclesiæ.

Dico iam tertiò: Præter dicta tenentur Maiores credere explicitè aliqua alia, & unusquisq; tenetur scire ea, quæ pertinent ad illius statum. Ita B. Thomas, S. Bonaventura, Durandus, Bañez, & Valẽcia. Nomine Maiorũ intelligit D. Thom. in 3. dist. 25. q. 2. art. 1. q. 3. ad 3. eos, quibus incũbit officiũ docendi fidem. Et primùm in lege Naturæ, & scripta tenebantur Maiores explicitè credere mysterium Trinitatis, & Incar- 12. *S. Tho.* *S. Bonav.* *Durand.* *Bañez.* *Valent.*

nationis, saltem ut scirent Christum futurum Redemptorem per mortem, & Resurrectioné, ut ait Valencia ex mente B. Thomæ. Probatur, nam cùm mysterium Trinitatis sit potissimum nostræ fidei, quæ semper fuit eadem, oportuit, ut saltem apud aliquos esset illius notitia. Deinde cùm in antiquis sacrificijs figuranda esset nostra redemptio, debuerunt saltem Maiores expressam habere notitiam Mediatoris, ut illum, & redemptionem eius dignè possent venerari, & repræsentare.

13. In lege verò Gratiæ tenentur Maiores habere notitiam articulorũ, & symboli, prout requiritur ad declarandam alijs fidem, & defendẽdam contra adversarios; atq; in hoc negotio præcipuè obligantur Episcopi, qui ex officio tenentur pascere gregem Christi Dñi, & defendere ab inimicis: unde Paulus 1. ad Timoth.3. *Oportet* (inquit) *Episcopũ esse Doctorem.* Et ad Titum 1. Episcopũ docet *debere esse ita instructum mysterijs fidei, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Quãta autem futura sit ista notitia, non est facile explicatu. Quibusdam videtur, Episcopis degentibus inter Catholicos, & quibus vix occurrit occasio docendi plebem, & defendendi fidẽ, exiguam notitiã sufficere, præsertim cùm adsint tot viri sapientes, quorũ consilio, & doctrina potest satisfacere alijs. Sed de hoc infrà ad quæst. 185. ubi de statu Episcopali disputat B. Thomas.

1. Ad Timoth.3. Ad Tit.1.

14. Denique certum est, unumquemq; debere scire ea, quæ pertinent ad proprium statum, alioqui malè exequetur munus suum, & præsertim si curam aliorum habeat, se exponet maximo periculo passim errandi. Ex dictis satis patet, meritò referri ut damnatam in Direct. Inquisitorum punct.2. quæst. 10. hæresi 8. illam propositionem, *Quòd scilicet sufficiat laico credere in cõmuni, quidquid credat Ecclesia.* Immeritò etiã Summam Rosellam verbo *fides*, dicere, præter illas duas veritates, *Quòd* scilicet, *Deus sit, & remunerator sit*, non requiri, nisi quòd credatur, quidquid credit Ecclesia, saltem ab hominibus simplicibus.

Director. Rosella.

15. In fine disputationis duo notanda sunt: unum est, non esse necessarium, ut hæc omnia, quæ diximus, credãtur actu fidei divinæ, nam ea, quæ non sunt ex mysterijs fidei, sed pertinẽt ad propriũ statum, sufficiet, si cognoscãtur ea certitudine etiam naturali, quæ satis sit, ut rectè quis satisfaciat muneri suo. Mysteria verò Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & similia, debent credi fide divina, nec alioqui potest ita certa de illis cognitio haberi, ut videtur ab Scriptura, & Doctoribus postulari. Alterum est, posse aliqua, aut multa ex dictis invincibiliter ignorari, & tũc nullum erit peccatum: quomodò autem Confessarius conijcere posit, quando hæc ignorantia fuerit invincibilis, ex generalibus regulis materiæ de peccatis colligitur.

DISPVTATIO IIII.

Quo tempore obliget præceptũ eliciendi actum fidei divinæ?



CERTVM est, omni tempore obligare præceptum negativum fidei, id est, semper teneri omnes non credere oppositum illi, quod divina fide credendũ proponitur, licèt invincibilis ignorantia a culpa posit excusare. Quod verò attinet ad præceptum positivum eliciendi actum fidei, Gregorius de Valencia punct.5. docet, obligari hominem ad credendũ, quando sufficienter illi proponitur fides, quando patitur gravem tentationem contra fidem, & in articulo mortis. Et quidem commune est omni præcepto affirmativo, obligationem illius adstrictã esse certis temporibus, & non omnibus: in eis verò asignandis non potest esse tanta certitudo, cùm ius divinum, ad quod pertinet præceptũ fidei, id non asignaverit omnino expressè, nec ab Ecclesia determinatum sit. 1.

Valenc.

Dico ergo primò: Qui denuò convertitur ad fidem, tenetur credere, cùm primùm illi sit proposita fides sufficiẽter attentis omnibus circunstantijs. 2.

Ex

Probatur, tum quia ea videtur esse mẽs Pauli ad Hebræos 11. *Accedentẽ ad Deũ oportet credere:* tum quia cùm fides sit medium necessarium ad salutẽ, & sine quo nihil potest homo efficere, quod ad salutem, & iustificationẽ pertineat, graviter peccaret, si cũ sufficienter illi esset tale præceptũ declaratũ, & probatũ, non obediret. Nec propterea existimo rẽ hãc adeò Metaphysicè intelligẽdam, ut statim sine ulla omnino dilatione credat, sed solùm teneri non differre actum credendi, ita ut secundum prudentem existimationem censeatur nimiùm negligẽs in re tanti momenti.

ad Heb.11

3. Petet tamen aliquis, quid intelligamus hoc nomine sufficientis propositionis. Respondetur breviter, eam esse sufficientem, qua fides suaderetur ut evidenter credibilis, ita ut non dubitaret ille, qui crediturus est, se debere amplecti talem fidem, & deserere sectam suam; si autem id tantùm suaderetur ei ut probabilius, ita ut adhuc secta, quam priùs profitebatur, appareret probabilis, Bañez infrà quæst. 10. art. 1 dub. 3. concl. 4. docet, teneri credere, quia cùm proponitur fides ut medium necessarium ad salutem, gravis videretur negligentia nolle amplecti partem tutiorem: quod quidem verũ videtur in articulo mortis, ubi agitur extrema salus; extra illum verò probabile existimo, non teneri credere. Primò, quia adhuc prudenter existimat se posse manere in secta sua. Secundò, quia superest tempus rẽ meliùs examinandi. Tertiò, quia cùm mysteria fidei sint tam sublimia, & mores Catholicorum adeò cõtrarij carnis voluptatibus, non quæcunq; maior probabilitas est sufficiẽs ad inducendam obligationem credendi; quamvis enim hæc maior probabilitas simul cũ interna illustratione sufficiat ad credendum, iuxta dicta tract. 1. non tamen ad inducendam obligationem.

Bañez.

4. Ex hac conclusione infertur, quando obligentur credere pueri, qui in infantia baptizati sunt, & inter Catholicos degunt. Dico enim, cùm perveniũt ad usum rationis, & audiunt mysteria fidei, apprehenduntque illa ut rem necessariam; nec habent speciales rationes dubitandi, statim teneri credere, sicut & alios, qui denuò converterentur, cùm eadem sit ratio. Qua in re existimo, vix practicè loquendo posse esse in mora pueros, qui à Catholicis instruuntur, cùm de nulla re minùs cogitent, quàm de contradicendo, aut non credendo. Fieri quidem poterit, ut non eliciant actum fidei divinæ, quia illis non proponuntur res fidei ut dictæ à Deo, sed nisi in hoc sit ratio, quæ suadeat in pueris fuisse negligẽtiam gravem, sufficienter excusantur ignorãtia invincibili. Quę omnia dicta sunt iuxta valde probabilem, & tutam opinionẽ. In sententia verò S. Thomæ affirmãtis puerum teneri se convertere ad Deum in primo puncto usus rationis, iam explicuimus in 1. 2. cõtrov. 6. tract. 4 quid sentiendum sit.

Dico secundò: Ratione specialium circunstantiarum possunt homines teneri elicere actus fidei, postquàm iam semel crediderunt. Eiusmodi sunt prima, quando esset necessariũ ad eliciendum actum charitatis, aut cõtritionis, tempore, quo eiusmodi actus eliciendi occurrit præceptum. Secunda in gravi tentatione, quę aliter non posset vinci, saltem sine proximo periculo cadendi. Tertia secundum Valenciam, in articulo mortis: quod præcisè ratione mortis non videtur verum, si iam fecit homo, quod in se est ad iustificationem; si verò esset periculum, aut urgens aliqua dæmonis oppugnatio, iuxta dicta in secundo casu teneretur. 5.

COMMENTARIUS IN articulum nonum.

Doctrina B. Thomę in hoc articulo est omnino certa secundum fidẽ; affirmat enim, actum fidei supernaturalis esse meritorium, si procedat à subiecto habente gratiam, seu charitatem. Id enim docet Paulus ad Hebræos 11. de viris sanctis, qui *per fidem adepti sunt repromissiones.* Et colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 16. ubi ait hominem mereri vitam æternam per bona opera facta ex charitate: cùm ergo actus fidei sit bonum opus liberũ, 1.

ad Heb.11

Trident.

& supernaturale, eliciq; posit ab homine habente charitatem, erit sine dubio meritorius de condigno.

2. Ex quo patet, actum fidei supernaturalis elicitum ab homine, quandiu peccati mortalis maculam non delevir, nō esse meritorium gratiæ, & gloriæ, licèt disponere posit, ut Deus infundat ipsum habitum fidei supernaturalis, & illuminet mentem peccatoris. Si verò petat aliquis, an actus fidei, quem quis haberet in ipso pūcto, quo iustificatur, sit meritorius? Respondetur, rem hanc pertinere ad materiā de Gratia, in qua probabilior sententia docet, non esse meritorium gratiæ, quia solùm est dispositio simul cum contritione, ut Deus illam infundat, esse tamen meritorium gloriæ. Vide quæ dixi in 1.2. cōtrov. 8. tract. 12.

3. Superest una brevis difficultas, an interdum cōtingere posit, actum fidei supernaturalis ita vitiari, ut non solùm non sit meritorius, sed etiam demeritorius, & malus. Ratio dubitandi est, quia sicut ille, qui efficeret aliquod bonum opus propter vanam-gloriam, potiùs esset dignus pœna, quàm præmio, ita etiam qui crederet ob prædictum finem, vel alium vitiosum.

4. In hac difficultate breviter sentio primo, ipsum actum fidei in sua intrinseca entitate nūquam posse esse vitiosum. Patet, quia est actus supernaturalis, cuius obiectum est divina authoritas, ergo nihil habet intrinsecum, quod non sit bonum. Secundò dico, non posse actum fidei ita esse malum denominatione extrinseca ab actu voluntatis, ut solùm imperetur ab aliqua volitione vitiosa. Probatur, quia ut ostendi tract. 9. semper imperari debet actus fidei ab actu supernaturali piæ affectionis, sed omnis actus supernaturalis est honestus, ergo nunquam potest actus fidei ita esse extrinsecè malus, ut non imperetur à volitione bona. Tertiò existimo, simul cū hac volitione bona posse coniungi aliam malam, à qua simul imperetur actus credendi, qui proinde posit dici extrinsecè malus, id est, imperatus ab aliqua volitione mala. Probatur, quia sicut quis cùm elargitur eleemosynam, potest habere duos act⁹ volūtatis; unum bonum, quo velit succurrere pauperi; alium malum, quo ex tali eleemosyna velit sibi vanam gloriolam, & ita eleemosyna extrinsecè dicitur bona ab uno actu, & mala ab altero; sic potest qui credit, habere unū actum bonum piæ affectionis; alterum malum, quo referat suam fidem ad vanam-gloriam. Ex quo patet, quid suadeat ratio dubitandi.

COMMENTARIVS IN articulum decimum.

Disputat B. Thomas, an rationes, quæ afferuntur ad confirmandā fidem, diminuāt meritum illius: & solutionem difficultatis hac duplici propositione cōplectitur. Prior est, rationes, quæ præcedunt actum fidei, reddunt illum minùs meritorium. Probatur, quia eiusmodi rationes sunt illę, quibus homo movetur ad credēdum, non quia illæ sint necessariò requisitæ, sed quia adhuc ipse postulat maiores, & clariores rationes sine necessitate: hoc autem planè minuit meritum fidei, & est signum minùs perfectæ obedientię, & captivitatis intellectus in obsequiū Christi Dñi, quod meritò reprehendit ipse in Evangelio: *Nisi signa* (inquit) *& prodigia videritis, non creditis.* ¶ Ex quo patet non diminui meritum fidei ex rationibus, quæ requiruntur, ut homo prudenter inducatur ad credendū, imò licèt haberet evidentiam veritatis, quā credit, dummodò fides illius non penderet à tali evidentia, sed paratus esset eodem modo credere, quamvis evidētiam non haberet, id non minuit per se loquendo meritum fidei, quidquid velint Caietanus 3. p. q. 36. art. 1. & Durādus dist. 24. q. 3. cùm evidentia, quæ in hac vita haberi potest, non tollat, quominùs elici posit actus fidei de eisdē veritatibus, saltem quando coniungūtur cum alijs, quæ lumine naturæ non sunt cognitæ, ut patet ex tract. 2. disp. 7 nec eiusmodi evidentia reddat minùs firmum assensum fidei; per accidēs verò diminui posset meritum, quatenùs minor difficultas est in credenda re alioqui evidente, quàm si solùm obscurè

(margin: 1. — *Ioan.* 4. — 2. — *Caietan.* *Durand.*)

propo-

proponeretur: & ideò Ioan. 20. dixit Dominus, *beatos esse, qui non viderunt, & crediderunt.*

3. Posterior propositio: Rationes, quæ fidē ipsam consequuntur, non minnūt, sed augent potiùs meritum fidei. Probat B. Thomas, quia illæ rationes sunt illæ, quas homo, qui iam credit, cogitat, & indagat, ut magis, ac magis videat convenientiam fidei: quod signū est maioris affectus erga res fidei, & intensioris desiderij veritatis illarum; ergo ratione huius maioris studij magis meretur.

COMMENTARIVS IN quæstionem tertiam.

AGIT B. Thomas de exteriori actu fidei, seu de fidei confessione, quam in art. 1. docet esse actum fidei. In secundo verò cadere sub præceptum, quando qui non confiteretur fidem, subtraheret Deo debitum honorem, & proximis utilitatem debitam. Doctrinam huius quæstionis brevi tractatu complectemur.

TRACTATVS XI.

De externo actu fidei divinæ.

SECTIO I.

Explicatur natura actus externi fidei.

1. DICO primò: Exterior professio veritatū fidei dicitur, & est propriè actus fidei divinæ. Cōclusio est B.Thomæ, & discipulorum eius art. 1. Vt autē breviter declaretur, & probetur, adverte primò, vocalem propositionem, qua quis profitetur veritatē fidei, non ita esse actum fidei divinæ, quasi physico, & immediato influxu producatur ab interno actu fidei, qui residet in intellectu; propositio enim vocalis, sicut & quælibet alia vox, efficitur à facultate, quæ residet in animali ad formandam locutionem, non verò ab intellectu, aut voluntate. Secundò adverte, confessionem fidei non ita esse actum fidei, quasi vitium illi oppositum sit hæresis, quæ opponitur interno actui fidei; certum enim est, non esse hæreticum illum, qui exteriùs dumtaxat negaverit fidei veritates, potest enim interiùs credere. Vnde quod dixit author Imperfecti in Matth. homil. 25. scilicet *non habere in corde fidem illū, qui exteriùs eam negat*; per exaggerationem accipiendum est; vel solùm vult non habere perfectam fidem illum, qui eam non profitetur. Tertio certum etiam est, confessionem fidei posse imperari ab alijs virtutibus distinctis à fide, ac proinde ad illas revocari, ut rectè notavit Bañez; nam charitas imperare potest assensum fidei ob gloriam Dei; religio, ut debitum cultum, & reverentiam Deo exhibeamus; veracitas, ut homo nullum decipiat, sed exteriùs fateatur id, quod interiùs reputat esse verum. Aut. Imp. Bañez.

In duplici ergo sensu hæc exterior confessio est actus fidei. Priorem explicat B. Thomas in corpore articuli dicens, tunc aliquem actum pertinere ad aliquam virtutem, quando ad finem illius virtutis ordinatur; cùm ergo confessio fidei referatur ad internum actū fidei, quatenus finis exterioris locutionis est manifestatio interni conceptus, rectè dicitur ad fidem pertinere. Atq; hoc satis indicant verba Psal. 115. *Credidi, propter quod locutus sum*; quæ refert Paulus 2. Corinth. 4. ¶ Posterior sensus est, quia idem imperium volūtatis, à quo suprà tract. 9. diximus imperari internum actum fidei, imperat etiam exteriorem confessionem, ac proinde uterq; particeps est eiusdē honestatis, quæ est in credendis rebus fidei, non solùm mente, sed etiam ore; sicut enim ab eadem virtute charitatis nō solùm eliciuntur actus interni, sed etiam imperantur externa opera, quæ cordis amorem manifestent, ac proinde denominent hominem corde, & operibus amatorem; ita etiam ab eadem pia affectione imperatur interior, & exterior professio fidei, ut homo mente, & verbis credere dicatur: meritò ergo confessio externa dicitur actus fidei. 2. Psal. 115

3. Notandum est tamen, aliquibus videri, in virtute piæ affectionis esse duas partes specie incompleta distinctas: unam, quæ imperet internum actum fidei; alteram, quæ externũ. Quod sanè mihi non probatur, quia in reliquis virtutibus nemo dicet esse duas partes, unam ad actum externum, alteram ad internum; v.g. unam partem habitus charitatis, quæ inclinet ad amandum Deum, alteram ad manifestandum externis operibus hunc amorem. Et ratio à priori est, non versari solere voluntatem circa hæc externa opera, nisi propter honestatem, quæ est obiectum formale interioris actus alicuius virtutis, ac proinde eiusdem essentiæ esse actum, quo quis interiùs vult amare Deum, & quo vult istum amorem externis operibus comprobare; hoc enim secundum etiam vult propter ipsum Deum: ita ergo pia affectio propter honestatem, quæ est in credendo, non solùm imperat internum actum fidei, sed etiam externum, qui ad illum manifestandum conducit; unde solùm materialiter differunt velle interiùs credere, & velle exteriùs confiteri. Et quamvis possibile sit infundi à Deo duas virtutes specie saltem incompleta distinctas, quarum una solùm versetur circa honestatem interioris actus, altera solùm circa honestatem exterioris: non tamen video sufficientem rationem, aut authoritatem, quæ eas re ipsa infundi persuadeat, sed potiùs oppositum videtur supponi, ut patet in exemplo charitatis, quod attulimus; nemo enim admittet in habitu charitatis illas duas partes, imò nec in alijs virtutibus præter fidem.

SECTIO II.

An, & quatenus cadat sub præceptum actus externus fidei.

4. DICO secundò: Semper est intrinsecè malum, atque adeò peccatum læthale, externis verbis negare veritates fidei, quantumvis mente credantur. Conclusio est dogma fidei contra hæreticos Elcesaitas, qui ut ex Eusebio lib. 6. historiæ cap. 28. refert Castro verbo *Martyrium*, hæresi prima, dicebant, non esse malũ negare Christum persecutionis tempore, dummodò fidem illius mente retineas. Probatur verò, tum quia Christus Dominus id docet expressè Matthæi 10. *Qui negaverit* (inquit) *me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. In quem locum vide S. Chrysostomum, & authorem Imperfecti in Matthæum suprà. Tum quia in Canone 61. Apostolorum hæc verba habentur: *Si quis Clericus per metum humanum negaverit nomen Christi, ab Ecclesia reijciatur.* Et in Concilio Arelatensi II. cap. 11. puniri iubentur, *qui fidem negare, aut sacrificare idolis compulsi sunt.* Tum denique, quia gravis iniuria infertur Deo, non solùm mentiendo, sed præcipuè pronuntiando esse falsum id, quod infinita illius authoritate stabilitum est. Elcesaitæ. Castro. Matth. 10 S. Chrysost. Can. Apo. Arelat.

5. Ex quo etiam principio infertur, nunquam alicui licere dicere, se amplecti sectam Iudæorum, aut hæreticorum, aut se non esse Christianum; his enim, aut similibus verbis consequenter negatur Christus Dominus, aut certè aliqua ex veritatibus, quarum professione distinguitur fidelis ab infideli. Pro qua re habemus egregium S. Augustini testimonium in cap. *Non solùm* 11. quæst. 3. ubi ait, *Christum etiam abnegari ab eo, qui negat se esse Christianum, cùm Christianus sit; & propterea in Evangelio Petro dixisse Christum, Ter me negabis, quia negaturus erat se esse discipulum Christi.* Rectè autem notant Bañez, & Aragon ad artic. 2. doctrinam hanc esse intelligendam, quando quis causa religionis interrogatus negaret se esse Christianum; nam si interrogatio fieret ob alios fines, non semper esset intrinsecè malum id negare: v.g. olim Indi odio prosequebantur Christianorum nomen, quia nonnulli tyrannidem in eos exercuerunt; unde si tunc Petrum v. g. rogarent, essetné Christianus, posset licitè id negare, quia Indi sub eo nomine hominem crudelem intelligebant. S. August. Bañez. Aragon.

Super-

6. Supersunt tamē aliquæ difficultates circa doctrinam conclusionis. Prima est, an saltem ob vitandam mortem liceat Catholico uti verbis æquivocis, ita ut Tyrannus sibi persuadeat, ab illo negari fidem. Respondetur, id non licere, sed esse grave peccatum. Colligitur ex B. Thoma, qui in art. 2. tunc docet teneri Catholicos profiteri fidem, quādo aliter ille, qui interrogatur, crederetur non habere fidem. Probatur primò ex verbis Christi Domini Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hūc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua.* Quis autem non videat, erubescere Christum eum, qui ita se gerit, ut velit putari infidelis, aut ambagibus simulare, quod non est, ne Catholicus, & Christi discipulus cognoscatur? Secūdò id ipsum docuit Clerus Romanus in epist. 7. lib. 2. epistolarum S. Cypriani: *Qui fallaces* (inquit) *in excusatione præstigias quærit, negavit; & qui vult videri satisfecisse legibus adversus Evangelium positis, hoc ipso iam paruit, quòd videri paruisse se voluit.* Reputat ergo, crimē hoc esse simile illi, quod committunt negantes Christum Dñm. Et sanè cùm res hæc adeò spectet ad Christi gloriā, videtur gravem illi iniuriam irrogare, qui suis sermonibus ita se gerit, ut prudenter credatur negare Christum.

S. Thom. Luc. 9. Cle. Ro.

7. Dices, licitū esse uti verbis æquivocis, imò & negare id, quod alter iniustè vult à me extorquere; ergo nō est peccatum, æquivocis verbis uti ob defendendā vitam, cùm Tyrannus scire vult, quam ego religionem profitear. Respondetur, potiùs ex hac obiectione desumi confirmationem nostræ doctrinę, nam sicut negare crimen non est illicitum, quando iudex iniustè interrogat; negare verò fidem, semper est malum, quia ibi agitur causa Dei, & certatur pro illius gloria: ita licèt in alijs rebus liceat uti verbis æquivocis, non tamen in negotio fidei.

8. Secunda difficultas est, an liceat tacere, & nolle respondere, quando quis rogatur, an sit Catholicus, ita ut interrogatio non sit ob alios fines, quàm ad cognoscendam religionem, quam interrogatus profitetur. Valencia q. 3. punct. 3. dub. 3. ait hoc esse licitum in aliquibus casibus, licèt ille, qui interrogat, putaturus sit, eum qui tacet, non esse Catholicum. Bañez art. 2. dub. 1. concl. 3. distinguit: si enim quis etiam secreto rogetur à iudice habente publicam authoritatem, peccat mortaliter tacendo, & hoc ait significari illis verbis Christi Domini Matthæi 10. & Lucæ 9. quæ suprà retulimus. Affert etiam S. Chrysostomum in cap. *Nolite timere*, & S. Hieronymum in cap. *Existimant* 11. quæst. 3. & B. Thomam lectione 2. in cap. 10. epistolæ ad Romanos, licet verba S. Hieronymi non sint multum ad rem. Si verò rogetur aliquis ab alio habente privatam authoritatem, non peccat mortaliter, dum tacet, quia nullus ex tali silentio potest verisimiliter colligere, eum non esse Catholicum; quare si absit scādalum, nulla iniuria infertur Deo, aut proximo, ratione cuius in prædicto casu tacere, vitiosum sit. Idem sentit Thomas Sanchez in Summa lib. 2. cap. 4. nu. 6. cum alijs Doctoribus, intelligitque nomine habentis privatam authoritatem nōn solùm eum, qui non est iudex, sed etiam personam, quæ non sit gravis.

Valencia. Bañez. Sanchez.

9. Beatus Thomas vero in art. 2. quem sequi videtur Aragon dub. 2. concl. 2. ait, tunc teneri aliquem non tacere, quando propterea crederetur non habere fidem, aut religionem nostram nō esse veram, aut alij ob eius taciturnitatem averterentur à fide. Atque hæc quidem doctrina vera est, quando interrogatus præberet suo silentio sufficientem occasionem prudenter existimandi, nostram religionem non esse veram, aut ipsum non esse Catholicum, &c. nam in eo eventu tacere est erubescere Christum, & doctrinam eius, gravemque proinde irrogare iniuriam Catholicæ religioni, & illius authori. Et sanè si in prædicto casu liceret tacere, liceret etiam uti verbis æquivocis, aut negare me esse Christianum: (sub intelligendo in mente, me non esse, ut manifestarem Tyranno) sicut ergo hoc non liceret ob iniuriam, quæ Deo irrogatur, ita nec tacere. Vnde eleganter Tertullianus lib. de Idololatria paulò ante finem, *Negat*, (inquit) *quicumque dissimulat in quacumque causa pro*

S. Thom. Aragon. Tertul.

Ethnico habitus, & utiq; omnis negatio idolo latria est. Id est, ad illam aliqua ratione revocatur. Et id voluerunt S. Chrysost. & B. Thomas adducti à Bañez, cuius distinctio non est probanda, quãdo eadem incómoda occurrerent, ut occurrere possunt, licèt qui interrogat, habeat privatam authoritaté: quando vero qui tacet, non præberet sufficiétem occasionem existimãdi, fidem nostram esse falsam, &c. tunc non esset peccatũ mortale tacere.

10. Tertia difficultas est, an liceat exercere aliquas externas actiones, in quibus videatur Catholicus cum infidelibus convenire. Procedit autem dubitatio, quando illæ seriò exercerentur, nam in ludis, aut spectaculis certum est licitum esse.

Adrian. Adrianus in 4. quæst. 1. de Baptismo ad 5. existimat, hoc licere, etiamsi actio sit idolis offerre exteriùs sacrificia, dúmodò interiùs nihil cótra fidé credatur. Probatur primo ex Scriptura, nam

4. Reg. 10. 4. Regum 10. *Iehu finxit se velle colere Baal*, ut occideret cultores illius, cuius factum Deus ipse comméda it. Et cap. 5. videtur Elisæus approbasse consilium Naaman Syri, qui voluit exteriùs adorare in templo idoli Rémon. Apostoli etiam aliquo tépore post abrogatam legem Mosis, exteriùs utebantur cæremonijs illius. Secundò probatur authoritate B. Hieronymi,

S. Hieron. qui id docet expressè in ea verba Pauli ad Galat. 2. *Cùm autem venisset Petrus*, afferens pro sua sententia factum Iehu, quod retulimus.

11. Caietan. Caietanus ad artic. 2. existimat, non licere Catholico indui vestibus proprijs infidelium, quando illæ institutæ sunt ad distinguendos infideles à fidelibus in ipsa religione; &, si aliqua lege, aut consuetudine præceptum esset Catholicis uti certo aliquo signo ad professioné suæ fidei, peccare mortaliter, si illo non utantur.

12. In hac re conveniunt Doctores, licere exercere actiones infidelium, quãdo illæ non tã sunt propriæ religionis, quã nationis: v. g. licitum esse Catholico indui vestibus, quas induuntur Mauri, aut aliqui hæretici iuxta consuetudiné patriæ; in hoc enim nulla est deordinatio, nec ullo modo negatur fides ab eo, qui illam, aut similem actioné exercet. Secundò, quãdo actiones ex natura rei, aut ex institutione reipublicæ non deservirent ad alium finem, quàm ad professionem falsæ sectæ, nullo modo licet eas exercere; v. g. exteriùs adolere incensum idolo nunquam licet, aut indui veste speciali, in qua Mauri depictũ habent Mahumetũ, aut Lunam; aut indui modò vestibus Summi Sacerdotis Iudæorum. Ita Caietanus, Bañez dub. 2. conc. 4. Valencia suprà dub. 4. Aragon dub. 1. cóc. 1. & Sylvester verbo *Fides* q. 5. Abulensis etiam quæst. 25. in cap. 5. lib. 4. Regum ait, potiùs debere aliqué subire mortem, quàm fingere se exhibere cultum idolo. Probatur primo ex 2. Machab. 6. ubi Eleazarus induci non potuit, ut vel porcinam carnem máducare simularet, ne illo exemplo persuaderentur alij, negari ab ipso veram religionem. Secundò probatur, quia recepta Ecclesiæ sententia est, non licere exteriùs colere idola, propter hoc enim solum graviter peccasse creditur Pontif. x Marcellinus. Et sanè in his, & similibus actionibus exercendis manifestè se ostenderet quicumq; non fidelem, sed infidelem, irrogaretq; gravissimam iniuriam fidei, & illius authori; non ergo licet in ullo casu. Tertiò id ipsum docent Patres. S. Augustinus to. 6. de bono coniugali cap. 16. ait, *satius esse mori fame, quam idolothytis vesci.* Et in epistol. 29. ait, devolvendum esse in barathrum eum, qui modò ceremonias Iudæorum etiam simulatè observaverit. Origenes homil. 8. in Exod. cùm distinxisset simulatam, & veram adorationem. *Vtrumque* (inquit) *resecat sermo divinus, ut neque affectu colas, neque specie adores.* Affertur Tertullianus lib. de Idololatria, & S. Cyprianus serm. de lapsis.

(Caietan. Bañez. Valencia. Aragon. Sylvest. Abulens. 2. Mach. 6. S. August. Orig.)

13. Ad primum verò Adriani respondetur ex B. Thoma infrà quæst. 111. art. 1. ad 2. non laudari ab Scriptura factum illius, sed zelũ evertendi cultores idolorum: unde immeritò Abuléfis in cap. 10. 4. Regum quæst. 25. & sequentibus excusat à peccato gravi, quidquid in ea simulatione fecit Iehu. Quod verò attinet ad consilium Naaman, Abulensis in eum locũ quæst. 25. & Lyra dicũt, Naaman non adorasse idolũ, sed solùm

(Abulens. Lyra.)

flexisse genua coram illo, quatenus ut sustentaret Dominum suum, illo surgēte surgebat, atque genua flectente flectebat, ac proinde nullo modo id fuisse malum, licèt quia Naaman timebat in ea re esse peccatum, liberatus est a timore verbis Elisæi dicentis, *vade in pace*, id est, esto de hac re securus. *Valencia.* Valencia quidem non excusat Naaman, sed solum ait, Elisæum id permisisse; & idem sequitur *Turrian.* Turrianus disp. 35. dub. 5. ad 3. cum Gabriele Vazquez. Sed prior solutio placet. Apostoli denique observarunt legem Mosis, tempore, quo licuit, etiam post Evangelium, ut suppono ex dictis in 1. 2. controv. 7. tract. 4. posteà vero nulli licebat, ut late docet S. Augustinus to. 2. epist. 19. cuius, & aliorū Patrum authoritas præferenda est sententiæ S. Hieronymi.

14. Tertio sentio, quando vestes, aut aliæ similes actiones haberent suum honestum finem primarium, licet simul ordinatæ sint ad distinguendam sectam, aut religionem, non esse illicitum illis uti ex causa rationabili, dumodo absit scandalum, nec colligi possit ex circumstantijs, eum, qui talibus signis utitur, fidem negare. *Aragon.* Ita Aragon cū Palacios, Bañez, & alijs. Probatur, quia hoc non est ex se intrinsecè malum; quamvis enim non liceat verbis negare fidem, quia illa præcipue ordinātur ad manifestandā veritatem, vestes tamen, aut alia signa, quæ primariò instituta sunt ad alios fines, non sunt per se loquendo professio fidei, ac proinde potest interdum licere uti illis ad occultandā fidē. Nec referet quidquā, quòd Princeps infidelis insisteret, ut Catholici gestarēt speciale aliquod signū, quo agnoscerentur, & occiderentur, nam talis lex esset iniqua, ac proinde non obligaret. Ex quo principio infertur, licere in casu huius tertij dicti, quando sacerdos infideliū cōverteretur ad fidē, non statim mutare vestē, quā cōmuniter induuntur sacerdotes; dumodo non induat illam, quæ specialiter destinata esset ad offerendum sacrificium idolis.

15. Ex dictis etiā constare potest, multo magis licitū esse per se loquēdo fugere Tyrānū, nisi quādo id cederet in grave detrimentū honoris Christi D. & utilitatis proximorū; nā *Matth. 10* Matth. 10. *Cùm persequentur* (inquit Dñs) *vos in civitate ista, fugite in aliam.* Apostolus quoq; Petrus Angeli monitu fugit, cùm in carcerem detrusus esset propter fidem. Vide S. Athanasium to. 2. in Apologia de fuga sua, ubi ex scriptura, & ipsius Christi D. exemplo probat licitā esse fugā. *S. Athan.* Deniq; infertur, quando quis teneatur cōfiteri fidē; tenetur enim, quando ex eius silētio timeretur grave detrimētū honoris Christi Dñi, & proximorū, aut quando prudēter putaret tyrānus ab illo negari fidē. In his ergo, & similibus eventibus, & non semper obligat præceptum positivū cōfitendi fidē, ut recte docuit S. Thomas; nec refert quod vita exponatur manifesto discrimini, id enim potius est valde gloriosum; unde S. Cyrillus Alexād. to. 2. epist. 6. *Si fides* (inquit) *destruatur a quopiam, nostras ipsorū animas non tradēmus? & si patienda sit ipsa quoq; mors, nulla erit dubitatio.* Nec existimandū est, hanc confessionē esse necessariā ad salutem necessitate medij, quia plures, quibus non occurrit occasio confitendi fidē, pervenerunt ad beatitudinē; solum ergo est necessaria necessitate divini præcepti: & ita intelligendi sunt S. August. to. 3. de fide, & symbolo c. 1. & S. Thomas hic. *S. August. S. Thom.*

SECTIO III.

Appendix sectionis præcedentis

16. PRæter difficultates expeditas in præcedente sectione occurrūt aliæ circa externam fidei professionem, quas denuò explicatas invenio, postquàm multis abhinc annis hanc de fide controversiam publicè dictavi. Prima autem difficultas est, an liceat adire templa hæreticorum ad audiendas cōciones, quas de suis erroribus habent eorum Ministri, seu cōcionatores, & ad orandum cum illis, & similia præstāda, quæ pertinent ad religionem. *Sanchez.* Thomas Sanchez suprà à n. 26 rem tractat, sicut solet, accuratè. Et respondet, id nullatenus licere, etiam ob mortem vitandā. *Turrian.* Eiusdem sententiæ est Turrianus disp. 35. dub. ult. Idemque senserunt multi viri doctissimi à Catholicis Angliæ cōsulti; imo & definivit Paulus Quintus in *Paulus V.* quodam Motu proprio edito decimo

Kalendas Octobris, anno Dñi 1606. Pontificatus verò sui anno 2. ubi inter alia sic ait: *Cogimur monere vos, atq; obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis: non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis.*

17. *Suarez.* Hunc Motum refert integrè ad verbum doctissimus noster Suarez lib. 6. defensionis fidei pag. 700. & sequenti, & in cap. 9. latè tractat de hoc argumento, & rectè affirmat, licèt olim potuerit esse de hoc inter Catholicos dissensio, iā omnino cessare debere, cùm Summus Pontifex declaraverit veritatem, idque non præcipiendo solùm, sed decernendo, id esse illicitum, & culpā gravem. Probat hanc conclusionē Suarez multis testimonijs, & rationibus, re enim vera, ut in Anglia res habet, prædictus aditus ad tēpla est protestatio, & cōfessio quædam hæresis, quæ proinde est omnino illicita, & gignit scandalū, quod omnino vitari non potest. Idēque dicendum est in quocumq; simili eventu in quocumq; alio regno, aut loco infidelium.

18. *P. Person.* Legi etiam doctam disputationē P. Roberti Personij è Societate Iesu, de Ecclesia præsertim Anglicana benemeriti, in qua ante Motū Pauli V. probat, illicitum omnino esse adire templa hæreticorum in Anglia, quia id non præstatur ob aliquā actionem merè civilē, sed religionis causa, & ad vitādas pœnas Catholicis iniunctas ab hæretico Principe. Cui sententiæ ibi subscribūt Cardinalis Baronius, & Cardinalis Bellarminus, octoq; Theologiæ professores. Et ibidē refertur Azorius, qui licèt in 1. to. dixerit, licitū esse adire templa hæreticorū, audito Anglicano sacerdote censuit id minimè in Anglia licere, quia est signū distinctivū religionis. Videatur to. 3. lib. 1. cap. 7. §. *Posset hoc loco*; ubi refert, quod alibi docuerat, & explicat, ut non intelligatur de aditu in Ecclesias Angliæ, & alias, in quibus eadem ratio militaverit, quia tunc nullo modo licitum est. *Azorius.*

19. *Trident.* Secūda difficultas est de obligatione profitendi fidem, quæ à Tridentino, & Pio IIII. imposita est. Et quidem Tridentinum sess. 24. de reformat. cap. 12. *Provisi* (inquit) *de beneficijs quibuscumq; curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos mēses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram eius generali Vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obediētia se permansuros spondeāt, ac iurent. Provisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solùm coram Episcopo, seu eius officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioqui prædicti omnes provisi, ut suprà, fructus nō faciāt suos, nec illis possessio suffragetur.* Et sess. 25. cap. 2. præcipitur, *ut in posterum Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi promovendi profiteantur fidem* (modo, qui ibi declaratur) *in prima Synodo Provinciali, cui interfuerint.* *Pius IIII.*

20. *Sanch.* *Garcia.* Circa hoc Tridentini Decretū multa, & doctè quidē, scripserūt inter alios Thomas Sanchez lib. 2. Summæ cap. 5. & Nicolaus Garcia de beneficijs p. 3. c. 3. ex quibus hic aliqua brevissimè adnotabimus. Primū, hoc esse grave præceptū, quod proinde obligat sub mortali, nisi excuset invincibilis ignorātia, quæ re vera dari potest, & consequēter ignorans liberari à pœna imposita in hoc Decreto; licèt in foro exteriori nō admittenda sit ignorantia ista, quippe quæ est clarissimi iuris. Secundum est, hoc Decreto non obligari Dignitates, & Canonicos Ecclesiarū Collegiatarū, nec provisos de portionibus, vulgò *Racioneros*, nec simplices Beneficiarios, aut Capellanos; bene tamen Canonicos Cathedralium, etiam alioqui exēptos. Tertium est, licèt Garcia n. 74. contendat, non posse hanc professionem fieri per procuratorem, satis probabile esse contrarium; quod amplectitur Sanchez n. 7. necnon Navarrus, & Ledesma apud Garciam; qui addit, licèt Episcopus non sit impeditus, posse professionem fieri coram Vicario, quia Tridentinum in verbis citatis non intendit obligare, ut fit coram Episcopo. Sanchez verò addit, electos in Episcopos, aut translatos ab uno Episcopatu ad alterum, nō posse facere prædictam professionem per procuratorē. Quartum

tum est, licèt sit valde probabile, eos, qui post bimestre non profitentur fidem, teneri restituere fructus, quo nomine non significantur distributiones quotidianæ, ubi hæ distinguuntur à grossa, vel fructibus, etiam ante sententiam iudicis, ut docent Garcia n. 35. Ledesma, & Azorius apud Sanchez; probabile etiam satis esse, quod idem Sanchez n. 10. affirmat, scilicet non teneri, quia illa verba sola, *fructus non faciant suos*, non denotant obligationem ante condemnationem, nam Conciliũ quando eam strictam obligationem ponit, alia verba rigidiora addit, ut patet ex sess. 23. de reformat. cap. 1.

21. Pius V. in Motu 112. qui incipit, *In Sacrosancta*, & editus est anno Domini 1564 Pontificatus verò sui anno quinto, obligat ad eandem fidei professionẽ omnes Prælatos religionum, seu Regularium, & omnes lectores, seu professores Theologiæ, Philosophiæ, Grammaticæ, aut cuiuscũq; artis liberalis; ibidemq; ponitur professionis huius faciendæ forma, quam quia satis longa est, hic non subijcio. Et quidem Capuccinus super privilegia Mendicantiũ, verbo *Professio fidei*, notabili 1. ait, congregationem Cardinalium, & alios doctissimos cẽsuisse, hunc Motum non esse in usu, quatenus Prælatos regulares obligat ad prædictam professionem. Garcia in illo cap. 3. n. 4. dicit, constitutionem hanc in his regnis non videri receptam quoad professores, seu lectores, nec quoad gradum Bacchalaureatus, nec etiam bene quoad gradum Licentiæ. Et Sanchez, non obligare hunc Motum, ubi receptus non est, vel cõsuetudine abolitus.

Capuccin. *Garcia.* *Sanchez.*

COMMENTARIVS IN quæstionem quartam.

Disputat in hac q. B. Thomas de virtute, seu habitu divinæ fidei, cuius definitionem explicat in art. 1. In 2. docet habitum fidei esse in intellectu, licèt illi respondeat in voluntate alter, qui dicitur pius affectus. In 3 dicit, charitatẽ esse formã fidei, sicut & aliarum virtutum; sed de hoc in materia de Charitate. In 4. affirmat, eandem esse fidem, quæ in habente gratiã dicitur formata; in eo verò, qui gratiam non habet, dicitur informis. In quinto respondet, fidem formatam esse virtutem, nõ verò informem; quod magis declarat ad 3. dicens, fidem informem non pervenire ad perfectam rationem virtutis. In sexto docet, habitum fidei esse unum specie, sed plures numero. In septimo ait, fidem absolutè esse primam virtutem, licèt per accidens aliæ virtutes dici possint priores, in quantum removent impedimenta credendi, sicut fortitudo excludit inordinatum timorem, quo posset quis separari à vera fide. In octavo tandem ait, fidem esse simpliciter certiorem scientia, & alijs virtutibus intellectualibus, non tamen secundum quid, ut posteà declarabimus.

TRACTATVS XII. de habitu supernaturali fidei divinæ, & speciebus illum comitantibus.

DISPVTATIO I.

Quænam sit optima definitio habitus supernaturalis Fidei.

I. Præmitto ex dictis in materia de habitibus, seu in 1. 2. controversia 4. sicut ad actus supernaturales aliarum virtutum, præsertim Theologicarum, infundit Deus habitus supernaturales, qui elevant intellectum, & voluntatem; ita etiam infundere habitum, qui evehit intellectum ad credendum. Et de huius peculiari natura hoc loco disputatur.

Et quidem celebris est definitio fidei, quã exhibet Paulus ad Hebræos 11. *Fides* (inquit) *est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium,* *ad Heb. 11*

Magister. Theodore. S. Thom. Dicitur habitus fidei *substantia*, sive ut Magister dist. 23. Theodoretus, & alij volũt, quia per fidei certam cognitionem quasi subsistunt in nobis, seu iam à nobis possidentur ea, quæ speramus; sive quia, ut ait B. Thomas art. 1. fides est basis, seu fundamentum ædificij spiritualis, & prima inchoatio rerũ, quas speramus; id enim significat secunda particula, *sperandarum rerum:* neq; illa denotat, solùm pertinere ad fidem ea, quæ speramus; certum enim est, credi posse fide divina plura, de quibus non habetur spes; sed innuitur beatitudinem, quam speramus, esse præcipuum finem nostræ fidei. Meminit autem Apostolus in hac definitione potiùs spei, quàm charitatis, quia maiorem proportionem habet fides cum spe, quàm cum charitate; hæc enim etiam in patria permanebit, fides verò, & spes tẽdunt in ultimum finem nostrum nondum possessum. Tertia particula definitionis est, *Argumentum non apparentium*, id est, cõvictio, ut legit S. Augustinus tom. 7. de peccatorũ meritis lib. 2. cap. 31. vel persuasio, ut explicat S. Chrysostomus in eum locum, quia nimirum habitus fidei menti suadet res fidei, & eam convincit inclinando ad assensum firmum circa obiecta nõ apparẽtia, id est, circa res, quæ prout sub fidem cadunt, revelantur obscurè, iuxta dicta in 1. tract. disp. 4. vel etiam circa aliqua obiecta, quæ non videntur: quamvis enim aliqua credantur, quæ evidenter cognita sunt, præcipua tamen mysteria Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ nõ videntur, & quia ad ea firmiter credenda potissimùm infusa est nobis divina fides, propterea meritò Apostolus absolutè vocavit illam argumentum non apparentium. (S. August. S. Chrys.)

3. Ex his patet, iure optimo dixisse B. Thomam, in prædicta Apostoli sentẽtia contineri definitionem virtutis fidei, id est, ea, quæ sufficiunt ad fidem definiendam, licèt non sint verba in modum definitionis logicæ coaptata: quod ipsum docent Scholastici cum Magistro in 3. dist. 23. S. Bonaventura art. 1. q. 5. Gabriel q. 1. Durãdus in expositione litteræ cum alijs; & Sancti Patres Basilius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus suprà, Hieronymus, & Bernardus epist. 190. ubi ait, sibi placere hãc definitionem Doctoris gentium. Videantur hi Patres in Gregorio de Valencia q. 4. p. 1. (S. Bonav. Gabr. Durand. Valenc.)

Vnde etiam inferes, audacter Erasmum apud Valenciam dixisse, in eo loco non definiri, sed laudari fidem ab Apostolo. Aliud verò, quod addit, scilicet ibi non esse sermonem de fide Theologica, sed de fiducia existente in voluntate, absurdum est, & à Valencia appellatur erroneum non immeritò, tum quia est cõtra communem Sanctorum expositionem; tum maximè, quia manifestam vim infert contextui, & verbis Apostoli: etenim actus volũtatis non appellatur argumentum, seu persuasio. Deinde agens de hac eadem fide in eo loco ait Paulus, *accedentem ad Deum oportere credere;* & hac fide Saram concepisse, quia fidelem credidit esse eum, qui repromiserat: quæ verba manifestè intelligẽda sunt de fide, quæ spectat ad intellectum. Vnde in Trident. sess. 6. cap. 6. & in Arausicano II. cap. 25. manifestè supponitur, in loco Pauli esse sermonem de divina fide in eo sensu, in quo à nobis accipitur. Vide Nicolaum Sanderum lib. 3. de speciali fide cap. 9. ubi egregiè probat contra Protestantes, non posse in prædicto loco Pauli agi de vana fiducia hæreticorum, qui dicunt, fidem esse fiduciam, qua homo sibi persuadet se credere, aut iustum esse. 4. (Erasmus. Triden. Arausic. Sanderus.)

5. Nos, si brevem definitionem fidei iuxta Dialecticorũ præceptiones conficere velimus, ita fidem habitualem definiemus: *Fides divina est habitus supernaturalis inclinans ad iudicium supernaturale immediatè innitens Deo obscurè revelanti.* Quæ omnia ex dictis suprà nota sunt.

(?)



DISPVTATIO II.

Vtrùm habitus supernaturalis fidei sit virtus Theologica? Vbi an omnes actus illius debeant expressè versari circa divinam authoritatem.

1. DICO primò: Habitus fidei supernaturalis est absolutè, & perfectè virtus, quádo est adiuncta charitati; sine illa verò habet quidē essentiam virtutis, sed non perfectam. Ita B. Thomas art.5. ubi Caietanus, & Bañez, Magister in 3. distin.23. & alij, quos affert & sequitur Valécia quæst.4 púct.5. Probatur prior assertionis pars primò authoritate Aristotelis, qui 2. Ethicorum cap.6. ait, virtutem esse habitum, *quo homo efficitur bonus, & officio suo probè fungitur*; sed fides charitati cōiuncta præstat hoc totum, adeò ut propterea valde cōmendetur in Scriptura; ergo est simpliciter, & absolutè virtus. Secundò ratione B.Thomę declaratur, nam cùm actus fidei sit assensus intellectus determinati ab imperio voluntatis, duo videntur desiderari posse, ut fides participet perfectam rationem virtutis. unum est firmitas, & infallibilitas in assensu; & hanc certum est fidei divinæ convenire, imò in eo differt ab opinione, & fide humana, quæ cùm incertitudinem habeant, excluduntur à ratione virtutum: alterum est ordinatio ad ultimum finem, ex qua proveniat actum fidei esse meritorium, atque adeò fidem ipsam esse vivam; hoc autem cōvenit etiam fidei adiunctæ charitati; ergo.

S. Thom. Caietan. Bañez. Magist. Valenc. Arist.

2. Posterior pars suadetur ex generali doctrina materiæ de virtutibus, quia nimirum nulla virtus est perfecta, nisi cùm est adiuncta cæteris, atq; adeò nisi cùm est coniuncta charitati, quæ est forma virtutum, ut dicetur infrà quęst 23. & illis omnibus dat vitam, & valorem; habet tamen adhuc fides sine charitate essentiā virtutis, quatenus inclinat ad opus bonum, & quod imperatur ab actu honesto voluntatis suprà explicato; & quāvis Magister suprà absolutè neget, fidem sine charitate esse virtutem, solùm velle credendus est, non esse virtutem perfectam.

3. Contra hanc conclusionē sentit Durandus in 3. dist.23. quæst.6. existimat enim, fidem sine charitate non esse simpliciter virtutem; & idē dicendū esse, licèt sit cum charitate. Probat primo, quia eiusdem rationis est fides cū charitate, & sine illa; sed sine charitate nō est propriè virtus; ergo nec cum illa. Probat secundò, nam de ratione virtutis intellectualis est evidētia, sed fides non est evidēs, imò obscura; ergo fides non est perfectè virtus. Respondetur ad primū, fidem quoad intrinseca sua prædicata eiusdem naturæ esse, sive sit adiūcta charitati, sive non; at verò quoad extrinsecam, & moralem perfectionē, atq; adeò quoad valorem actuum suorum, multò perfectiorem esse cum charitate: quoniam ergo perfectio virtutis exigit istam moralem perfectionem, ut suppono ex dictis materia de virtutibus, ideò fides coniuncta charitati est simpliciter virtus, nō verò sine illa: evidentia verò licèt reperiatur in naturalibus scientijs, non est necessaria ad perfectionem virtutis fidei, cùm potiùs illi repugnet. Durand.

4. Dico secundò: Fides est virtus Theologica. Conclusio est S.Thomæ 1.2. q. 62.art.3. & cōmunis Doctorum: desumiturq; ex Paulo 1.ad Corinth.13. ubi numerat tres virtutes, eò quòd illę circa Deum versentur, & una est divina fides. Probatur ex locis Scripturæ, & Patrum, & ratione, quibus tract.1.disp.2. ostendimus, obiectum formale fidei esse Deum: cùm enim virtus Theologica sit illa, cuius obiectū formale est Deus, manifestè constat fidem esse virtutem Theologicam; neq; obstat versari fidē circa obiecta creata, nam illa non sunt obiectum formale, sed materiale. S. Thom. 1. Ad Cor. 13.

5. Dubitabit tamen aliquis, an ut fides sit virtus Theologica, necessarium sit, semper expressè versari circa divinam authoritatem obscurè revelantem, ita

Magister. Theodore. Dicitur habitus fidei *substantia*, sive ut Magister dist. 23. Theodoretus, & alij volũt, quia per fidei certam cognitionem quasi subsistunt in nobis, seu iam à nobis possidentur ea, quæ speramus; S. Tho m. sive quia, ut ait B. Thomas art. 1. fides est basis, seu fundamentum ædificij spiritualis, & prima inchoatio rerũ, quas speramus; id enim significat secunda particula, *sperandarum rerum:* neq; illa denotat, solùm pertinere ad fidem ea, quæ speramus; certum enim est, credi posse fide divina plura, de quibus non habetur spes; sed innuitur beatitudinem, quam speramus, esse præcipuum finem nostræ fidei. Meminit autem Apostolus in hac definitione potiùs spei, quàm charitatis, quia maiorem proportionem habet fides cum spe, quàm cum charitate; hæc enim etiam in patria permanebit, fides verò, & spes cédunt in ultimum finem nostrum nondum possessum. Tertia particula definitionis est, *Argumentum non apparentium*, id est, cõvictio, ut legit S. Augustinus tom. 7. de peccatorũ meritis lib. 2. cap. 31. vel persuasio, ut explicat S. Chrysostomus in eum locum, quia nimirum habitus fidei menti suadet res fidei, & eam convincit inclinando ad assensum firmum circa obiecta nõ apparẽtia, id est, circa res, quæ prout sub fidem cadunt, revelantur obscurè, iuxta dicta in 1. tract. disp. 4. vel etiam circa aliqua obiecta, quæ non videntur: quamvis enim aliqua credantur, quæ evidenter cognita sunt, præcipua tamen mysteria Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ nõ videntur, & quia ad ea firmiter credenda potissimùm infusa est nobis divina fides, propterea meritò Apostolus absolutè vocavit illam argumentum non apparentium.

S. August. S. Chrys.

3. Ex his patet, iure optimo dixisse B. Thomam, in prædicta Apostoli sententia contineri definitionem virtutis fidei, id est, ea, quæ sufficiunt ad fidem definiendam, licèt non sint verba in modum definitionis logicæ coaptata: quod ipsum docent Scholastici cum Magistro in 3. dist. 23. S. Bonaventura art. 1. q. 5. Gabriel q. 1. Durãdus in expositione litteræ cum alijs, & Sancti Patres Basilius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus supra, Hieronymus, & Bernardus epist. 190. ubi ait, sibi placere hãc definitionem Doctoris gentium. Videantur hi Patres in Gregorio de Valencia q. 4. p. 1. Valenc.

S. Bon av. Gabr. Durand.

4. Vnde etiam inferes, audacter Erasmum apud Valenciam dixisse, in eo loco non definiri, sed laudari fidem ab Apostolo. Aliud verò, quod addit, scilicet ibi non esse sermonem de fide Theologica, sed de fiducia existente in voluntate, absurdum est, & à Valencia appellatur erroneum non immeritò, tum quia est cõtra communem Sanctorum expositionem; tum maximè, quia manifestam vim infert contextui, & verbis Apostoli: etenim actus volũtatis non appellatur argumentum, seu persuasio. Deinde agens de hac eadem fide in eo loco ait Paulus, *accedentem ad Deum oportere credere*; & hac fide Saram concepisse, quia fidelem credidit esse eum, qui repromiserat: quæ verba manifestè intelligẽda sunt de fide, quæ spectat ad intellectum. Vnde in Trident. sess. 6. cap. 6. & in Arausicano II. cap. 25. manifestè supponitur, in loco Pauli esse sermonem de divina fide in eo sensu, in quo à nobis accipitur. Vide Nicolaum Sanderum lib. 3. de speciali fide cap. 9. ubi egregiè probat contra Protestantes, non posse in prædicto loco Pauli agi de vana fiducia hæreticorum, qui dicunt, fidem esse fiduciam, qua homo sibi persuadet se credere, aut iustum esse. Erasmus. Triden. Arausic. Sanderus.

5. Nos, si brevem definitionem fidei iuxta Dialecticorũ præceptiones conficere velimus, ita fidem habitualem definiemus: *Fides divina est habitus supernaturalis inclinans ad iudicium supernaturale immediatè innitens Deo obscurè revelanti.* Quæ omnia ex dictis suprà nota sunt.

(?)

DISPVTATIO II.

Vtrùm habitus supernaturalis fidei sit virtus Theologica? Vbi an omnes actus illius debeant expressè versari circa divinam authoritatem.

1. DICO primò: Habitus fidei supernaturalis est absolutè, & perfectè virtus, quādo est adiuncta charitati; sine illa verò habet quidē essentiam virtutis, sed non perfectam. Ita B. Thomas art.5. ubi Caietanus, & Bañez, Magister in 3. distin.23. & alij, quos affert, & sequitur Valēcia quæst.4 pūct.5. Probatur prior assertionis pars primò authoritate Aristotelis, qui 2. Ethicorum cap.6. ait, virtutem esse habitum, *quo homo efficitur bonus, & officio suo probè fungitur*; sed fides charitati cō iuncta præstat hoc totum, adeò ut propterea valde cōmendetur in Scriptura; ergo est simpliciter, & absolutè virtus. Secundò ratione B. Thomę declaratur, nam cùm actus fidei sit assensus intellectus determinati ab imperio volūtatis, duo videntur desiderari posse, ut fides participet perfectam rationem virtutis. unum est firmitas, & infallibilitas in assensu; & hanc certum est fidei divinæ convenire, imò in eo differt ab opinione, & fide humana, quæ cùm incertitudinem habeant, excluduntur à ratione virtutum: alterum est ordinatio ad ultimum finem, ex qua proveniat actum fidei esse meritorium, atque adeò fidem ipsam esse vivam; hoc autem cōvenit etiam fidei adiunctæ charitati; ergo.

S. Thom. Caietan. Bañez. Magist. Valenc. Arist.

2. Posterior pars [illegible] ex gen[illegible] doctrina [illegible]teriæ [illegible]bus nimiru[illegible] vir[illegible] fe[illegible] cùm e[illegible] ta[illegible] cùm [illegible] ct[illegible] ma v[illegible] d[illegible] & il[illegible] s[illegible]

habet tamen adhuc fides sine charitate essentiā virtutis, quatenus inclinat ad opus bonum, & quod imperatur ab actu honesto voluntatis suprà explicato; & quāvis Magister suprà absolutè neget, fidem sine charitate esse virtutem, solùm velle credendus est, non esse virtutem perfectam.

3. Contra hanc conclusionē sentit Durandus in 3. dist.23. quæst.6. existimat enim, fidem sine charitate non esse simpliciter virtutem; & idē dicendū esse, licèt sit cum charitate. Probat primò, quia eiusdem rationis est fides cū charitate, & sine illa; sed sine charitate nō est propriè virtus; ergo nec cum illa. Probat secundò, nam de ratione virtutis intellectualis est evidētia, sed fides non est evidēs, imò obscura; ergo fides non est perfectè virtus. Respondetur ad primū, fidem quoad intrinseca sua prædicata eiusdem naturæ esse, sive sit adiūcta charitati, sive non; at verò quoad extrinsecam, & moralem perfectionē, atq; adeò quoad valorem actuum suorum, multò perfectiorem esse cum charitate: quoniam ergo perfectio virtutis exigit illam moralem perfectionem, ut suppono ex dictis materia de virtutibus, ideò fides coniuncta charitati est simpliciter virtus, nō verò sine illa: evidentia verò licèt reperiatur in naturalibus scientijs, non est necessaria ad perfectionem virtutis fidei, cùm potiùs illi repugnet.

Durand.

4. Dico secundò: Fides est virtus Theologica. Conclusio est S. Thomæ 1.2. q. 62. art.3. & cōmunis Doctorum: desumiturq; ex Paulo 1. ad Corinth.13. ubi numerat tres virtutes, eò quòd illę circa Deum versentur, & una est divina fides. Probatur ex locis Scripturæ, & Patrum, & ratione, quibus tract.1. disp.2. ostendimus, obiectum formale fidei esse Deum: cùm enim virtus Theologica sit illa, cuius obiectū formale est Deus, manifestè constat fidem esse virtutem Theologicam; neq; obstat versari fidē circa obiecta creata, nam illa non sunt obiectum formale, sed materiale [illegible]

S. Thom. 1. Ad Cor. 13.

5. Dubitabit tamen aliquis [illegible] fides sit virtus Theologica, [illegible] semper expressè versari circa divinam authoritatem [illegible]

& supernaturale, eliciq; posſit ab homine habente charitatem, erit ſine dubio meritorius de condigno.

2. Ex quo patet, actum fidei supernaturalis elicitum ab homine, quandiu peccati mortalis maculam non delevit, nõ eſſe meritorium gratiæ, & gloriæ, licèt diſponere poſsit, ut Deus intendat ipſum habitum fidei ſupernaturalis, & illuminet mentem peccatoris. Si verò petat aliquis, an actus fidei, quem quis haberet in ipſo pũcto, quo iuſtificatur, ſit meritorius? Reſpondetur, rem hanc pertinere ad materiã de Gratia, in qua probabilior ſententia docet, non eſſe meritorium gratiæ, quia ſolùm eſt diſpoſitio ſimul cum contritione, ut Deus illam infundat, eſſe tamen meritorium gloriæ. Vide quæ dixi in 1.2.cõtrov.8. tract.12.

3. Supereſt una brevis difficultas, an interdum cõtingere poſsit, actum fidei ſupernaturalis ita vitiari, ut non ſolùm non ſit meritorius, ſed etiam demeritorius, & malus. Ratio dubitandi eſt, quia ſicut ille, qui efficeret aliquod bonum opus propter vanam-gloriam, potiùs eſſet dignus pœna, quàm præmio, ita etiam qui crederet ob prædictum finem, vel alium vitioſum.

4. In hac difficultate breviter ſentio primò, ipſum actum fidei in ſua intrinſeca entitate nũquam poſſe eſſe vitioſum. Patet, quia eſt actus ſupernaturalis, cuius obiectum eſt divina authoritas, ergo nihil habet intrinſecum, quod non ſit bonum. Secundò dico, non poſſe actum fidei ita eſſe malum denominatione extrinſeca ab actu voluntatis, ut ſolùm imperetur ab aliqua volitione vitioſa. Probatur, quia ut oſtendi tract. 9. ſemper imperari debet actus fidei ab actu ſupernaturali piæ affectionis, ſed omnis actus ſupernaturalis eſt honeſtus, ergo nunquam poteſt actus fidei ita eſſe extrinſecè malus, ut non imperetur à volitione bona. Tertiò exiſtimo, ſimul cũ hac volitione bona poſſe coniungi aliam malam, à qua ſimul imperetur actus credendi, qui proinde poſsit dici extrinſecè malus, id eſt, imperatus ab aliqua volitione mala. Probatur, quia ſicut quis cùm elargitur eleemoſynam, poteſt habere duos act⁹ volũtatis; unum bonum, quo velit ſuccurrere pauperi; alium malum, quo ex tali eleemoſyna velit ſibi vanam gloriolam, & ita eleemoſyna extrinſecè dicitur bona ab uno actu, & mala ab altero; ſic poteſt qui credit, habere unũ actum bonum piæ affectionis; alterum malum, quo referat ſuam fidem ad vanam-gloriam. Ex quo patet, quid ſuadeat ratio dubitandi.

COMMENTARIVS IN articulum decimum.

Disputat B.Thomas, an rationes, quæ afferuntur ad confirmandã fidem, diminuãt meritum illius: & ſolutionem difficultatis hac duplici propoſitione cõplectitur. Prior eſt, rationes, quæ præcedunt actum fidei, reddunt illum minùs meritorium. Probatur, quia eiuſmodi rationes ſunt illę, quibus homo movetur ad credẽdum, non quia illæ ſint neceſſariò requiſitæ, ſed quia adhuc ipſe poſtulat maiores, & clariores rationes ſine neceſsitate: hoc autem planè minuit meritum fidei, & eſt ſignum minùs perfectæ obedientię, & captivitatis intellectus in obſequiũ Chriſti Dñi, quod meritò reprehendit ipſe in Evangelio: *Niſi ſigna* (inquit) *& prodigia videritis, non creditis.* ¶ Ex quo patet non diminui meritum fidei ex rationibus, quæ requiruntur, ut homo prudenter inducatur ad credendũ, imò licèt haberet evidentiam veritatis, quã credit, dummodò fides illius non penderet à tali evidentia, ſed paratus eſſet eodem modo credere, quamvis evidẽtiam non haberet, id non minuit per ſe loquendo meritum fidei, quidquid velint Caietanus 3.p.q.36.art.1. & Durãdus diſt.24.q.3. cùm evidentia, quæ in hac vita haberi poteſt, non tollat, quominùs elici poſsit actus fidei de eiſdẽ veritatibus, ſaltem quando coniungũtur cum alijs, quæ lumine naturæ non ſunt cognitæ, ut patet ex tract.2.diſp.7 nec eiuſmodi evidentia reddat minùs firmum aſſenſum fidei; per accidẽs verò diminui poſſet meritum, quatenùs minor difficultas eſt in credenda re alioqui evidente, quàm ſi ſolùm obſcure

Right margin notes: 1. (beside "Disputat"); *Ioan.* 4. (beside "ipſe in Evangelio"); 2. (beside "prodigia videritis"); *Caietan.* (beside "lint Caietanus"); *Durand.* (beside "dus diſt.24").

propo-

proponeretur: & ideò Ioan. 20. dixit Dominus, *beatos esse, qui non viderunt, & crediderunt.*

3. Posterior propositio: Rationes, quæ fidẽ ipsam consequuntur, non minuũt, sed augent potiùs meritum fidei. Probat B. Thomas, quia illæ rationes sunt illæ, quas homo, qui iam credit, cogitat, & indagat, ut magis, ac magis videat convenientiam fidei: quod signũ est maioris affectus erga res fidei, & intensioris desiderij veritatis illarum; ergo ratione huius maioris studij magis meretur.

COMMENTARIVS IN quæstionem tertiam.

AGIT B. Thomas de exteriori actu fidei, seu de fidei confessione, quam in art. 1. docet esse actum fidei. In secundo verò cadere sub præceptum, quando qui non confiteretur fidem, subtraheret Deo debitum honorem, & proximis utilitatem debitam. Doctrinam huius quæstionis brevi tractatu complectemur.

TRACTATVS XI.

De externo actu fidei divinæ.

SECTIO I.

Explicatur natura actus externi fidei.

1. DICO primò: Exterior professio veritatũ fidei dicitur, & est propriè actus fidei divinæ. Cõclusio est B. Thomæ, & discipulorum eius art. 1. Vt autẽ breviter declaretur, & probetur, adverte primò, vocalem propositionem, qua quis profitetur veritatẽ fidei, non ita esse actum fidei divinæ, quasi physico, & immediato influxu producatur ab interno actu fidei, qui residet in intellectu; propositio enim vocalis, sicut & quælibet alia vox, efficitur à facultate, quæ residet in animali ad formandam locutionem, non verò ab intellectu, aut voluntate. Secundò adverte, confessionem fidei non ita esse actum fidei, quasi vitium illi oppositum sit hæresis, quæ opponitur interno actui fidei; certum enim est, non esse hæreticum illum, qui exteriùs dumtaxat negaverit fidei veritates, potest enim interiùs credere. Vnde quod dixit author Imperfecti in Matth. homil. 25. scilicet *non habere in corde fidem illũ, qui exteriùs eam negat;* per exaggerationem accipiendum est; vel solùm vult non habere perfectam fidem illum, qui eam non profitetur. Tertio certum etiam est, confessionem fidei posse imperari ab alijs virtutibus distinctis à fide, ac proinde ad illas revocari, ut rectè notavit Bañez; nam charitas imperare potest assensum fidei ob gloriam Dei; religio, ut debitum cultum, & reverentiam Deo exhibeamus; veracitas, ut homo nullum decipiat, sed exteriùs fateatur id, quod interiùs reputat esse verum. *Aut. Imp.* *Bañez.*

2. In duplici ergo sensu hæc exterior confessio est actus fidei. Priorem explicat B. Thomas in corpore articuli dicens, tunc aliquem actum pertinere ad aliquam virtutem, quando ad finem illius virtutis ordinatur; cùm ergo confessio fidei referatur ad internum actũ fidei, quatenus finis exterioris locutionis est manifestatio interni conceptus, rectè dicitur ad fidem pertinere. Atq; hoc satis indicant verba Psal. 115. *Credidi, propter quod locutus sum;* quæ refert Paulus 2. Corinth. 4. ¶ Posterior sensus est, quia idem imperium volũtatis, à quo suprà tract. 9. diximus imperari internum actum fidei, imperat etiam exteriorem confessionem, ac proinde utrq; particeps est eiusdẽ honestatis, quæ est in credendis rebus fidei, non solùm mente, sed etiam ore; sicut enim ab eadem virtute charitatis nõ solùm eliciuntur actus interni, sed etiam imperantur externa opera, quæ cordis amorem manifestent, ac proinde denominent hominem corde, & operibus amatorem; ita etiam ab eadem pia affectione imperatur interior, & exterior professio fidei, ut homo mente, & verbis credere dicatur: meritò ergo confessio externa dicitur actus fidei. *Psal. 115*

3. Notandum est tamen, aliquibus videri, in virtute piæ affectionis esse duas partes specie incompleta distinctas: unam, quæ imperet internum actum fidei; alteram, quæ externũ. Quod sanè mihi non probatur, quia in reliquis virtutibus nemo dicet esse duas partes, unam ad actum externum, alteram ad internum; v.g. unam partem habitus charitatis, quæ inclinet ad amandum Deum, alteram ad manifestandum externis operibus hunc amorem. Et ratio à priori est, non versari solere voluntatem circa hæc externa opera, nisi propter honestatem, quæ est obiectum formale interioris actus alicuius virtutis, ac proinde eiusdem essentiæ esse actum, quo quis interiùs vult amare Deum, & quo vult istum amorem externis operibus comprobare; hoc enim secundum etiam vult propter ipsum Deum: ita ergo pia affectio propter honestatem, quæ est in credendo, non solùm imperat internum actum fidei, sed etiam externum, qui ad illum manifestandum conducit; unde solùm materialiter differunt velle interiùs credere, & velle exteriùs confiteri. Et quamvis possibile sit infundi à Deo duas virtutes specie saltem incompleta distinctas, quarum una solùm versetur circa honestatem interioris actus, altera solùm circa honestatem exterioris: non tamen video sufficientem rationem, aut authoritatem, quæ eas re ipsa infundi persuadeat, sed potiùs oppositum videtur supponi, ut patet in exemplo charitatis, quod attulimus; nemo enim admittet in habitu charitatis illas duas partes, imò nec in alijs virtutibus præter fidem.

SECTIO II.

An, & quatenus cadat sub præceptum actus externus fidei.

4. DICO secundò: Semper est intrinsecè malum, atque adeò peccatum læthale, externis verbis negare veritates fidei, quantumvis mente credantur. Conclusio est dogma fidei contra hæreticos Elcesaitas, qui ut ex Eusebio lib. 6. historiæ cap. 28. refert Castro verbo *Martyrium*, hæresi prima, dicebant, non esse malũ negare Christum persecutionis tempore, dummodò fidem illius mente retineas. Probatur verò, tum quia Christus Dominus id docet expressè Matthæi 10. *Qui negaverit* (inquit) *me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. In quem locum vide S. Chrysostomum, & authorem Imperfecti in Matthæum suprà. Tum quia in Canone 61. Apostolorum hæc verba habentur: *Si quis Clericus per metum humanum negaverit nomen Christi, ab Ecclesia reÿciatur.* Et in Concilio Arelatensi II. cap. 11. puniri iubentur, *qui fidem negare, aut sacrificare idolis compulsi sunt.* Tum denique, quia gravis iniuria infertur Deo, non solùm mentiendo, sed præcipuè pronuntiando esse falsum id, quod infinita illius authoritate stabilitum est.

Elcesaitæ. *Castro.* *Matth. 10* *S. Chrysos.* *Can. Apo.* *Arelat.*

Ex quo etiam principio infertur, nunquam alicui licere dicere, se amplecti sectam Iudæorum, aut hæreticorum, aut se non esse Christianum; his enim, aut similibus verbis consequenter negatur Christus Dominus, aut certè aliqua ex veritatibus, quarum professione distinguitur fidelis ab infideli. Pro qua re habemus egregium S. Augustini testimonium in cap. *Non solùm* 11. quæst. 3. ubi ait, *Christum etiam abnegari ab eo, qui negat se esse Christianum, cùm Christianus sit; & propterea in Evangelio Petro dixisse Christum, Ter me negabis, quia negaturus erat se esse discipulum Christi.* Rectè autem notant Bañez, & Aragon ad artic. 2. doctrinam hanc esse intelligendam, quando quis causa religionis interrogatus negaret se esse Christianum; nam si interrogatio fieret ob alios fines, non semper esset intrinsecè malum id negare: v.g. olim Indi odio prosequebantur Christianorum nomen, quia nonnulli tyrannidem in eos exercuerunt; unde si tunc Petrum v. g. rogarent, essetné Christianus, posset licitè id negare, quia Indi sub eo nomine hominem crudelem intelligebant. 5.

S. August. *Bañez.* *Aragon.*

6. Supersunt tamē aliquæ difficultates circa doctrinam conclusionis. Prima est, an saltem ob vitandam mortem liceat Catholico uti verbis æquivocis, ita ut Tyrannus sibi persuadeat, ab illo negari fidem. Respondetur, id non licere, sed esse grave peccatum. Colligitur ex B.Thoma, qui in art. 2. tunc docet teneri Catholicos profiteri fidem, quādo aliter ille,qui interrogatur,crederetur non habere fidem. Probatur primò ex verbis Christi Domini Lucæ 9. *Qui me erubuerit,& meos sermones, hūc filius hominis erubescet,cùm venerit in maiestate sua.* Quis autem non videat,erubescere Christum eum,qui ita se gerit, ut velit putari infidelis,aut ambagibus simulare, quod non est,ne Catholicus, & Christi discipulus cognoscatur? Secūdò id ipsum docuit Clerus Romanus in epist.7. lib.2. epistolarum S.Cypriani: *Qui fallaces*(inquit)*in excusatione præstigias quærit, negavit; & qui vult videri satisfecisse legibus adversus Evangelium positis,hoc ipso iam paruit,quòd videri paruisse se voluit.* Reputat ergo,crimē hoc esse simile illi, quod committunt negantes Christum Dñm. Et sanè cùm res hæc adeò spectet ad Christi gloriā, videtur gravem illi iniuriam irrogare, qui suis sermonibus ita se gerit, ut prudenter credatur negare Christum.

S. Thom. *Luc.9.* *Cle. Ro.*

7. Dices, licitū esse uti verbis æquivocis,imò & negare id,quod alter iniustè vult à me extorquere; ergo nō est peccatum, æquivocis verbis uti ob defendendā vitam, cùm Tyrannus scire vult, quam ego religionem profitear. Respondetur,potiùs ex hac obiectione desumi confirmationem nostræ doctrinę, nam sicut negare crimen non est illicitum, quando iudex iniustè interrogat; negare verò fidem, semper est malum, quia ibi agitur causa Dei, & certatur pro illius gloria:ita licèt in alijs rebus liceat uti verbis æquivocis,non tamen in negotio fidei.

8. Secunda difficultas est, an liceat tacere, & nolle respondere, quando quis rogatur,an sit Catholicus, ita ut interrogatio non sit ob alios fines, quàm ad cognoscendam religionem, quam interrogatus profitetur. Valencia q.3. punct. 3. dub. 3. ait hoc esse licitum in aliquibus casibus, licèt ille, qui interrogat,putaturus sit,eum qui tacet,non esse Catholicum. Bañez art. 2. dub, 1. concl.3. distinguit: si enim quis etiam secreto rogetur à iudice habente publicam authoritatem, peccat mortaliter tacendo, & hoc ait significari illis verbis Christi Domini Matthæi 10. & Lucæ 9. quæ suprà retulimus. Affert etiam S. Chrysostomum in cap. *Nolite timere*, & S.Hieronymum in cap. *Existimant* 11. quæst. 3. & B. Thomam lectione 2. in cap.10. epistolæ ad Romanos, licèt verba S. Hieronymi non sint multum ad rem. Si verò rogetur aliquis ab alio habente privatam authoritatem, non peccat mortaliter, dum tacet,quia nullus ex tali silentio potest verisimiliter colligere,eum non esse Catholicum; quare si absit scādalum,nulla iniuria infertur Deo, aut proximo, ratione cuius in prædicto casu tacere, vitiosum sit. Idem sentit Thomas Sanchez in Summa lib.2. cap.4. nu.6. cum alijs Doctoribus, intelligitque nomine habentis privatam authoritatem nōn solùm eum,qui non est iudex,sed etiam personam,quæ non sit gravis.

Valencia. *Bañez.* *Sanchez.*

9. Beatus Thomas vero in art.2. quem sequi videtur Aragon dub. 2. concl.2. ait, tunc teneri aliquem non tacere, quando propterea crederetur non habere fidem,aut religionem nostram nō esse veram, aut alij ob eius taciturnitatem averterentur à fide. Atque hæc quidem doctrina vera est, quando interrogatus præberet suo silentio sufficientem occasionem prudenter existimandi, nostram religionem non esse veram, aut ipsum non esse Catholicum, &c. nam in eo eventu tacere est erubescere Christum, & doctrinam eius, gravemque proinde irrogare iniuriam Catholicæ religioni, & illius authori. Et sanè si in prædicto casu liceret tacere, liceret etiam uti verbis æquivocis, aut negare me esse Christianum: (sub intelligendo in mente, me non esse,ut manifestarem Tyranno)sicut ergo hoc non liceret ob iniuriam, quæ Deo irrogatur, ita nec tacere. Vnde eleganter Tertullianus lib.de Idololatria paulò ante finem, *Negat,* (inquit) *quicumque dissimulat in quacumque causa pro*

S. Thom. *Aragon.* *Tertul.*

Ethnico habitus, & utiq; omnis negatio idololatria est. Id est, ad illam aliqua ratione revocatur. Et id voluerunt S. Chrysost. & B. Thomas adducti à Bañez, cuius distinctio non est probanda, quãdo eadem incómoda occurrerent, ut occurrere possunt, licèt qui interrogat, habeat privatam authoritatẽ: quando verò qui tacet, non præberet sufficiẽtem occasionem existimãdi, fidem nostram esse falsam, &c. tunc non esset peccatũ mortale tacere.

10. Tertia difficultas est, an liceat exercere aliquas externas actiones, in quibus videatur Catholicus cum infidelibus convenire. Procedit autem dubitatio, quando illæ seriò exercerentur, nam in ludis, aut spectaculis certum est licitum esse. *Adrian.* Adrianus in 4. quæst. 1. de Baptismo ad 5. existimat, hoc licere, etiamsi actio sit idolis offerre exteriùs sacrificia, dũmodò interiùs nihil cõtra fidẽ credatur. Probatur primò ex Scriptura, nam *4. Reg. 10.* 4. Regum 10. *Iehu finxit se velle colere Baal*, ut occideret cultores illius, cuius factum Deus ipse commẽdavit. Et cap. 5. videtur Elisæus approbasse consilium Naaman Syri, qui voluit exteriùs adorare in templo idoli Rẽmon. Apostoli etiam aliquo tẽpore post abrogatam legem Mosis, exteriùs utebantur cæremonijs illius. Secundo probatur authoritate B. Hieronymi, *S. Hieron.* qui id docet expressè in ea verba Pauli ad Galat. 2. *Cùm autem venisset Petrus*, afferens pro sua sententia factum Iehu, quod retulimus.

11. *Caietan.* Caietanus ad artic. 2. existimat, non licere Catholico indui vestibus proprijs infidelium, quando illæ institutæ sunt ad distinguendos infideles à fidelibus in ipsa religione; &, si aliqua lege, aut consuetudine præceptum esset Catholicis uti certo aliquo signo ad professionẽ suæ fidei, peccare mortaliter, si illo non utantur.

12. In hac re conveniunt Doctores, licere exercere actiones infidelium, quãdo illæ non tã sunt propriæ religionis, quã nationis: v. g. licitum esse Catholico indui vestibus, quas induuntur Mauri, aut aliqui hæretici iuxta consuetudinẽ patriæ; in hoc enim nulla est deordinatio, nec ullo modo negatur fides ab eo, qui illam, aut similem actionẽ exercet. Secundo, quãdo actiones ex natura rei, aut ex institutione reipublicæ non deservirent ad alium finem, quàm ad professionem falsæ sectæ, nullo modo licet eas exercere; v.g. exteriùs adolere incensum idolo nunquam licet, aut indui veste speciali, in qua Mauri depictũ habent Mahumetũ, aut Lunam; aut indui modò vestibus Summi Sacerdotis Iudæorum. Ita Caietanus, Bañez dub. 2. conc. 4. Valencia suprà dub. 4. Aragon dub. 1. cõc. 1. & Sylvester verbo *Fides* q. 5. Abulensis etiam quæst. 25. in cap. 5. lib. 4. Regum ait, potiùs debere aliquẽ subire mortem, quàm fingere se exhibere cultum idolo. *Caietan. Bañez. Valencia. Aragon. Sylvest. Abulens.* Probatur primò ex 2. Machab. 6. *2. Mach. 6* ubi Eleazarus induci non potuit, ut vel porcinam carnem mãducare simularet, ne illo exemplo persuaderentur alij, negari ab ipso veram religionem. Secundò probatur, quia recepta Ecclesiæ sententia est, non licere exteriùs colere idola, propter hoc enim solum graviter peccasse creditur Pontifex Marcellinus. Et sanè in his, & similibus actionibus exercendis manifestè se ostenderet quicunq; non fidelem, sed infidelem, irrogaretq; gravissimam iniuriam fidei, & illius authori; non ergo licet in ullo casu. Tertiò id ipsum docent Patres. *S. August.* S. Augustinus to. 6. de bono coniugali cap. 16. ait, *satius esse mori fame, quàm idolothytis vesci.* Et in epistol. 29. ait, devolvendum esse in barathrum eum, qui modo cęremonias Iudæorum etiam simulatè observaverit. *Orig.* Origenes homil. 8. in Exod. cùm distinxisset simulatam, & veram adorationem. *Vtrumque* (inquit) *resecat sermo divinus, ut neque affectu colas, neque specie adores.* Affertur Tertullianus lib. de Idololatria, & S. Cyprianus serm. de lapsis.

13. Ad primum verò Adriani respondetur ex B. Thoma infrà quæst. 111. art. 1. ad 2. non laudari ab Scriptura factum illius, sed zelũ evertendi cultores idolorum: unde immeritò Abulẽsis in cap. 10. 4. Regum quæst. 25. & sequentibus excusat à peccato gravi, quidquid in ea simulatione fecit Iehu. Quod vero attinet ad consilium Naaman, *Abulens. Lyra.* Abulensis in eum locũ quæst. 25. & Lyra dicũt, Naaman non adorasse idolũ, sed solùm

flexisse

flexisse genua coram illo, quatenus ut sustentaret Dominum suum, illo surgẽte surgebat, atque genua flectente flectebat, ac proinde nullo modo id fuisse malum, licèt quia Naaman timebat in ea re esse peccatum, liberatus est à timore verbis Elisæi dicentis, *vade in pace*, id est, esto de hac re securus. Valencia quidem non excusat Naaman, sed solùm ait, Elisæum id permisisse; & idem sequitur Turrianus disp. 35. dub. 5. ad 3. cum Gabriele Vazquez. Sed prior solutio placet. Apostoli denique observarunt legem Mosis, tempore, quo licuit, etiam post Evangelium, ut suppono ex dictis in 1.2. controv. 7. tract. 4. posteà verò nulli licebat, ut late docet S. Augustinus to. 2. epist. 29. cuius, & aliorũ Patrum authoritas præferenda est sententiæ S. Hieronymi. *Valencia.* *Turrian.*

14. Tertio sentio, quando vestes, aut aliæ similes actiones haberent anim honestum finem primarium, licèt simul ordinatæ sint ad distinguendam sectam, aut religionem, non esse illicitu illis uti ex causa rationabili, dũmodo absit scandalũ, nec colligi possit ex circunstantijs, eu, qui talibus signis utitur, fidem negare. Ita Aragon cũ Palacios, Bañez, & alijs. Probatur, quia hoc non est ex se intrinsecè malum; quamvis enim non liceat verbis negare fidem, quia illa præcipue ordinãtur ad manifestandã veritatem, vestes tamen, aut alia signa, quæ primariò instituta sunt ad alios fines, no sunt per se loquendo professio fidei, ac proinde potest interdum licere uti illis ad occultandã fidẽ. Nec referet quidquã, quòd Princeps infidelis iubsistlet, ut Catholici gestarẽt speciale aliquod signũ, quo agnoscerentur, & occiderentur, na talis lex esset iniqua, ac proinde non obligaret. Ex quo principio infertur, licere in casu huius tertij dicti, quando sacerdos infideliũ cõverteretur ad fidẽ, non statim mutare vestẽ, quã communiter induuntur sacerdotes; dũmodo non induat illam, quæ specialiter destinata esset ad offerendum sacrificium idolis. *Aragon.*

15. Ex dictis etiã constare potest, multo magis licitũ esse per se loquẽdo fugere Tyrãnũ, nisi quãdo id cederet in grave detrimentũ honoris Christi D. & utilitatis proximorũ; nã Matth. 10. *Cùm persequentur* (inquit Dñs) *vos in civitate ista, fugite in aliam.* Apostolus quoq; Petrus Angeli monitu fugit, cùm in carcerem detrusus esset propter fidem. Vide S. Athanasium to. 2. in Apologia de fuga sua, ubi ex scriptura, & ipsius Christi D. exemplo probat licitã esse fugã. Deniq; infertur, quando quis teneatur cõfiteri fidẽ; tenetur enim, quando ex eius silẽtio timeretur grave detrimẽtũ honoris Christi Dñi, & proximorũ, aut quando prudẽter putaret tyrãnus ab illo negari fidẽ. In his ergo, & similibus eventibus, & non semper obligat præceptum positivu cõfitendi fidẽ, ut rectè docuit S. Thomas; nec refert quod vita exponatur manifesto discrimini, id enim potius est valde gloriosum; unde S. Cyrillus Alexãd. to. 2. epist. 6. *Si fides* (inquit) *destruatur à quopiam, nostras ipsorũ animas non trademus? & si patienda sit ipsa quoq; mors, nulla erit hæsitatio.* Nec existimandũ est, hanc confessionẽ esse necessariã ad salutem necessitate medij, quia plures, quibus non occurrit occasio confitendi fidẽ, perveniunt ad beatitudinẽ; solùm ergo est necessaria necessitate divini præcepti: & ita intelligendi sunt S. August. to. 3. de fide, & symbolo c. 1. & S. Thomas hic. *Matth. 10* *S. Athan.* *S. August.* *S. Thom.*

SECTIO III.

Appendix sectionis præcedentis

16. PRæter difficultates expeditas in præcedente sectione occurrũt aliæ circa externam fidei professionem, quas denuò explicatas invenio, postquàm multis abhinc annis hanc de fide controversiam publicè dictavi. Prima autem difficultas est, an liceat adire templa hæreticorum ad audiendas cõciones, quas de suis erroribus habent eorum Ministri, seu cõcionatores, & ad orandum cum illis, & similia præstãda, quæ pertinent ad religionem. Thomas Sanchez suprà à n. 26. rem tractat, sicut solet, accuratè. Et respondet, id nullatenus licere, etiam ob mortem vitandã. Eiusdem sententiæ est Turrianus disp. 35. dub. ult. Idemque senserunt multi viri doctissimi à Catholicis Angliæ cõsulti; imo & definivit Paulus Quintus in quodam Motu proprio edito decimo *Sanchez.* *Turrian.* *Paulus V.*

Kalendas Octobris, anno Dñi 1606. Pontificatus verò sui anno 2. ubi inter alia sic ait: *Cogimur monere vos, atq; obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis: non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis.*

17. *Suarez.* Hunc Motum refert integrè ad verbum doctissimus noster Suarez lib. 6. defensionis fidei pag. 700. & sequenti, & in cap. 9. latè tractat de hoc argumento, & rectè affirmat, licet olim potuerit esse de hoc inter Catholicos dissensio, iã omnino cessare debere, cùm Summus Pontifex declaraverit veritatem, idque non præcipiendo solùm, sed decernendo, id esse illicitum, & culpã gravem. Probat hanc conclusionẽ Suarez multis testimonijs, & rationibus, re enim vera, ut in Anglia res habet, prædictus aditus ad tẽpla est protestatio, & cõfessio quædam hæresis, quæ proinde est omnino illicita, & gignit scandalũ, quod omnino vitari non potest. Idẽque dicendum est in quocumq; simili eventu in quocumq; alio regno, aut loco infidelium.

18. *P. Person.* Legi etiam doctam disputationẽ P. Roberti Personij è Societate Iesu, de Ecclesia præsertim Anglicana benemeriti, in qua ante Motũ Pauli V. probat, illicitum omnino esse adire templa hæreticorum in Anglia, quia id non præstatur ob aliquã actionem merè civilẽ, sed religionis causa, & ad vitãdas pœnas Catholicis iniunctas ab hæretico Principe. Cui sententiæ ibi subscribũt Cardinalis Baronius, & Cardinalis Bellarminus, octoq; Theologiæ professores. Et ibidẽ refertur Azorius, qui licèt *Azorius.* in 1. to. dixerit, licitũ esse adire templa hæreticorũ audito Anglicano sacerdote censuit id minimè in Anglia licere, quia est signũ distinctivũ religionis. Videatur to. 3. lib. 1. cap. 7. §. *Posset hoc loco*; ubi refert, quod alibi docuerat, & explicat, ut non intelligatur de aditu in Ecclesias Angliæ, & alias, in quibus eadem ratio militaverit, quia tunc nullo modo licitum est.

19. *Trident.* Secũda difficultas est de obligatione profitendi fidem, quæ à Tridentino, & Pio IIII. imposita est. Et quidem Tri- *Pius IIII.* dentinum sess. 24. de reformat. cap. 12. *Provisi* (inquit) *de beneficijs quibuscumq; curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos mẽses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram eius generali Vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obediẽtia se permansuros spondeãt, ac iurent. Provisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solùm coram Episcopo, seu eius officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioqui prædicti omnes provisi, ut suprà, fructus nõ faciãt suos, nec illis possessio suffragetur.* Et sess. 25. cap. 2. præcipitur, *ut in posterum Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi promovendi profiteantur fidem* (modo, qui ibi declaratur) *in prima Synodo Provintiali, cui interfuerint.*

Circa hoc Tridentini Decretũ multa, & doctè quidẽ, scripserũt inter alios 20. Thomas Sanchez lib. 2. Summæ cap. 5. *Sanch.* & Nicolaus Garcia de beneficijs p. 3. c. *Garcia.* 3. ex quibus hic aliqua brevissimè adnotabimus. Primũ, hoc esse grave præceptũ, quod proinde obligat sub mortali, nisi excuset invincibilis ignorãtia, quæ re vera dari potest, & consequẽter ignorans liberari à pœna imposita in hoc Decreto; licèt in foro exteriori nõ admittenda sit ignorantia ista, quippe quæ est clarissimi iuris. Secundum est, hoc Decreto non obligari Dignitates, & Canonicos Ecclesiarũ Collegiatarũ, nec provisos de portionibus, vulgò *Racioneros*, nec simplices Beneficiarios, aut Capellanos; bene tamen Canonicos Cathedralium, etiam alioqui exẽptos. Tertium est, licèt Garcia n. 74. contendat, non posse hanc professionem fieri per procuratorem, satis probabile esse contrarium; quod amplectitur Sanchez n. 7. necnon Navarrus, & Ledesma apud Garciam; qui addit, licèt Episcopus non sit impeditus, posse professionem fieri coram Vicario, quia Tridentinum in verbis citatis non intendit obligare, ut sit coram Episcopo. Sanchez verò addit, electos in Episcopos, aut translatos ab uno Episcopatu ad alterum, nõ posse facere prædictam professionem per procuratorẽ. Quar-

tum

tum est, licèt sit valde probabile, eós, qui post bimestre non profitentur fidem, teneri restituere fructus, quo nomine non significantur distributiones quotidianæ, ubi hæ distinguuntur à grossa, vel fructibus, etiam ante sententiam iudicis, ut docent Garcia n. 35. Ledesma, & Azorius apud Sanchez; probabile etiam satis esse, quod idem Sanchez n. 10. affirmat, scilicet non teneri, quia illa verba sola, *fructus non faciant suos*, non denotant obligationem ante condemnationem, nam Conciliũ quando eam strictam obligationem ponit, alia verba rigidiora addit, ut patet ex sess. 23. de reformat. cap. 1.

21. Pius V. in Motu pro. qui incipit, *In Sacrosancta*, & editus est anno Domini 1564 Pontificatus verò sui anno quinto, obligat ad eandem fidei professionẽ omnes Prælatos religionum, seu Regularium, & omnes lectores, seu professores Theologiæ, Philosophiæ, Grammaticæ, aut cuiuscũq; artis liberalis; ibidemq; ponitur professionis huius faciendæ forma, quam quia satis longa est, hic non subijcio. Et quidem Capuccinus super privilegia Mendicantiũ, verbo *Professio fidei*, notabili t. ait, congregationem Cardinalium, & alios doctissimos cẽsuisse, hunc Motum non esse in usu, quatenus Prælatos regulares obligat ad prædictam professionem. Garcia in illo cap. 3. n. 4. dicit, constitutionem hanc in his regnis non videri receptam quoad professores, seu lectores, nec quoad gradum Bacchalaureatus, nec etiam bene quoad gradum Licentiæ. Et Sanchez, non obligare hunc Motum, ubi receptus non est, vel cõsuetudine abolitus.

(Capuccin. — Garcia. — Sanchez.)

COMMENTARIVS IN quæstionem quartam.

Disputat in hac q. B. Thomas de virtute, seu habitu divinæ fidei, cuius definitionem explicat in art. 1. In 2. docet, habitum fidei esse in intellectu, licèt illi respondeat in voluntate alter, qui dicitur pia affectio s. In 3 dicit, charitatẽ esse formã fidei, sicut & aliarum virtutum; sed de hoc in materia de Charitate. In 4. affirmat, eandem esse fidem, quæ in habente gratiã dicitur formata; in eo verò, qui gratiam non habet, dicitur informis. In quinto respondet, fidem formatam esse virtutem, nõ verò informem; quod magis declarat ad 3. dicens, fidem informem non pervenire ad perfectam rationem virtutis. In sexto docet, habitum fidei esse unum specie, sed plures numero. In septimo ait, fidem absolutè esse primam virtutem, licèt per accidens aliæ virtutes dici posśint priores, in quantum removent impedimenta credendi, sicut fortitudo excludit inordinatum timorem, quo posset quis separari à vera fide. In octavo tandem ait, fidem esse simpliciter certiorem scientia, & alijs virtutibus intellectualibus, non tamen secundum quid, ut postea declarabimus.

TRACTATVS XII. de habitu supernaturali fidei divinæ, & speciebus illum comitantibus.

DISPVTATIO I.

Quænam sit optima definitio habitus supernaturalis Fidei.

Præmitto ex dictis in materia de habitibus, seu in 1. 2. controversia 4. sicut ad actus supernaturales aliarum virtutum, præsertim Theologicarum, infundit Deus habitus supernaturales, qui elevant intellectum, & voluntatem; ita etiam infundere habitum, qui evehit intellectum ad credendum. Et de huius peculiari natura hoc loco disputatur. 1.

Et quidem celebris est definitio fidei, quã exhibet Paulus ad Hebræos 11. *Fides* (inquit) *est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium,* ad Heb. 11

Magister. Theodore. S. Thom. Dicitur habitus fidei *substantia*, sive ut Magister dist. 23. Theodoretus, & alij volũt, quia per fidei certam cognitionem quasi subsistunt in nobis, seu iam à nobis possidentur ea, quæ speramus; sive quia, ut ait B. Thomas art. 1. fides est basis, seu fundamentum ædificij spiritualis, & prima inchoatio rerũ, quas speramus; id enim significat secunda particula, *sperandarum rerum:* neq; illa denotat, solum pertinere ad fidem ea, quæ speramus; certum enim est, credi posse fide divina plura, de quibus non habetur spes; sed innuitur beatitudinem, quam speramus, esse præcipuum finem nostræ fidei. Meminit autem Apostolus in hac definitione potiùs spei, quàm charitatis, quia maiorem proportionem habet fides cum spe, quàm cum charitate; hæc enim etiam in patria permanebit, fides verò, & spes tẽdunt in ultimum finem nostrum nondum possessum. Tertia particula definitionis est, *Argumentum non apparentium*, id est, cõvictio, ut legit S. Augustinus tom. 7. de peccatorũ meritis lib. 2. cap. 31. vel persuasio, ut explicat S. Chrysostomus in eum locum, quia nimirum habitus fidei menti suadet res fidei, & eam convincit inclinando ad assensum firmum circa obiecta nõ apparẽtia, id est, circa res, quæ prout sub fidem cadunt, revelantur obscurè, iuxta dicta in 1. tract. disp. 4. vel etiam circa aliqua obiecta, quæ non videntur: quamvis enim aliqua credantur, quæ evidenter cognita sunt, præcipua tamen mysteria Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ nõ videntur, & quia ad ea firmiter credenda potissimùm infusa est nobis divina fides, propterea meritò Apostolus absolutè vocavit illam argumentum non apparentium.

S. August. S. Chrys.

3. Ex his patet, iure optimo dixisse B. Thomam, in prædicta Apostoli sentẽtia contineri definitionem virtutis fidei, id est, ea, quæ sufficiunt ad fidem definiendam, licèt non sint verba in modum definitionis logicæ coaptata: quod ipsum docent Scholastici cum Magistro in 3. dist. 23. S. Bonaventura art. 1. q. 5. Gabriel q. 1. Durãdus in expositione litteræ cum alijs; & Sancti Patres Basilius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus supra, Hieronymus, & Bernardus epist. 190. ubi ait, sibi placere hãc definitionem Doctoris gentium. Videantur hi Patres in Gregorio de Valencia q. 4. p. 1. Valent.

S. Bonav. Gabr. Durand.

Vnde etiam inferes, audacter Erasmum apud Valenciam dixisse, in eo loco non definiri, sed laudari fidem ab Apostolo. Aliud verò, quod addit, scilicet ibi non esse sermonem de fide Theologica, sed de fiducia existente in voluntate, absurdum est, & à Valencia appellatur erroneum non immeritò, tum quia est cõtra communem Sanctorum expositionem; tum maximè, quia manifestam vim infert contextui, & verbis Apostoli: etenim actus volũtatis non appellatur argumentum, seu persuasio. Deinde agens de hac eadem fide in eo loco ait Paulus, *accedentem ad Deum oportere credere*; & hac fide Saram concepisse, quia fidelem credidit esse eum, qui repromiserat: quæ verba manifestè intelligẽda sunt de fide, quæ spectat ad intellectum. Vnde in Trident. sess. 6. cap. 6. & in Arausicano II. cap. 25. manifestè supponitur, in loco Pauli esse sermonem de divina fide in eo sensu, in quo à nobis accipitur. Vide Nicolaum Sanderum lib. 3. de speciali fide cap. 9. ubi egregiè probat contra Protestantes, non posse in prædicto loco Pauli agi de vana fiducia hæreticorum, qui dicunt, fidem esse fiduciam, qua homo sibi persuadet se credere, aut iustum esse. 4. Erasmus.

Triden. Arausic. Sanderus.

5. Nos, si brevem definitionem fidei iuxta Dialecticorũ præceptiones conficere velimus, ita fidem habitualem definiemus: *Fides divina est habitus supernaturalis inclinans ad iudicium supernaturale immediatè innitens Deo obscurè revelanti.* Quæ omnia ex dictis suprà nota sunt.

(?)



DISPVTATIO II.

Vtrùm habitus supernaturalis fidei sit virtus Theologica? Vbi an omnes actus illius debeant expressè versari circa divinam authoritatem.

1. DICO primò: Habitus fidei supernaturalis est absolutè, & perfectè virtus, quãdo est adiuncta charitati; sine illa verò habet quidẽ essentiam virtutis, sed non perfectam. Ita B. Thomas art.5. ubi Caietanus, & Bañez, Magister in 3. distin.23. & alij, quos affert, & sequitur Valécia quæst.4 pũct.5. Probatur prior assertionis pars primò authoritate Aristotelis, qui 2. Ethicorum cap.6. ait, virtutem esse habitum, *quo homo efficitur bonus, & officio suo probè fungitur;* sed fides charitati cõiuncta præstat hoc totum, adeò ut propterea valde cõmendetur in Scriptura; ergo est simpliciter, & absolutè virtus. Secundò ratione B.Thomę declaratur, nam cùm actus fidei sit assensus intellectus determinati ab imperio volũtatis, duo videntur desiderari posse, ut fides participet perfectam rationem virtutis. unum est firmitas, & infallibilitas in assensu; & hanc certum est fidei divinæ convenire, imò in eo differt ab opinione, & fide humana, quæ cùm incertitudinem habeant, excluduntur à ratione virtutum: alterum est ordinatio ad ultimum finem, ex qua proveniat actum fidei esse meritorium, atque adeò fidem ipsam esse vivam; hoc autem cõvenit etiam fidei adiunctæ charitati; ergo.

S. Thom. Caietan. Bañez. Magist. Valenc. Arist.

2. Posterior pars suadetur ex generali doctrina materiæ de virtutibus, quia nimirum nulla virtus est perfecta, nisi cùm est adiuncta cæteris, atq; adeò nisi cùm est coniuncta charitati, quæ est forma virtutum, ut dicetur infrà quęst 23. & illis omnibus dat vitam, & valorem; habet tamen adhuc fides sine charitate essentiã virtutis, quatenus inclinat ad opus bonum, & quod imperatur ab actu honesto voluntatis suprà explicato; & quãvis Magister suprà absolutè neget, fidem sine charitate esse virtutem, solùm velle credendus est, non esse virtutem perfectam.

Contra hanc conclusionẽ sentit Durandus in 3. dist.23. quæst.6. existimat enim, fidem sine charitate non esse simpliciter virtutem; & idẽ dicendũ esse, licèt sit cum charitate. Probat primo, quia eiusdem rationis est fides cũ charitate, & sine illa; sed sine charitate nõ est propriè virtus; ergo nec cum illa. Probat secundò, nam de ratione virtutis intellectualis est evidẽtia, sed fides non est evidẽs, imò obscura; ergo fides non est perfectè virtus. Respondetur ad primũ, fidem quoad intrinseca sua prædicata eiusdem naturæ esse, sive sit adiũcta charitati, sive non; at verò quoad extrinsecam, & moralem perfectionẽ, atq; adeò quoad valorem actuum suorum, multò perfectiorem esse cum charitate: quoniam ergo perfectio virtutis exigit illam moralem perfectionem, ut suppono ex dictis materia de virtutibus, ideò fides coniuncta charitati est simpliciter virtus, nõ verò sine illa: evidentia verò licèt reperiatur in naturalibus scientijs, non est necessaria ad perfectionem virtutis fidei, cùm potiùs illi repugnet. 3.

Durand.

Dico secundò: Fides est virtus Theologica. Conclusio est S.Thomæ 1.2. q. 62. art.3. & cõmunis Doctorum: desumiturq; ex Paulo 1. ad Corinth.13. ubi numerat tres virtutes, eò quòd illę circa Deum versentur, & una est divina fides. Probatur ex locis Scripturæ, & Patrum, & ratione, quibus tract. 1. disp. 2. ostendimus, obiectum formale fidei esse Deum: cùm enim virtus Theologica sit illa, cuius obiectũ formale est Deus, manifestè constat fidem esse virtutem Theologicam; neq; obstat versari fidẽ circa obiecta creata, nam illa non sunt obiectum formale, sed materiale. 4.

S. Thom. 1. Ad Cor. 13.

Dubitabit tamen aliquis, an ut fides sit virtus Theologica, necessarium sit, semper expressè versari circa divinam authoritatem obscurè revelantem, ita 5.

ut illa per quemcumque actum fidei cognoscenda sit; an non, sed sufficiat virtualiter circa illã versari, ita ut postquàm aliquis certò novit aliquid esse dictũ à Deo, possit id credere divina fide, quamvis actu non meminerit divinã veracitatẽ. Et quidẽ hoc secundũ esse verum, nonnulli recentiores amplecti videntur, & pro se afferunt Suarez 3.p.tom.3.disp.81.sect.8.§. *Simili discursu*: in cuius fine, *Qui credit* (inquit) *articulum fidei ut revelatum à Deo, non semper actu credit, Deum esse primam veritatẽ*. Et Bañez in hac 2.2.q.1.art.1.dub.4. conc.5. quatenus ait, *nõ esse necessarium, cùm fidelis credit, ut cognoscat ipsam rationem credendi*. Suadeturq; duplici ratione. Prior est: Sæpe assensum præbet intellectus conclusioni, quin recordetur præmissarum, aut certè quin eodem actu cognoscat præmissas; ergo etiam potest quis credere fide divina, quin actu recordetur divinæ authoritatis, aut certè quin per ipsum actum fidei illam cognoscat. Antecedẽs suppono ex Logica. Consequentia probatur, quia sicut præmissæ sunt ratio formalis assentiendi conclusioni, ita divina authoritas est ratio formalis credendi; ergo non pendet magis actus fidei ab authoritate, quàm conclusio pendet à præmissis. Confirmatur, quia medium potest amari propter finem, quin eodẽ actu ametur finis; & proximus potest ex charitate diligi propter Deum, quin simul diligatur Deus; ergo veritates revelatæ possunt credi propter divinam authoritatem, quin eodem actu cognoscatur divina authoritas.

Suarez. Bañez.

6. Posterior ratio desumitur ab experientia, nec enim quoties credimus, experimur nos versari circa divinam authoritatem, imò multi fideles vix nomen divinæ authoritatis agnoverunt. Confirmatur primò, quia fidelibus indoctis consulitur, ut dicant se credere, sicut credit Ecclesia, vel sicut alij pij, & docti credunt; ergo non est necessarium immediatè, versari circa divinam authoritatem. Confirmatur secundò, quia in Scriptura cùm præcipitur nobis, ut credamus, non solet fieri mẽtio divinæ authoritatis; ergo nõ est necessariũ sẽper actũ fidei circa illã expressè versari, sed sat est implicitè, & in virtute.

7. Dico tamen tertiò: Omnino necessarium est, ut fides sit virtus Theologica, immediatè, & expressè versari quẽcumq; actum illius circa divinam authoritatem revelantem obscurè; versari (inquam) eo genere immediationis, & expressionis, qui declarabitur in fine disputationis. Cõclusio videtur colligi ex communi doctrina Theologorum, qui in tract.1.disp.2. dixerunt, divinam authoritatem esse obiectum formale fidei, id enim non posset esse verum, nisi nostra conclusio vera esset, ut ostendemus. Alensis etiam 3.p.q.75.m.6. satis clarè nobiscum consentit; ita enim scribit: *Verum increatum primò, & per se est obiectum fidei; per accidens verò, & secundariò verum creatum, prout scilicet consideratur in ipsa prima veritate*. Docet ergo, semper debere considerari primam veritatem, reliqua verò esse obiectum minùs præcipuè cognitum per fidem. Deniq; B.Thomas 1.2. q.8. art.3. corp. & ad 2. ait, eodem niet actu amari à voluntate finem, & media, prout ratione finis eliguntur; & eodem actu videri lumen, & colorem, quia lumen est ratio videndi colorem: cùm ergo secũdum eundem sanctum Doctorem, & omnes Theologos divina authoritas sit ratio formalis assentiendi rebus fidei, vnus, & idem actus, quo credimus quãlibet veritatem fidei, cognoscet simul divinam authoritatem. Nec Suarez, & Bañez suprà relati contrarium docuerunt, nam Suarez solùm ait, non requiri, ut prima veritas credatur per quemlibet actum fidei tanquam obiectum *quod*; expressè tamen addit, intellectũ niti illi veritati ut rationi assentiendi, & id tantùm nos contendimus. Bañez verò solùm negat requiri actum reflexum, quo quis cognoscat, se credere propter Dei authoritatem; non verò negat, directè tendere ad illam, ut ad motivum assentiendi.

Alexan. S.Thom.

8. Probatur conclusio primò, quia impossibile est elici ab intellectu, aut voluntate actum, qui non versetur expressè circa suam rationem formalem intrinsecam; sed ratio formalis intrinseca cuiuslibet actus fidei est divina authoritas; ergo impossibile est eli-

ci actum fidei, qui non versetur expressè circa divinam authoritatem. Consequentia est evidens. Minor patet, quia nihil aliud assignari potest, quod sit ratio formalis intrinseca fidei, veritates enim, quæ creduntur, sunt obiectum materiale, ut ex suprà dictis cõstat, nec posset fides esse Theologica virtus, si Deus non foret intrinseca ratio formalis. Maior verò simul declaratur, & probatur, nam duplex ratio formalis solet distingui: una extrinseca, quæ scilicet determinat ad eliciendum actum circa aliud obiectum formale, sicut præmissę determinant ad conclusionem; altera intrinseca, pręter quam scilicet non datur alia, quæ determinet potentiam ad operandum: quo pacto bonum dicitur esse ratio formalis intrinseca amoris, & color visionis. Et quidem quando ratio formalis est extrinseca, non necessariò cognoscitur eodem actu, quo tendimus in id, cuius est ratio formalis, & propterea, ut in Logica dicebamus, nõ cognoscuntur eodẽ actu veritates principiorum, & conclusionis; at verò quã do ratio formalis est intrinseca, non potest actus non versari expressè circa illam, sicut amor non potest non versari circa bonum, & visio parietis non potest non versari circa colorẽ, aut lumen. Et sanè id significat ipsum nomen rationis formalis intrinsecæ, quòd scilicet intrinsecum sit actui tendere in illam: cùm ergo fides non habeat aliam rationem formalem intrinsecã præter divinam authoritatem obscurè revelantem, necesse erit, semper feratur in illam.

9. Secundò probatur, quia aliqui saltẽ actus fidei expressè versantur circa divinam authoritatem, ut satis notũ est, ergo idem dicendum erit de reliquis. Patet consequentia, quia omnes actus fidei divinæ sunt eiusdem speciei; si autem aliqui haberent divinam authoritatem ut rationem formalem, in quam expressè tenderent, alij verò non; sufficiens reperiretur principiũ distinctionis essentialis inter eos, cùm de illorũ essentia esset ferri in divinam authoritatem, non verò de essentia illorum. Ex quo etiam inferretur, pertinere ad diversos habitus, cùm habituum distinctio essentialis desumatur ex essentiali actuum diversitate.

Tertiò probatur, quia cùm omnes actus fidei habeant saltem pro ratione formali extrinseca divinam authoritatem, necesse est, ut per actum aliquem sit expressè cognita divina authoritas, ut deinde virtute illius, cæteri actus fidei eliciantur innitentes Deo per illũ primum actum cognito; sic enim conclusiones pendent à medio, quod est in pręmissis & ideò necesse est, in præmissis expressè cognosci medium. Peto ergo, an actus fidei, qui non nituntur expressè in divina authoritate, sint veluti conclusiones deductæ ex illo actu, qui immediatè versatur circa divinum testimonium, aut quo pacto se habeant comparatione illius. Certè conclusiones esse non possunt, tũ quia non essent actus fidei, sed scietia Theologica, quæ in eo differt à fide, quòd hæc ex nullo infertur, Theologia verò est conclusio principiorum fidei; tum etiam, quia distinguerentur illi actus plusquam specie, pertinerentq; ad diversos habitus, sicut pertinẽt principium, & conclusio, quod est contra fidei unitatem. Si verò dicas, non esse propriè cõclusiones, certè necessariò fateri oportet, actum, qui expressè versatur circa Dei authoritatem, se habere ut rationem formalem extrinsecam comparatione aliorũ, qui expressè non versantur, nam conditio tantùm esse non potest, cùm non minùs pendeant illi actus fidei à divina authoritate cognita per alium actum, quàm conclusio dependet à præmissis. Hoc autem concedere, maximum incõmodũ est, nam primò sic non habebunt omnes actus fidei eandem rationẽ formalem, cũ ille prior actus solũ habeat divinum testimonium ut rationem formalem, alij verò habeant etiam illum primum actum ut rationem determinantẽ, sicut conclusio habet præmissas. Ex quo infertur secundò, pertinere ad diversos habitus. Tertiò illos actus nõ versantes immediatè circa Deum, non esse Theologicos, cùm immediatè non inniterentur Deo. Cùm ergo hæc sint parum consentanea veritati, & excellẽtiæ divinæ fidei, dicendum est, nullum actũ elici posse ab habitu fidei, qui non 10.

verſetur expreſſe circa divinam authoritatem obſcurè revelantem.

11. Ad primum patet ex dictis. Ad confirmationem, medium poteſt dupliciter amari, primò propter ſolam bonitatem finis, & tunc bonitas finis eſt ratio formalis intrinſeca, ac proinde debet amari eodem actu, quo eligeretur medium. Secundò propter intrinſecā bonitatem, quam habet, eò quòd ſit proportionatum conſecutioni finis, & ita amari quidē poteſt actu diverſo, quia bonitas finis non eſt tunc ratio formalis intrinſeca. Similiter nego, proximū poſſe diligi ex charitate Theologica, niſi ſimul ametur Deus, quia bonitas Dei eſt ratio formalis intrinſeca obiecti charitatis; poterit verò amari ſolus proximus alio amore minùs perfecto.

12. Ad ſecundum nego eiuſmodi experientiam, quando credimus fide divina, quamvis conſuetudo faciat, ut id non advertamus; fideles verò, qui nullam divinæ authoritatis notitiam accepiſſent, non elicerent actum fidei divinæ: credendum tamen eſt in plerisq; reperiri, quia licèt hoc nomē divinæ authoritatis ſit illis fortaſſe ignotum, non tamen res ſignificata; norūt enim, ea, quæ credunt, eſſe Dei doctrinam, revelatā à Deo, firmioremque omni fide, quę innititur teſtimonio creaturarum, & ſub his terminis ſatis intelligitur divina authoritas, prout ad fidem ſufficit.

13. Atq; in hoc ſenſu verum eſt, nec noſtræ aſſertioni contrarium, quod nonnulli affirmant, ſcilicet ſufficere ad actum fidei divinę, ſi reſpiciat authoritatem Dei implicitè, id eſt, prout continetur formaliter, & intrinſecè in alio, licèt illud non explicetur, ut in terminis proximè adductis non explicatur. Nos enim ſolùm contendimus, non ſufficere ad divinam fidem, reſpicere authoritatem Dei tāquam motivum extrinſecū eo modo, quo medium eſt ratio formalis extrinſeca aſſentiendi cōcluſioni, & id tantū probant argumenta adducta. Et in eiuſdem veritatis cōfirmationem facit, quod in materia de charitate, ſeu in controverſia 3. huius 2.2. tract. 1. dicemus, ſcilicet cùm quis amat explicitè bonitatem ſapientię divinæ, elicere actum eiuſdem ſpeciei cū illo, qui explicitè amat eſſentiæ divinæ bonitatē, quia ille prior actus implicitè fertur ad bonitatem eſſentiæ, quæ charitatem ſpecificat, nec ex modo tendēdi illā excludit; ſecus eſt de viſione beata, qua ſolùm videretur explicitè unū attributum, illa enim ex ſuo modo tendendi excluderet à ratione motivi formalis ipſam eſſentiam, & ideò differret eſſētialiter à viſione, quæ modò datur, & quæ habet eſſentiā divinam pro motivo. Vnde patet ad primam confirmationem, ſub illis enim terminis continetur authoritas divina, quia cùm docti, & pij propter illam credant, conſequēter etiam credit, qui fidem ſuam refert ad illos, accedente præſertim divina illuſtratione, ut aſſenſus evadat omnino certus, & ſupernaturalis.

Ad ſecundā confirmationē, in Scriptura non ſemel docemur, fidem noſtrā inniti Deo, ut patet ex adductis tract. 1 diſp. 2. non verò neceſſarium eſt ſemper id expreſſè doceri in divinis eloquijs. 14.

DISPVT. III.

Vtrùm habitus ſupernaturalis fidei ſit una virtus? Vbi an omnes actus illius ſint æquè certi.

DICO primò: Habitus ſupernaturalis fidei eſt unus ſpecie in omnibus, & ſingulis fidelibus. Ita B. Thomas art. 6. Caietanus, & 1. S. Thom.
Iuniores, Valencia q. 4. punct. 6. Scotus Caietan.
in fine diſt. 25. & communis Doctorū. Scotus.
Probatur ratione S. Thomę: Vnitas ſpecifica habitus ſupernaturalis ſumitur Valenc.
ab obiecto formali, ſed unicum eſt obiectū formale habitus fidei, ſive qui in ſingulis hominibus reperitur, ſive qui invenitur in omnibus, ergo habitus ſupernaturalis fidei eſt unus ſpecie. Atq; huc ſpectat illud Paul. ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma*: ubi præcipuè contendit Apoſtolus, eiuſdē naturæ eſſe fidem, quæ in uno, & quę in reliquis hominibus reperitur. S. Auguſtinus etiam tom. 3. lib. 13. de Trinitate cap. 2. ait, *Fidem non eſſe unam numero, ſed* Ad Eph. 4 S. Auguſt.

genere,

genere. Vbi nomine unitatis genericæ sine dubio intellexit specificam, cùm illã opponat unitati numericæ, & non alteri.

2. Sed obijcies primò: Habitus fidei est practicus, & speculativus, ergo non est unus specie. Patet consequẽtia, quia istæ sunt differentiæ essentiales habituum. Antecedens probatur, quia elicit actus speculativos, ut cùm credimus Deum esse trinum, Verbum Dei fuisse indutum humanitate nostra; & etiam practicos, ut cùm credimus, peccatum esse fugiendum, &c. Respondetur, antecedens esse verum, ut inter alios docuerunt B. Thomas artic. 2. ad 3. ubi Caietanus, & Bañez; Valencia q. 4. punct. 2. & Molina 1. par. quæst. 1. art. 4. disp. 2. Neganda verò est consequẽtia, quia, ut in Logica dicebamus, practicum, & speculativum non sunt differentiȩ essentiales, quando habent idem obiectum formale; constat autem obiectum formale omnium actuum fidei esse divinam authoritatem. Adverto tamen, quidquid velit Rhicardus dist. 23. art. 6. quæst. 2. præcipuè dicendum esse habitum fidei speculativũ, ut vult B. Thomas, quia obiectum formale illius nõ est quid operabile, & ipse Deus est obiectum materiale præcipuum; de Deo autem non habetur cognitio practica, sed speculativa. Vtrùm autem fides dicenda sit practica, & speculativa eminenter, an potiùs formaliter, ferè spectat ad modum loquendi. Caietanus, & Valencia dicunt esse eminenter, Bañez verò utitur distinctione. Ego quidem formaliter practicam, & speculativam appellarem, quia verè elicit actus, quibus formaliter, & proprissimè conveniunt rationes speculationis, & praxis.

S. Thom. Caietan. Bañez. Valenc. Molin. Rhicar.

3. Obijcies secundò: Habitus fidei inclinat ad actus specie distinctos; ergo non est unius speciei. Patet consequentia, quia unus habitus solùm efficit actus unius rationis formalis, & eiusdem naturæ. Antecedẽs verò probatur, quia secundum sententiã Molinæ suprà art. 1. disp. 1. §. *Porrò*, fides non solùm inclinat ad actus obscuros, sed etiã ad actũ evidenté, quo cognoscimus Deum existere. Respõdetur negando antecedẽs, & probationem eius, quia fides solùm elicit actus circa divinam authoritatẽ obscurè revelantem, ut satis ex dictis in hac materia colligi potest.

Obijcies tertiò: Inter actus fidei quidã sunt alijs perfectiores, certiores, & intensiores, ergo nõ sunt omnes eiusdẽ naturæ, ac proinde non elicientur ab habitu unius speciei. Antecedens probatur: & primò certũ est, in uno, & diversis hominibus esse act⁹ fidei magis, aut minùs intensos. Secũdò, illi actus fidei, qui habẽt perfectius obiectũ materiale, videntur perfectiores: quis enim neget, actũ, quo credimus mysteriũ Trinitatis, habere aliquid perfectius, quàm aliũ, quo credimus Lazarum surrexisse. Similiter actus fidei in Angelo perfectior est, quàm in homine; cùm enim Angelus intelligat Deum, & alia obiecta perfectiùs, quàm homo, perfectiorẽ eliciet actũ fidei circa illa. Ex quo fit tertio, actus fidei esse inæqualis certitudinis, nã certitudo est intrinseca natura actus fidei; ergo ille, qui est magis perfectus, est magis certus. Et sane non videtur negari posse, eũ, qui meliùs cognoscit infallibilitatẽ divinæ authoritatis, firmiùs credere. 4.

Respondetur, licèt doctrina antecedentis vera sit, nihil adhuc inferri cõtra nostrã conclusionẽ, hæc enim inæqualitas actuũ fidei solũ est materialis intra eandẽ rationẽ specificam, cùm omnes prædicti actus sint supernaturales, & versentur circa idẽ obiectũ formale. In speciali verò concedo, inter actus fidei esse inæqualitatẽ non solùm intẽsionis, sed etiã perfectionis materialis, ut bene probat obiectio. Quod verò attinet ad certitudinẽ, Vega 9. in Trident. cap. 3. ait, omnes actus fidei esse æquè certos; desumiturq; ex Scoto in 4. dist. 10. q. 8. concl. 3. ubi ait, æquè pertinere ad fidẽ credere unum articulum, sicut & alterum. Quæ doctrina vera est loquendo de æqualitate specifica. Existimo tamen, intra latitudinem differentiæ numeralis posse fidem unius esse firmiorẽ fide alterius, propter rationes factas: & id docet B. Thomas infrà q. 5. art. 4. corp. dicens, posse fidem in aliquo esse maiorem propter maiorem certitudinem, & firmitatem. 5.

Vega. Scot. S. Thom.

6. Dico secundo: Habitus fidei non est unus numero. Ita S. Augustinus, S. Thomas, & Valencia suprà. Probatur, tum quia in diversis subiectis non potest esse eadē numero fides; tum etiā quia qui semel amitteret fidem, & illam postea recuperaret, non haberet eundem numero habitum, sed alium realiter distinctum.

S. August. S. Thom. Valenc.

DISPVT. IIII.

Quem locum obtineat habitus fidei inter virtutes, quoad perfectionem, & certitudinem.



1. DICO primò: Habitus fidei est imperfectior charitate, sed perfectior spe, & omnibus virtutibus moralibus, & intellectualibus. Prior pars est de fide, ut patet ex Paulo 1. Corint. 13. ubi ait, charitatem esse fide, & spe nobiliorem; probabiturq; à nobis in tract. 1. materię de Charitate. Vnde cùm Nicolaus I. to. 3. Concil. respondens ad consulta Bulgarorū cap. 1. dixit, *Fidem esse primam virtutum*, non locutus est de primatu perfectionis, sed infusionis, & ordinis. Deinde fidem esse nobiliorem spe, ostendemus in controversia de Spe, tract. 1. disp. 6. Deniq; virtutes aliæ, sive naturales, sive supernaturales sint, non habent pro obiecto Deū immediatè revelantē: cùm ergo potissima excellentia virtutū supernaturaliū ex formali obiecto desumatur, fides profectò longè nobilior est; quāvis in aliquibus possit aliquantulum ab alijs excedi; sic enim virtutes intellectuales, ut sciētia, & sapiētia, habēt evidentiā, quæ in divina fide non invenitur.

1. Ad Corinth. 13. Nicol. I.

2. Quod verò attinet ad comparationem certitudinis fidei cum certitudine aliorum habituū intellectualium, difficultas est, an fides sit illis certior, an minùs certa. Et quidē fides excedit omnem opinionem, & fidem humanā, cùm nulla in eis sit certitudo; exceditur verò à visione beata, ut S. Bonavētura referēdus docet: imò & ab aliquibus saltem ex scientijs per se infusis, quas habet anima Christi Dñi, aut habere possūt alij homines ex speciali privilegio. De quo 3. p. quæst. 11. Solùm ergo comparatur fides cum sciētijs naturalibus, & donis supernaturalibus intellectus, scientiæ, & sapientiæ.

S. Bonav.

Durandus in 3. dist. 23. q. 7. n. 10. existimat, multos habitus scientificos esse in nobis absolutè certiores fide divina. 3. Probat primò, quia habitus scientifici habent certitudinem evidentiæ, & certitudinem adhæsionis, quæ est propria fidei; sed fides non habet certitudinem evidentiæ; ergo. Secundo, quia illud est certius, quod minus habet dubitationis admixtum; sed habitus sciētiæ minus habent dubitationis admixtū, quàm fides; ergo. Minor patet, quia de rebus sciētia cognitis non solet unquam dubitari ab habente scientiā; at vero de rebus fidei sunt in hominibus fidelibus primi dubitationum motus. Tertiò, quia visio beata est certior fide, quia licèt habeant idem obiectum, scilicet Deum, visio habet certiorem cognoscendi modum; ergo sciētia, quæ habetur in hac vita de Deo, erit certior fide, quia licèt habeant idem obiectū, firmior tamen est modus procedendi, quem habet scientia.

Duran.

Dico tamen secundò: Habitus fidei est absolutè certior omni scientia naturali, & donis supernaturalibus Spiritus sancti. Ita B. Thomas, Caietanus, & Bañez art. 8. Valencia q. 4. punct. 8. S. Bonaventura in 3. dist. 23. art. 1. q. 4. Rhicardus art. 7. q. 1. Gabriel quæst. 2. art. 1. & alij. Probatur primò testimonijs Sanctorū Patrum: Sanctus enim Chrysostomus homil. 21. in epist. ad Hebr. *Si de ijs* (inquit) *quæ non cadūt sub aspectū, non apertiùs fuerit quispiā persuasus, quàm de ijs, quæ videntur, non potest esse fides.* Rhicardus de S. Victore lib. 1. de Trinitate cap. 2. *Quotquot* (inquit) *veraciter fideles sumus, nihil certiùs, nihil constantiùs tenemus, quàm quod fide apprehendimus.* Et ideò S. Nazianzenus oratione 34. n. 67. dixit, *Fidem potiùs, quàm rationem esse sequendam ut ducem.* 4.

S. Thom. Caietan. Bañez. Valenc. S. Bonav. Rhicar. Gabr. S. Chrysost. Rhicard. S. Nazian.

Secundò probatur ratione, quia certitudo essentialis actibus intellectus 5.

præcipuè

præcipuè sumitur ab obiecto formali, seu ratione determinante ad assensum; sed ratio determinãs ad assensum fidei est divina authoritas, qua nihil potest esse infallibilius, cæteræ verò cognitiones non habent motivum adeo certũ; ergo fides certior est. Maior patet, quia sicut ab obiecto formali desumitur species actus, ita & illius præcipua certitudo. Minor probatur, quia nulla alia cognitio ex illis, quas habemus in via, innititur Deo ut rationi formali assentiendi, sed alicui rei creatæ, vel aliquibus præmissis, ex quibus inferatur. Confirmatur, & declaratur hoc ampliùs, quia si comparetur fides supernaturalis cum donis intellectus, sapiẽtiæ, & scientiæ, necessario invenietur certior hęc enim dona solùm versantur circa rationes creatas ut circa obiectũ formale, iuxta dicta in 1. 2. controv. 5. tract. 2. ac proinde non habent principium tantæ certitudinis: si vero comparetur cum scientijs naturalibus evidentibus, præterquamquod illæ non innituntur nisi discursui, vel rationi creatæ, tanquam medio, habent etiam aliud, in quo exceduntur à fide: sunt nimirum entitates naturales, cognitio autem supernaturalis ex ratione sua affert maiorem certitudinem, cum sit ordinis elevatioris, & procedat à Deo ut à causa particulari, qui cum sit summa veritas, non potest esse causa illius falsitatis.

6. Dico tertiò: Habitus evidentes, etiam si sint naturales, possunt dici secũdum quid, seu quoad nos magis certi, quàm habitus fidei. Ita B. Thomas, Rhicardus, S. Bonaventura, Valencia, & Bañez suprà. Vt autem intelligatur, & probetur conclusio, adverto, cũ dicitur habitus fidei minùs certus quoad nos, nõ esse ita intelligẽdũ, quasi minùs certi reddamur de veritatibus fidei, cũ illas credimus, quã de veritatibus, quæ in scientijs cognoscũtur evidenter: id enim falsum est, & conclusione præcedente reiectum. Sensus ergo est, habitum fidei esse de rebus, quæ cognoscuntur per medium minùs proportionatum intellectui nostro, & quod est supra naturales vires, & præter modũ, quo solet intellectus reddi certus de aliqua veritate, nempe per evidentiam: ex quo etiam provenit, ut interdum occurrant primi motus dubitationum circa fidem, qui non occurrunt circa obiectum evidens, id enim non est signum maioris certitudinis absolutè, sed solùm certitudinis magis proportionatæ limitato modo cognoscendi mentis nostræ, ut egregie notavit S. Thomas ad primum. S.Thom.

7. Ad primum respondetur, certitudinem esse quid distinctum ab evidentia, unde licèt scientia habeat certitudinẽ evidentiæ coniunctam, potest adhuc certitudo fidei esse maior. Ad secundũ patet ex dictis. Ad tertium concesso antecedente nego consequentiam, quia sciẽtia naturalis non innititur motivo æque infallibili, ac est illud, cui innititur fides divina: at vero visio beata habet obiectum formale Deum, & aliunde est evidens, & fertur ad divinam essentiam, prout est in se; quæ omnia satis indicant maiorem firmitatẽ, quàm sit certitudo fidei.

8. Sed urgebis: Ergo scientia per se infusa animæ Christi Domini, licet sit evidentissima, erit minus certa, quam fides; quod est contra supra dicta. sed inferri probatur, quia illa scientia non habet pro motivo divinam authoritatẽ, cum non sit fides; nec divinam essentia, cũ non sit visio beata. Respondetur negando consequentiam: cuius probatio non urget, nam primùm inter scientias infusas animæ Christi Dñi quædã habet pro obiecto formali divinam authoritatem, non obscure, sed clare loquentem; & ex hoc capite adæquat fidem quæ tendit ad authoritatem Dei; & excedit illam, quia tendit ad Deum clare loquentem. Deinde licèt dentur aliquæ scientiæ infusæ non habentes Deum, sed creaturas pro obiecto formali, ut dicetur in materia de Incarnatione 3. par. quæst. 11. nihilominus certiores sunt, quàm fides, quia excessus, quem fides habet ratione divinæ authoritatis, in quam tendit ut in obiectum formale, compensatur à nobilissimo modo tendendi prædictarum scientiarum; sunt enim non solùm supernaturales, sed etiam intuitivæ, & comprehensivæ, quod non habet fides,

nec alię scientiæ, aut habitus evidētes, quos propterea diximus excedi à fide, quæ nimirū habet pro obiecto formali Deum, quem illi non habent, & aliunde in istis nihil est, quod istum excessum suppleat.

DISPVTATIO V.

Vtrùm habitus supernaturalis fidei semper comitetur gratiam? Vbi de fide formata, & informi.

1. *Lutheran.* VT deveniamus ad propriā huius disputationis difficultatem, præmittendum est, Lutheranos præcipue intelligere nomine fidei fiduciam quādam, qua sibi fideles remissa esse peccata confidunt, & hanc esse fidem iustificantem, quæ proinde nunquam potest esse sine gratia. Nos autem ut certum statuimus, fidem, de qua in quamplurimis Scripturæ locis agitur, non esse vanam istam hæreticorum fiduciam, sed virtutem inclinantē ad assentiendū ijs, quæ à Deo revelata sunt. Id, quod satis colligitur ex locis Scripturæ, & Patrum adductis in hac materia, inter quos non infimum locum obtinet caput undecimum epistolæ ad Hebræos, ut patet ex adductis disputatione 1. Præterea videri possunt caput quartum epistolæ ad Romanos, ubi agitur de fide Abrahæ: caput decimum tertium primæ ad Corinthios, ubi distinguitur fides ab spe, atque adeo à fiducia, cum alijs innumeris.

2. Deinde certum est, solam fidem hāc non esse sufficientem ad iustificationem, nisi simul infundatur gratia, ad quam adultus disponitur medijs actibus charitatis, pœnitentiæ, &c. quæ omnia latè tractantur à Cardinali Bellarmino lib. 1. de iustificatione à cap. 3. Sandero lib. 3. de fiducia, seu speciali fide, & multis alijs. In materia autem de gratia, seu in 1.2. controversia 8. tract. 9. ostendi, neque istam fiduciam Lutheranorum esse alicuius momenti ad iustificationem, neque solam fidem in acceptione, in qua a nobis sumitur in hac materia, sufficere ad iustificationem. Vbi etiam, an, & quatenus tribuatur illi iustificatio, & cur dicatur fundamentum iustificationis. Modò ergo solùm disputamus, utrùm habitus, & consequenter actus fidei esse possint sine gratia, aut sine illa infundi, nam quod quoties datur gratia, detur etiam habitus fidei, si anteà infusus non erat, nemo dubitat. *Bellarmi.* *Sanderus.*

Dico primò: Licèt aliquis amittat gratiam, non statim amittit habitum fidei, & potiori iure non est necessarium, ut amittat actus fidei. Conclusio est B. Thomæ artic. 4. & Doctorum omnium cum Magistro in 3. distinc. 23. Et quidem absolutè loquendo posse esse fidem sine gratia, & charitate, est dogma fidei, quod egregiè probant Bellarminus tom. 3. lib. 1. de iustificatione cap. 15. & Valencia quæstione 4. punct. 4. Probatur primò ex Scriptura. Ioannis 12. *Multi ex princip. bus crediderunt in eum*, (scilicet in Christū Dominum) *sed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* Vbi manifestè agitur de vera fide, quæ per illam phrasim, *credere in Christum*, significatur, ut patet ex toto illo capite; & tamen erat sine charitate. Vbi Maldonatus versu 42. rectè notat hunc locum contra hæreticos. Et Iacobi 2. ex professo docemur, fidem sine operibus esse posse, sed non sufficere ad salutem. Secundò id definitur à Tridentino sessione 6. can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, anathema sit.* Tertiò hæc est communis doctrina Sanctorum, nam S. Augustinus tom. 3. lib. 15. de Trinitate cap. 18. *Fides* (inquit) *sine charitate potest esse, sed non prodesse.* Et S. Ambrosius lib. 9. Epistolarum epist. 47. licèt fateatur, eum, qui habet omnem fidem, id est, fidem in statu perfecto, habere etiam charitatē, expressè tamen addit, posse esse fidem sine illa; hæc enim scribit, 3. *S. Thom.* *Magister.* *Bellarmi.* *Valencia.* *Ioan. 12.* *Maldona.* *Iacob. 2.* *Tridentin.* *S. August.* *S. Ambr.*

Fides

Fides velut prævia charitatis, occupat animam, & præparat semitas venturæ dilectioni. Videantur alia in Doctoribus citatis. Quartò tandem ratio est manifesta, nam rectè potest quis assensum præbere rebus fidei, licèt non servet omnia divina præcepta, alioqui omnis, qui læthaliter peccat, eò ipsò foret hæreticus.

4. Sed obijcies illud Pauli 1. ad Timoth. 5. *Qui suorum, maximè domesticorum, curã non habet, fidem negavit:* ergo fides non permanet in eo, qui peccat non curando de domesticis suis. Et Ioan. 6. ait Christus Dñs: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt:* quod ex contextu patet dictum esse de Iuda, qui eum traditurus erat; ergo Iudas ratione sui peccati amisit fidem, & tamen peccatum hoc nõ videtur fuisse infidelitatis. Respondet Bellarminus ex S. Chrysostomo, & alijs, in priori loco non esse sermonem de negatione fidei, qualem habet hæreticus, sed de negatione quasi in actu exercito, seu in operibus, quatenus qui credit se teneri curare de suis, & re ipsa non curat, videtur opere ipso ita se habere, ac si negaret, quod credit; non tamen propterea amittit fidem. In posteriori ait, Iudam amisisse fidem, non ratione proditionis Christi Domini, sed quia non credidit mysterium Eucharistiæ, aut quid aliud: & Maldonatus in cap. 6. Ioan. ver. 64. ait, credibile esse, Iudam fuisse unum ex non credentibus.

1. Ad Timoth. 5. *Ioan. 6.* *Bellarmi.* *Maldon.*

5. Superest tamen difficultas circa cõclusionem, an hæc doctrina intelligenda sit de habitu fidei, nam saltem de actu omnino certa est. Respondetur, licèt non in eodem gradu certitudinis, tamen sine dubio etiam intelligendã esse de habitu fidei, & oppositum esse proximum errori, ut affirmat Bañez ad artic. 4. concl. 2. Nam primò ea est cõmunis Theologorum sententia contra hæreticos. Secundò, loci Scripturæ, Tridentini, & Sanctorum Patrum sine distinctione habitus, & actus affirmant, posse esse fidẽ in peccatore; ergo cùm aliunde sit omnino certum dari habitũ fidei, certum etiam erit illum non destrui per quodcumq; peccatũ mortale. Terriò, quia multi sunt Catholici etiã sine gratia; ergo debent habere formam, qua tales constituantur; ea autẽ non potest esse solus actus fidei, quia non semper illum eliciunt; erit ergo habitus. Deniq; non est ratio, cur iste habitus non perseveret, cùm sit ordinatus ad eliciendos actus fidei, qui sunt fundamentum spiritalis ædificij.

Bañez.

6. Ex his patet, optimam esse divisionem fidei in informem, & formatam, quam probat cõmunis Theologorum consensus, licèt insultent Calvinus, & Lutherus, quos refert, & refellit Valẽcia suprà: fides enim formata appellatur illa, quæ est simul cum charitate, eò quod ista sit forma virtutum, ut suprà supponebamus; fides vero informis dicitur illa, quæ reperitur in peccatore non hæretico. Vnde fit, interdum in Scriptura tribui iustificationem fidei, & quia id non potest intelligi de fide informi, intelligendum esse de fide formata; nam ut ex alijs locis apertè constat, fides informis reperiri solet in peccatoribus.

Calvin. *Luther.*

7. Sed ex hoc suboritur altera difficultas, ân idemmet sit habitus fidei formatæ, & informis. Magister distinct. 23 dixit, posse absq; periculo defendi, non esse eumdem habitum. Certa tamen est sententia communis B. Thomæ artic. 4. & ipsius Magistri, scilicet eumdem habitum esse. Et quidem quòd sit idem specie, satis constat ex adductis, alioqui non diceretur absolutè manere fides in peccatore; & Bañez asserit oppositum esse errori proximum: quòd verò sit idem numero, docet Valencia esse adeo verum, ut oppositum sit temerarium; videtur enim planè contra cõmunem Doctorum, & contra apertã rationem, nam cùm charitas sit quid extrinsecum fidei, nullo modo variatur intrinseca natura illius, etiam quoad numeralem differentiam, eò quòd à gratia separetur, vel cum illa coniũgatur. Vide inter alios Rhicardum dist. 23. artic. 5. quæst 3.

Magist. *S. Thom.* *Bañez.* *Valencia.* *Rhicard.*

8. Dices, fidem cum charitate esse vivam, & sine illa mortuam, iuxta illud Iacobi 2. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa:* quam locutionem imitantur S. Cyrillus tom. 2. Concilij Ephesini in appendice cap. 6. initio,

Iacob. 2. *S. Cyril.*

Conc. Tol. initio, & Concilium Toletanum octavum initio: sed res viva, & mortua sunt essentialiter distincta; ergo. Respondetur, eiusmodi locutiones non esse ita rigorosè intelligendas, ut in rebus naturalibus intelliguntur; homo enim dicitur mortuus ratione formæ substantialis intrinsecæ, quam quia non habet homo vivus, absolutè est distinctus essentialiter à vivo; at vero fides non dicitur viva, aut mortua nisi ratione extrinsecæ formæ, scilicet charitatis, & ita in conceptu suo essentiali eadem manet, sicut etiam eadem est columna, sive dicatur dextra à dexteritate animalis, sive dicatur sinistra.

9. Dico secundo: Habitus fidei supernaturalis potest infûdi adulto, qui denuò converteretur ad fidem, quamvis non infundantur gratia, & habitus charitatis; idq; sive cùm accedit ad Baptismum, sive cùm ante Baptismû credit. Conclusio est contra Vegam 7. in Trident cap. 28. & ex parte contra Sotum, qui 2. de natura & gratia cap 8. dixit, habitum fidei posse quidem in Baptismo infundi sine gratia, sed non extra illum. Nobiscum tamê sentiunt B. Thomas inf. à q 6. art. 2. ad 3 ubi non distinguit inter eum, qui baptizatur, aut ante Baptismum credit, & ibidem Caietanus, in utroq; eventu concedens infundi fidei habitum. Turrianus disp. 41. dub. 9. Valencia q. 6. p. 2. hoc reputat probabilius, licèt dicat, oppositum esse probabile. Optimè etiam Bañez q. 6. art. 2. dub. de hac re, explicat nostrâ conclusionem, & eam probat testimonio S. Augustini: quod tamen non est omnino urgens.

Vega. Sotus. S. Thom. Caietan. Turrian. Valencia. Bañez.

10. Probatur brevi ratione: Habitus fidei manet in peccatore destructa gratia, ergo potest illi infundi, priusquam infundatur gratia. Antecedês constat ex conclus. 1. Consequentiam probo, quia eò ipsò quòd manere possit sine gratia, non pendet in suo esse ab illa, sed solùm requirit actum fidei ut dispositionem, qua posita infûditur cùm ergo certum sit posse hominem credere, antequàm doleat de peccatis, & disponatur ad gratiam, iuxta doctrinam Tridentini sess. 6. ubi actum fidei annumerat dispositionibus prævijs ad gratiam, negari non potest habere sufficientem dispositionem, ut illi infundatur habitus fidei. Confirmatur, quia qui denuò côvertitur ad fidem, potest priùs esse membrum Ecclesiæ, quàm sit in gratia; sed habitus fidei est forma Ecclesiæ, ut patet ex suprà dictis; ergo potest habitus fidei infundi sine gratia. Maior patet, quia hoc, quod est pertinere ad Ecclesiam, non necessariò petit, hominem esse iustum.

Trident.

Sed obijcies Tridêtinum sess. 6. cap. 7. ubi sic ait: *In iustificatione cû remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatê.* ergo ante iustificationem non potest accipere fidem. Respondetur tamen primò, sensû esse, quòd per se loquendo infundûtur hæc omnia simul, scilicet si homo disponatur simul ad fidem, & charitatem; si verò per accidens eveniat, ut priùs homo eliciat actum fidei, ac proinde priùs dispositus sit ad fidem, non est incommodum, si priùs infundatur. Secûdo, fortasse illa particula *simul* solùm significat, hæc omnia nullo excepto infundi, licèt priùs possit infundi fides: sicut etiam illud Ecclesiastici 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*, significat creasse omnia nullo excepto, licèt priùs creaverit unum, quàm aliud. 11. Trident. Eccles. 18.

DISPVT. VI.

Vtrùm habitus fidei supernaturalis sit in intellectu? Vbi de habitu piæ affectionis, & iudicij illam præcedentis.

DICO primò: Habitus fidei supernaturalis est in intellectu, & illi correspôdet alius supernaturalis in voluntate ad eliciendû actum piæ affectionis. Prior assertionis pars est omnino certa, & communis, nam actus fidei pertinet ad intellectû, ac proinde habitus determinans ad illum eliciendum non potest in alia facultate subiectari. Posteriorem verò 1.

par-

S. Thom. S. Bonav. Rhicar. Molina. Lorca. Caietan. partem docet S. Thomas art. 2. S. Bonaventura dist. 23. art. 1. q. 2. Rhicardus art. 6. quæst. 1. eam refert ut doctrinam multorũ, & approbare videtur. Molina etiam in Concordia disp. 8. Lorca disp. 25. & alij id ipsum fatentur. Vnde immeritò Caietanus hic quæst. 4. artic. 2. dub. 2. ad 1. admittere videtur, posse hominem credere sine habitu residente in voluntate; quamvis addat, ut ille actus fidei studiosus sit, debere procedere ex habitu charitatis, qui est forma virtutum; ut enim patebit, rationes æquè probant requiri habitum piæ affectionis, sive habeat charitatem, sive non.

2. Probatur ergo posterior pars conclusionis, quia ad eliciendum actum fidei infunditur habitus in intellectu, ergo ad illum imperandum infunditur alius habitus supernaturalis in voluntate. Patet consequentia, quia necessitas constituendi habitum in intellectu, provenit ex eo, quòd actus fidei sit supernaturalis, & non semel, aut iterum, sed frequẽter à nobis elici possit; sed istud voluntatis imperium est etiam supernaturale, & non minùs frequenter elicitur, quàm actus fidei, cùm uterq; actus sit semper coniunctus; ergo etiam infundetur habitus ad eiusmodi imperiũ. Ex quo etiam infertur, habitum piæ affectionis esse posse sine gratia, & infundi sine illa, non minùs, quàm habitum fidei; nam cùm uterque actus sit mutuo inseparabilis, & quasi integrè constituat fidem, nulla ratio suadere potest, habitum fidei esse sine gratia, quæ id ipsum non probet de habitu piæ affectionis. Infunduntur ergo simul tempore, & quodammodò etiam simul natura; nam sicut nullus potest credere, quin habeat prædictum imperium, nec potest efficaciter velle credere, quin re ipsa credat; ita non potest infundi habitus ad unum actũ eliciendum, quin infundatur ad utrumque.


3. Dico secundò: Deus infundit etiam habitum supernaturalem ad eliciẽdum iudicium supernaturale præcedens piã affectionem, potestq; iste habitus esse sine gratia, non tamen infunditur sine habitu fidei. Non habemus Doctores, qui expresserint hanc conclusionẽ: sed colligi potest ex asserentibus, istud iudiciũ esse supernaturale, & semper requiri ad credendum. Prima pars conclusionis probatur generali ratione, nã ad omne iudiciũ supernaturale, quod potest à nobis frequenter elici, infundit Deus habitum supernaturalem; sed eiusmodi est istud iudicium, ergo. Maior patet, tum quia talis habitus requiritur, ut evehat intellectũ ad actus, qui superant vires naturæ; tum quia non ob aliam rationem infunditur habitus prudentiæ supernaturalis. Secunda pars probatur, quia iste habitus omninò proportionatur habitui piæ affectionis, cùm illud iudicium ordinetur ad dirigendũ actũ piæ affectionis; ergo sicut iste conficitur sine gratia habituali, & habet habitũ ab illa independentẽ, ita istud iudiciũ habebit habitũ, qui infundi, & cõservari possit sine gratia. Tertia deniq; pars suadetur, quia cũ istud iudicium elici possit priùs natura, & tempore, quàm homo velit credere; imò licèt nõ velit credere, si statim ante fidem infunderet Deus illius habitum, daretur aliqua virtus, seu habitus studiosus prior quàm habitus fidei; imò qui reperiretur in homine infideli: quod tamen nõ est dicendum; cùm fides sit prima virtutũ ordine infusionis, ut docet B. Thomas art. 7. quia scilicet nulla infunditur prior. Confirmaturq; potest authoritate B. Ambrosij, qui lib. 1. de Sacramẽtis cap. 1. *In Christiano* (inquit) *viro prima est fides*. Et in id Psal. 118. *Principium verborum tuorum veritas*: *Fides* (inquit) *principium Christiani est*. Quam proinde meritò vocat radicem virtutum omnium lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. Pro quo etiam faciũt, quę ex Patribus attulimus in præfatione huius materiæ. S. Thom. S. Ambr.

4. Sed obijcies: Cùm primùm quis elicit actum supernaturalem, statim illi infunditur habitus; sed istud iudiciũ potest elici ante fidem; ergo infundetur habitus ante illam. Confirmatur, quia saltem non priùs infunditur habitus fidei, quàm habitus ad istud iudiciũ; ergo non est dicenda fides prior quàm iste habitus. Respondetur negãdo maiorem: licèt enim aliquis eliciat actum supernaturalem patientiæ aut pruden-

tiæ, cum perseverat in peccato mortali, non infunditur illi habitus supernaturalis patientiæ, aut prudentiæ, donec infundatur gratia; eodem ergo modo non infunditur habitus istius iudicij ante infusionem fidei. Ad confirmationem, supposita doctrina nostræ conclusionis, quòd iste habitus non infundatur nisi simul cum fide, non reputatur pro virtute distincta à fide, sed pro quodam quasi complemento illius; sicut etiam dicitur de habitu piæ affectionis: unde cùm dicitur fides prima virtutum, non comparatur aliquis ex his tribus habitibus cum alijs duobus, sed omnes nomine unius fidei intelliguntur; & cùm hæc non pendeat per se a reliquis virtutibus, sed possit esse sine illis, dicitur prima omnium. Et eodem sensu dixit *S. Syxtus.* S. Syxtus Papa I. in epistola 1. *Fides omnes actus hominis præcedere debet*. Nomine enim fidei significavit actus etiam intellectus, & voluntatis fidem præcedentes, ut dispositio ad illam. Si vero habitus illius iudicij infunderetur priùs, & reperiretur in infideli, meritò diceretur quasi virtus distincta, & prior fide.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm simul cum habitu fidei infundat Deus aliquas supernaturales species rerum, quæ creduntur?

1. VPpono, potuisse à Deo infundi hominibus supernaturales species, ut crederent mysteria fidei independenter à phantasmatibus, seu à concursu sensuum internorum, & externorum; in hoc enim nulla potest inveniri sufficiens ratio impossibilitatis; & ita *Suarez.* Suarez 3. p. to. 2 disp. 19. sect. 3. concl. 1. constituit in anima B. Virginis Mariæ species per se infusas, quibus crederet divina mysteria absque sensuum cooperatione. Difficultas ergo est, supposito modo operandi nostri intellectus cũ dependentia à sensibus, quam experimur, etiam cùm credimus fide supernaturali, an scilicet ad eiusmodi actus eliciendos infundat Deus species supernaturales.

Et quidem in Doctoribus antiquis vix invenimus tactam istam quæstionem, 2. nam licèt B. Thomas infrà ubi *S. Thom.* tractat de Prophetia, mentionem faciat *Suarez.* specierum divinitus acceptarum, *Vazquez.* tamen nec eas constituit ad omnes ac- *AEgid.* tus fidei, nec semper videtur exigere *Cabrera.* species supernaturales etiam ad actus Prophetiæ. Vnde in q. 173. art. 2. & 3. ait, *Non semper infundi novas species Prophetis, & Deum uti speciebus, quæ iã erant præacceptæ.* In eodẽ verò art. 3. corp. affirmat, interdum aliquid repræsentari menti Prophetæ medijs speciebus sensibilibus ad hunc finem formatis divinitus. Quare non potest ex doctrina B. Thomæ manifesto colligi, quid senserit de necessitate specierum infusarum ad actus fidei, de quibus nos loquimur, omittendo ea quæ spectant ad Prophetiam, quæ forte non semper differt essentialiter à fide, & qui defenderet dari species infusas ad fidem, facilè diceret, B. Thomam eas non semper posuisse in Prophetis, quia non semper actus Prophetæ est actus fidei; & sicut non semper procedit ab habitu, ut docet idem B. Thomas, ita potest non procedere ab speciebus infusis: quare quidquid dixerimus, non erit contra sanctum Doctorem.

Ex recentioribus verò multi negant 3. infundi à Deo supernaturales species ad credẽdum, sed sufficere naturales, quæ generantur, cùm quis audit, aut legit veritates nostræ fidei. Sic Bañez 1. p. q. 88 art. 3 Suarez lib 2. de attrib. ca. 15. n. 9. Vazquez 1. p. to. 1. dis. 43. c. 5. n. 21. AEgid. to. 2. lib. 11. q. 8. art. 6. §. 2. n. 13. Cabrera 3. p. q. 11. art. 6. disp 1 ad 3. *Bañez.* & disp. 6. n. 27 & alij: quamvis fere omnes, aut omnes relati rẽ tractent obiter omnino. Potissimũ huius sẽtẽtiæ fundamentũ est eiusmodi: Si Deus simul cum habitu fidei infunderet supernaturales species, cùm puer in infantia baptizatus perveniret ad usum rationis posset credere mysteria fidei, quin ab aliquo edoceretur: consequens est falsum, &

contra manifestam experientiam; ergo & antecedens. Consecutio probatur, quia ut aliquis cognoscat veritatem aliquam supernaturalem, sufficit habitus ex parte potentiæ, & species, quæ tale obiectum repræsentet; sed ille infans in Baptismo accepit habitum fidei, & insuper supernaturales species mysteriorum; ergo. Confirmatur, quia cùm elicimus actum fidei, pendet noster intellectus à cooperatione sensuū ergo non habet species per se infusas rerum fidei. Patet consequentia, quia dependentia nostri intellectus à sensibus solùm provenit ex eo, quòd intelligit medijs speciebus, quæ à sensibus mediatè, aut immediatè derivantur, iuxta illud pronuntiatum Philosophorum, *Cognitio nostra incipit à sensibus:* sed species per se infusæ non derivantur à sensibus, quia cùm sint supernaturales, à solo Deo infundi possunt; ergo si eliceretur actus fidei medijs speciebus supernaturalibus, nulla esset in actu fidei dependentia à cooperatione sensuum.

4. Secunda ratio: Species per se infusæ ad actum fidei aut essent plures pro multiplicitate obiectorum, quæ credūtur, aut una tātùm. Si dicatur primum, cùm obiecta fidei sint penè innumera, totidem etiam forent species simul infusę cuilibet fideli, quod certè præ se fert speciem fictionis. Secundum verò dici non potest, quia unica species non sufficit ad tantam rerum credendarum multitudinem; non ergo infunduntur eiusmodi species.

5. Tertia deniq; ratio est, quia sufficiunt species naturales, quæ generantur virtute intellectus agētis, cùm quis audit res fidei, ut illę eleventur medio habitu supernaturali, & divino concursu ad efficiendum actum fidei supernaturalem. Cuius rei sunt duo signa non contemnenda: unum est eodem modo apprehendi à nobis res fidei, atq; apprehenduntur ab infideli, cùm illas audit: sicut ergo iste non habet species supernaturales mysteriorum, ita neq; Catholici. Alterum est, res fidei non percipi à nobis, ut sunt in se, sed ad modum corporis: si autem infunderentur species supernaturales, illarum perfectio postulabat, ut nobis repræsentarēt ista mysteria, ut sunt se in ipsis: nō ergo infunduntur istæ species.

Mihi sanè sub iudicio meliùs sentiētium probabile semper visum est, infūdi à Deo supernaturales species ad credendum actu supernaturali mysteria fidei. Ita sentiunt aliqui viri docti, quos tacito nomine referunt Bañez suprà, & Turrianus disp.38.dub.5. qui licèt neget, primum actum fidei produci mediante specie supernaturali, probabile putat ab actibus fidei produci species supernaturales, quæ repræsentent obiecta, ut à nobis cognosci possunt per fidem. Nec aliena est nostra assertio à mente B. Thomæ, qui suprà agnovit aliquas supernaturales species ad actus Prophetiæ, qui fortè non semel, sed sæpe non distinguūtur essentialiter ab actibus fidei. Valdeq; favet Suarez initio disputationis relatus; nam illam scientiā, ad quā statuit in B. Virgine species supernaturales, fatetur in con 3 non esse evidentem, sed obscuram, ac proinde vel non distinctam à fide, vel illi simillimam. Probatur, quia ad actum supernaturalem intellectionis requiruntur duo principia, scilicet habitus ex parte intellectus, & species ex parte obiecti; ergo sicut non sufficit habitus naturalis, quia quantumvis ille elevetur ad efficiendos actus supernaturales, adhuc est principiū improportionatum; ita nec sufficient naturales species, quia licèt illæ eleventur ad producendum actum supernaturalem, adhuc non sunt proportionatæ. Confirmatur primo, quia species, & habitus debent esse eiusdem ordinis, cùm ex utroq; constituatur integrum principium actus; ergo sicut habitus ad eliciendos actus fidei est supernaturalis, ita etiam erit species. Confirmatur secundò, quia in scientijs per se infusis animæ Christi Domini non solùm concedun tur habitus, sed etiam species supernaturales, quia utrumq; requiritur ad scientias, & non servatur apta proportio, si habitus sit infusus, non verò species; ergo idem dicetur de fide, cùm eius actus sit supernaturalis, & indigeat habitu per se infuso. Antecedēs probabo in materia de Incarnatione

6. (margin) Bañez. Turrian. S. Thom. Suarez.

tract.8. Consequentia patet à paritate rationis. Confirmatur tertiò, quia non minùs necessaria est species ad actum intellectus, quàm præmissæ ad conclusionem; sed eo ipso quòd conclusio sit supernaturalis, præmissę etiā sunt supernaturales, ergo eo ipso quòd actus intellectus sint supernaturales, suaptè natura postulāt species supernaturales, saltē quando nō semel, aut iterū, sed frequēter fieri possūt, cuiusmodi sunt actus fidei, & alij, ad quorū productionem infundit Deus habitum supernaturalem.

7. Vnde ex prædicta doctrina consequenter infertur, infundi à Deo alias species respondentes habitui requisito ad iudicium præcedens piam affectionem, & similiter alias ad actus donoru supernaturalium intellectus, scientiæ, & sapientiæ: quarum specierum unitas, vel distinctio omnino proportionanda est unitati, vel distinctioni habitus supernaturalis, cui correspondet, ut tangemus statim.

8. Ad primum dupliciter responderi potest verisimiliter. Primò illas species non infundi à Deo, donec alicui proponantur mysteria fidei: licet enim simul cum gratia infundatur habitus fidei, quia ille est affectio gratiæ, sicut & alij habitus supernaturales; non tamen infunditur statim species, quia hæc se tenet ex parte obiecti, & requirit propositionem illius. Secundo, & fortè meliùs, respondetur, illas species licet sint supernaturales, esse tamen accommodatas modo connaturali intelligēdi, quem habemus, dum anima est unita corpori, & ita non esse sufficientes ad determinandum intellectum, donec proponatur fides, ut ita à sensibus incipiat, sicut & omnis alia cognitio.

9. Vnde patet ad confirmationem: nec enim dependentia nostrarum intellectionum à sensibus, solùm ortum habet ex eo, quòd ministerio sensuum accipimus species; sed ex eo etiam, quòd animus sit unitus corpori: cùm enim modus cognoscendi sequatur modum essendi, eò ipsò quòd homo sit corporeus, & animus illius sit quasi corpore indutus, necesse est, ut intelligat ad modum corporis, & dependenter à cognitione sensuū internorum, & externorum. Atque hanc rationem reddiderunt B. Thomas 3. par. quæst. 11. art. 2. [*S. Thom.*] & Durandus in 3. dist. 14. quæst. 3. nu. 7. [*Durand.*] Et licèt verum sit, scientias per se infusas animæ Christi Domini unitæ corpori, non fuisse dependentes à cooperatione sensuum, (quidquid malè sentiat Durandus) non tamen ideò fuerūt independentes, quia Christus Dominus habebat species per se infusas, nec istā rationem reddit B. Thomas citatus, sed potiùs id revocavit ad perfectionem animæ Christi Domini, quæ quoniam Deum videbat, habuit hāc excellentiā, quòd illius operationes non essent sensibus adstrictæ, sicut operationes animę viatoris: cū ergo fides sit propria viatorum, & illius species sint longè imperfectiores speciebus scientiarum Christi Domini, non est, cur inferatur, nostros actus fidei fore independentes à sensibus, ex eo quòd species illorū sint supernaturales.

10. Ad secundam rationem respōdetur, in singulis hominibus esse unicam tantùm speciem supernaturalem proportionatā unico habitui fidei; & sicut iste unicus cùm sit, extenditur ad omnia credibilia, quia omnia respicit propter divinam authoritatem; ita illa species desumit unitatem suam ab hac unitate authoritatis divinæ, reliqua verò solùm repræsentat ut obiecta materialia; qua etiam ratione probabilior sententia in materia de Incarnatione docet, singulis habitibus scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini respōdere unicam speciem, licèt ad plura obiecta materialia se extendat.

11. Ad tertiam patet ex dictis, non sufficere species naturales etiam elevatas, ut proportionato modo eliciatur actus fidei: illa verò duo signa, quæ in eius rei confirmationem afferuntur, fallibilia sunt: primum quidem, quia istæ species supernaturales infunduntur vel cum habitu fidei, vel quando quis credit, & præcipuè deserviunt ad eliciendum actum supernaturalem fidei; at Ethnicus nondum credidit, nec proinde habitum, aut species accepit, sicut Catholicus. Secundum etiam non urget, quia species supernaturales fidei sunt minùs perfectæ, & proportionatæ

modo

modo connaturali nostri intellectus: sicut enim actus fidei licèt sit supernaturalis, repræsentat obiectum ad modū corporis, ita repræsentabit ipsa species; & consequēter sicut ipse actus fidei supernaturalis est obscurus, & abstractiuus, ipsæ quoque species, licèt supernaturales sint, non poterunt determinare nisi ad actum obscurum, & abstractiuū.

12. In fine huius disputationis petet aliquis, an sicut ab actibus naturalibus nostri intellectus emanant species naturales, virtute quarum recordemur nostrorum actuum, ita etiam dimanēt species supernaturales ab actibus fidei supernaturalibus, ut illorum meminerimus. Respondetur non emanare, nisi solū naturales, quidquid alij contrà sentiant. Probatur, quia si dimanarent, deseruirent ad efficiendos actus supernaturales, quibus nostrorum actuum supernaturalium fidei recordaremur; sed hoc est impossibile; ergo non dimanāt species supernaturales, sed solùm naturales. Maior, & consequentia patent. Minorem probo, quia si actus ille memoriæ foret supernaturalis, foret omnino certus, aut euidens, nam incertitudo pugnat cum perfectione cognitionis supernaturalis; ergo certò cognosceret intellectus se elicuisse actum supernaturalem fidei, quod est falsum; nam nullus seclusa reuelatione potest omnino certò scire se habere fidem, sicut nec charitatem, aut gratiam, sed solū haberi potest de hoc certitudo quædam moralis. De quo 1. 2. quæst. 112. artic. 5. seu controuersia 8. tract. 7. latè disseruimus.

13. Sed obijcies: Ab aliqua re supernaturali non potest dimanare aliquid naturale, ergo neque ab actu supernaturali fidei species naturalis. Respondetur negando antecedens, nec id ulla urgente ratione suaderi potest; licèt enim res naturales, utpote inferioris ordinis, non possint attingere rem supernaturalem, bene tamen è contrà, ut varijs exemplis ostendi facilè posset.

(?)

COMMENTARIVS IN quæstionem quintam.

Disputat in hac quæstione B. Thomas de habentibus fidem: & in art. 1. docet, fidem fuisse in Angelis, & hominibus, cùm primò conditi sunt; & in solutione primi obiter affirmat, fidem non esse in beatis. In articulo 2. ait, in dæmonibus non esse fidē infusam, sed aliquam prouenientem ex efficacia motiuorum. In tertio negat, in hæreticis esse fidem formatam, aut informem. In quarto ait, in uno fideli esse maiorem fidem, quàm in alio: de quo diximus tract. 12. disp. 3.

TRACTATVS XIII.

De habentibus fidem supernaturalem.

SECTIO I.

Fides infusa non est in beatis, nec in damnatis.

Dico primò: In beatis non est fides supernaturalis quoad actū, aut quoad habitum. Ita B. Thomas 1. 2. q. 67. art. 3. ubi Caietanus, & cōmunis Theologorum in 3. distinct. 31. Optimè etiam inter recentiores Lorca suprà ad artic. 5. q. 1. disp. 15. Probatur primò ex Paulo 1. Corinth. 13. *Cùm venerit,* (inquit) *quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est: videmus nunc per speculū in ænigmate, tunc autē facie ad faciem.* Quasi diceret, adueniente visione, quæ est perfecta cognitio Dei, destruendā esse fidem, quæ est cognitio ænigmatica, & imperfecta. Videantur in prædictum caput Pauli S. Chrysostomus, Beda ex S. Augustino, S. Anselmus, & Theodoretus, qui expressè dicunt non manere fidem in patria, eorumq; verba affer remus in materia de Spe tra. 2. disput. 1. quibus addo verba Theodoreti ad finē cap. 13. prioris ad Corinthios: I.

S. Thom. *Caietan.* *Lorca.* *1. Ad Cor. 13.* *S. Chrysost.* *Beda.* *S. Ansel.* *Theodor.*

Si fides est eorum, quæ sperantur, substantia, rebus iam apparentibus, fide non ampliùs opus est. Et S. Augustini 14. de Trinitate cap. 2. ubi agens de statu gloriæ: *Neq; iam* (inquit) *fides erit, qua credantur, quæ non videntur; sed species, qua videātur, quæ credebantur.* Denique S. Hieronymus in ea verba, *Nunc autem manent fides*, &c. *In præsenti* (inquit) *tria hæc, in futuro sola Dei charitas permanebit.*

S. August.
S. Hier.

2. Quòd si Tertullianus, & S. Irenæus videtur asserere, fidem manere in patria, solùm volunt, ut explicat Valencia q. 5. p. 2. manere secundum rationē communem cognitionis, quia ibi loco fidei succedit visio beata, qua cognoscuntur mysteria, quæ fide credebantur.

S. Iren.
Tertul.
Valencia.

3. Secundò probatur conclusio ratione, quia licèt de potentia absoluta non sit incōpatibilis fides quoad actū, & habitū cū visione beata ut infra. 2. dis. ultima sect. ultima dictum est; non tamen decuit illum statum ratione suæ obscuritatis, & imperfectionis, cùm ibi sit clara, & perfecta visio, ad quam fides ordinatur; ergo ibi nullo modo est fides.

4. Quod attinet ad habitum piæ affectionis, Suarez 3. p. to. 1. q. 7. art. 3. probabile reputat in Christo Domino eū manere, & concurrere ad aliquem actū inefficacis complacentiæ in honestate credendi, licèt non habeat actum efficacem, quo homo velit credere: idem ergo dicet de alijs beatis. Est sanè probabile, licèt ab alijs negetur, ut à Turriano disp. 43. dub. 4. quorum sententia mihi magis probatur, quia hic habitus est omnino connexus habitui fidei, & quodammodò idem; illa verò complacentia in honestate credendi, quam beatus habere potest, elicietur medio habitu charitatis.

Suarez.
Turrian.

5. Dico secundò: In damnatis non est habitus, aut actus fidei supernaturalis. Ita B. Thomas art. 2. ubi Caietanus, & Bañez, qui contrariam sententiam appellat periculosam, & errori proximā: sed excedit profectò, nam præter Durandum, qui in 3. dist. 23. q. 9. ait, manere in damnatis actum, & habitū fidei, imò etiam in dæmonibus, si illam habuerunt in prima sui cōditione, de quo statim, id de dæmonibus affirmant expressè Magister in eadem distinctione cap. 4. Alexander 3. p. q. 74. m. 7. & Valencia suprà reputat probabile, quamvis nostram conclusionem meritò iudicet probabiliorem, sicut & Aragon hic art. 2. cum S. Bonaventura, & Gabriele, Turrianus disp. 43. dub. 3. qui contrarium putat improbabile. Probatur breviter primò, quia non decet illum statū summæ miseriæ actus supernaturalis fidei, sicut nec alij actus supernaturales; & cùm habitus infundatur solùm propter actus, consequenter etiam in eo statu non erit. Secundò, quia fides, etiā quoad habitum, est forma Ecclesiæ; sed damnati non possunt dici pertinere ad Ecclesiam; ergo non habent fidem infusam.

S. Tho.
Caiet.
Bañez.
Duran.
Magist.
Alexan.
Valenc.
Aragon.
Turrian.

6. Sed obiicies illud Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* ubi videtur sermo esse de fide infusa, quam probabat non sufficere sine operibus. Respondetur tamen iuxta communem interpretationem, non esse istum locum intelligendum de fide infusa, sed de fide naturali, nam comparatio Apostoli solùm eò tendit, ut probet, non satis esse credere, sive id fit per fidem infusam, sive non. Solùm rogabit aliquis, quo pacto dæmon possit habere actum naturalem fidei, cùm videatur habere evidentiam in attestante mysteriorum fidei; cùm enim sciat evidenter, miracula facta fuisse in confirmationem fidei, potest evidenter ex illis colligere veritatem. Respondetur tamen breviter, nō repugnare actum fidei circa obiecta, quæ alioqui sunt evidenter nota evidentia in attestante, ut in tract. 2. disp. 7. sect. ult. dicebamus; prædicta autem evidentia est in attestante; & quamvis dæmon ex una parte nollet credere, quia nollet mysteria fidei nostræ esse vera, ex altera verò quodammodò cogitur ad eliciendum actum naturalem fidei circa illa, cùm tam efficacibus motivis videat proponi mysteria fidei, ut etiam si aliunde non forent sibi evidenter vera, iudicaret esse summæ insipientiæ non assentiri illis propter infallibilem Dei anthoritatem. Vide, quæ sapienter tetigit circa hoc Alexander suprà ad primum.

Iac. 2.

SECTIO

SECTIO II.

Fides supernaturalis non est in hæretico.

7. DICO tertiò: In hæretico, qui negat unum articulum fidei, non est fides infusa quoad actum, & habitum, quantumvis reliquos articulos firmissimè credat. Conclusio est contra Durandum, qui ubi suprà reputat oppositum probabile de habitu fidei. Sed cõ docent B.Thomas, Caietanus, & Bañez art.3. Valencia quæst.5. punct.3. & est recepta doctrina. Probatur primo ex Tridentino sess.6. cap.15. ubi ait, per infidelitatem amitti fidem; quælibet autem propositio contraria fidei est infidelitas, ergo destruit fidem. Nec refert, id non tractari ex professo in Tridentino, nam adhuc habet magnam authoritatẽ, cũ ab universo Concilio receptũ sit. Secũdò probatur authoritate S.Augustini, qui 13.de Trinitate cap.2. ait, illum esse fidelem, qui habet fidem; infidelem verò, qui illam non habet: sed qui negat pertinaciter unum ex articulis fidei, non est fidelis, nec pertinet ad Ecclesiam, ut tanquam certum supponunt Catholici; ergo non habet fidem. Tertiò, quia hoc est proprium fidei, & spei, ut amittantur per actus directè illis oppositos; quod non ita intelligendum est, quasi necessarium sit negare omnia, quæ docet fides, nam ad fidẽ pertinent penè innumera obiecta, & inter illa sunt aliqua tam perspicua lumine naturæ, ut non possint, nec soleant ab hæreticis negari: sufficit ergo negare pertinaciter quodlibet dogma, sicut & elicere actum desperationis, ut destruatur spes: uterq; autem habitus non expellitur physicè, sed demeritoriè per actus contrarios, id enim est cõmune omni habitui supernaturali, ut suppono ex 1.2. controv.4.

Durand. S. Thom. Caietan. Bañez. Valenc. Trident. S.August.

8. Sed objicies: Hæreticus, qui solùm negat unicum articulum, credit reliquos eodem modo, quo credebat, cum erat Catholicus; ergo retinet habitum fidei, qui ad illos credendos inclinabat. B. Thomas respondet negando antecedens, quia obiectum formale omnium actuum fidei divinæ est divina authoritas, prout ab Ecclesia, vel Scriptura proponitur, & idem est de qualibet alia regula infallibili, per quam applicantur nobis mysteria credenda, iuxta dicta in art.10.quæst.1. Qui autẽ negat unum ex articulis à Deo revelatis, non credit reliquos ob Dei authoritatem ab Ecclesia, aut alia firma regula propositam, alioqui cùm ille articulus, quem negat, habeat idem motivum formale, propter quod debeat credi, non posset ab illo negari: *Solùm ergo* (inquit Sanctus Doctor) *habet de reliquis articulis opinionem quamdam secundũ propriam voluntatem.*

S. Thom.

In hac solutione est nonnihil difficultatis, nam licèt quis assensum præberet duabus veritatibus ob eamdem rationem formalem, adhuc posset unã credere, & alteram negare, quia in ista credenda maiorem experitur difficultatem, & ab ea deterretur, quominùs credat: v. g. si idem Petrus mihi referat duo, quorum unum est omnino facile, alterum valde difficile, possum uni assentiri propter eius authoritatem, alteri verò non, quia licèt ad utrumque credendum habeam idem motivũ formale, deest tamen ex parte unius aliqua conditio, sine qua ipse nolo credere; cõditio autem est facilitas in ea re, quæ narratur, & eiusmodi occurrunt varia exempla in materia de habitibus. Eadem ergo ratione posset hæreticus negare mysterium Trinitatis ob illius difficultatem, & credere mortem Christi Domini ob Dei authoritatem, non quia difficultas, aut facilitas sit ratio formalis credendi, aut non credendi, sed quia illa est veluti conditio requisita ad credendum. 9.

Respondetur, hac obiectione bene probari, non repugnare, sed posse reperiri assensum naturalem fidei, quo hæreticus iste credat reliquos articulos ob Dei authoritatem, quantũvis pertinaciter neget unũ; non enim repugnat actus fidei circa divinum testimonium, qui sit in entitate sua naturalis, cùm reperiatur in dæmonibus iuxta suprà dicta, & reperiretur in eo, qui crederet omnia revelata à Deo, sed non haberet influxum supernaturalem à Deo tributum, ut crederet fide supernaturali, 10.

De quo late dixi in materia de Gratia, seu in 1.2. controv.8. tract.1. Semper tamen negandum est, ab illo elici posse actum fidei supernaturalem, tum quia qui pertinaciter negavit unum articulum, dignus est, cui non conferatur auxiliū supernaturale, quo supernaturalē assensum reliquis præbeat; tum etiam propter rationem, quam ex B. Thoma retulimus, quæ in hunc modum intelligenda est, ut nimirū ratio formalis assentiendi rebus fidei sit sola divina authoritas obscure revelans, nec ad fidē infusam ullo modo pertineat attendere specialem difficultatem, aut facilitatē, quæ in hoc, aut illo mysterio reperitur, sed præcise quod Deus revelaverit illud, supposita firma applicatione Ecclesiæ, Scripturæ, aut alterius regulæ infallibilis: fertur nimirum fides summa appretiatione in Dei testimonium, sicut & charitas supernaturalis in Dei bonitatem. Quo principio supposito rectè argumentatur B. Thomas, si præcise quis crederet reliquos articulos ob Dei authoritatē sufficiēter propositam, nec aliquid aliud attenderet, non posset non credere alium articulū, qui eadem omnino authoritate confirmatus est, & ita qui illū negat, manifeste convincitur non credere reliquos præcisè ob istud motivū, sed aliquid aliud requirere saltem ut conditionem sine qua non, quod tamē non requiritur ab infusa fide, quæ solum attendit Deum revelantem, & eius testimoniū anteponit cuilibet difficultati; sicut charitas supernaturalis ita diligit Deum, ut illū, & eius mandata gravia anteponat cuilibet difficultati. Ex quo patet solutio difficultatis propositæ contra solutionem B. Thomæ, probatur enim optimè in assensibus naturalibus id posse contingere, quia assensus naturalis fidei possunt exigere ad credendum, quod res, quæ credenda proponitur, sit facilis aut difficilis; sed id non admittit fides infusa, de qua sola loquitur Sanctus Doctor. Unde cùm ait, eiusmodi hæreticum, qui negat unum articulum, & credit alios, solùm habere opinionem secundum propriam voluntatem, nomine huius opinionis intelligit assensum, qui aliquo modo innititur proprio iudicio, aut inclinationi fallibili, & non præcisè divino testimonio infallibiliter proposito.

SECTIO III.

In omni fideli viatore est, & fuit fides supernaturalis.

DICO quartò: Fideles, qui nihil cōtra fidem senserunt, sed omnia revelata credunt, habent fidem infusam quoad actum, & habitum. Res est manifesta, & ex dictis colligi potest. Addo etiam, huiusmodi fidem fuisse in Patribus Limbi, & esse in animabus Purgatorij, quia adhuc non pervenerunt ad beatitudinē, in qua cessāt fides, & spes. In pueris vero, qui cum solo originali discesserunt, certum est non esse fidem infusam, qui nunquam illam acceperunt, nec à pueris in ea ætate accipi potest sine gratia, quam illi non habuerunt. 11.

Dico ultimo: Fides infusa quoad actum, & habitum fuit in homine in statu innocentiæ, & in Angelis, quando primò conditi sunt. Ita B. Thomas, & Thomistæ art. 1. licèt Durādo suprà nō placeat, fuisse fidem in Angelis. Ratio cōclusionis ex eo desumenda est, quòd fides sit virtus propria viatorum; tam autem homo, quàm Angelus tunc fuere viatores. Sed de hoc disseruimus 1. par. controv.7. tract.6 disp.1. & tra.11. disp.4. & controv.8. tract.5. 12.

Modò solùm expendēda est difficultas: videtur enim in Angelis non fuisse fidem, quia illi habuerunt evidentiam mysteriorū fidei, videbant enim evidēter Deum esse veracem, & clarè cognoscebant Deum illis revelare illa mysteria, & ex duobus istis principijs evidēter colligitur clara cognitio mysteriorum, ut tract.1. disp.4. & tract.2. disp.5. probatum est: in quo certè mihi displicet longus commentarius Caietani ad art.1. huius quæstionis, & meritò refellitur à Dominico Bañez, reiectusq; est à nobis in locis citatis; cùm ergo actus fidei sit obscurus, non videtur in Angelis esse potuisse. 13. *Bañez.*

Franciscus Suarez in opere de Angelis lib.5. cap.5. à n.16. respondet, licet Angeli evidenter cognoverint Deum 14. *Suarez.*

esse

esse, qui illis revelabat mysteria, seu illis loquebatur, nihilominus potuisse credere fide supernaturali, & obscura, quia illa evidentia erat naturalis; certitudo vero fidei, utpote supernaturalis, erat multò maior, nec illi evidentiæ innitebatur. Quod ampliùs declarans in nu. 18. ait, fidem Angelorum fuisse intrinsecè, & essentialiter obscuram, quia nec videbant res, quas credebant, nec per fidei lumen videbant revelationē.

¶ Sed hæc solutio mihi valde difficilis est. Primò, quia obscuritas actus fidei provenit ex eo, quòd revelatio, seu locutio Dei sit obscura, ut patet ex dictis initio huius controversiæ, & commun sententia Doctorum; ergo nisi detur in Angelis aliqua obscura revelatio, non potest in illis esse fides, cuius essentia est esse cognitionem obscuram. Secundò, quia cùm dicitur Angelus non vidisse clarè divinam revelationem per ipsum lumen fidei, aut sensus est, quod fides non cognoscebat Deum ut revelantem; & hoc est contra naturā ipsius fidei, ut patet ex illius definitione tradita in tract. 9. disp. 1. & tract. 12. disp. 1. aut sensus est, quòd fides cognoscebat quidem revelationem, obscurè tamen; & id non potest esse verum, nisi dicamus, quòd fides respiciat revelationē obscuram, id est, divina mysteria obscurè proposita; ergo in Angelis erat aliqua obscura propositio, seu obscura revelatio: cuius tamen non meminit Suarez.

15. Meliùs ergo Gregorius de Valencia respondet dupliciter in punct. 1. q. 5. Primò, licèt Angeli habuerint prædictā evidentiam, potuisse etiam habere fidem obscuram, quia fides, & scientia per diversos actus non sunt incompatibiles; quod quidem verum est loquendo de evidentia in attestante, ut cōstat ex dictis in tract. 2. disp. 7. evidentia autem, quam Angeli comparare poterāt ex eo, quòd clarè scirent Deum cū illis loqui, solùm erat in attestante. Secūdò negat, Angelos habuisse evidentiā rerum fidei, quia non cognoverunt clarè, illa mysteria illis à Deo revelari, poterat enim esse alius Angelus superior, & ab illis ignotus, qui eis proponeret credendam aliquam falsitatem, & non habebant evidentiam, quòd ea mysteria non proponerentur nisi à Deo. Dices: Ipsi Angeli clarè videbant se interiùs illuminari supernaturali cognitione, ut crederent; sed supernaturalis illuminatio à solo Deo potest provenire; ergo. Respondetur negando maiorem: sicut enim non cognoscebant evidenter, ab ipsis elici actus supernaturales, ita nec evidenter noverant illuminari supernaturaliter. Atq; hæc solutio placet etiam Dominico Bañez, & meritò *Bañez.* quidem.

COMMENTARIVS IN quæst. 6. & 7.

IN quæst. 6. ostendit B. Thomas fidē, etiā si sit informis, infundi à Deo tanquam donū supernaturale; quod verissimū esse, satis cōstat ex tract. 9. disp. 1. & ex doctrina tract. 10. In 7. q. agit de duplici effectu fidei: prior est timor, quia nimirum qui credit Dei excellentiam, & pœnam peccatis debitā, consequenter timet Deum offendere, & tam acerbam pœnam subire: posterior est puritas cordis, quæ eatenus provenit ex fide, quatenus hæc & liberat mentē ab errorum impuritate, & est principiū bonorum operum, quibus volūtatis integritas cōparatur. Nihil aliud occurrit scribendū circa utramq; quæstionē.

COMMENTARIVS IN quæst. 8. & 9.

ET

TRACTATVS XIIII. De Donis Spiritus sancti, quæ respondent divinæ fidei.

DIsserit latè in utraque quæstione B. Thomas de duplici dono Spiritus sancti ad fidem pertinēte, scilicet dono intellectus, & dono scientiæ. Sed quoniam de donis Spiritus sancti in generali, & speciali latè disserui in 1. 2. controv. 5. tract. 2. nihil hoc loco dicendum est.

COMMENTARIVS IN quæstionem decimam.

HActenus egit B. Thomas de virtute fidei: deinceps disputat de vitijs oppositis, incipitq; in hac quæstione ab infidelitate in cõmuni. In art. 1. docet, infidelitatem esse peccatum, si accipiatur pro actu, quo quis nõ vult consentire fidei sufficienter proposita, vel illam contemnit; si verò sumatur pro eo solùm, quod est, non habere fidem, non esse peccatum, sed pœnam peccati. In art. 2. respondet, infidelitatem esse in intellectu, sicut in subiecto, in voluntate verò sicut in generali causa, & principio omnium peccatorum, sine cuius consensu non est peccatum. In tertio docet, peccatum infidelitatis esse maius omnibus alijs, quę contra virtutes morales cõmittuntur, secùs verò de illis, quæ sunt contra virtutes Theologicas. Vide Caietanum, qui circa corpus articuli rectè notat, non negari à B. Thoma, infidelem posse habere aliquã veram Dei cognitionem, sed solùm asserere, per actum infidelitatis eam non posse habere, quia eo ipsò quod sentiat aliquid falsum de Deo, iam ille, prout de illo loquitur talis propositio, non est verus Deus.

In art. 4. docet, non omnia opera infidelium esse peccata. In quinto docet, tres esse generales species infidelitatis, scilicet Gentilium, Iudæorum, & Hæreticorum; licèt pro diversitate errorum possint in singulis infidelibus in infinitum multiplicari rationes infidelitatũ. In sexto ait, sub una comparatione infidelitatem Gentilium esse potissimã omniũ, sub altera verò hæresim esse gravissimã infidelitatũ, ut posteà dicetur. In septimo explicat circunstantias, in quibus oportet publicè disputare de fide. In octavo docet, infideles, qui semel fidem susceperẽt, cogendos esse, ut illã profiteantur, reliquos verò non, sed solùm compellendos esse, ut fidẽ non impediant. In art. 9. tractat, quando, & cũ quibus infidelibus sit cõmunicandum. In decimo, an, & quo modo liceat fideles esse subditos infidelibus. In undecimo definit, infidelium ritus interdum esse tolerandos. In duodecimo docet, pueros infidelium, quandiu non habẽt usum rationis, non esse baptizandos invitis parentibus. De quo in materia de Baptismo latè disputabimus.

COMMENTARIVS IN quæstiones 11. & 12.

IN quæst. 11. explicat B. Thomas naturam hæresis, & quo pacto hæretici tolerãdi sint, &, si resipuerint, admittendi. In 12. tractat de apostasia, præcipuè de illa, qua quis recedit à fide; & docet in art. 2. iure optimo privari apostatam dominio, quod erga fideles habebat.

TRACTATVS XV.

De vitijs oppositis interno actui fidei supernaturalis, scilicet de infidelitate, & eius speciebus.

DISPVTATIO I.

Quid sit infidelitas? Vbi an semper sit peccatum, imò peccatorum omnium maximum.

1. INfidelitatis nomẽ duo potest significare: primum est carentia, seu privatio fidei in eo, qui iuxta statum, & conditionẽ suæ naturæ potest illam habere, licèt eam nõ habeat, nec unquam ullo modo cogitaverit se teneri ad illam habendã. In quo sensu dixisse videtur S. August. 13. de Trinit. cap. 2. *Infideles appellari eos, qui fidẽ non habent.* Secundũ est positivus dissensus, quo quis reijcit fidẽ sibi sufficiẽter propositam, aut non vult illam audire, quãdo audire tenebatur.

2. Dico primò: Infidelitas in priori acceptione potest reperiri absq; ullo peccato, atq; adeò possunt homines invincibiliter ignorare mysteria fidei. Conclusio est contra Gabrielem 2. dist. 22.

Aragon. Sotus. q.2. art.3. dub.1. & alios, quos refert Aragon ad art.1. quæst.10. Sotus etiam 2. de natura, & gratia cap 12. fine, in hac re dubius esse videtur, sed in id ad Romanos 10. *Et quidem in omnem terrã exivit sonus eorum*, expressit sententiam Gabrielis. Sed nostram conclusionem amplectuntur B. Thomas, Caietanus, Bañez, & Aragon quæst. 10. art.1. & Valécia punct.1.
S. Thom. Caiet. Bañez. Aragon. Valencia. Probatur primò ex Scriptura, & Patribus. Ioan.15. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.*
Ioan.15. S. Augu. Vbi Christus Dominus secundũ explicationem S. Augustini docet excusandos fore Iudæos à peccato non credendi in eum, si ipse non eis id sufficiẽter persuasisset: ex quo patet potuisse ab illis id invincibiliter ignorari, & ita ipsã ignorantiam fuisse ab illis, qui doctrinam Evangelij non audierunt.
S.Cyril. Toles. Videatur Toletus in eum locum, & S. Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap 30. sed præsertim S. Augustinus tract. 89. in Ioan. ubi in universum docet, eos, qui nihil audierunt de
Ad Ro. 10 Christo, excusari à peccato non credẽdi in eum. Vnde Paulus ad Roman.10. *Quomodo* (inquit) *credent ei, quẽ non audierũt? quomodo autem audient sine prædicante?* Quasi diceret, non posse vitio tribui Ethnicis, quod non credant mysteria fidei, quãdiu illa à nemine audierũt: cùm ergo certum sit contingere posse, ut multi non audiãt fidem, contingere
Theodoret. etiam potest, ut nullum sit peccatũ non credere. Theodoretus in prædictũ locũ non solùm non docet, teneri ad credendum eos qui non audierũt, sed etiã
S. Ambr. fieri non posse, ut credant. Et Cõmentarius tributus S. Ambrosio in ea verba Pauli, *Ergo fides ex auditu, Manifestũ* (inquit) *est, quia nisi dicatur aliquid, nec audire potest, nec credi.* Quãvis autem statim addat Apostolus, *In omnem terrã exivisse sonum concionatorum Evangelij*, iuxta propheticã David in Psal. 18. non tamen necessarium est, ut hæc prophetia iam sit impleta; & prætereà nomine totius orbis intelligitur magna pars, ut alibi e-
Sotus. tiam in Scriptura: quod optimè notat Sotus in prædictum locum Apostoli.

3. Secundo probatur ratione, quia nemo obligari potest ad impossibile, sed impossibile est credi res fidei ab eo, qui nullam illarum notitiam habuit; ergo ille obligari nõ potest ad credendũ. Rursus manifesta experientia compertum est, plures homines ne primã quidem fidei nostræ vocem audivisse, ergo illorum infidelitas nullum peccatũ est. Sed ut vis istius rationis, & veritas cõclusionis elucescat, diluendæ sunt nonnullæ obiectiones, quæ pro contraria sententia possunt afferri.

Obijcies ergo primò: Quicumq; non accipit fidẽ, aut facit, quidquid in ipso est, ut illuminetur à Deo, & ita illuminabitur; aut non facit, & ita iure punitur à Deo, & propter peccata sua non audit mysteria fidei; ergo nullus est, qui invincibiliter ignoret mysteria fidei, aut cui nõ possit vitio tribui infidelitas in hac priori acceptione. 4. Respondetur, supponẽdo ex late dictis in 1.2. cõtrov. 8. tra. 6. licèt homo faciat, quod in se est ex viribus naturæ, nõ inde intueri supernaturaliter illuminandũ à Deo, ut possit credere, quia gratia non habet connexionem cum natura: sed quia nullus adultus est, quem Deus non illuminet supernaturaliter, saltẽ aliquando, ita ut possit credere, si velit, iuxta ibidem dicta; ideo addendum est, eiusmodi illuminationem non semper esse ita perspicuam, ut inducat obligationem respõdendi illi. Quare contingere potest, ut homo sic illuminatus faciat totũ, quod in se est, id est, totum, ad quod tenetur, & nihilominus non credat, quia non se disposuit, quãtum poterat, non ex obligatione, sed ex consilio, & propterea non imputetur ei infidelitas ad culpã. Vide dicta loco citato disp. 1. in solutione 1. obiectionis sect. 5. Quibus adde ad uberiorem solutionem, licèt ita illuminatio induceret obligationem credendi, quando datur, non tamen semper statim dari, cùm quis pervenit ad adultam ætatem, saltem secundum valde probabilem sententiã: unde pro tempore, quo nondum Ethnicus illuminatus est, poterit habere invincibilem ignorantiam.

Obijcies secundò: Illi, qui nihil omnino ad fidẽ pertinẽs audierunt, colunt idola, & amplectuntur varia dogmata, quæ sunt contra fidem & rationẽ naturalem; sed hoc non potest esse sine peccato; ergo infidelitas sẽper est peccatũ. 5.

Confirmatur, quia si quis in infantia habitum fidei accepisset cum reliquis donis, quæ in Baptismo infunduntur, & postea perveniens ad usum rationis, nihil à veris Catholicis audiret, sed solùm inter Ethnicos moraretur, & illorum vanam sectam profiteretur, verè amitteret fidem; ergo committeret peccatum infidelitatis, sine quo fides destrui non potest; ergo infidelitas est peccatum etiam in eo, qui nullam fidei notitiam accepit. Respondetur, eiusmodi homines peccare contra naturalem rationem, sed illorum peccatũ non esse propriè cõtra fidem, cùm ipsi illam prorsus ignorent: in conclusione autem nos non contendimus, Ethnicos, qui fidem ignorant, non peccare, si errores contra dictamen rationis amplectantur; sed solùm non esse contra fidẽ propriè loquendo eiusmodi peccatũ, ut rectè notavit Bañez ad art. 1. dub. 1. in 2. consectario. Ad confirmationem nego destruendum fore habitum fidei illius hominis, donec pertinaciter repugnet rebus fidei, quam repugnantiã habere non potest, qui fidem ignorat invincibiliter.

Bañez.

6. Dico secundò: Infidelitas in posteriori acceptione est ex suo genere peccatum mortale. Ita B. Thomas artic. 1.

S. Thom. & cõmunis Doctorum. Probatur, quia magnam iniuriam irrogat Deo, qui doctrinam illius authoritate cõfirmatam reijcit, cùm præsertim sit ad salutẽ omnino necessaria. Vtrùm autem sit gravissimum peccatorum, tractat B. Thomas art 3. & ait esse gravius, quàm peccata contra virtutes morales, quia peccata opposita virtutibus Theologicis magis opponũtur Deo, ac proinde maiorem malitiam habent: si verò cum peccatis oppositis spei, & charitati cõferatur, dicendum est, infidelitatẽ esse graviorem desperatione, ut ex eodem S. Doctore probabimus in materia de Spe tract 4. disp. 2. sed minùs gravem, quàm odium Dei oppositum charitati: de quo infrà, ubi de vitijs oppositis charitati, scilicet in controversia 3. tract. 13. Vnum tamen speciale habet infidelitas, quod reddit illam secundũ quid gravissimum peccatorum: illud nimirum est, quòd infidelitas destruit omne esse supernaturale virtutum, cùm evertat fidem, sine qua nullus alius habitus supernaturalis perseverat; cætera verò peccata saltem ipsam fidem non destruunt.

DISPVTATIO II.

Vtrùm actus infidelitatis requirat pertinaciam? Vbi an habitus supernaturalis fidei destruatur per errorem ex ignorantia provenientem.

NOMINE actus infidelitatis intelligo in hac disputatione positivum dissensum intellectus, quo expressè negatur aliqua veritas à Deo revelata, & omnino certa secundum fidẽ, ut si quis affirmaret, *Deum non esse trinũ.* Deinde nomen pertinaciæ variè solet explicari. Mihi omnino placet declaratio Cani 9. cap. lib. 12. de locis, Toleti lib. 4. instruc. cap. 3. Vazquez 1. 2. to. 2. disp. 126. cap. 3 nu. 7. Turriani disput. 55. dub. 2. Aragonis ad art. 1. q. 11. & Caietani ad artic. 2. scilicet tunc aliquem esse pertinacem, quando volũtariè assentit alicui propositioni, quam apertè cognoscit esse contrariã doctrinæ Ecclesiæ: unde non satis est, si noverit, oppositum sentire plures Doctores, imò & Episcopos; sed requiritur, ut in suo assensu sciat se dissentire à cõmuni consensu Catholicorum: & idem est, si sciret se sentire contra Scripturam, aut aliam regulam, quæ infallibiliter proponeret aliquid ut dictum à Deo, sicut proponit Summus Pontifex: id, quod rectè Vazquez annotavit. 1.

Canus. Tolet. Vazquez. Turrian. Aragon. Caiet.

His præiactis certum est, posse reperiri infidelitatem, quæ sit peccatum mortale, quin reperiatur pertinacia, ac proinde non esse necessariam pertinaciam ad quemcumq; actum infidelitatis: etenim qui ex ignorantia vincibili 2.

negaret

negaret aliquem articulum fidei, peccaret quidem contra fidem, quia tenebatur illam ignorantiam vitare; sed adhuc pertinax non esset, (quidquid cum alijs contendat Lorca disp 41. in dubio appēdice, immeritò id tribuens S. Thomæ) cùm non constet illi apertè suum errorem esse contrarium doctrinæ Ecclesiæ, sed potiùs sibi persuadeat oppositum, paratus q; sit in omnibus obedire Ecclesiæ firmiter credendo, quidquid illa crediderit: imo licèt quis affectaret nescire doctrinam fidei, & ex tali ignorantia affectata proveniret, ipsum errare circa fidem, licèt valde graviter peccaret, nō tamē esset pertinax, ut rectè Aragon q. 11. art. 1. Bañez ibidem, & alij, quamvis multi videantur contrarium defendere. Probatur, quia adhuc iste paratus est obedire Ecclesiæ in omnibus, quæ ipse cognovit esse à Deo revelata, & solùm affectat illa ignorare, ut liberiùs vivere possit, non in rebus fidei, sed in moribus; vel ut excusationem habeat maiorem, si fortè erraverit. Limitanda tamē est ista doctrina; si enim quis affectaret illa ignorare, ut liberiùs contradiceret Ecclesiæ, & falsam reputaret doctrinam illius, quin ullis scrupulis conscientia pungeretur; iste profectò pertinax esset, cùm iam velit dissentire doctrinæ Ecclesiæ sub illa generali ratione cognitæ, nec ignorantiam affectet, ut paratus sit sequi doctrinam Catholicam, sed potiùs, ut liberiùs eam deserat.

Lorca.

Aragon. Bañez.

3. Et de hac ignorātia loquitur B. Thomas 1. 2. q. 76. art. ult. corp. dum dicit, ab illa augeri potiùs quàm diminui peccatum: quando verò ignorantia affectatur modo suprà dicto, scilicet non ut liberiùs contradicat Ecclesiæ, sed ut habeat potiùs excusationem aliquam sui erroris, causat involuntarium aliquo modo, ac proinde diminuit gravitatem peccati, ut affirmat idem sanctus Doctor 1. 2. q. 6. art. 8 & propterea talis ignorantia non sufficit ad pertinaciam. Et licèt in cap. *Vt animarum. de cōstitutionibus.* in 6. ignorantia crassa, vel supina non excuset ab excommunicatione imposita, non est hoc extendendum ad excommunicationem hæreticorum, quandiu solùm errant in fide ex ignorantia crassa, quia tales nō sunt hæretici, eò quòd ad hæresim requiratur pertinacia, quam non habent, qui errant modo dicto.

S. Thom.

c. Vt animarum.

4. Præcipua difficultas est, an quodcūq; peccatum mortale infidelitatis destruat habitum fidei, licèt ex ignorantia procedat; an potiùs sola infidelitas adiuncta pertinaciæ reddat hominem simpliciter infidelem, & illum privet habitu supernaturali fidei, quando illū haberet. Almainus tract. 2. Moral. cap. 5 proposit. 3. existimat, destrui habitum fidei per positivum errorem, licèt nulla sit pertinacia. Suaderiq; potest eius sententia, quia habitus fidei destruitur per actum, qui sit directè contrarius illi, ad quem inclinat; sed actus infidelitatis, etiam sine pertinacia, contrarius est actui, ad quem inclinat habitus fidei; ergo per illum actum destruetur. Maior videtur recepta à Doctoribus, qui sicut habitum spei dicunt excludi per desperationem oppositā actui spei, ita habitum fidei docent destrui per errorem cōtrarium doctrinæ fidei. Minorem probo, quia quantumvis ex ignorantia proveniat, quod quis dicat, *Deum non esse trinum*, vere sentit aliquid contra fidem, in eoq; graviter peccat, quando ignorantia est crassa, vel affectata. Confirmatur primò, quia habitus naturalis fidei destruitur per actum illi oppositum, licèt ex ignorantia proveniat; & habitus charitatis excluditur per peccatum mortale, licèt oriatur ex ignorantia; ergo habitus fidei excludetur per peccatum mortale contra fidem, licèt oriatur ex ignorantia. Confirmatur secundò, quia eiusdem speciei est peccatum ex ignorantia, & ex certa scientia proveniens; sed qui scienter negaret articulum fidei, amitteret habitum supernaturalem fidei; ergo & qui illum culpabiliter ignoraverit.

Almain.

5. Dicendum tamen est, requiri pertinaciam, ut quis sit absolutè infidelis, & amittat habitum fidei. Conclusio videtur communis Theologorum, nam ut infrà videbimus, ut quis sit hæreticus, requiritur pertinacia, iuxta Beatum Augustinum, & Beatum Thomam; aliunde verò communis consensus Catholicorum supponere videtur, homi-

nem iam baptizatum non amittere fidem, seu desinere esse membrum Ecclesiæ, nisi sit hæreticus: unde Bartholomæus Torres 1.p.q.32 art.4.in 3.p.commentarij assert.5. ex eo probat, esse hæreticum illum, qui pertinaciter dubitat de rebus fidei, quia tale dubium destruit fidem: quam rationem in simili format Cardinalis Toletus li.4. instruct.cap.4. & Maior in 3. dist.25.q.4. conc.7. probat, dubitãtem in fide amittere fidem, quia est infidelis, ut posteà patebit; reliqui verò Doctores propterea vidẽtur id non expresisse, quia pro comperto habebant, sine hæresi non amitti fidem hominis baptizati. Quare immeritò Melchior Canus 12.de locis cap.8.aliàs 9.ad 4.probare videtur sententiã quorũdam, quos tacito nomine refert, quibus non videtur verum, per solam hæresim amitti fidei habitum.

Torres. *Tolet.* *Maior.* *Canus.*

6. Probatur conclusio primò, quia fides solùm excluditur ab hæresi, aut alia infidelitatis specie, ut docet Cardinalis Bellarminus to.3.lib.1 de amissione gratiæ cap.8. & videtur doctrina B. Thomæ & Theologorum, qui agentes de vitio opposito fidei, seu quod fidem destruit, solùm enumerant varias species infidelitatis: sed error sine pertinacia nõ pertinet ad aliquam speciem infidelitatis; ergo non excludit habitũ fidei. Minor probatur, quia Catholicus, qui iam baptizatus est, & Christi fidem publicè professus, si absq; pertinacia neget mysterium Trinitatis, non est Iudæus, aut Paganus, quia isti non admittunt Evangelium; nec est Hereticus, ut patet; nec apostata à fide, quia iste non differt ab hæretico, nisi in eo quòd illius crimen est gravissima omnium hæresum, præter hæresim autem, Paganismum, & Iudaismum non est alia species infidelitatis; ergo qui sine pertinacia errat, non amittit habitum fidei. Secundo probatur conclusio, quia qui non errat cum pertinacia, paratus est in omnibus rebus fidei obedire Ecclesiæ & seriò dicit se credere firmissimè, quidquid credit Ecclesia; solùmq; peccat, quia culpabiliter ignorat, an hoc, vel illud dogma sit propositum ab Ecclesia; ergo non careret crudelitatis specie, eiusmodi hominem constituere

Bellarmi.

extra gremium Ecclesiæ, sicut vere constitueretur, si amitteret habitum fidei, qui est forma Ecclesiæ: falsum ergo est amitti habitum fidei, ubi pertinacia non est.

Ad rationem verò contrariæ sententiæ respondetur negando maiorem, si in universum accipiatur, nam etiam ille, qui ex ignorantia venialiter culpabili sentiret aliquid contrarium fidei, verè haberet assensum fidei contrariũ, & tamen secundum omnes non amitteret fidem. Dico ergo, ad destructionẽ habitus infusi fidei requiri actum expresse, & scienter contrarium veritatibus fidei, cuiusmodi est error cum pertinacia, & nullus alius. Ad primam cõfirmationem, habitus naturalis excluditur ratione physicę incompatibilitatis, quæ reperiri potest, etiam si error contrarius fidei foret omnino invincibilis, ac proinde sine peccato; at verò habitus supernaturalis fidei excluditur demeritoriè, & hoc demeritum non est sine pertinacia. Quod verò attinet ad habitum charitatis, est longè diversa ratio, nã charitati opponitur quodlibet peccatum mortale, cuiusmodi esse potest, licèt adsit ignorantia vincibilis; at verò fidei solùm opponitur infidelitas, quæ pertinaciam requirit. Et sanè cùm habitus fidei sit fundamentum totius spiritualis ædificij, non ita facilè destruenda est, ac destrueretur, si sola negligentia gravis in addiscendis mysterijs sufficeret, ut qui erravit in aliquo articulo, illam amitteret. Ad secundam confirmationem, licèt peccatum ex ignorantia crassa proveniens reducatur ad speciem peccati scienter commissi, habet tamen minus gravitatis; quod sufficit, ut non excludat fidẽ; sicut etiam sufficit, ut non reddat hominem hæreticum. 7.

In fine huius disputatiónis advertendum est, cùm dicitur ad infidelitatem, & præsertim ad hæresim non sufficere errorem, seu ignorantiam crassam, sed requiri pertinaciam, qua quis sciens & prudens contradicat Ecclesiæ, vel alteri regulæ infallibili, hoc posse dupliciter intelligi: uno modo, ita ut ad hæresim requiratur, quòd quis neget aliquam veritatem, sciẽs esse propositam 8.

à vera

à vera Ecclesia, aut vero capite illius, aut ab Scriptura, quasi ipse dissentiat ijs, quæ proponuntur à regula fidei, quam ipse putat esse infallibilem, seu habere assistentiam Spiritus Sancti. Et hic sensus falsus est, quia fortè nullus hæreticus contradicit verę fidei, sciens se contradicere regulæ, quam putat esse infallibilem. Altero modo, ita ut requiratur, quòd neget veritatem, sciens esse propositam à vera Ecclesia, aut vero Pontifice, aut legitima Scriptura, licèt ipse propter suam crassam ignorantiam reputet hanc non esse veram Ecclesiam, aut verum Papam. Et hic sensus verus est. Itaq; hæreticus pertinax est, eò quòd sciens, Eucharistiam v.g. asseri ab Ecclesia Romana, aut Romano Pontifice ut doctrinam revelatam à Deo, negat illam, licèt ex ignorantia mortaliter culpabili putet istam non esse veram Ecclesiam, sed potiùs falsã. Vnde ignorantia, quæ tollit pertinaciam, & non sufficit ad infidelitatem, est illa, qua quis ob suam culpã nesciret aliquid esse dictum ab Ecclesia, aut propositum ab alia regula infallibili, & ideo illam veritatem negaret, paratus alioqui eam asserere, si sciret esse doctrinam Ecclesiæ.

9. Ex quo infertur, non facilè esse iudicandum in hæresim prolapsos fuisse multos iuvenes, qui in Anglia, aut alijs regnis hæresi infectis sequuntur dogmata hæreticorum: nam primùm si ipsi non audierint sufficientes rationes, aut argumēta, ex quibus deducere possint falsitatem eorum dogmatum, & veritatē doctrinæ Catholicæ, non laborabunt ignorantiā mortaliter culpabili, sine qua non solùm non committitur peccatum hæresis, sed nec aliud grave cōtra fidem. Facile autem esse eiusmodi iuvenes ab hoc peccato excusari, si litteras non didicerint, & alioqui suos magistros, & parentes videant ea dogmata omnino amplecti. Deinde licèt habeant ignorātiam crassam in exquirenda veritate, quandiu tamen clarè non sciunt, dogmata hæreticorum esse contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ, contra decreta expressa Pontificum, Ecclesiæ, aut generalium Cōciliorum, quæ Pontifices confirmarunt, aut contra aliam regulam infallibilem modo dicto, non sunt hæretici, & consequenter peccatum eorum non habet annexam excommunicationem, nec est reservatum, sed absolvi potest à quolibet legitimo confessario.

DISPVTATIO III.

Vtrùm qui dubitat de aliqua veritate fidei, sit propriè infidelis, & amittat habitum supernaturalem fidei, si illum habeat?



CONveniunt Doctores, si dubium sit indeliberatum, aut ex subreptione etiam venialis culpæ, non sufficere ad infidelitatem, aut amissionem fidei; quod ipsum dicendum etiam est, licèt dubium oriatur ex ignorantia crassa, iuxta dicta in præcedente disputatione. Difficultas ergo est, an qui pertinaciter dubitat, id est, qui sciens aliquid esse revelatum à Deo, aut propositum ab Ecclesia tãquam doctrinam Catholicam, adhuc dubitat de illius veritate, sit infidelis simpliciter. Porrò nomine dubij nō intelligitur actus positivus, quo quis expressè affirmaret, mysteria fidei esse dubia, & incerta; nam hoc iudicium planè hæreticum est, & omnino contrariū doctrinæ Catholicæ: sed intelligitur quædam quasi indifferentia mentis nostræ, qua post sufficienter propositã veritatem fidei, adhuc anceps hæret, & hæsitat, an illi præbeat assensum, aut dissensum. Et quidem Doctores difficultatem hanc disputant in speciali de hæresi; sed nobis videtur hoc loco potiùs disputanda, quia communis est omnibus infidelitatis speciebus; & cùm non possit in una specie dici aliquid, quod eodem modo nō sit verum in alijs, authores, qui de hæresi in speciali loquuntur, referemus, ac si de infidelitate in communi loquerentur. 1.

Prima igitur sententia docet, eum, qui prædicto modo dubitaret, non esse 2.

infidelem. Ita quidam eruditissimi authores, quos tacito nomine refert Canus 12. de locis cap. 8. aliàs 9. ad 4. Et deduci potest ex Scoto, qui in 3. dist. 23 q. un. § *Ad quæst. Fides* (inquit) *non excludit omnē dubitationem, sed dubitationē vincentem, & trahentem in oppositum*. Cùm ergo ille, qui dubitat de rebus fidei, nō trahatur in aliquid oppositum fidei, sed anceps perseveret, ut vidimus, non amittet fidem, ac proinde non erit infidelis secundum illum Doctorem. Potissimum huius sententiæ fundamentum est, quia ille solus dicitur, & est infidelis, aut hæreticus, qui pertinaciter sentit aliquid contrarium fidei divinæ; sed qui dubitat, nihil sentit contrarium fidei divinæ, solùm enim est anceps, & in neutram partem propendet; ergo non est infidelis, aut hæreticus. Cōfirmatur, quia qui de reb⁹ fidei habet opinionē, non est infidelis, cùm fides, & opinio de eadem veritate non repugnent; sed opinionis actus affert intrinsecè dubitationem; ergo dubitatio de rebus fidei non est infidelitas, nec reddit hominem infidelem.

Canus. Scot.

3. Secunda sententia est Cani suprà, & Francisci de Christo quæst. 3. de hæresi, argumento 2. quæ triplici propositione declaratur. Prima: Ille, qui deliberatè dubitat de rebus fidei, amittit habitum fidei. Hoc docet absolute Franciscus; Canus verò solùm ait, sibi videri vehementer probabile. Probat, quia fides nullam dubitationem compatitur, eo quod fides ambiguum non habeat, ut ex S. Bernardo refert. Secunda propositio: Si Methaphysicè loquendū sit, qui dubitat de fide, non est infidelis, aut hæreticus. Probat Canus ratione, quam attulimus pro prima sententia. Tertia propositio: Moraliter loquēdo, seu iuxta leges communes, prædictus homo est infidelis, quia incredibile est, illum, qui de omni veritate Catholica dubitat, non contradicere alicui articulo, aut propositioni, quam fides doceat.

Canus. Franciscus à Christo.

4. Tertia sententia communis, & vera docet, eum, qui deliberatè dubitat de omnibus, vel de aliqua propositione fidei, esse verè infidelem, aut hæreticū, ac proinde amittere habitum fidei supernaturalis, quem secundum omnes expellit hæresis. Ita B. Thomas q. 10. art. 7. Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. art. 3. dub. 2. Maior dist. 25. q. 4. conc. 7. Almain tract. 2. Moral. cap. 5. proposit. 4. cum Ochamo; Caietanus q. 11. art. 2. Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punit. cap. 7. Torres 1. p. q. 32. art. 4. in 3. p. Commentarij assert. 5. Toletus lib. 4. instruct. cap. 4. Aragon q. 11. art. 2 dubio de hac re, Palacios in 3. dist. 25. dis. 7. paulò post initium, & Valencia q. 10. p. 1. q. 3. docet amitti habitum fidei ab eo, qui deliberatè dubitat. Probatur primo testimonio Stephani Papę, quod habetur in cap. 1. *De hæreticis*: *Dubius in fide, infidelis est*. Vbi id ipsum expressè docent Glossa, Panormitanus, Felinus, & Præpositus in cap. *Nec licuit* dist. 17. afferens prædictum caput *De hæreticis*: nec vidi Canonistam, qui caput hoc nō intelligat de propria infidelitate; quare immeritò Canus refert solutionem Doctorum primæ sententiæ, quod scilicet Pontifex non loquatur de hæresi, seu de specie infidelitatis propria.

S. Thom. Gabriel. Maior. Almain. Caietan. Castro. Torres. Tolet. Aragon. Palac. Valenc. Stephanus Papa Glossa. Panor. Felinus. Præpos.

Secundò probatur ratione, quam breviter, sed optimè tetigit Toletus suprà: Ille, qui cū pertinacia, seu sciens & prudens dubitat de veritate fidei, saltē virtualiter iudicat, res nostræ fidei esse incertas; sed hoc iudicium est planè infidele; ergo reddit hominem absolutè infidelem, ac proinde privat habitu fidei. Minor est omnino certa, cùm fides doceat, doctrinam Catholicam esse omnino certam. Maiorem probo, quia deliberatè dubitare de re aliqua, est velle se gerere circa illam tanquam circa rem incertam, & quæ in utramq; partem disputari potest, & subiacere falsitati; nec enim ullus unquam dubitavit de re, quam certā, & infallibilem esse supponebat: involvitur ergo in dubitatione iudicium, quo quis affirmat, rem fidei esse incertam, sive illud formet explicitè, sive implicitè: cùm autē iudicium hoc sit contrarium fidei, fidē destruet, & efficiet infidelem. Confirmatur, quia qui seclusa ignorantia non est paratus sentire id, quod sentit Ecclesia, verè est pertinax in suo assēsu, nec potest credere: sed qui deliberatè dubitat de rebus fidei, non est paratus sē- 5

tire id, quod sentit Ecclesia; ergo est pertinax in suo assensu, & non potest credere. Consequentia est evidens, & maior patet, quia sciens & prudés persistit in suo dubio, quod est contrarium sensui Ecclesiæ, & non potest elicere actum fidei, qui cùm sit omnino certus, non potest compati deliberatũ dubiũ. Rursus qui non potest credere, & non vult consentire doctrinæ Ecclesiæ, non potest habere actũ fidei; ergo iure optimo privatur habitu ad illum inclinate; ergo est infidelis, aut hæreticus.

6. Ad rationem primæ sententiæ respõdetur negando minorem absolutè, quia qui dubitat, saltem implicitè sentit cõtra doctrinam Ecclesiæ, & veritatem fidei, cuius doctrina est omnino certa. Ad confirmationem constat ex Logica, non esse de ratione opinionis actualem dubitationem, aut formidinem de veritate obiecti, sed solùm talem modum tendendi, ex vi cuius non redditur certus intellectus, licèt aliunde sit certus. Dico ergo, bene posse haberi opinionẽ de rebus fidei sine infidelitate, quia tunc nulla est dubitatio propriè loquẽdo. Quod si aliqui authores dicunt, de rebus fidei non posse esse opinionem in vero Catholico, intelligũt nomine opinionis assensum admixtum actuali dubitationi, aut formidini.

7. Quod attinet ad secundam sententiam, prima propositio vera est, ut patet ex dictis. Secunda falsa, quia in rigore omnino Metaphysico ille, qui deliberatè dubitat, saltem implicitè format iudicium contrarium fidei. Tertia propositio non mihi placet, tum quia ad nostram sententiam parum refert; tum maximè quia si velit, ut velle videtur Canus, non posse dubitari de fide, quin expressè iudicetur aliquid cõtrarium fidei, non mihi videtur verum, præsertim si dubiũ non sit de tota fidei doctrina, sed de aliquibus articulis; nulla enim est ratio, quæ id sufficienter persuadeat. Adde quod, ut dubiũ hoc reddat hominem infidelem, sufficit dubitare de una, vel altera veritate fidei, ut cõstat ex dictis; aliter vix esset ullus infidelis, cùm vix inveniatur aliquis, præsertim hæreticus, qui in multis articulis nostræ religionis non conveniat:

sed omnino certum est, posse etiam moraliter dubitari de uno articulo, quin expressè iudicetur verũ aliquid illi contrarium; ergo ex dubio in fide non colligitur moraliter hæresis, si ad hæresim requireretur expressum, & formale iudicium contrariũ. Solùm ergo qui dubitat, est hæreticus propter illud iudicium implicitum, quod diximus: cùm autem hoc iudicium etiam Metaphysicè loquendo includatur in dubio deliberato, consequens est, etiam si Metaphysico rigore disputemus, eiusmodi hominem esse infidelem.

In fine huius disputationis petet aliquis, an qui dubitaret, an aliqua propositio sit de fide, & tamen illam negaret cum pertinacia, amitteret fidem. Respondetur primo, si probabiliter crederet non esse de fide, non necessario peccaret illam negando, ac proinde nec fidem amitteret. Secundò, si verò prorsus esset anceps, & nihilominus eã sciẽter negaret, adhuc non amitteret fidẽ. Probatur, quia ille non est pertinax, cũ ad pertinaciam requiratur recessus ab eo, quod quis scit esse de fide: qui autẽ dubitat, an aliquid sit de fide, peccat quidem graviter illud negando, propter periculum errandi; cui se exponit; sed cùm non sciat se dissentire ab Ecclesia, non habet pertinacia, sed potiùs est paratus obedire, & ita non amittit fidẽ, quia hæc sine pertinacia non amittitur, ut suprà dictum est. Et sanè eadẽ est difficultas in prædicto casu, atq; in illo, qui ob ignorãtiam culpabilem erravit, & tamen ille non amitteret fidẽ, ut suprà dixi; ergo &c. 8.

DISPVT. IIII.

Quidnam aliud reddat hominem infidelem, & destruat habitum fidei? Vbi de multiplici genere propositionum, quæ notari solent à Theologis.

QVod attinet ad apostasiam, patebit ex infrà dicendis, si illa sit recessus à fide, reddere hominem simpliciter 1.

citer hæreticum, ac proinde destruere fidem; si vero solùm sit recessus ab ordine, vel religione, aut obedientia mãdatorum spectantium ad mores, non esse infidelitatem, sed posse reperiri simul cum fide. Schisma vero, ut rectè notat Toletus in explicatione Bullæ Cœnæ, excommunicatione 1. non est aliud, quàm recessus ab obedientia Sũmi Pontificis; &, si id fiat sola voluntate non obediendi, non est infidelitas, ac proinde permanere potest habitus fidei: si vero id proveniat ex eo, quod quis pertinaciter sentiat, Romanum Pontificem non esse caput totius Ecclesiæ, aut de eo scienter dubitet, verè reddit hominem infidelem, & destruit fidem. Solùm superest expendamus varia genera propositionum, quibus solet inuri nota erroris, temeritatis, aut alia similis, ut videamus, quam habeant cũ fide repugnantiam, & quo pacto agnoscendæ sint, & quale peccatum sit eis assentiri.

Tolet.

2. Ac primum quidem locum obtinet propositio hæretica, seu expressa infidelitas; & hæc est, quæ directè, & immediatè cõtradicit alicui veritati revelatę à Deo, & quam appellamus propositionem de fide; & hæc quidem reddit hominem infidelem, & destruit habitum fidei, quem habebat, qui pertinaciter illam asseveravit, ac proinde commisit mortale peccatum, sine quo fides destrui non potest in hac vita. ¶ Advertẽdum hic obiter est primò, licèt nullus sit propriè, & absolutè infidelis, nisi qui scienter negat veritatem fidei, aut de illa dubitat; adhuc tamen propositionem aliquam secundum se sumptam, & abstractã à quolibet subiecto dici posse, & solere hæreticam, aut hæresim, aut infidelitatẽ, non quia illã pręcisè sumpta, & sine pertinacia reddat hominem infidelem, sed quia de se est sufficiẽs, ut qui illam affirmaverit, adiuncta pertinacia reddatur infidelis, id est, hęreticus, si sit baptizatus; vel Paganus, si nihil de fide admiserit, &c. Vide, quæ circa hoc disputat Bañez q. 11. art. 2. circa tertiam conclusionem B. Thomæ; res enim spectat ad modum loquendi, & nonnullis videtur non esse dicendam propositionem hæreticam absolutè, nisi in ordine ad pertinaciam, quam habet, qui illam affirmat. Secundò adverto, si aliquis existimaret, aliquam propositionẽ esse definitam ab Ecclesia ut de fide, licèt verè nõ fuisset definita, & nihilominus scienter illam negaret, esse absolutè hæreticum, seu infidelem, & amittere fidem, quia verè ipse, quãtum est ex parte sua, seu formaliter loquendo, repugnat veritati fidei, & non consentit doctrinæ Ecclesiæ, licèt per accidens, & quasi materialiter non repugnet, eò quòd illa propositio re vera non fuerit definita ut dogma fidei.

Bañez.

3. Tertiò ad meliùs intelligendam naturam propositionis hæreticæ, seu absolutè infidelis, explicandum breviter est, quidnam requiratur, ut aliqua propositio sit de fide, ac proinde ut credi posfit per actum elicitum ab habitu supernaturali fidei. Dico ergo, illam propositionem esse de fide, quæ à Deo revelata est, ac proinde illam esse hęreticam, seu infidelem propriè, quæ illi contradicit cum pertinacia asserentis. Et quidem propositionem aliquam esse revelatam à Deo constare potest, vel quia habetur expressè in Scriptura Canonica, vel quia traditione Ecclesiæ, aut declaratione Concilij Generalis, & approbatione Summi Pontificis cõstat de tali revelatione; vel deniq; quia alicui speciali personæ ita proponitur credenda, ut non dubitet esse revelatã à Deo: si verò solùm inferatur ex propositione revelata, non est de fide, nec qui illam negat præcisè, est hæreticus, aut fidem amittit: de quo initio primæ partis dictum est ex professo.

4. Secundum locum obtinet error, seu erronea propositio, de quo varia dicit Canus lib. 12. de locis cap. 10. aliàs 11. sed non omnia placent, & bene refelluntur ab Aragone suprà. Alphonsus à Castro lib. 1. de iusta hęret. punit cap. 3. docet, hoc esse discrimen inter propositionem hæreticam, & erroneam, quòd illa est contra credibilia, quæ superant omnem virtutem intellectus; hæc verò contra ea, quæ ratione naturali probari possunt. Addit tamen, si aliqua propositio ita posset lumine naturæ cognosci, ut simul foret revelata, tunc fore simul erroneam, & hæreticã,

Canus.
Aragon.
Castro.

Sed hoc mihi non placet, quia quantumvis aliquid superet captum nostrũ, si non sit revelatum à Deo, sed sub opinione Doctorum, non erit error, aut hæresis illud negare; si verò sit revelatum, semper erit hæresis in vero Catholico scienter illi dissentire.

5. Est igitur error propriè, & in rigore, propositio opposita conclusioni Theologicæ, præsertim illi, quæ infertur ex utraque præmissa de fide; nam error continetur immediatè post hæresim inter notas, seu censuras: sicut ergo hæresis opponitur fidei, ita error opponitur conclusioni, quæ est immediatè illata ex principijs fidei. Ita videtur docuisse Bañez quæst. 11. art. 2. quamvis quoniam iste error parum differt ab hæresi, soleat interdum hæresis appellari, ut tam Bañez suprà, quàm Molina 1. par. quæst. 1. artic. 2. notaverunt. Secundò potest etiam dici erronea propositio secundum Canum illa, quæ opponitur alicui veritati, quæ secundum communem sapientum opinionem est de fide, sed nondum ab Ecclesia definita est, aut clarè constat inferri ex Scriptura, vel alijs principijs fidei: quod etiam videntur admittere Bañez, & Aragon. Et quidem qui istam propositionem erroneam assereret, peccaret mortaliter, quia maximo periculo se exponit negandi veritatem fidei, sed non amitteret habitum fidei.

Bañez. *Molina.* *Can. Bañez. Aragon.*

6. Tertiò dubitaret aliquis, an propositionem incertam affirmare ut omnino certam de fide, sit error, vel hæresis. Affirmat Castro suprà cap. 8. dub. 4. Vnde existimat esse hæreticum, seu errare in fide illum, qui doceret v. g. esse dogma fidei, B. Virginem fuisse sine originali conceptam: affertque S. Augustinum tom. 3. in Enchiridio cap. 17. ubi ait, errare esse habere incertum pro certo. Et quidem si Ecclesia proposuisset ut fidei dogma, rem aliquam non esse certam, hæreticus esset, qui illam scienter negaret, ut satis patet. Si verò Ecclesia statuisset, rem aliquam esse adhuc dubiam, id tamen non definiret tanquam ex Scriptura, aut traditione, vel divina revelatione constans, non foret hæreticus, qui illam esse certam reputaret, quia non negat aliquid, quod sit de fide: censenda tamen esset eius propositio error, vel errori proxima, quia omnino certum est Ecclesiam in eiusmodi censuris errare non posse, ut rectè docuit Bañez suprà ad finem artic. 2. hęc enim omnia spectant ad doctrinam fidei, & institutionem fidelium, in quibus Ecclesia habet à Deo infallibilem authoritatem. Si denique nihil definivisset Ecclesia, sed aliquis pro cerebro suo diceret esse de fide id, quod alij dicunt non esse de fide, posset quidem temerarius, aut alia minori nota dignus reputari pro qualitate rei, & fundamentis, quæ affert; sed non esset error in fide, quia nihil diceret supra id, quod infertur ex principijs fidei per legitimam consequentiam. Neque hoc est contra Augustinum, qui in eo loco errorẽ in latiore significatione accepit, scilicet pro deceptione in qualibet materia.

Castro. *S. August.*

7. Tertium locum obtinet propositio temeraria: illa nimirum est, quæ in doctrina fidei, vel morũ asseverat aliquid insolẽter, aut nimis audacter, sine verisimili fundamento; ut si quis doceret, intra quatuor annos, aut octo mundum esse finiendum. Ad hoc etiam revocatur propositio, quæ in doctrina Theologica discederet à communi doctrina Scholasticorum, qui rem illam ex professo disputarunt; aut quæ esset contra aliquam revelationẽ verisimiliter probatam, vel contra authẽticam historiã, &c. quod verum est, quãdo non est sufficiens fundamẽtum, quod urgeat oppositum. Vide Aragonem suprà, & Castrum cap. 3. Solùm nota, certum esse ratione propositionis temerariæ non excludi fidem, cùm non sit contrarium quidpiam propositioni de fide.

8. Quarto sunt multa alia genera propositionum, de quibus Corduba latè in primo Quæstionario quæst. 17. & Castro suprà. Est enim alia scandalosa, quæ scandalum gignit, & alijs est occasio peccandi, aut recedendi à bono: v. g. *impertinens esse Christiano ieiunare.* Alia offensiva piarum aurium, quæ scilicet, ut profertur sine limitatione, offendit homines pios, & doctos; ut si quis dicat, *Deum esse authorem mali*; quamvis si

Corduba. Castro.

addatur *mali pœnæ*, verissima sit. Et sic de alijs, quarum varia exempla afferunt citati: Et quidem istæ propositiones non excludunt fidem, nisi aliunde sint hæreticæ; est tamen peccatum illas affirmare, quando adest scandalum.

9. Postremo numeratur propositio sapiens hæresim, errorem, temeritatem, aut aliam similem notam: eiusmodi autem propositiones ex circunstãtijs personæ, loci, & temporis colligẽdæ sunt, possunt enim habere verum sensum, sed ex circunstantijs elucere potest sapor hæresis, aut erroris: v.g. si Catholicus diceret in persona Christi Domini, *Pater maior me est*, sicut ipse etiam Christus Dñs dixit in Evangelio, intelligeretur in bono sensu, scilicet secundum humanitatem: si verò illa propositio legeretur in libris Arianorum, saperet hæresim, quia illi sentiebant Christum Dñm omnino esse inferiorem Patre. Similiter ista, *Deus non habet affectionẽ corpoream risibilitatis*, censeretur vera propositio, si proferretur à Catholico, quãdo disputat de Deo in 1. parte; at verò si proferretur in materia de Incarnatione ab aliquo, qui sentiret Deum nõ potuisse fieri hominem, diceretur sapere errorem, quia indicaret illum sentire, Christum Dominum non esse risibilẽ. Et quidẽ ista propositio bona fide prolata à Catholico vera est, ut diximus; in hæretico vero posset esse mortale peccatũ, si illã in sensu erroneo affirmaret.

DISPVTATIO V.

De causis infidelitatis.

1. PRIMO loco numerari potest causa formalis, quæ nõ differt ab essentia actus, quo quis constituitur infidelis, seu ab illius definitione, quæ in hunc modum exhiberi potest: *Infidelitas est liberum iudicium, quo pertinaciter negatur fides* Dicitur *iudiciũ*, quia sola apprehensio non sufficit, ut satis patet: & licèt nõ requiratur semper iudicium expressè contrarium fidei, requiritur tamen saltem virtuale, iuxta dicta disp. 3. Ex quo infertur, non committi infidelitatem, nec consequenter destrui habitum fidei, eò solùm quod quis non eliciat actum huius virtutis, etiam quando ad illum eliciendum teneretur; quamvis enim tunc peccaret contra præceptum exercendi fidẽ, non tamen peccaret actu contrario fidei, quod necessarium est ad infidelitatem, ut constat ex cõmuni consensu. Rursus debet istud iudicium esse liberũ, quia hic loquimur de infidelitate, quæ est peccatum, & pertinet ad secũdam acceptionem ex relatis disp. 1. nullum autem peccatũ esse potest sine libertate.

Secundò, causa materialis, seu obiectum, circa quod versatur infidelitas, multiplex esse potest, iuxta dicenda disputatione sequente; causa verò materialis propria, seu subiectum inhæsionis est intellectus, quia iudicium pertinet ad facultatem intelligendi. Addit autẽ B. Thomas in art. 2. requiri aliquem actum ex parte voluntatis, quia sine consensu voluntatis, non est peccatum; & quamvis nonnullis videatur nõ semper requiri positivum actum voluntatis ad infidelitatem, mihi oppositum videtur longè probabilius, & ad mentẽ B. Thomæ. Probatur, quia infidelitas vel est expressum iudicium contrariũ doctrinæ fidei, & hoc cùm non sit evidenter verum, non potest elici ab intellectu sine determinatione voluntatis, quæ imperare debet quemlibet assensum non evidentem, ut tract. 9. dicebamus; si verò sit solùm pertinax dubium rerum fidei, etiam requirit positivum voluntatis consensum, quo velit dubitare, & virtualiter iudicare, res nostræ fidei esse incertas: cùm enim hoc etiam non sit evidens, indiget determinatione voluntatis, maxime ut sit pertinacia ad infidelitatem necessaria. 2. S. Thom.

Tertio, causa efficiens infidelitatem est intellectus simul cum speciebus, & ad hanc revocari possunt causæ morales, illæ scilicet, quæ persuadent, aut consulunt infidelitatem; vitia etiam, quæ obscurare solent intellectum, ut erret. Denique finis esse potest licentia vivendi iuxta carnis voluptates, vel aliquid aliud, quod hominem moveat ad negandam fidem; quamquam si spectetur finis divinæ 3.

provi-

providentiæ in permittendis hæresibus, multæ aptæ rationes huius permissionis reddi possunt, quas brevitatis causa omitto: videâtur S.Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ column. 4. & S. Augustinus 16. de civitate cap. 2. qui ita intelligunt illud Pauli 1. ad Corint. 11. *Oportet hæreses esse*: licèt Theodoretus non de diversitate dogmatum, sed de contentionibus explicet.

S.Cyprian. *S.August.* *1. Ad Corint. 11.* *Theodor.*

DISPVT. VI.

Vtrùm infidelitas adæquatè dividatur in Hæresim, Iudaismum, & Paganismum?

SECTIO I.

Statuitur cum S. Thoma, divisionem hanc esse adæquatam.

1. Licèt infideles generali nomine dicantur illi, qui fidem non susceperunt, vel nihil doctrinæ Catholicæ audierunt; hic tamen intelliguntur illi, qui fidei sufficienter propositæ dissentiunt, ac proinde committunt positivum peccatum infidelitatis. Docet ergo B.Thomas quæst. 10. artic. 5. infidelitatis, atque adeò infidelium species esse posse innumeras, si attendantur varij errores, ratione quorum potest quis à fide discedere: quod satis suadet experientia; videmus enim in Doctoribus, qui hæresum catalogum scripserunt, innumeram errorum multitudinem. Si verò consideretur infidelitas secundum comparationem ad fidem, id est, secundum varios modos, quibus concipi potest oppositio infidelitatis cum fide, sic docet, tres tantùm esse species infidelitatis: si enim quis repugnat fidei susceptæ in ipsa manifestatione veritatis, ut suscipitur à Catholicis, committit peccatum hæresis, & est hæreticus; si verò repugnat eidem susceptæ in figuris, & umbris, sicut suscipitur à Iudæis, sic committitur peccatum Iudaismi, & constituitur homo Iudæus; si denique contradicat aliquis fidei, quam nunquam suscepit, est Paganus: cùm ergo non videantur excogitari posse alij modi repugnandi fidei, consequens est adæquatam esse infidelitatis divisionem in has tres species. Atque hæc res fiet dilucidior, si ad singula membra dividentia descendamus.

S. Thom.

SECTIO II.

De primo membro huius divisionis, scilicet hæresi.

Prima species est hæresis, quæ nimirum constituit hominem hæreticum: ut autem aliquis sit hæreticus, requiruntur nonnullæ conditiones. Prima, ut post semel susceptam fidem Catholicam, & illi sufficienter proposita ea, quæ requiruntur ad credendum, contradicat, aut repugnet: hæc autem susceptio secundum omnes fit in Baptismo, ubi infunditur habitus fidei ad credenda omnia, quæ in lege Gratiæ manifestata sunt. Dubitant autem Doctores, an Cathecumenus, qui iam credidisset doctrinam Evangelij, posset esse hæreticus, si contradiceret fidei ante Baptismum. Partem negantem sequitur Aragon quæstione 11. articulo 2. dubio 3. de hæreticis: affert Caietanum in eo articulo, & Sylvestrum hæresis 1. quæstione 2. Sed neuter id docet: solùm enim requirunt ad hæresim, quòd quis sit Christianus, aut quòd sit professus fidem: utrumque autem haberi potest sine Baptismo in re suscepto. Probatur tamen sententia Aragonis, quia hæreticus est, qui priùs fidem solemniter professus fuerat, hæc autem solemnitas non est ante Baptismi susceptionem. Castro verò lib. 1 de iusta hæreticorum punitione cap. 8. dubio 1. censet, Cathecumenum rectè instructum in fide, qui Baptismum iam petierat, si posteà contradicat, esse hæreticum, & ut talem puniendum, si non resipiscat, licèt punitio futura sit magis mitis, quàm si Baptismum suscepisset. Probat, quia iste iam suscepit fidem, & factus est mem-

2.

Aragon. *Caietan.* *Sylvest.*

brum Ecclesiæ; ergo si se ipsum separat, hæreticus est, & dignus supplicijs hæreticorum.

3. Bañez. Mihi valde placet sententia media, quam Dominicus Bañez quæst. 10. art. 5. argumento 3. secutus est; scilicet eiusmodi hominem esse hæreticum, licèt in foro exteriori non possit Ecclesia illum excommunicare, aut alio modo punire. Prior huius sententiæ pars rectè probatur ab Alphonso de Castro, nam ut suppono ex tract. 6. interna fides est forma essentialis Ecclesiæ, & per illam verè suscipitur doctrina Evangelica; cùm ergo hæresis sit infidelitas reperta in eo, qui fidem suscipit in ipsa manifestatione veritatis, ut docet B. Thomas, planè talis homo hæreticus esset. Verum quidem est, Baptismum esse ianuam, qua quis visibiliter ingreditur Ecclesiam, & magis solemniter profitetur fidem, ac proinde gravius esse peccatum hæresis, & absolutè publicum in eo, qui iam Baptismum suscepit. Ex quo patet posterior pars nostræ sententiæ, nam cùm Ecclesia habeat regimen visibile, non videtur ipsi omnino subiectus, qui per visibilem Baptismi ianuam non est ingressus; non ergo habebit iurisdictionem ad puniendum, aut excommunicatione feriendos homines, qui baptizati non sunt: nec videtur consentaneum praxi Ecclesiæ docere, illum esse excommunicatum, qui inter infideles aliquando credidit, & ante Baptismum resipuit. Et in hoc vera est sententia Caietani, Sylvestri, & Aragonis: ad cuius fundamentum respondetur, illam solemnem professionem requiri ad hæresim magis perfectam, non verò ad essentialem rationem illius, sicut ut quis pertineat essentialiter ad Ecclesiam, sufficit interna fides, quamvis Baptismus plenè, & perfectè constituat hominem intra illam.

4. Secunda conditio ad hæresim necessaria est, ut asseveretur aliquid contrarium fidei, vel saltem dubitetur de fide, iuxta dicta disputatione 3. & 4. illa enim, quæ ibi diximus sufficere ad amittendam fidem, requiruntur, & sufficiunt in homine Catholico, ut dicatur hæreticus.

Tertia conditio est, ut prædicta asseveratio, vel dubitatio sit cum pertinacia. Sic docet communis sententia. Imprimis S. Augustinus tom. 2. epistola 162. initio, & habetur cap. *Dixit Apostolus* 24. quæst. 3. *Qui sententiã* (inquit) *suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Quod ibidem rectè notavit Glossa. Deinde id expressè asserunt B. Thomas quæst. 11. art. 2. ad 3. & lectione 4. in cap. 11. prioris ad Corinth. Maior in 3. distinct. 25. quæst. 3. Almain tract. 2. Moral. cap. 5. propositione 3. Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 7. Panormitanus in cap. 1. *De hæreticis*, Aragon quæst. 11. artic. 1. & ibidem Bañez cum alijs. Atque hanc veritatem confirmat primò ipsa nominis etymologia, *hæresis* enim derivatur à verbo Græco *hæreome*, ut docent periti huius linguæ, quod significat *eligere*: unde hæresis est quælibet sententia ex propria electione habita; electio autem denotat scientiam in eligente, quare qui errat sine pertinacia, id est, sine cognitione, quòd erret, non propriè eligit errorem, ac proinde non est hæreticus. Vbi adverte, licèt hæresis accipi possit pro quavis sententia ex propria electione habita, iam tamen pressiùs accipi pro sententia contraria rebus fidei. Confirmatur secundò eadem veritas, quia quandiu aliquis non negat cum pertinacia dogma fidei, paratus est adhuc obedire Ecclesiæ; non ergo æquum est ab illa separari tanquam hostem, & hæreticum. 5. S. August. S. Thom. Maior. Almain. Castro. Panormi. Aragon. Bañez.

Quarta conditio ad hæresim requisita est interior mentis assensus, quare qui exteriùs solùm negaret fidem, non posset esse hæreticus, quia non amitteret fidem: cùm enim hæc consistat in interno iudicio mentis, non destruitur, nisi interiori iudicio contrario. Neque contra hanc doctrinam urget caput *Contra Christianos*, *De hæreticis* in Sexto, nam ibi solùm dicitur, Christianos baptizatos esse puniẽdos ut hæreticos, si ad ritum transierint Iudæorum, & hoc confessi fuerint, aut à testibus convicti; quod quidem verissimum est, sive quia re ipsa 6. Cap. cõtra Christian.

illi

isti à fide recessèrunt, sive quia licèt interiùs non recessissent, iustè præsumeretur oppositum, ac proinde Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, posset cum illis agere tanquam cum hæreticis, licèt coram Deo hæretici non forent. Vnde in cap. *Quisquis* 1. quæst. 1. dicitur eum reputandum esse hæreticum, qui per simoniam ordinatur, quia nimirum ex hoc, aut alijs operibus potest præsumere Ecclesia hominem aliquem non bene sentire de fidei nostræ mysterijs, quamquam si re vera bene sentiat, hæreticus non sit; & ita rectè Canus 12. de locis cap. 8. aliàs 9. ad 3. cum doctis Theologis, & Iuris-peritis censuit, externa hæc opera diligenter excutienda esse, &, si non ex errore intellectus, sed ex aliqua passione inordinata constiterit provenisse, tunc non ut hæresis, sed alia leviore animadversione punienda. Quæ autem sint illæ actiones externæ, ex quibus Censores fidei colligere possunt aliquem esse hæreticum, in ipsorum praxi erunt præstitutæ. Vide Aragonem quæst. 11. artic. 2.

Canus.

Aragon.

7. Sed obijciat aliquis illud vulgare pronunciatum, *Ex verbis inordinatis incurritur hæresis.* Cuius sensus esse videtur, sufficere verba inordinata ad constituendum hæreticum, licèt mente retineat Catholicam doctrinam. Respondet Canus suprà, se vix assensisse huic axiomati, quod licèt tribuatur S. Hieronymo, in illo tamen non reperitur, sed in Theologis Scholasticis: sensum tamen illius esse posse, quòd secundum exterius forum præsumi possit hæresis ex inordinatis verbis. Bañez quæst. 11. artic. 2. circa secundam conclusionem multa dicit circa hoc pronunciatum, quæ mihi non videntur necessaria; legitimus enim sensus illius est, propositionem aliquam reddi hæreticam, aut erroneam ex eo, quòd in ea constituãtur aliqui termini, qui non deberent eo modo constitui, sed alio, quem Catholici admittunt, & ita posse esse hæreticum illum, à quo pertinaciter defenderetur. V.g. hæc propositio, *Essentia divina est res, quæ generat*, verissima est, quia significat essentiam esse idem realiter cum Patre, qui generat Filium: hæc verò, *Essentia generat*, damnatur in Concilio Lateranensi, quia significat, essentiam secundum id, quo distinguitur à Patre, generare; & ita damnaretur, qui illam pertinaciter affirmaret: non ergo probatur hoc axiomate, solã externam affirmationem hæresis absq; interno consensu sufficere, ut quis censeatur hæreticus.

Canus.

Bañez.

Quintam conditionem requirit Corduba lib. 1. quæst. 17. §. 1. dub. 2. ut scilicet hæreticus solùm sit ille, qui negat veritatem Ecclesiæ revelatam, non verò illam, quæ ipsi soli revelaretur: quod etiam sentient authores, qui in tract. 1. disp. 6. existimarunt, veritates revelatas specialibus personis non pertinere ad divinam fidem. Sed nos, qui hoc esse falsum ibidẽ ostendimus, consequẽter dicimus, satis esse ad hæresim negare quamlibet fidei veritatem sufficienter propositam, quia verè sufficit hoc, ut Catholicus amittat fidem, quamvis Ecclesia illum non puniret, quamdiu illam specialem revelationem tanquam omnino certam non approbasset. 8.

Corduba.

SECTIO III.

De secundo, & tertio membro divisionis, scilicet Iudaismo, & Paganismo.

Secunda infidelitatis species est Iudaismus, cuius essentia in eo consistit, ut quis nondum susceperit doctrinã Evangelij, atque adeò veram fidem, sed solùm umbram, & figuras illius, quibus Evangelium adhuc apud illos obvelatum est. Ex quo infertur, eos, qui postquàm Baptismum susceperunt, aut Catholicam doctrinam secuti sunt, resipiscunt, & sectam Iudæorum profitentur, non esse in rigore Iudæos, prout hic Iudaismum accipimus, sed potiùs esse hæreticos, iuxta ea, quæ hactenus de hæresi diximus; quamvis largè dicantur Iudæi, quia illorum dogmata amplectũtur; sicut etiam largè dicerentur hæretici filij hæreticorum, etiamsi non essent baptizati, nec fidei habitum accepissent, quia sequuntur sectam parentum suorum. Notandum breviter est, ad hanc speciẽ infidelitatis requiri pertinaciam, & reliqua, quæ suprà diximus 9.

requiri ad perfectam rationem infidelitatis, & ut quis amittat habitum fidei, quod ipsum pro tertia specie infidelitatis dictum sit.

10. Tertia ergo species est Paganismus, id est, infidelitas illorum, qui nec Evangelium, nec eius figuras admittunt: & quamvis largè dici soleant Pagani omnes infideles, qui nihil omnino de rebus nostræ fidei audierunt, non est tamen propria species infidelitatis, nec speciale peccatū, donec fides illis sufficienter proponatur, iuxta dicta in prima disputatione.

SECTIO IIII.

Nonnullæ difficultates circa divisionem infidelitatis expediuntur.

11. EX dictis expediri possunt nonnullæ difficultates circa sufficiētiam huius divisionis in tres species enumeratas. Prima est: Idem error credi potest ab hæretico, Iudæo, & Pagano, ergo eiusdem speciei sunt illorum omnium infidelitates. Respondetur concesso antecedente negando consequentiam, quia diversitas harum specierum non tam sumitur ex diversitate errorum, quàm ex diversitate modi, quo negant fidem, satisque constat ex dictis illum esse diversum, sive negetur ab illis omnibus eadem veritas, sive non.

12. Secunda difficultas est, ad quam ex prædictis speciebus revocanda sit infidelitas illius, qui cùm in infantia baptizatus esset, postea amplectitur sectam Iudæorum, aut hæreticorum. Respondetur supponendo generalem doctrinam in hac materia, scilicet ignorantiā invincibilem status, quem habet ille, qui negat fidem, efficere, ut non illi imputetur culpa, quæ cōmittitur ab illis, qui eum non ignorant invincibiliter; sicut è contrà ille, qui putaret se habere statum illum, quē habet, qui negādo fidē, fit hæreticus, fieret etiā formaliter hæreticus negando fidē, quantūvis talē statū nō haberet. Ex quo fit primò puerū baptizatū, cui postea proponeretur fides, si ipse invincibiliter ignorans se esse baptizatum, negaret fidem, non fore hæreticū, quia ipse non recedit à fide, quā noverit se suscepisse; perindeq; fit ad suam infidelitatem fuisse baptizatum, ac si non fuisset: quare ille erit Iudæus, si priùs figuram, & umbram Evangelij suscepisset; Paganus verò, si nihil omnino ad Evangelium spectans credidisset. Si autem id non ignorabat invincibiliter, erit hæreticus, quia sciebat, aut scire tenebatur, fidem fuisse ab ipso susceptam in manifestatione veritatis, & adhuc illā pertinaciter negat; utrovis autē modo se gerat, amittit habitum fidei in infantia acceptum, quia hic destruitur quocumq; assensu pertinaci, qui doctrinæ fidei sit manifestè cōtrarius.

Secundò infertur, eum, qui re vera non fuisset baptizatus, credit tamen se esse baptizatum, & recedit à fide, committere peccatū hæresis, quia illi (quātum ad hoc spectat) perinde est non esse baptizatum, ac si verè esset; quare eādem rationem iniuriæ irrogat Deo, quā irrogaret, si fuisset verè baptizatus. 13.

¶ Tertiò infertur, eiusdem rationis esse infidelitatem Iudæorū, qui modò sunt in vana expectatione Messiæ, & illorū, qui olim Christum non receperunt post sufficienter propositam doctrinā Evāgelij, sed pertinaciter restiterūt. Patet, quia utrique eodem modo admittunt Christum, & putant se habere verum habitum fidei, quamvis illi antiqui viri haberent illum, antequàm pertinaciter deseruissent veritatem Evangelij, cùm tunc verè essent populus Dei; isti verò non habeant, aut habuerint, quia nunquam ad veram Ecclesiā pertinuerunt.

Tertia difficultas est, an qui ante adventum Christi Domini habuisset fidem, & per errorem, quem tunc profiteretur, illum amitteret, pertineret ad aliquam ex speciebus infidelitatis enumeratis. Respondent aliqui bene, divisionem infidelitatis à nobis explicatam solùm complecti sectas, quæ post adventum Christi Domini reperiuntur, quia omnes illæ desumūt speciem suam in ordine ad veritatem Evangelij iam manifestati; largè verò posset prædictus error ad hæresim revocari, quia in eo tempore erant absolutè Catholici, qui sub velamine cæremoniarum Christum profitebantur. 14.

Quarta

15. Aragon. Quarta difficultas est, an istæ species sint infimæ, an potiùs subalternæ. Respondet Aragon, esse infimas: quod intelligendum est in genere moris, seu malitiæ moralis, nam physicè loquendo possunt esse subalternæ, eò quod sub qualibet illarum contineantur innumeri errores pro varietate rationum formaliũ, à quibus potest quis ad errandum determinari; sicut è contrà possũt omnes istę infidelitates pertinere ad eamdem speciem physicam, si quis amplecteretur omnes errores propter eamdem rationem formalem, v. g. ob eiusdem hominis authoritatem.

16. S. Thom. Quinta difficultas est, quem ordinẽ habeant istę species infidelitatis, quod attinet ad malitiam illarum. B. Thomas q.10.art. 6. respondet optimè triplici propositione. Prima est: Si istæ species infidelitatis considerentur in ordine ad iniuriam, quam irrogant fidei, pessima omnium est hæresis, deinde Iudaismus, tertia Paganismus. Probat, quia ille graviorem iniuriam irrogat fidei, qui ab illa iam suscepta recedit, quàm ille, qui nunquam suscepit; ergo hæretici, & Iudæi, qui ab illa iam aliqua ratione suscepta recedunt, graviùs peccant, quàm Pagani, qui fidem nullo modo receperunt. Rursus hæretici receperunt fidem in manifestatione veritatis, Iudæi verò in figura, ergo graviùs peccant hęretici, cùm magis à fide recedant. ¶ Secũda propositio: Si consideretur id, quod per infidelitatem aufertur, sic graviùs vt in plurimum peccat Paganus, deinde Iudæus, & postremo Hæreticus. Probat, quia Pagani in pluribus errant, quàm Iudęi, & hi in pluribus quàm hęretici, qui interdum in uno, aut altero tantùm articulo deviant à doctrina Catholica. Dixi autem vt in plurimum, quia qui post susceptam fidem in Baptismo, omnino illam desereret, & incideret in plures errores, quàm incidunt Ethnici, verè foret hæreticus, iuxta dicta; & tamen in hoc genere graviùs peccaret: sed hoc raro continget, cùm pleræque hæreses nõ sint eiusmodi. ¶ Tertia propositio: Absolutè loquendo est hęresis pessima specierum infidelitatis, deinde Iudaismus, tertia Paganismus. Probat B. Thomas, quia ratio culpæ infidelitatis præcipuè sumitur ex contrarietate ad fidem, seu ex iniuria, quæ illi irrogatur ab eo, qui eã respuit; in hoc autem genere hęresis pręfertur Iudaismo, & hic Paganismo. Quod verò error sit circa plura, vel pauciora credibilia, non tam auget rationem culpæ, nec tam opponitur fidei ratione obiecti formalis, quàm ratione obiecti materialis.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm infideles adulti, & nõ baptizati cogi possint ad profitendam fidem, aut saltem ad audiendum illius mysteria?

Inter infideles adultos nõdum ablutos sacro baptismatis fonte quidam sunt in temporalibus subditi Ecclesiæ, aut Principi Catholico, quidam vero non. Rursus quidam ita non profitentur fidem, ut admittant ea, quæ fides docet iuxta dictamen legis naturæ, scilicet colendum esse unicum Deum, & similia; alij verò non solùm negãt supernaturalia mysteria, sed etiam violant iustitiæ, & naturæ leges, exhibendo cultum idolis, & innocentes occidendo. Petimus ergo, an omnes isti, vel aliqui illorum cogi possint ad profitẽdam fidem, etiam in ijs, quæ sunt supra leges naturæ, ita ut bello, vel alia violenta ratione trahantur ad nostram religionem; vel saltem ut audiant nostros concionatores. 1.

Scotus in 4. dist. 4. q. ult. & Gabriel q. 2. dub. 5. circa finem existimant, licere Principibus Christianis compellere infideles sibi subditos, ut fidẽ nostram profiteantur. Et Castro 2. de iusta heretic. punit. cap. 14. §. *Prima igitur belli causa*, docet, posse iustè inferri bellum ijs, qui nolunt ab idolorum cultu recedere, postquàm diligenter de suo 2. Scotus. Castro.

crimine admoniti sunt. Hostiensis verò, Panormitanus, Alvarus Pelagius, & Albertinus apud Covarrubiã in reg. Peccatũ. p. 2. relectionis §. 10. n. 1. putarunt, eò solùm quòd infideles nolint Catholicam religionem amplecti, posse iustè à nostris debellari.

Covarru.

SECTIO I.

Statuitur, & probatur prima assertio.

3. Dico tamen primò: Non possunt licitè Catholici cogere infideles, quicumque illi sint, ad profitendam fidem in ijs mysterijs, quæ sunt ordinis supernaturalis, cuiusmodi numerãtur Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, & quę ab his derivantur, ac proinde illicitum est ex hoc capite illis bellum inferre. Conclusio est communis Doctorum. Eam amplectuntur B. Thomas q. 10. à n. 8. ubi Bañez, Aragon, & Valẽcia q. 10. p. 6. & 7. Durandus in 4. dist. 4. q. 6. n. 8. Sotus dist. 5. q. unica artic. 10. Covarrubias suprà, Victoria in priori relectione de Indis n. 39. quamvis loquatur de infidelibus alioqui non subditis; & Iosephus Acosta de procuranda Indorum salute lib. 2. cap. 2.

S. Thom. Bañez. Aragon. Valent. Durand. Sotus. Covarru. Victor. Acosta.

4. Probatur primò testimonijs Scripturæ, in qua mittuntur concionatores Evãgelici, nõ ut districtis gladijs mortem corporis minitentur non credentibus, sed ut suavi, & efficaci divini verbi virtute alliciant ad fidem volentes, nolentes autem dimittant. Matth. 10. *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cælorum: infirmos curate, mortuos suscitate, & quicumque non receperit vos, exeuntes foras excutite pulverem de pedibus vestris: ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Ex quibus verbis, & Apostolorum praxi, quã videmus in Ecclesia semper viguisse, constat manifestè, modum persuadendi doctrinam Evangelicam non futurum esse violentum, nec armis, sed pacifica concionandi ratione annuntiandum esse Evangelium, iuxta vaticiniũ Isaiç cap. 52. *Quàm pulchri sunt pedes annuntiantis, & prædicantis pacem!*

Matt. 10.

Isaia 52.

5. Secundo probatur authoritate Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, nam in cap. *De Iudæis* dist. 45. quod desumptũ est ex Canone 55. Concilij Toletani IIII. præcipitur, *ne alicui Iudæo vis inferatur ad credendum.* Et in cap. *Dispar*, 23. q. 8. dicitur *iustè pugnari contra infideles, quando Christianos persequuntur.* Quasi diceret, ut notant ibidem Glossa, & Covarrubias suprà, id nobis non licere, quando infideles nos non insequerentur. Vnde eleganter S. Augustinus to. 10. serm. 6. de verbis Domini Catholicos alloquens, *Blandiendum* (inquit) *est Paganis, ut audiant veritatem; in vobis secanda putredo est.* Et multa alia persequitur, quę multũ faciunt pro hac conclusione.

Conc. Tol. Glossa. Covarru. S. August.

Tertiò probatur ratione, quia credere mysteria supernaturalia debet esse absolutè voluntarium, & ab omni coactione liberum, alioqui contingere poterit, ut post semel susceptam fidem facilè resipiscãt Pagani, & graviùs peccent deserentes fidem, quàm si nunquam illam suscepissent; & quamvis ipsi teneantur credere, graviterque peccent non amplectentes fidem post sufficientem propositionem, non tamẽ spectat ad Ecclesiam eiusmodi peccata punire, sed relinquere Deo punienda. 6.

Sed objiciat aliquis parabolam, quę habetur Lucę 14. ubi cùm invitati noluissent ad nuptias venire, Rex præcepit servo suo dicens: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Nec dissimilia habentur in cap. 22. Matthæi. Cùm ergo isti, qui cõpelluntur intrare, sint omnes infideles, videtur profectò licere cogere illos ad amplectendam fidem. Confirmatur, quia in cap. *Si non ex fidei* 23. q. 4. laudat B. Gregorius bella, quæ Gennadius Patricius gesserat adversus infideles, dilatandę Christianæ reipublicæ causa: & in cap. *De Iudæis* dist. 45. commendatur Sisebutus Rex, cuius tempore compulsi sunt Iudæi ad fidem suscipiendam. Respondetur, licèt parabola illa intelligatur de infidelibus, qui nunquam Christi fidem professi sunt, adhuc nihil habere contra nos, quia illud verbum *compelle*, solùm significat ita alliciendos, & persuadendos infideles, ut quodammodò cogi

7. Lucæ 14. Matth. 22. S. Gregor.

ad

ad fidem videantur, ut optimè notavit
Maldon. Maldonatus in cap. 22. Matthæi. Ad
confirmationem, quod attinet ad primum locum, rectè notat Covarrubias, intelligendũ esse de bellis gestis contra Apostatas, & hereticos, in quos Ecclesia habet iurisdictionem, ut posteà patebit, & colligitur ex contextu: vel si de infidelibus alijs loquatur, non erit sensus illius loci, posse causa solius fidei debellari infideles, sed ob alios titulos, ratione quorum possumus iustè infideles expugnare, ut si occupent urbes Ecclesiæ, vel alias iniurias irrogaverint, de quo in materia de bello. In cap. verò *de Iudæis*, laudatur quidem Sisebutus, quatenus appellatur religiosissimus princeps; sed illud factum potiùs condemnatur, cùm deinceps id fieri prohibeat Cõcilium Toletanum, ex cuius canone 55. sumptum est.

SECTIO II.

Assertio secunda huius disputationis.

8. Dico secundò: Infideles non baptizati, si subditi sint Principi Catholico, possunt ab illo cogi, ut audiãt concionatores Evãgelicos, saltem semel, aut iterum, sive posteà convertantur, sive non: & idem verum est, licèt infideles non essent subditi, dummodò non constaret nullos esse infideles, qui nollent tales concionatores audire. Primam partem reputat probabilem
Bañez. Bañez q. 10. art. 10. dub 4. conc. 4. & mihi omnino vera videtur, si fiat cum debito moderamine, ne alioqui exosa reddatur nostra religio: & probatur, quia Princeps obligare potest subditos ad opus suapte natura bonũ, quod sit illis utile, gloriosum Deo, & commodum regno suo: sed audire concionatores Evangelij est bonum, illis utile, quia fortasse convertentur saltem aliqui, & inde proveniet Deo gloria, qui vult omnes homines ad agnitio-
1. ad Timoth. 2. nem veritatis venire, 1. ad Timot. 2. & regni maxima utilitas est, omnes esse Catholicos; ergo poterit illos obligare. Secundam etiam partem docent viri docti, & sumitur ex Valencia suprà p. 6. ubi ait id licere, quando probabiliter crederetur esse aliquos in illo regno, qui fidem audirent, & fortè converterentur.

Ex quo sumitur efficax probatio, 9.
nam quandiu oppositum non constiterit, est moraliter certum, aliquos ex infidelibus unius regni, vel provinciæ & libenter audituros fidem, & ad Deũ convertendos esse; ergo cùm Ecclesia ab ipso Christo Domino Matth. ultimo acceperit potestatem docendi omnes gentes, & Marci ultimo præcipiatur Matth. & Marc. ult.
Apostolis, ut per universum mundum prædicent Evangelium, consequenter confertur illis potestas adhibendi media ad id necessaria; ergo cùm alia ratione non possent trahi ad audiendam fidem, quàm vi, & armis, licitum esset id præstare, maximè in tanto negotio, à quo dependet æterna salus illorum, qui audituri sunt. Tentanda quidẽ sunt omnia media pacis, sed distringendus gladius, ut repellatur iniuria, quã Ecclesiæ irrogat, qui prohibet in prædicto casu concionatores.

Si verò constaret, nullum esse in illa 10.
Provincia, qui vellet audire, aut converti, non possent Catholici vi, aut armis id obtinere, quia cùm prædicatio sit medium ad credendum, si illi credere nolũt, nec possunt ad id compelli; non poterunt etiam, ut audiant: neque enim Christus Dominus iussit, ut prædicarent nolentibus, sed ijs saltem, de quorum resistentia non constaret. Verum quidem est licere nostris deferre concionatores ad regna infideliũ non subditorum, hi autem tenentur illos admittere, id est, incolumes conservare, si constiterit, nullam eos velle irrogare iniuriam ipsis infidelibus; unde si barbari Catholicos impediãt, quo minus concionentur, & alijs vijs conẽtur impedire infidelium conversionẽ, licet cum illis pugnare, & vim vi repellere, ut optimè notavit Victoria in 2. Victor.
relect. de Indis n. 12. & satis colligitur ex B. Thoma q. 10. art. 8. dicente posse S. Thom.
moveri bellum contra infideles, ne fidem impediant: docetque Covarru- Covarru.
bias cum alijs suprà n. 3. Probatur totum hoc consectarium, quia in omni natione consuetum est, seclusa barbarie, pacificè recipere legatos pacis, &

illis

illis non irrogare iniuriam, quandiu ipsi seriò conati fuerint verbis, & operibus persuadere, se nolle quidquam inferre mali; ergo qui concionatores velint occidere, aut impedire, irrogant illis iniuriam, ac proinde licet nostris illos armis etiam defendere, sicut licitum est defendere innocentem etiam unicum contra infinitam nocentium multitudinem. Cavendum tamen est, ut notat Victoria, ne hac ratione potiùs impediatur conversio, si nimirum Catholici nimij sint in tuendo iure suo.

SECTIO III.

Tertia, & quarta assertio.

11. DICO tertiò: Principes Catholici possunt cogere subditos infideles, ut servent legem Naturæ, id est, non exhibeant idolis cultum, aut alia scelera committant, quæ sunt contra dictamen rationis. Ita Aragon artic. 8. *Aragon.* Molina tom. 1. de iustitia disp. 106. *Molina.* desumiturque ex Scoto, Gabriele, & alijs suprà. Probatur, quia plures leges sanciuntur à Principibus contra fures, falsarios, & alia eiusmodi crimina perpetrantes; ergo etiam possent sanciri cōtra idolatras, aut periuros, vel blasphemos, ex quorum criminibus potest provenire maius damnum reipublicæ: cùm ergo prędicti infideles alioqui sint subditi, cogi possunt, ut tā istas, quàm alias leges observent. Quòd si his, aut similibus legibus constricti vellēt converti ad nostram fidem, non propterea illis irrogaretur iniuria: quamvis enim non liceat Principi Christiano imponere subditis infidelibus onera iniusta, ut convertantur; potest tamen intra iustitiæ limites illos onerare vectigalibus, tributis, aut illos ab hac, vel illa civitate expellere eo animo, ut ipsi ad fidem convertantur. Cavendum tamen esset, ne propterea concitaretur odium illorum in nostram fidem.

12. Dico quartò: Infideles non subditi nequeunt vi compelli ad servandam legē Naturæ in ijs rebus, quæ non sunt in damnum innocentium, ac proinde nequit illis bellum inferri propter idolorum cultum, aut alia similia. Conclusio est contra Sylvestrum verbo *Papa*, quæst. 7. *Sylvest.* quatenus ait posse hos infideles puniri pœna pecuniaria, vel corporali à Summo Pontifice. Sed illam docent Covarrubias suprà nu. 4. & 5. *Covarru.* Victoria releCt. 1. de Indis nu. 40. *Victor.* Molina suprà conc. 1. *Molina.* Aragon quæst. 10. art. 8. *Aragon.* dub. de hac re, conc. 1. Bañez dubio 4. *Bañez.* conc. 2. & Acosta in illo lib. 2. cap. 4. *Acosta.*

Probatur primò ex Scriptura, & Patribus: Apostolus enim 1. Corinth. 5. 13. *1. Cor. 5.* cùm de ijs, qui naturæ præcepta violāt, sermo esset, admonet Catholicos, ut eiusmodi homines fugiant: ne verò quis existimaret, eum loqui cum infidelibus, *Quid* (inquit) *mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Quasi diceret, non spectare ad Ecclesiam prohibere infidelibus eiusmodi crimina, ac proinde nec propter illa eos punire. Vnde Theodoretus *Theodor.* ibi ait, *Apostolum velle dicere, se nō habere potestatem in infideles, ac proinde eorum peccata Dei iudicio relinquenda esse.* Et S. Augustinus *S. August.* in illo serm. 6. suprà relato late docet hanc veritatem, explicans prædictum Pauli testimonium, & inter alia dicens, non esse idolorū cultores, non subditos Ecclesiæ, puniendos: *Cùm acceperitis* (inquit) *potestatem, hoc facite: ubi nobis non est data potestas, non facimus*, &c.

14. Secundò probatur, quia nemo potest alium punire, aut cogere ad eiusmodi præcepta servanda, nisi habeat iurisdictionem in illum; sed Catholici non habent iurisdictionē in prædictos infideles; ergo. Maior ostenditur, quia illa coactio est prorsus actus superioris, ac proinde postulat aliquod ius, & defectu huius non licet uni homini occidere alterum, quia exhibet cultū idolo, aut quia fornicarius est, ut omnes cōveniunt. Minor etiam probatur, quia Summus Pontifex, aut Ecclesia non habent iurisdictionem, nisi erga baptizatos, iuxta sententiam Pauli, quam retulimus; Principes verò sæculares Catholici cùm non sint superiores comparatione prædictorum infidelium, non est, unde prædictum ius potuerint comparare. Cōfirmatur, quia ita se habet unū regnum ad alterum, sicut unus homo privatus ad alterum; sed homo privatus non potest bellum alteri inferre,

illum-

illumvé punire, eò quòd sit periurus, aut cultor idolorum; ergo neq; unum regnum poterit alteri bellum inferre propter similia peccata.

15. Deuter. 3. Sed obijcies primò, Gentes debellatas fuisse à populo Israël propter ido lolatriã, nec ob aliam rationem Deuteronomij 3. traduntur filijs Israël tot urbes debellandæ, quàm ob crimina, quę incolæ illarum perpetrabant: & cap. 12 subvertere pręcipiuntur omnia loca, in quibus coluerunt Gentes, quas possessuri erant, Deos suos &c. licet ergo bellum inferre exteris nationibus, & illas cogere ad servãdam legem Naturæ. Respondetur, id totum factum fuisse ex speciali iussu Dei, ut constat ex Scriptura; cùm enim ipse sit Dominus omnium, potest medio quovis populo delere alium propter illius peccata; seclusa verò revelatione, aut speciali Dei præcepto, id non licet: & hoc tantùm contendit conclusio.

16. Arist. Obijcies secundò Aristotelem, qui cùm in 1. Polyticorum cap. 1. dixisset, Barbaros non debere dominari, sed potiùs subijci alijs, qui suaptè natura sunt eorum Domini, addit in cap. 5. *Bellica vi uti oportere cõtra eos homines barbaros, qui ad parendũ nati sunt.* Et lib. 7. cap. 14. docet, unũ ex titulis iusti belli esse subijcere prædictas nationes. Sentit ergo Aristoteles, non solùm propter peccata, sed propter naturalem rusticitatem posse infideles iustè debellari. Atque hac ratione videntur Romani dilatasse suum Imperium, quod etiam in Scrip-

1. Mach. 8 tura 1. Machab. 8. laudatum est. Confirmatur primò, quia si aliqua integra respublica solùm haberet homines amentes, liceret illos subijcere Imperio Catholicorum; ergo licebit etiam, si barbaro modo vivant, & iniurijs, aut blasphemijs offendant Deum. Confirmatur secundò, quia Gentes, quæ vitã barbaram degerent, possent à nostris cogi, ut humano modo viverent; sed qui colunt idola, sunt eiusmodi; ergo.

17. Respondetur, obiectionem hãc vix esse contra nostram conclusionem, in qua non agimus de iure, quod Catholici habent in infideles propter rusticitatem, aut barbariem, sed propter iniurias, quas irrogant divinæ maiestati:

Adhuc tamen, quia ex hoc posset aliquis inferre licere inferre bellũ propter peccata contra legẽ Naturæ: Respõdetur ex Iosepho Acosta lib. 2. cap. 5 Acosta. mentem Philosophi esse in primo loco, quosdam homines esse suaptè natura aptiores ad imperandum, alios ad parendum, ac proinde æquum esse, ut illi iubeãt, isti pareant; non verò quòd iste titulus sit sufficiens ad illos debellandos. In 2. & 3. loco duriùs loquitur, & non deest, qui suspicetur id adulatoriè potiùs, quàm verè scripsisse, propter Alexandrum, cuius Imperij dilatationem exoptabat: quamquam dici possit, Aristotelem velle, licere bellum inferre Barbaris, quando adeò insanirẽt, ut in suo regimine inferrent iniuriam innocentibus, ut postea dicemus.

¶ Quod verò attinet ad Imperiũ Romanu, potuit illud iustè dilatari. Primò si debellarent regna, à quibus iniurijs affecti essẽt Romani, ut re ipsa accidisse constat ex 1. Machab. 8. Secundò, si pugnarent contra inferentes iniuriam innocentibus. Tertiò, ut rectè notat Victoria relect. 2. n. 17. Romani dilatarũt Victor. Imperium suscipientes bella iusta, ut præstarent auxilium socijs, atq; amicis, qui iustum bellum gerebant, & illorũ auxilium implorabant; hac enim ratione iustè pugnantes, potuerunt venire in possessionem novarum provintiarũ: & ita legimus Genesis 14. pugnasse Genes. 14. Abrahamum contra quatuor reges, ut vindicaret regem Salem, & alios, cum quibus fœdus inierat.

Ad primam confirmationem conce- 18. do antecedens, ut optimè concedunt Victoria suprà nu. 18. & Acosta ad finẽ Victor. cap. 5. quia illi, sicut & pueri, non sunt Acosta. apti ad regimen ex natura rei, & non solùm propter depravatos mores: nego verò consequentiam, quia peccata non reddunt hominem omnino ineptum regimini: unde Bañez quæst. 10. art. 10. Bañez. dub. ult. ante 2. concl. rectè notat, non posse puniri infideles ob blasphemias, v. g. quia dicunt Christũ non esse Deũ, &c. nisi quando hoc modo irriderent Catholicis, & illos à fide conarentur avertere, aut alio modo iniuriam irrogarent fidelibus. Ad secundam confir- Acosta. mationem Acosta ad 1. & Aragon in Aragon.

dubio

dubio de hac ratione.3. concedūt, eos, qui sine legibus, & more ferarū viverent, posse iustè debellari, quatenus foret necessarium, ut viverent humano modo. Sed hæc doctrina intelligenda est, quando illa barbaries cederet in damnum innocentium, de quo statim; alioqui verò non video sufficientem rationem, ob quam possint magis ob hanc barbariem debellari, quàm ob idololatriam, & alia peccata, quæ magis pugnant cum naturali ratione.

SECTIO IIII.

Vltima assertio probatur.

19. Dico ultimò Infideles non baptizati possunt compelli à quovis Principe etiam infideli, ut non committant peccata, quæ vergūt in damnum innocentium; & propter eumdem finem possunt, si opus fuerit, illos debellare. Ita Victoria relectione 2.n.15. Molina suprà conc.2. Aragon art.8. Suarez disp. 18. sect.4.nu.4. & alij. Probatur, quia semper licitum est defendere innocentes; si ergo infideles occidāt in sua republica varios homines, ut eos immolent idolis, vel subditos opprimant legibus tyrānicis, rectè possunt à quovis alio impediri, & licitum est arma sumere, quādo ad illorum defensionem fuerit necessariū: nec est necesse expectare, ut re ipsa ducantur innocentes ad supplicium, sed eò ipsó quòd talis consuetudo vigeat, licitum est compellere ad eam deserendam, etiam si ipsi innocentes approbarent talem consuetudinem, nam in hoc nō sunt iuris sui: sicut si aliquis velit sibi ipsi mortem inferre, licitum mihi est illum liberare, & cogere, ne se occidat.

Victor. *Molina.* *Aragon.* *Suarez.*

20. *Acosta.* Iosephus Acosta suprà cap. 5. licèt conclusionem hanc Metaphysicè veram esse censeat, addit tamen, moraliter loquendo vix, aut potiùs nunquam posse esse iustā infideles debellandi causam, quòd ipsi innocentes occidant: nam cùm bellum hoc ordinetur ad innocētium defensionem, & ad iura belli tuēda sit necessarium occidere plures innocētes, quàm absumi possent ulla tyrannide Barbarorum, consequens profectò est, licitum non esse. Mihi tamen ista doctrina non placet. Primò, quia finis inferentis bellum non est occidere innocentes, sed pugnare contra iniustos aggressores: quòd autem consequenter, & indirectè contingat occidi alios innocentes, non reddit bellum iniustum, cùm omnino liceat in bello occidere innocentes, quando ad occisionem nocentum est necessarium, ut doctè probat Molina suprà disp.119. *Molina.* cum communi Doctorum. Secundò, quia non solùm attendēdum est in bello, quinam innocētes sint modò in hac republica, sed potiùs quàm multi sint, qui decursu temporis occidentur, ut sacrificentur idolis, si modò non auferatur tam prava consuetudo. Tertiò, quia bellum geritur tunc adversus integram illam rempublicam, quæ absolutè dici potest nocens, eò quòd in cōmuni probet necem innocentium.

21. *Molin.* Advertit autem optimè Ludovicus Molina, non licere bellantibus in isto casu plus de bonis adversariorum sibi usurpare, quàm expensas belli, iustum præmium laboris, & recompensationē damnorum, quæ inter bellandum illis illata sunt ab adversarijs. Etenim cùm istud bellum solùm inferatur ad defensionem innocentum, solùm licebit ea accipere, quæ propter iustam defensionem debentur; reliqua verò relinquenda sunt ipsis innocentibus, in quorum gratiam pugnatur, nisi secùs faciendū esse constaret ex circunstantijs.

DISPVT. VIII.

Vtrùm infideles non baptizati possint privari dominio, quod haberent erga infideles, qui convertuntur ad fidem?



1. *S. Thom.* De hoc argumento differit optimè B. Thomas art.10. ut autem illius doctrina breviter, & dilucidè proponatur, præmittendum est, non solùm fideles, etiā si in peccato

læthali

læthali sint, esse veros dominos rerum, quas possident, ut in Concilio Constātiensi sess. 8. definitum est contra Ioannem Vvicleffum, sed etiam infideles non baptizatos esse capaces dominij, ac proinde iure posse dominari etiam fidelibus ad Christum D. conversis. Sic docet S. Thomas citatus, & optimè probant Victoria in priori relectione de Indis n. 7. & Aragon q. 10. art. 10. imprimis enim Iosephi Patriarchæ industria factū est, ut universa Aegyptus tributū persolveret Pharaoni infideli, Gen. 47. & Paulus ad Rom. 13. *omnis* (inquit) *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Sub quo nomine intelliguntur etiā infideles, qui tunc dominabantur. Et 1. Petri 2. *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis.* Deinde dominia rerum orta sunt ex iure gētium, ius autē divinū, & professio fidei non habēt suapte natura incompossibilitatē cum subiectione, etiam comparatione infidelium; ergo ex natura rei nō est, cur credatur infideles non posse habere dominium erga fideles.

Conc. Cōst. *Victoria.* *Aragon.* *Genes. 47.* *Ad Ro. 13* *1. Petr. 2.*

2. Ex quo infertur, seclusa lege, seu statuto speciali, posse licitè retineri dominium, quod Princeps infidelis habebat erga aliquod regnum, antequàm converteretur ad fidem. Difficultas vero est, an Ecclesia possit condere legē, aut reipsa condiderit, quæ prohibeat fideles esse sub dominio infidelium.

3. Dico primò: Ecclesia nec permittit, nec permittere debet, ut fideles denuo subdantur Principi infideli, sub cuius ditione non erant. Sic B. Thomas, Caietanus, & Aragon quæst. 10. art. 10. Probatur imprimis ex varijs decretis, quæ habentur in dist. 54. nam in cap. *Mancipia* ita scribit Gregorius: *Mācipia Christiana quemcumq; Iudæum comparasse patuerit, ad libertatem iuxta legum præcepta sine omni ambiguitate perducite.* Idem habetur in cap. *Et si*, & cap. *Præsenti.* Deinde redditur optima ratio in cap. *Mancipia*, ne scilicet religio Christiana Iudæis subiecta polluatur: & in cap. *Præsenti, Nefas est, quem Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, blasphemū Christianæ religionis vinculis tenere.* Quæ doctrina extenditur etiam ad Sarracenos, & Paganos, cap. *Iudæi* 2. & cap *Ex speciali, de Iudæis, & Sarracenis.* Denique B. Thomas id ipsum probat, quia facilè immutari posset animus servi catholici, si subditus esset infideli, nisi alioqui esset fidelis magnæ virtutis; cōtemneretur etiam fides ab infidelibus, si ex frequenti conversatione advertetent plures defectus, qui solent esse in Catholicis.

S. Thom. *Caietan.* *Aragon.* *Distin. 54.* *C. Iudæi 2. & C. Ex speciali.*

En quibus infero, & dico secundò, regulariter loquendo posse Ecclesiam privare quoscumq; infideles dominio, quod habent erga infideles, qui cōvertuntur ad nostram fidem. Sic S. Thom. citatus, Bañez quæst. 10. artic. 10. dub. ult. conc. 4. Aragon artic. 8. conc. ult. Suarez disp. 18. sect. 5. Acosta suprà lib. 3. cap. 2. & Victoria relect. 2. de Indis nu. 14. quàmvis addat, id esse verum, si bona pars alicuius regni esset ad fidē conversa. Et quidem si Princeps infidelis simul cum subditis suis converteretur, non posset iustè privari dominio, etsi, quamvis non cōverteretur, nullum damnum inferret Catholicis subditis, sed liberè sineret eos in accepta religione, Metaphysicè loquendo non videatur reperiri iustus titulus auferendi tale dominium; quia tamen ut in plurimum, seu moraliter loquendo, est impossibile, non inferri à Domino infideli molestiam, & iniuriā servis, aut subditis suis, à quibus videt contemni sectam suam, absolutè, & sine maiori examine potest Ecclesia eos subijcere alteri Principi Catholico, & ab infidelium subiectione liberare. 4.

S. Thom. *Bañez.* *Aragon.* *Suarez.* *Acosta.* *Victoria.*

Probatur primò, quia licèt Ecclesia non habeat directum ius erga infideles non baptizatos, habet tamen plenissimum erga baptizatos, quorum cura demandatur Ecclesiæ; ergo quandocumque ad eorum fidem tuendam fuerit necessarium, eos sub alterius ditione constituere, licitè poterit, licèt id indirectè, & consequenter cedat in dānum Principum infidelium: sed moraliter loquendo necessarium est ad tuēdam fidē, ut fideles non subdantur infidelibus; ergo. Secūdò, quia iura citata suprà id ipsum probant, si attendantur rationes illorū. Quibus accedit, quòd Paul. 1. Cor. 7. liberat coniugem fidelē 5.

1. Cor. 7.

a vinculo matrimonij, si alter coniux sit infidelis, & illius fidē impediat: unde communis Doctorum sententia est dissolvi matrimonium inter infideles contractum, quando alter coniux converteretur, alter verò non vellet, & id expressè habetur cap. *Iudæi*, 28. quæst. 1. & cap. *Iudæorum*, eadem quæstione, liberantur à potestate parentum Iudæorum filij, & filiæ, si Christiani sint; si ergo vinculum matrimonij, & subiectionis filij ad patrem tollitur ob infidelitatem, potiori iure tolletur dominium infidelis erga fidelem, quod minùs stricti vinculum est. Tertiò tandē Apostolus suprà cap. 6. disceptationes, & causas fideliū non vult deferri ad Ethnicos Magistratus. *C. Iudæi, & C. Iudæorum.*

6. Atque hic est legitimus titulus, quo Reges Hispaniarū ex Summi Pontificis authoritate potuerunt iustè venire in possessionem Indorum, ut Victoria, Bañez, & Acosta notaverunt; facilè enim à fide abduci poterant illi homines, si sub infidelium ditione permanerent. Cur autem potiùs Regibus Hispaniarū id concessum sit, optima ratio est, sumptibus illorum primùm penetrasse Catholicos in illam regionem, & Hispanorum industria, Deo præsertim cooperante, ad fidem conversos fuisse; & quidquid sit de modo, quo primùm fides cępta est propagari, rectè notat Victoria in fine secundæ relectionis, post quàm ibi tot Barbarorum millia conversa sūt, nec expedire, nec licere Principi Catholico, omnino relinquere illarum Provinciarum gubernationem. *Victoria. Bañez. Acosta.*

7. Notat autem B. Thomas circa 2: cōclusionem, Ecclesiam saltem generali aliquo decreto non statuisse, ut servi fideles liberentur à subiectione infidelium, qui in temporalibus nō sunt subditi ipsi Ecclesiæ, non quia non posit, sed quia oportuit ad vitandum scandalum id non sancire: unde capita adducta suprà solùm loquuntur de infidelibus subiectis in temporalibus Ecclesię.

Hoc intellige de infidelibus non baptizatis, nam de baptizatis est alia ratio, ut patebit infrà.

(?)

DISPVTATIO IX.

Vtrùm cum infidelibus sit publicè disputandum? Vbi an id liceat etiam laicis.



BEATVS Thomas quæst. 10 ar. 7, & cum eo Caietanus, Banez, & Aragon optimè expediunt hanc difficultatem: nec ab eis dissentit Alphonsus à Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punit. cap. 19. quamvis, & capitis inscriptio, & quę in prima capitis parte docet, aliud iudicare primo aspectui videantur. 1. *S. Thom. Caiet. Bañez. Aragon. Castro.*

Dicendum ergo breviter est, licere, & interdum necessariū esse Catholicis disputare cū infidelibus Hæreticis, Paganis, aut Iudæis, dūmodò id fiat cum debitis circumstantijs. Conclusio est Doctorum, quos citavimus, & omnino certa. Primò, quia Paulus ad Titū 1. ait, *Oportere Episcopum doctum esse, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui cōtradicunt, arguere.* Secundò, quia valde familiare fuit sanctis Patribus disputare cū infidelibus, ut illos convincerent, & ad veram religionē converterent; & id ipsum in nostris sæculis visū est. Tertiò, quia si infideles insultent, & ad disputationē provocent, inglorīū esset Catholicæ Ecclesiæ recusare certamen, & veritatem non audere defendere, cùm præsertim magna emolumenta fidelibus, & infidelibus possint inde promanare. 2. *Ad Tit. 1.*

Sed oportet, explicemus circunstantias, ratione quarū id potest honestū, aut vitiosum esse. Ac primùm, quidem quod ad intētionē attinet, necesse est, disputationē non procedere ex dubio, quod Catholicus habeat de sua fide, aut ex animo illam labefactandi: hoc enim planè malum est, & propriū infidelium; unde genus hoc disputationū rectè condemnatur ab Imperatore Marciano l. *Nemo.* C. *de Summa Trinit. & fide catholica.* 3. *l. Nemo.*

Deinde quod attinet ad personas illis quidem incūbit disputare de fide 4.

cum

cum infidelibus, quibus inest doctrina sufficiens ad ita respondendũ, ut nõ ex inscitia aliquod detrimentũ accrescat nostræ religioni; unde etiã si quis esset Catholicus Clericus, aut Monachus, peccaret, si absq; dicta sufficiẽtia cum infidelibus disputaret: sed quoniã Clerici, & Monachi secundũ statũ suũ vidẽtur scientiam profiteri, non est in Iure Canonico illis prohibita prædicta disputatio; bene tamen laicis, quorũ status non videtur sacrarũ litterarũ peritiam profiteri: unde in cap. *Quicumq; §. Inhibemus de Hæreticis* lib. 6. hæc scribũtur: *Inhibemus quoquè, ne cuiq; laicæ personæ liceat, publicè, vel privatim de fide Catholica disputare: qui verò contrà fecerit, excõmunicationis laqueo innodetur.* C. Quicũq;

5. Circa quod decretũ advertunt optimè Caietanus, Castro, Aragõ, & Bañez, ibi prohiberi laicis formalẽ, seu veram disputationẽ, qualis nimirum habetur, quãdo sunt inter disputantes contrariæ sentẽtię circa doctrinã fidei, cuiusmodi habetur inter catholicũ, & infidelẽ; at verò si laicus gratia exercitij disputaret cum Catholico, non peccaret cõtra prædictum decretum, quod cũ pœnale sit, strictè declarandum est. Addit autẽ Bañez, & videtur ad mẽtem Caietani, si aliquis laicus esset doctus ita ut posset sinè periculo disputare, iam esse receptum in Ecclesia, ut id illi liceat non solùm verbo, sed scripto, ut scripserunt Albertus Phygius Comes, & Henricus VIII. Rex Angliæ; tunc enim omnino cessat ratio legis, cùm non inferatur ullum incõmodum alicuius momenti. Et in 1. 2. Controv. 7. tract. 3. ostendi cessare obligationem legis, cùm omnino cessat illius ratio: quod multò certius est, quando non esset ullus Ecclesiasticus, qui cum hæretico disputaret.

6. Suarez. Et quidem Suarez disp. 20. sect. 1. n. 11. secutus alios Doctores, existimavit, per se loquẽdo non licere laico etiam docto cum hæreticis disputare. Primo, quia cessante ratione legis in casu particulari non cessat obligatio legis. Secũdò, quia inde inferrẽtur incõmoda, præsertim in hoc tempore, in quo hæretici indistinctè laicis, & clericis cõvenire putant munus disputãdi, & posset aliquis laicus præsumere de sua sciẽtia, atque adeò cum periculo sui, & aliorum disputare. Tertiò, quia alioqui prohibitio iuris foret inutilis, nã laicum indoctum non posse disputare certum erat: Ius ergò in generali id prohibens laicis, doctum etiam comprehendit. ¶ Sed hæc non obstant veritati nostræ sententiæ. Non primũ, quia in loco citato ostendi, cum cessat adæquata ratio legis in aliquo casu particulari, etiam si solùm cesset negativè, cessat pro eo casu legis obligatio. Nec secundum, quia facile esset declarare hæreticis, cur in tali casu speciali laicus disputaret, nimirum quia scientiæ præsidijs sufficienter munitus est. Et quamvis interdum præsumere posset laicus de scientia, quam non habet, ac proinde cum periculo disputaret, id accidentarium est, nec propterea damnari debet, si laicus verè doctus disputare velit; sicut etiam clericus indoctus posset cum sui, & aliorum periculo disputare, & non propterea omnes clerici, qui disputarent cum hæreticis, damnandi sunt. Nec denique tertium, quia cum ratione status verisimilius sit, laicum esse indoctum, quàm Clericum, utile fuit in generali prohiberi laicis disputationem cum hæreticis, ut ita ostenderetur, rarò permitti debere, ut laicus disputet cum hæretico; non tamen præcluditur omnis via, nam interdum potest laicus esse sufficientissimus ad id præstandum.

Secundum notandum est, excommunicationem in hoc Canone impositam non esse latam, sed ferendam, ut cõstat ex ipsis verbis, & notarunt Glossa cum Archidiacono, Bañez, & Aragon. 7. Gloss. Archid. Aragon.

Tertiò latè ostendit Castro, disputationem hanc non esse habendam cum infidelibus omnino pertinacibus, quãdo nullum illis, aut alijs commodum speratur: & id tantum contendit Paulus 2. ad Timoth. 2. dicens: *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientiũ.* Ex quo fit etiã, non esse publicè disputãdum cum hæreticis, aut alijs infidelibus, quando adessent homines rudes, quibus potiùs obesset audire difficultates contra nostram fidem, quarum solutiones minùs bene percipere possunt. Quod idem 8. 2. Ad Timoth. 2.

observandum admonent Caietanus, & Aragon in disputationibus, seu cõclusionibus, quæ defendũtur inter Catholicos, ne scilicet coram idiotis defendantur, & refellantur res fidei, quando sunt eiusmodi, ut timeatur, illorum fidem potiùs infirmandam. Quando verò infideles provocarent Catholicos ad disputationẽ, aut conarentur rudi plebi suadere dogmata sua, liceret, imò expediret corã plebe disputare, ut illa in fide firmetur, nec in Catholicis timorem defendendi fidem experiatur. Deniquè attendendæ sunt aliæ circunstantiæ, quibus reddi potest hæc publica disputatio magis, vel minus expediens.

9. Ex dictis infertur, etiam licere scribere contra hæreticos, ut fecere sancti Patres, & doctissimi Theologi Valencia, Bellarminus, Castro, Prateolus, & alij. Videatur Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punit. cap. 20. ubi rectè notat non esse scribendos lingua vulgari prædictos libros, sed latina, ut non omnibus pateant: quòd si aliquis illos legens plùs probaverit hæreses, quàm illarũ impugnationes, tribuet vitio suo, non scriptoris, qui commune bonum intendit. *Castro.*

DISPVTATIO X.

Vtrùm liceat cum infidelibus communicare? Vbi de legendis libris illorum.

1. NON agimus de cõmunicatione orationũ, & sacrificij Missæ, de quib⁹ in materia de Excõmunicat. & de Eucharist. sed de humano cõvictu, seu cõversatione: de quo optimè B. Thomas q. 10. art. 9. dico ergo breviter primò, iure naturali, aut divino non est prohibitũ Catholicis cõmunicare cũ infidelibus non baptizatis, nisi quando timeretur aliquod damnum ex eorum cõmunione. Probatur, quia nulla ratione, aut authoritate suaderi potest eiusmodi prohibitio, quando ex se nullum *S. Thom.*

affert dãnum talis cõmunicatio, quod si illud afferret, ut si quis timeret fidem suam labefactandam fore, si cũ infidelibus agat, tunc ratio, & divina lex prohibent talem communicationem, sicut Deuteron. 7. prohibuit Deus populo suo iniri fœdus cũ infidelibus, aut contrahere matrimonium, ne seducerent filios Israel, & ad falsum Deorum cultum traherent.

Dico secundò: rectè posset Ecclesia prohibere Catholicis cõmunicationem cum infidelibus, quãdo timeretur dãnum ex tali cõmunicatione proventurũ, imò id re ipsa facere deberet; secus vero, quando nullum dãnnũ timeretur. Sic S. Thomas, et q; res satis perspicua. Advertẽdum tamen est, in Iure Canonico prohiberi cõmunicationem cum Iudæis in aliquibus casibus. Nam in cap. *Nullus* 28. q. 1. prohibetur primò laicis, & ijs, qui in sacro ordine sunt, manducare azyma illorum. Secundo, cum eis habitare. Tertiò, aliquẽ Iudæũ in infirmitate vocare. Quarto, medicinam ab eis percipere. Vbi notat Glossa non prohiberi emere à Iudæo aliquid, quod posteà præparetur, & efficiatur medicamentũ; imò secundũ Sylvestrũ verbo *Iudæus* q. 1. solùm prohibetur accipere medicinam, non verò emere. Quinto, cum eis lavari in balneo. Et si quis clericus quidquã horum præsumpserit, iubetur deponi; si vero fuerit laicus, imponitur excõmunicatio nõ lata, sed ferenda. Sextò in eadem quæstione cap. *Sæpe*, prohibetur Hæbræis ad fidẽ cõversis cõmunicatio cũ ijs Iudæis, qui non convertuntur. Septimò in cap. *Omnes deinceps*; ibidem, prohibẽtur omnia convivia inter Iudæos, & Catholicos: quod idẽ extendit Sylvester cum alijs ad Sarracenos, & Gentiles cũ Catholicis. Sunt etiam prohibita alia. Primũ est præficere Iudæos Christianis, aut illos permittere in aliquo officio publico inter Christianos, cap. *Cum sit nimis, de Iudæis & Sarracenis*; & imponitur excõmunicatio non lata, sed ferenda secùs facientibus. Sic referunt Aragõ, & Caietanus ex cap. *Constituisti* 17. q. 2. ubi ego invenire nõ potui. Secundũ nutrire Infantes Iudæorũ in domibus Catholicorum, cap. *Et si Iudæos*. Tertium, esse 2. *C. Nullus.* *Gloss.* *Sylvest.* *C. Sæpe.* *C. Omnes.* *C. Cum sit.* *C. Et si Iudæos.*

C. Multorum. C. Ad hac. famulos Iudæorũ, cap. *Multorũ*. Et cap. *Ad hæc*, eodem titulo. Videantur Sylvester verbo *Iudæi* q. 1. 2. & 3. ubi latissimè de hac re tractat, & explicat limitationes, aut extensiones prædictorũ iurium; & Caietanus verbo *Conversatio iudæorum*, ubi notat, quòd sæpe excusabitur à peccato, qui secluso contẽptu cum Iudæis communicaverit in prædictis casibus, dummodò non timeatur probabiliter ex tali communicatione diminutio dignitatis nominis Christiani, aut sceleris Iudæorum contagione inficiatur. Quod idem docet Aragõ hoc loco. Sylvest. Caiet. Aragon.

3. Dico tertiò: Fidelibus prohibet Ecclesia communicare cum infidelibus baptizatis, qui scilicet post Baptismum defecerunt à fide. Conclusio est omnino certa: & quidem communis praxis fidelium sequitur doctrinam, quæ dicitur statuta fuisse in Constantiensi Concilio sub Martino V. scilicet non teneri nos vitare excommunicatos etiam hæreticos, nisi publicè, & nominatim denuntiatos; de quo in materia de Excommunicatione: videriq; potest Sayrus lib. 2. Thesauri cap. 12. si tamen ex communicatione cum alijs hæreticis timeret aliquis grave damnum, teneretur non cõmunicare cum illis, non quidẽ ratione specialis prohibitionis Ecclesiæ, sed ratione propriæ salutis, cui ex divino præcepto prospicere teneretur. Sayrus.

4. Dico quartò: non est prohibitũ semper fidelibus legere libros infidelium non baptizatorum. Probatur, quia non extat ulla prohibitio, & plenæ sunt Bibliothecæ eiusmodi libris. Similiter non est prohibitum legere libros hæreticorum, qui de religione non tractant; at verò qui de religione tractant, sunt prohibiti, & eos legentibus imponitur excommunicatio in Bulla Cœnæ Domini. Notat autem Toletus, comprehendi hac excommunicatione etiã eum, qui unam, vel alteram illorum lineam legeret, quia ibi invenire potest propositionem aliquam valde nocivã. Azorius verò lib. 8. cap. 16. q. 3. meritò videtur admittere in hac lectione parvitatem materiæ, quæ non sufficiat ad mortale: & Gregorius Sayrus lib. 3. Thesauri cap. 5. nu. 12. cum candelabro in expositione Bullæ nu. 11. & alijs expressè admittit parvitatem materię insufficientem ad mortale, v. g. tres, vel quatuor, vel decem lineas: imò Sãchez lib. 2. Summæ cap. 10. n. 31. ait, ad mortale, lectionem unius paginæ non sufficere, bene tamen si sit *de marca maior*, ut vulgo dicitur. ¶ Sed obijcies: In libris Catholicorum sunt plures lineæ transcriptæ ex libris hæreticorum, & eas licet legere, ergo etiam licebit in ipsis libris hæreticorum parva saltem verba legere. Patet consequẽtia, quia non minùs timeri potest damnum ex uno, quam ex altero. Respondetur tamen negando consequentiam, quia in libris Catholicorum inveniuntur illorum errores simul cum impugnatione, & solutione sophismatum, quibus ipsi nostram religionem confutant; at verò in libris hæreticorum sola illorum doctrina invenitur approbata, & ita ex natura rei esse potest longè maior occasio deceptionis. Toletus. Azor. Sayrus. Sanchez.

5. Advertit autem Caietanus ad art. 11 quæst. 10. libros Iudæorum, & idem est de libris aliorum infidelium non baptizatorum, esse comburendos, aut delendos, si Ecclesia habuerit occasionẽ id faciendi, quando in eiusmodi libris continerẽtur blasphemię contra Christum Dominum, & fidem nostrã: quod intellige, si ederẽtur inter Catholicos, quia licet nobis impedire, ne infideles blasphemis suis persuasionibus, verbo, vel scripto noceant Catholicæ religioni retardando nostros à fide. Caietan.

6. Libri verò, quos Iudæi ediderũt super scripturam, legi possunt, ut idem Caietanus, & Aragon docent. Libros etiam Catholicorum cum cõmentario hæretici prohiberi sub censura Bullæ Cœnæ putant aliqui, quia eadem est ratio quoad illum commentarium, & de libris hæreticorum; licèt oppositum dicat Navarrus apud Suarez to. 5. disp. 21. sect. 2. qui bene id limitat, ut nimirum si commentarij tales essent, & tam copiosi, ut liber ex eis potiùs quàm ex textu constaret, verè censeantur hic prohibiti; non verò breves annotationes, quæ tamen poterunt aliunde esse prohibit in Indice expurgatorio. Aragon.

Appendix præcedentis disputationis.

7. QVoniam postquàm disputationē hanc publicè dictavi, prodierunt in lucem alij doctissimorum virorum tractatus circa lectionem librorum hæreticorum, addenda censui nonnulla ad complemētum doctrinæ. Et quidem in Bulla Cœnæ fulminatur excōmunicatio adversùs eos, *qui scienter legerint, retinuerint, prælo mandaverint, vel quomodolibet defenderint libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, nisi id faciant de licentia sedis Apostolicæ.* Imprimis ergo nomine libri non solùm intelligitur, qui prælo mandatus est, sed etiam si sit manuscriptus, ut bene Suarez disp. 20. sect. 2 n. 10. ubi addit, etiam brevem scripturam, ut concionem, epistolam, vel brevem quæstionem dici in hac parte librum. Sed oppositum est valde probabile, quia nomen libri id nō significat, ut bene Sanchez lib. 2. Summæ cap. 10 n. 29. ¶ Deinde nomine hæreticorū significantur baptizati, nam de non baptizatis non agitur in hac prohibitione. Tertiò, libri in hac Bulla prohibiti debent continere hæresim, sufficitq; vel una tantùm, ut bene Suarez, & Sanchez; vel de religione tractare, sive exponendo Scripturam, sive expediēdo difficultates Theologicas Scholasticas, aut Morales, sive tractando de superstitionibus, aut Magicis artibus. Quòd si liber ab hæretico compositus complecteretur plura volumina verè inter se divisa, & unum illorū, nec contineret hæresim, nec de religione tractaret, non comprehenditur hac censura, ut bene Sanchez n. 36. Adverto autem, in novo Indice expurgatorio reg. 2. prohiberi quoscumq; libros, si editi sint ab Hæresiarcha, v. g. à Luthero, Calvino, & similibus. Et licet sint aliorum Hæreticorum, nec de religione tractent, debere examinari authoritate supremi Inquisitoris, ut liceat illos legere, aut habere.

Suarez. Sanchez. Sanchez.

8. Quartò necesse est ad hanc excommunicationem incurrendam, quod legens, retinēs, vel prælo mandās libros illos id præstet scienter; unde si sit ob ignorantiam etiam crassam, & affectatam, nisi sit ingens temeritas, non incurret, ut docent Sanchez n. 38. & Suarez nu. 17. qui in n. 19. addit sufficere, si quis audiat alium legentem, nam is est quidam modus legendi, ac proinde satis est ad censuram: sed magis probo, quod docet Sanchez n. 48. cum Hugolino, scilicet audientem non comprehendi verbis Bullæ Cœnæ, sicut nec illum, qui legeret hæreticos libros scriptos idiomate, seu lingua, quam nullo modo intelligat.

Sanchez. Suarez. Hugolin.

Quintò, qui scienter retinent eiusmodi libros, incurrunt prædictam cēsuram, nisi retentio sit ad breve tēpus, v. g. unam, aut alteram diem, aut ad lōgum, eo quòd non sit cōmoditas defferendi illos ad Quæsitores fidei. Vide Sanchez & Suarez, qui etiam addunt, licet qui libros illos combusserit, non incurrat hanc Bullæ Cœnæ censuram, debere tamen illos deferre ad Inquisitores, quia id videtur præcipi à Iulio III. & Pio IIII. 9.

Denique facultas legēdi hos libros à solo Sūmo Pontifice concedi potest, non ab Episcopo, nec ab Inquisitore fidei, imo nec à Collegio Cardinaliū Sede suprema vacāte. Addit verò Sanchez n. 43. in casu magnæ necessitatis, & ubi sine periculo non posset expediri facultas Papæ, posse Episcopum dispensare, sicut & in alijs similibus legibus Summi Pontificis posse dixi 1. 2. controv. 7. tract. 3. 10.

Sanchez.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm ritus infidelium sint tolerandi?



SERMO est de infidelibus non baptizatis, & qui in temporalibus sunt Ecclesiæ subiecti, nam de alijs diximus suprà non esse cogendos ad fidem, sed potiùs permittēdos eorum ritus, dummodo innocentibus non irrogetur iniuria. Respōdet ergo B. Thomas q 10. art. 11. infideliū ritus, qui possunt emolumento esse Catholicis, posse, & interdum debere 1.

tolerari,

tolerari, ficut tolerantur ritus Iudæorum, in quibus Catholici vident adumbratam Evangelij veritatem, & ita habent ab ipsis hostibus testimonium veræ doctrinæ. Deinde ait, eos ritus, qui nihil emolumenti afferrent, non esse permittendos, nisi quando id necessarium foret ad vitandum scandalū, vel ut ipsi infideles ipsa Catholicorum benignitate adducantur ad fidem; qui si inhumaniter tractarentur, potiùs persisterent in erroribus, & falsitatibus.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm liceat vendere infidelibus ea, quibus ipsi utuntur ad sacrilegas suas ceremonias?

1\. ON agimus hoc loco de ijs, qui deferunt ad infideles arma, & alia instrumēta, quibus Christianos oppugnāt; isti enim excommunicantur in Bulla Cœnæ, & variæ difficultates, quæ circa illam excommunicationem occurrunt, expediūtur à Toleto in explicatione huius Bullæ, & ab alijs Doctoribus. Solū ergò agimus de vendentibus plura, quæ infidelibus deserviūt ad suas superstitiones, de quibus in Iure non esset specialis prohibitio. *Tolet.*

2\. Caietanus ad art.4. quæst.10. quem sequuntur Aragon ibi, & Bañez art.10 distinguit, & dicit primò, si ea, quæ vēduntur, non deserviant ad alium usum, quā ad infidelitatē, non licère illa vendere, sed esse peccatum mortale: eiusmodi sunt idôla, & vestes sacerdotales. Probatur, quia id est cooperari malo, & adiumēto esse peccatoribus, qui ijs uti non possunt sine peccato. Et ita videtur docère S. Thomas infrà quæst. 169. art.2. ad 4. Confirmatur, quia nō licet ædificare Iudęis Synagogas, in quibus exercent prohibitas cæremonias, ergo nec licebit vendere alia determinata ad malum usum. Secundò docet, ea, quorum usus esse potest bonus, & malus, licitè posse vendi, etiāsi qui vendit, sciat emptorem esse illis usurū ad malos fines, dummodò id non faciat propter malum finem cooperandi peccatis infidelium; nam hoc satis constat ex fine esse intrinsecè malum. Exempla sunto, agnus, fructus, flores, & alia similia, quæ ex se indifferentia sunt, & tamen possunt emi à Iudæis ad vanas cæremonias, & iam prohibitas. Docet ergo, licitè posse vendi à Catholicis, etiamsi sciāt infidelibus fore nociva. Probatur, quia hoc non est per se loquendo cooperari malo; cùm malitia illa non proveniat per se ex re, quæ venditur, sed ex emptoris malitia. *Caiet. Aragon. Bañez. S. Thom.*

Et quidē ista secunda Caietani conclusio verissima est, dūmodo adsit causa rationabilis id faciendi, cuiusmodi esset redimire propriam vexationem, aut lucrari ex tali venditione id, quod ad alendam vitam requiritur. Imò addunt aliqui, ob solam amicitiā, vel causa maioris lucri licère vendere Iudæo v.g. agnum, quo scio usurum ad superstitiosum sacrificium. Confirmariquè potest, quia ob bonum finem possum licitè exigere iuramentum ab infideli, quia iurare de se potest esse bonum, licèt sciam infidelem iuraturum per falsos Deos, atq; adeò peccaturum: idem ergo servata proportione dicendū est in præsenti. ¶ Dixi autem requiri causam rationabilem. Primò, quia si nulla adsit, videtur grave peccatum contra charitatem, quæ obligat ad consulendum bono proximi, quando id cōmodè potest fieri, ut bene Sylvester verbo *Infidelitas*, quæst.4. Secundò adde, quòd si ex tali venditione inferatur aliquod damnum tertiæ personæ, sæpe foret id illicitum: v.g. peccaret, qui ob maius lucrum venderet ensem Iudæo, cum sciat illum emere, ut innocentem occidat. Probatur, quia irrogat iniuriam innocenti, cooperando morti, quā ipse non vult obire. Vide Navarrum tom.2. consil.lib.5. de Iudæis cons.2. 3. *Sylvest. Navarr.*

Quod verò attinet ad primam propositionem, Gregorius de Valencia q. 10. pūct.5. existimat etiam licere vendere eiusmodi res, dummodò adsit causa rationabilis: affertq; Sylvestrum suprà, qui non utitur prædicta distinctione Caietani: & quamvis addat, esse 4. *Valenc. Sylvest.*

peccatum fabricare idola Gentilibus, id propterea docet quia vix, aut ne vix quidem possunt alia intentione fieri quàm ut cooperemur peccatis infidelium, quod sine dubio est intrinsecè malum, ut suprà notabamus: unde si hæc intentio præscindi posset à prædictis operibus, licita essent secundùm Sylvestrum. Angelus etiam verbo *Infidelitas*, sine distinctione docet, licere vendere aliqua infidelibus, licet illis abusuri sint.

Angelus.

5. Probari potest hæc sententia, quia etiam eiusmodi res, quantumcumque ad pravum finem destinentur ab infidelibus, sunt ex se indifferentes ad bonũ, & malum usum; ergo licitũ est ex gravi aliqua causa vendere illa infidelibus, nam saltem negari non potest, quin gravior causa requiratur ad hoc, quàm ad vendendas res primi generis. Antecedens probatur, quia constructio idoli potest deservire, ut qui illud emit, statim comburat, vel irrideat; & ædificatio Synagogæ ordinari potest, ut construatur aliqua domus, vel aliquod tẽplum, in quo verus cultus Deo exhibeatur; ergo qui hac sola intentione venderet idolum, aut ædificaret Synagogam, non peccaret. Confirmatur, quia licitum est ex causa rationabili solvere usuras ei, qui aliter non vult mutuas dare pecunias, licèt ex parte accipientis usuram, non sit aliquis bonus finis; ergo licèt ex parte ementis idolum nõ sit alius finis præter idololatriã, licebit vendere illud ex causa rationabili.

6. Amplectenda nihilominus est sententia Caietani, quæ etiam est B. Thomæ suprà, imò Sylvestri, ut patebit, si explicuerimus rationẽ illius: Angelus etiam solùm ait, licere vendere aliqua; qua phrasi satis indicat non licere vendere omnia. Et sanè licèt fabricatio idoli, aut constructio Synagogæ si Metaphysicè considerentur, possint à malo fine præscindi, moraliter tamen non possunt, nam idolum est quædam figura sub tali ratione, aut cum talibus signis, quæ non nisi ad falsi Dei cultum ex institutione reipublicæ referuntur; & cõstructio Synagogæ non est ad aliud, quàm ad cæremonias Iudaicas; ergo qui talia cõstruit, aut vendit, non potest præscindere intentione sua malitiam ibi repertam; ergo per se cooperatur malo, ac proinde graviter peccat. Et sanè mens ipsa omnino dissentaneum esse apprehendit, hominem aliquem intentum esse construendis idolis, aut ex illorum venditione lucrum reportare: nec video, quomodò non exhibeat aliquem cultum idolo, qui construit, ut vendat ethnico illud adoraturo: quarè optimè Sylvester dixit, malũ esse fabricare idola, quia id non potest fieri alia intentione, quam cooperandi criminibus infidelium.

S. Thom. Sylvest.

Ex quo patet ad rationem adductã. Ad confirmationem etiam dicitur, solutionem usurarum esse actionem consecutam ex alia præcipuè intenta, scilicet ex petitione, & receptione mutui, quæ ex ratione sua est bona, & cũ principale trahat ad se id, quod est accessorium, licitè potest solvere usuras, ut redimat vexationem suam ille, qui aliter non inveniet nummos mutuos, quibus indiget ad succurrendum urgenti necessitati, ut attingam in Controversia de Charitate ad finẽ tractatus decimi tertij. At verò constructio, aut venditio idoli est ex institutione reipublicæ ordinata primariò ad falsum cultum, ac proinde qui illud venderet, per se cooperaretur idololatriæ. 7.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm Hæretici, & Apostatæ à fide possint puniri ab Ecclesia? Vbi an, & quomodò ad hanc punitionem requiratur, hæresim non esse omnino mentalem.

IN sexta disputatione huius tractatus explicuimus naturam hæresis, ubi notavimus, licèt ille, qui ante Baptismum credidisset, & posteà retrocederet, dici posset hæreticus; non tamen esse subiectũ Ecclesię 1.

quoad

quoad censuras, aut alias pœnas spirituales: quare deinceps solùm agemus de hæreticis baptizatis, & similiter de baptizatis apostatis á fide. Ante solutionem verò quæstionis notandum est ex B. Thoma quæst. 12. art. 1. apostasiam esse retrocessionem ab aliqua re; & licèt hæc esse possit à bono vel malo, communis usus iam illam accipit pro retrocessione ab aliquo bono, in quo quis perseverare tenebatur; undè apostata à fide est ille, qui recessit à fide, quàm prius professus fuerat: & quoniam perfecta, & visibilis professio fidei fit in Baptismo, ideò sumimus hoc loco apostatam pro eo, qui recedit à fide post Baptismum.

S. Thom.

2. Disputant autem Doctores, an apostasia, & hæresis sint diversæ species infidelitatis. Partem affirmantē sequūtur Turrecremata lib. 4 Summæ, p. 2. cap 13. ubi absolutè videtur distinguere hæresim ab apostasia, & Canus 12. de locis cap. 9. aliàs 8. ad 2. quatenus ait apostasiam non esse peculiarem speciē infidelitatis, sed ad omnes posse pertinere, nam si quis, cùm à fide recedit, convertatur ad Paganismum, erit apostata Paganus; si ad Iudaismū, Iudæus; si ad hæresim, Hæreticus. Cui videtur favere B. Thomas q. 12. art. 1. dicēs apostasiam non esse determinatam infidelitatis speciem, sed circumstantiam aggravantem. Confirmatur, quia hæreticus iactat se non recedere à Christo, nec à tota doctrina fidei; at apostata recedit omnino ab illa, ergo hæresis & apostasia non sunt idem.

Turrecr. *Canus.* *S. Thom.*

3. Contraria sententia est longè probabilior, quæ affirmat, hæresim & apostasiam esse eandem speciem infidelitatis, licèt apostasia addat circumstantiam aggravantem. Eam amplectūtur Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punit. cap. 7. Aragon q. 11. art. 1. Bañez q. 12. art. 1. dub. 1. & Sylvester verbo *Apostasia* q. 1. & licèt posteà verbo *Hæresis* 1. q. 2. dixerit Apostatam non esse propriè hæreticum, solùm vult apostasiam addere circumstantiam aggravantem hæresim, ut statim declarabimus. Denique hæc est sentētia S. Thomæ q. 10. art. 5. ut patet ex definitione hæresis, quam ibi assignat; ex qua desumitur probatio nostræ conclusionis: ille enim hæreticus est, qui contradicit fidei, seu recedit à fide iam suscepta in manifestatione veritatis; ergo. Maior est B. Thomæ, & à nobis explicata fuit disp. 6. Minor patet ex definitione apostasiæ. Consequentia verò legitima est.

Castro. *Aragon.* *Bañez.* *Sylvest.* *S. Thom.*

Addidi verò, in apostasia reperiri circumstantiam aggravantē: quia licèt hæresis, & apostasia sumātur pro quacūque retrocessione, seu contradictione facta fidei iam receptæ, sint omnino idem, tamen in cōmuni usu hæresis solùm solet significare errorem contra fidem susceptam ita tamen ut non tota Christi Dñi, & mysteriorum eius professio deferatur, iuxtà illud S. Augustini 18. de Civit. cap. 51. *Hæreticus est, qui sub vocabulo Christiano resistit doctrinæ Christianæ.* Apostasia verò denotat magis propriè loquendo retrocessionem à tota doctrina Christi Domini, cùm ergo gravius sit recedere ab universa doctrina, quàm ab aliquo dogmate, rectè dicitur, apostasiam addere hæresi circumstantiam aggravantem. Atque hoc videtur voluisse S. Thomas, cùm dixit, apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis, scilicet distinctam à reliquis, quia non distinguitur ab hæresi; addere verò circumstantiam aggravantem, ut dictum est. 4.

S. August.

Ex his patet, eodem modo posse ab Ecclesia puniri apostatas à fide, & hæreticos baptizatos; & quod de istis diximus, de apostatis etiam intelligendum esse; cum eo solo discrimine, quod apostata in magis usitata acceptione censetur commisisse peccatum graviùs, quàm hæreticus: quod idem sentire debent etiam, qui hæresim ab apostasia distinguunt, ut bene Canus suprà. 5.

His præiactis, quod attinet ad præcipuam difficultatem quæstionis, certum est, in Ecclesia esse ius puniendi hæreticos, & apostatas, quando eorum crimen exterius est, & non sunt infideles, purè mentales, nam illi sunt verè subditi Ecclesiæ, ac proinde possunt suppliciis affici pro qualitate delictorum; quod ampliùs patebit ex disputatione sequenti. Modò solùm explicandū est, an Ecclesia puniat hereticos etiam purè mentales, an non, sed eos solùm, 6.

qui exteriùs hæresim manifestant, & qualis futura sit ista manifestatio.

7. Prima sententia affirmat hæreticum etiam si sola mente credat aliquid contra fidem, posse puniri ab Ecclesia, & ita esse excommunicatum. Tribuitur Glossæ super Clementinã primam de Hæreticis versic. *Eo ipso incurrent*; ubi ait, hæreticos omnino occultos esse excommunicatos. Fortè tamen non loquitur de purè mentalibus, sed de ijs, qui secreto expresserunt hæresim. Adrianus verò in 4. quæst. 2. de confessione §. *Aly probant*, docet illam sententiam expressè. Probatur primò, quia Ecclesia punit hæreticos, sed isti sunt verè, & propriè hæretici; ergo. Minor patet, quia sentiunt pertinaciter aliquid contra fidem. Secundò, Ecclesia potest reservare Pontifici, aut Episcopis absolutionem hæresis purè mentalis, ergo potest etiam illam punire. Tertio, quia in instructione Quæsitorũ fidei dicitur, quòd si crimen hæretici fuerit omnino occultum, ita ut à solo pœnitente sciri posset, tunc secretò reconciliabitur, & absolvetur prædictus hæreticus: sentiunt ergo, istos hæreticos esse excommunicatos, ac proinde indigere absolutione peculiari.

Glost.

Adrianus.

8. Secunda sententia est Caietani in 2.2.q.94.art.1. contendentis, eum, qui solo actu exteriori negaret fidem, quãvis illam mente retineret, incurrere pænam hæreticorum, seu esse verè excommunicatum excommunione hæreticorum. Probat, quia sicut exterior confessio fidei est actus fidei, ita exterior negatio est actus infidelitatis; ergo qui exteriùs negat, est infidelis, ac proinde subiectus pænis infidelium. Cõfirmatur, quia qui exteriùs furatur, verè est fur; ergo qui exteriùs negat fidem, potest dici verè infidelis.

Caietan.

9. Dico primò: Hæreticus purè mentalis non punitur ab Ecclesia. Assertio est communis Doctorũ, eam enim amplectuntur Navarrus cap. 11. n. 22. Castro lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 18. Simancas de Cathol. instit. tit. 42. à nu. 3. Suarez disp. 21. sect. 2. Sylvester verb. *Excommunicatio* 7. q. 2. notab. 1. Aragon q. 11. art. 3. Bañez art. 4. Toletus lib. 4. instructionis cap. 4. Et planè B. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4. ut patet ex ratione, quam ibi assignat pro necessitate legis divinæ, & ea est fundamentum nostræ conclusionis, nam Ecclesia non habet iurisdictionem in actus, qui nullo modo possunt esse exteriùs cogniti, est enim regimen illius visibile, ac proinde debet versari circa obiecta visibilia. Ex quo habet ortum illud celebre pronuntiatum, *Ecclesia non iudicat de occultis*, quod in 1. 2. Controv. 7. tract. 3. latè prosecuti sumus; ergo crimen hæresis purè mentalis non potest ab Ecclesia puniri.

Navarr. Castro. Simancas. Suarez. Sylvest. Aragon. Bañez. Tolet. S. Thom.

Ad primum ergo primæ sententiæ, Ecclesia punit hæreticos, qui subiacẽt suæ iurisdictioni, & hi non sunt purè mentales. Ad secundum concedo, posse illud peccatum reservari, quia hoc non est punire directè, sed auferre, vel limitare iurisdictionem, nolendo ut illa extendatur in quocumq; cõfessario ad peccatum hæresis; at verò excõmunicatio, & aliæ pœnæ directè feruntur contra delinquentem, unde quamdiu delictum non est visibile, non subiacet imperio, & iurisdictioni visibili. Notant autem rectè Toletus, Aragon, & Bañez, hæresim mentalem non esse reservatam, sed absolvi posse à quocumq; confessario approbato. Ad tertiũ respondet Aragon cum Simancas de Catholicis institutionibus tit. 42. n. 11. id intelligendum esse de hæreticis, qui tamen exteriori signo etiam occultissimam suam hæresim declaraverunt. 10.

Dico secundò: Non incurrit pœnas hæreticorum, qui mente non negat fidem, sed solis verbis. Sic Sylvester hæresi 1. quæst. 2. quatenus ait talem hominem non esse hæreticum; Navarrus ca. 27. n. 56. Toletus suprà, Bañez dub. 2. conc. 3. & alij. Probatur, quia pœnæ non sunt extendendæ; cùm ergo istæ pœnæ imponantur hæreticis, & qui exteriùs tantùm negat fidem, non sit hæreticus, cùm non amittat fidẽ ut tract. 11. dicebamus, non incurrit dictas pœnas. Quare optimè poterit à quolibet confessario absolvi in foro conscieñtiæ, ut patebit ampliùs ex tract. 16. verum tamen est, quod Ecclesia præsumet illũ esse hæreticum, & excommunicatum, nisi aliunde constiterit oppositum. 11.

Sylvest. Navarr. Tolet.

Ad

12. Ad fundamentum verò Caietani respondetur, exteriorem confessionẽ non esse absolutè actũ fidei, qui reddat hominem fidelem, nam si in mente sentiret oppositum pertinaciter, esset verè infidelis; solùm ergo dicitur actus fidei per denominationem extrinsecã, quatenus scilicet fidem manifestat. Et idẽ dicitur de externa negatione fidei, quòd scilicet non reddat hominẽ simpliciter infidelem, & hæreticũ. Ad cõfirmationem, qui exteriùs liberè furatur, verè vult furari, & nihil aliud requiritur ad peccatum furti; at verò ad peccatum infidelitatis requiritur interior mentis dissensus, quia infidelitas est in intellectu, ut docet S. Thomas, & constat ex suprà dictis.

13. Dico tertiò. Hæreticus mentalis, qui externo signo, licet occultissimo, & ipsi soli cognito, manifestat suã hæresim, potest puniri ab Ecclesia, & re ipsa incurrit pœnas hæreticorum. Ita Navarrus cap.11.n.22. & cap.27.nu 56. Toletus suprà, Aragon ad ultimum, Bañez dub.2.vers. *Quod si aliquis*, Simancas suprà n.7. & Suarez in illa sect.2. conc.2. dicẽs sic sentire omnes Theologos. Et probatur, quia eo ipso quod exteriori signo declaratur hęresis, iam est peccatum exterius, & suapte natura cognoscibile ab Ecclesia, licèt peraccidẽs nõ agnoscatur, eò quòd sit in occulto declaratum; ergo Ecclesia potest illud punire, & reipsa punit, ac proinde incurrũt eiusmodi hæretici in omnes pœnas hæreticorum, quia Ecclesia absolutè intendit punire peccatum hæresis, quod sub illius iurisdictionem cadit.

Navarr. Tolet. Aragon. Bañez. Simanc. Suarez.

14. Dubitari tamen solet, an contingere possit, ut quis exteriùs proferat hæresim internam, quin subiaceat censuris Ecclesiæ, præsertim excõmunicationi. Respondetur affirmanter. Et quidem primus casus est, quando illam manifestaret solùm ad petendum consilium, vel ad illam aperiendam confessario. Ita Aragon §. *Sed dubium est*. Similiter qui illam scriberet inter sua peccata, ut manifestaret confessario: etenim totũ hoc non est formaliter se manifestare hæreticum, sed quærere medicinã criminis omnino mentalis. Secundus casus est, quando quis omnino indeliberatè, & absq; ulla advertentia exteriùs diceret hęresim; hic enim actus non est humanus, ac proinde nulla illius ratio habenda est ad incurrẽdam ullam pœnam. Imò Henrriquez statim referendus ait non reservari, aut subijci excõmunicationi peccatum, nisi quod secũdum quantitatem operis externi, & nõ sola relatione ad consensum internũ, certò constet esse mortale; dicitq; esse multorum recentiorum. Addunt etiam alij & bene, non incurrere pœnas hęreticorum illum, qui exteriùs manifestaret hæresim cum deliberatione, quæ tantùm sufficeret ad peccatũ veniale. Tertius, si quis iocose tantùm, & non assertivè eam proferret, & aliòqui esset homo, de quo hæresis præsumi nõ posset. Ita Victoria, quem refert, & videtur sequi Simancas de Catholicis institutionibus tit.42. nu.10. Quartus, licet alij contra sentiant, videtur valdè probabile non incurri pœnas ab hæretico mentali, qui efficeret aliquod signum exterius, ex quo nullus alius, si esset præsens, posset probabiliter colligere illum esse hæreticũ, quamvis, qui illud profert, haberet animum exteriùs illa profitendi. Ita Henrriquez lib.6. Summæ cap.14. nu.6. littera I. Colligitur planè ex Castro 2. de iusta hæreticorũ punitione cap.18. ubi ait, solos illos hęreticos excommunicationi subiacere, qui hæresim mente conceptam manifestant, ut si quis esset tũ præsens, posset cognoscere illum lapsum esse in talem hæresim; & Bañez suprà ait, non incurri excõmunicationem ab eo, qui exterius signum efficeret, quod secundùm se, aut ex circumstantijs non esset sufficiens ad explicandum errorẽ. Probatur, quia propterea Ecclesia non punit hæresim purè mentalem, quia non potest ab ullo cognosci, præter quàm ab habente illam: sed idem est, quando signum ne probabiliter quidem potest alteri manifestare hæresim; ergo perinde reputandus est, ac si foret hæreticus mentalis. Vnde si quis hæreticus exteriùs moveret caput, quando nullus posset ullo modo colligere id fieri ad profitendam hæresim non incurreret pœnas, secùs verò si ille dixisset, se uti illo signo ad hæresim suam profitendam,

Aragon. Henrriq. Victoria. Simanc. Henr. Castro. Bañez.

quia iam satis se declaravit. Denique alij dicunt non incurri excommunicationem ab hæretico mentali, qui solùm recitativè proferret hæresim suam, dicendo: *Ego habui in mente mea istum aliū hæresis*. Quod quidem probabile valdé videtur, si nullatenùs inde colligi posset adhùc eum in errore permanere; & iuxtà hoc intellige, quod docet Azor lib. 8. cap. 10. q. 6. *Azorius.*

DISPVTATIO XIIII.

Vtrùm hæretici externi incurrant excommuncationem soli Summo Pontifici reservatam, ita ut nec ab illa, nec ab hæresi possit alius illos absolvere?

SECTIO I.

Præmittuntur ea, quæ certa sunt, & explicatur, in quo consistat disputationis difficultas.

1. RIMA pæna, quæ incurritur propter hæresim externam quamtumvis occultam, est excommunicatio maior, & quamvis hæc alibi habeatur in Iure, sufficit nobis Bulla Cœnæ, in qua omnes hæretici ipso facto excommunicantur, & eorum absolutio, tàm quoad excommunicationem, quàm quoad peccatum hæresis reservatur Summo Pontifici, ita ut nec virtute Bullæ Cruciatæ, nec virtute alterius generalis privilegij possit quispiam hæreticos absolvere, extrà articulum mortis, nisi ad id præstandū habeat specialem facultatem. Et quidem in articulo mortis certum est posse absolvi hæreticum à censura, & excommunicatione per quemlibet sacerdotem, si non adsit alius habens ad id facultatem, quia ut latè dicetur, Deo dante, super Tertiam partem S. Thomæ in Controversia de Sacramento Pænitentiæ tract. 10. nullum peccatum est in eo articulo reservatum; ibidemque dicetur, nomine articuli significari etiam periculum mortis, & explicabūtur alia ad hanc absolutionem pertinentia, quę quidem communia sunt alijs peccatis reservatis, & præsertim si habeant annexam censuram. Interim lege Thomam Sanchez lib. 2. Summæ cap. 13. *Sanchez.*

2. Tria verò sunt propria præsentis disputationis, & habent non contemnendam difficultatem. Primùm est, an Episcopus posit absolvere hæreticum occultum, & committere alicui, ut hāc absolutionem impendat. Secundùm, an Quæsitores fidei, tam in foro externo, quàm in interno posint hæreticos absolvere. Tertiùm, an qui non posset adire Pontificem propter legitimum impedimentum, absolvi posit ab alio inferiori sacerdote. Et de his singilatim in tribus sequentibus sectionibus dicendum est.

SECTIO II.

An posit Episcopus absolvere hæreticos occultos?

TRidentinum sess. 24. de Reformat. cap. 6. *Liceat* (inquit) *Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; delinquentes quoscumque sibi subditos in diæcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputādum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pænitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs sit permissū.* Hactenus Concilium. Ex cuius verbis manifestè constat, potestatem concessam fuisse Episcopis etiam á peccato hæresis, ac proinde ab excommunicatione illi adiuncta delinquentes absolvendi, sed antequàm expendamus, an facultas hæc revocata iam sit, oportebit declarare verba illius, & quatenus extendi debeat, aut limitari. 3. *Trident.*

Imprimis ergò nota, nomine *Episcopi* significari hoc loco eum, qui habet diæcesim, ut constat ex tota serie verborum; unde excluduntur Episcopi titulares, sed non qui iam sunt electi, & confirmati, licèt nondum sint consecrati, imò nec Ordinem Sacerdotalem 4.

accepe-

acceperint. Nec etiam excluditur Capitulum Sede vacãte, quippe quod habet iurisdictionem Episcopi in omnibus, quæ illi prohibita non sunt. Comprehenduntur etiam Abbates, & Priores habẽtes proprias diœceses ab Episcopis exemptas. Imò valde probabile est, comprehendi Prælatos religionum habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, ut Generales, & Provinciales; quia licèt non dicãtur ita rigorosè habere diœcesim, habent tamen in aliquo sensu, cùm domus, & provinciæ religionis illis subdantur, & ab Episcopo sint exempti. Atq; ita sentit Emmanuel Rodriguez to. 1. quæstionum regularium q.61.art.9. dicens esse communem opinionẽ, licèt contrariũ doceat Sanchez lib.2. Summæ cap.11.n.7. cum Suarez. Rodriguez Sanchez. Suarez.

5. Deinde nomine *subditorũ* in hoc decreto significantur, non solùm qui domicilium habent intra diœcesim Episcopi, sed etiam vagabundi, peregrini, & alij, qui pertinẽt ad alienam diœcesim, sed tamen tunc intrà territorium talis Episcopi cõmorãtur. Imò ipse Episcopus, si (quod Deus avertat) in hæresim laberetur, posset cõfessario tribuere facultatem, ut ipsum absolveret. De quo bene Sanchez à nu. 9. Illa verò particula, *in diœcesi sua*, ita intelligitur ab eodẽ Sanchez nu. 17. & 18. ut Episcopus hanc absolutionem impendere possit ijs, qui quomodolibèt pertinent ad suam diœcesim, sive quia domicilium in ea habẽt, sivè quia ibi inveniuntur tanquam peregrini, sivè quia ipse existens extrà diœcesim velit alicui sibi subdito, & in hæresim lapso absolutionis beneficium impendere. Solùm nota, absolutionem solùm esse in foro consciẽtiæ, non quia extrà Sacramentum Confessionis non possit Episcopus absolvere ab excõmunicatione hæretici, sed quia ea nõ proderit in foro externo, seu contentioso. Sanchez

6. Tertiò additur, debere delictũ hoc esse *occultum*, ut Episcopus ab illo absolvere possit. Intelligo autem tunc esse occultum, quando non scitur à maiori parte alicuius cõmunitatis, quæ saltem constet decem personis; sic enim definitur occultum à Doctoribus, ut alibi magis ex professo dicetur. Addo autem esse valde probabile, quod docet Avila Avila. de censuris par.2.cap.7.disp.1.dub.11. conc.3. licèt in uno loco delictum sit publicum, si tamèn in alio sit occultum, nec spes sit ibi publicandum, posse in hoc loco absolvi uirtute huius decreti Tridentini: id, quod probabile reputat Sanchez nu. 20. & sentiunt alij viri doctissimi. Sanchez.

7. Quartò, cùm prædictam absolutionem non permittat Concilium Vicarijs Episcoporũ, sed ipsis Episcopis, ut cõstat ex verbis suprà relatis, Molina tractatu 5. de iustit. disp. 18. n. 2. Garcia de benef. p. 11. cap. 10. n. 113. Suarez disp. 21 sect. 4. n. 8. & alij existimant, nullo modo posse ab Episcopo hanc absolutionem ab hæresi cõmitti alteri personæ. Sed probabilius est, quod docet Sanchez n. 23. cum multis, quos refert, scilicet, licèt non possit Episcopus hanc absolutionem cõmittere alteri, qui generaliter habeat facultatem absolvẽdi ab omnibus reservatis, aut ab hæresi, posse tamen cõmittere casum particularem, cùm occurrerit, ita ut tunc specialiter, & non generaliter tribuat vices suas. Probatur, quia vitãda est correctio Iuris, quoad fieri potest; sed secundùm ius cõmune Episcopus, quod sibi competit ratione potestatis ordinariæ, potest facere mediante Vicario, cui generaliter vices suas cõmittat; ergo absolutio ab hæresi, quæ à Tridentino tribuitur Episcopo tãquam Ordinario, poterat ab ipso generaliter cõmitti suo Vicario, vel alteri, quem eligeret, nisi ipsum Tridentinũ limitasset hanc facultatem, veluti corrigens ius commune; ergo hęc limitatio strictè accipienda est, & ita declaranda, ut non contradicat iuri cõmuni, quantum possibile fuerit, salva veritate verborum: hoc autem fieri rectè potest, si dicamus, Tridentinum solùm velle, ut Episcopus non habeat Vicarium, cui in generali committat potestatem absolvendi ab hæresi, sicut & ab alijs criminibus, non tamen prohibere, ut cùm casus specialis occurrerit, huic, vel illi committat pro ea vice facultatem absolvẽdi; non ergo hoc negatur à Tridentino. Confirmatur, quia qui ab Episcopo accipit pro una, vel altera vice potestatem dispensandi cum aliquo in vo- Molina. Garcia. Suarez. Sanchez.

to, vel in impedimẽto matrimonij, non vocatur Vicarius illius absolutè loquẽdo; ergo nec ille, qui in uno casu particulari accipit potestatem absolvendi ab hæresi; ergo Tridentinum non permittens Vicario Episcopi absolutionẽ ab hæresi, non prohibet, quominus in casu speciali tribuat potestatem absolvendi.

8. Superest nunc potissima sectionis difficultas, an scilicet ista facultas Episcopo concessa à Tridentino, revocata sit a Summo Pontifice. Partem affirmãtem sequuntur Navarrus in Sũma cap. 27. n. 275. Molina suprà relatus, Suarez in illa sect. 4. nu. 12. & 13. ubi refert se ipsum in 4. to. 3. par. idem asserentem; Garcia de benef. p. 11. cap. 10. nu. 115. dicẽs id esse indubitatũ; Sanchez in illo cap. 11. nu. ult. concludens, hoc omnino esse tenendũ, & multi alij, quos isti Doctores referunt. Probatur primo, quia in Bulla Cœnæ etiam novissime edita à Gregorio XV. perspicuis, dissertisque verbis negatur facultas absolvẽdi a casibus illius, ac proinde ab hæresi etiam virtute clausulę Cõcilij generalis, licèt in illa in genere, vel in specie oppositũ concessum fuerit; ergo licèt Tridentinũ concesserit Episcopis hãc facultatem, fuit, & est modo revocata.

Navarrus. *Molina.* *Suarez.* *Garcia.* *Sanchez.*

9. Secundo probatur, quia gravissimi Doctores testãtur à Sũmis Pontificibus esse revocatam; Navarrus enim ait sic declarasse Pium V. & Gregoriũ XIII. Azorius lib. 8. Instit. Moral. cap. 19. q. 10. testatur se audivisse à viro religioso docto, & fide digno, sic declarasse Clementẽ VIII. ¶ Tertiò probatur, quia in Generalis Inquisitionis Prętorio Romano sæpe pronuntiatũ est, non posse Episcopos iam absolvere ab hæresi occulta. Quarto tandẽ, quia duo sunt responsa Cogregationis Cardinaliũ, quarũ meminit Suarez suprà, in quibus declaratur, facultatem Tridentini Episcopis ablatam fuisse.

Navarr. *Azorius.* *Suarez.*

10. Nihilominùs valde probabile est, adhuc perseverare potestatẽ à Tridentino concessam Episcopis. Sic sentiunt Navarrus lib. 1. Consil. tit. de Constit. cons. 1 q. ult. Simãcas de Cathol. instit. tit. 3. nu. 6. Henrriquez lib. 6. de Pœnit. cap. 14. n. 7. Bañez ad art. 4. q. 11. dub. 2. post 2. conc. Sà verbo *Episcopus* n. 37. Lorca disp. 45. Guttierrez lib. 1. q. can cap. 13. ad fin. in posteriori editione, & multi alij; Sanchezq; tandẽ fatetur, rationes pro hac sententia urgere, & authoritate Doctorum reddi videri probabilissimam.

Navarr. *Simanc.* *Henr.* *Bañez.* *Sa.* *Lorca.* *Guttierr.* *Sanchez.*

11. Probatur hæc sentẽtia, quia ut suprà argumẽtabamur, vitanda est correctio iuris, quoad sine incõmodo fieri poterit, & id præsertim locũ habet cõparatione Concil. Trident cuius decreta tãti æstimarunt Sũmi Pontifices, qui post illud Ecclesiã gubernarunt, & quod in viridi observãtia semper esse tantopere cupiunt: cùm ergo tã dissertè Conc. Trident. faciat Episcopis potestatem absolvendi ab hęresi occulta, & cęteris casibus Bullæ Cœnæ, non est credendũ eam facultatem fuisse revocatã virtute Bullæ Cœnæ posteà promulgatæ, si cũ ista conciliari possit; quod autem rectè conciliari possit, facilè ostenditur. Primo, quia sic sentiunt tot graves Doctores, quorum in explicando iure magna authoritas est. Secũdo, quia rectè dici potest Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionẽ hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & ideò non derogare facultati Tridẽtini, in qua de criminibus occultis sermo est.

12. Ex quo patet ad primum contrariæ sententiæ. Ad secundum respondetur nullibi afferri à prædictis authoribus testimoniũ authenticũ talis revocationis, aut declarationis, & cùm aliũde tã perspicuè constet de facultate Tridentini, non cogimur credere eam esse revocatam. Ad tertium respondetur, id pronũtiatum esse in hoc gravissimo, & sanctissimo Tribunali secundũm oppositam sententiam, quæ probabilissima est; sed quoniam nondum nobis præcepit eam amplecti, licitum est contrariam reputare etiam valde probabilẽ, sicut & multi alij reputarũt. Ad quartum similiter dicendum est, ea respõsa Cardinalium esse magnæ authoritatis, sed non sufficere ad tollendam contrariæ sententiæ probabilitatem.

SEC-

SECTIO III.

An, & quatenus Quæsitores fidei ab Hæresi absolvere valeant?

13. Conveniunt Doctores, absolutionē hanc impendi posse ab Inquisitoribus, quando causa cognita est, & in iudicium delata, & tunc non solùm in externo foro, sed etiā in interno valere id; quod praxis ipsa satis probat. Solùm dubitatur, an posit hæreticum occultum absolvere in foro conscientiæ ad eum modum, quo in sectione præcedēte satis probabile esse diximus absolvere posse Episcopum.

14. Respondetur probabilius esse, non posse Quæsitores fidei eiusmodi absolutionem impendere. Sic sentiunt Eimericus in Directorio Inquisit. 3. p. nu. 59. Farinacius de Hæresi q. 192. nu. 54. Sanchez lib. 2. Summæ cap 12. nu. 3. & Suarez suprà sect. 4. n. 17. qui eam optimè probat in hunc modum. Facultas hæc non competit Quæsitoribus fidei ratione sui muneris, aut ratione alicuius indulti, seu privilegij; ergo illā non habent. Consequentia est manifesta, quia cùm absolutio ab hæresi etiam occulta reservetur Summo Pōtifici, quisquis alius illam impendit, debet ad id habere privilegium, aut certè munus, ratione cuius eam impendere posit. Antecedēs ergo probatur, quia ratione muneris solùm competit Quæsitoribus fidei cognoscere negotia ad eam spectantia, ut puniant delicta fidei cōtraria, sicq; fideles contineāt in officio: itaq; in ordine ad externum forū erectū est hoc tribunal, licèt simul interno provideat; quarè ubi solùm agitur de absolutione hæresis in foro consciētiæ, non videtur quidquā ad munus huius tribunalis pertinere. Ratione verò alicuius indulti non potest hæc facultas convenire, quia nullū habent; si enim aliquod haberēt, maximè constitutionem Clementis VII. quæ incipit, *Cùm sicut*. vers. *Vobis etiam*; & refertur in fine Directorij Inquisitorum; hæc autem solùm tribuit eis facultatē in foro externo, ut fatetur Peña in 3. p. Directorij, Cōment. 12. addit. ad nu. 61. præterquam quòd solùm conceditur Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum in Italia.

Eimericus. Farinac. Sanchez. Suarez. Clem. VII. Peña.

15. Nihilominùs propter multorū Doctorum authoritatem, quos Sanchez refert, putat ipse oppositum esse probabile, & idē ego crediderim: favetq; quod in prædicta Bulla dicitur, scilicet eam absolutionem impendendam esse *extraiudicialiter*: nec obstat, quod ibi additur, scilicèt eiusmodi hæreticos debere priùs abiurare hæresim, & iuraturos se ab illa deinceps recessuros, imponendamq; illis esse pænitentiam salutarem, nam id totū fieri potest intrà consciētiæ forum: & quamvis facultas hæc cōcessa sit Quæsitoribus fidei Ordinis S. Dominici, & intrà Italiam, cū eadē omnino ratio sit de cæteris Quæsitoribus, ad illos quoque extendenda est, iuxtà generalem doctrinam interpretandi leges, quàm in 1. 2. Controv. 7. tract. 3. tradidimus. Sanchez.

16. Addit idem Sanchez nonnulla, quæ consequenter dicenda sunt in hac probabili opinione. Primùm est, hāc facultatē posse delegari à quolibet Inquisitore privatis cōfessarijs; atque id satis colligitur ex tenore Bullæ Clementis 7. ait enim, *Vobis, ac Vicarijs vestris concedimus*, &c. Secundum est, si hæreticus fictè convertatur, & proinde decipiat Quæsitores fidei, non esse validam absolutionē, & ideò si posteà resipiscat, debere iterum petere absolutionem. Sanchez.

17. Præter hoc privilegiū nō novi aliud, virtute cuius posint alij absolvere ab hæresi quantùmvis occulta, nam quod attinet ad Bullam Cruciatā, expresse iā notatur in ea, licèt posint, qui illā habent, absolvi à casibus Bullæ Cœnę, excipi tamē casū hæresis. Quòd vero spectat ad alia indulta, vel Iubilæū, in quo solet concedi facultas absolvendi ab omnibus peccatis etiā in Bulla Cœnæ reservatis, dicēdū est, virtute huius generalis concesionis nunquam intelligi casum hæresis propter eius specialem gravitatē, & quia si in speciali peteretur, credēdum est à Pontifice negandā fore facultatem. Vide Thomā Sanchez ca. 11. n. 7. & ca. 12. n. 10. ubi refert alios Doctores, inter quos Azorius lib. 8. ca. 10. q 12. ait, hunc esse stylum Curiæ.

Sanchez. Azorius.

SECTIO IIII.

An legitimè impeditus adire Pontificem, posſit ab hæreſi occulta abſolvi ab inferiori ſacerdote.

18. POſita doctrina præcedentium ſectionum, vix aut ne vix quidem caſus iſte in praxi occcurrere poteſt, nam ſi impedimentum ſit articulus, vel periculum mortis, diximus in ſectione 1. quemlibet ſacerdotem poſſe abſolvere ab hæreſi; extrà hunc verò articulum, aut periculum, cùm Epiſcopus iuxtà valde probabilem ſententiã poſsit abſolvere, & idem probabiliter dici poſſit de Quæſitoribus fidei, ut conſtat ex ſect. 2. & 3. non deerit moraliter loquẽdo, qui remedium habeat: eſto non poſſit adire Papam. Sed ſi daremus, facultatem Epiſcoporum eſſe revocatam, & Quæſitores fidei non poſſe in foro cõſcientię hanc abſolutionem impendere, vera nihilominus ſententia eſt, etiam quando adeſt legitimum impedimentum adeundi Papam, non poſſe hæreticum occultum ab ullo alio abſolvi, ut optimè Sanchez cap. 13. n. 37. & Suarez diſp. 21. ſect. 4. in fine, quia ſpecialiſsima gravitas, & reſervatio hæreſis exigit, ut non poſsit impendi abſolutio, niſi in ſpeciali cõceſſa ſit facultas eam impendendi. *Sanchez. Suarez.*

DISPVTATIO XV.

An, & quatenus hæretici externi, licèt occulti, incurrãt pœnam amiſsionis bonorum temporalium.

1. CERTVM eſt hæreticorum bona ipſo iure, & ipſo facto adiudicari fiſco, ut cõſtat ex cap. *Cùm ſecundùm leges, de Hæreticis* lib. 6. & probant optimè Caſtro lib. 2. de iuſta hæret. punit. cap. 6. & Sanchez lib. 2. cap. 14. hoc tamèn non ita intelligendũ eſt, quaſi hæreticus ante ſententiam iudicis teneatur ſe bonis ſuis abdicare, & illa tradere fiſco, ut optime probant Sanchez cap. 22. Suarez diſp. 22. ſect. 2. Aragon ſuper q. 11. huius 2. 2. & alij multi. & ſatis colligitur ex prædicto capite, na in eo dicitur non eſſe occupanda prædicta bona à fiſco, donec iudex ſententiã ferat declarando illũ hominẽ eſſe hęreticũ; ſentit ergo adhuc retineri poſſe ab hęretico. Et in hoc ſenſu vera eſt ſententia, quam cũ multis tuetur Sanchez cap. 22. nu. 3. ſcilicèt hæreticũ nõ amittere, ſed retinere potiùs dominiũ ſuorum bonorũ. Eſtq; hæc doctrina omnino cõſentanea ijs, quæ in 1. 2. Cõtrov. 7. tra. 3. diximus, eiuſmodi pœnas temporales non incurri ante condẽnationem, ſeu declarationem iudicis, eſto iura dicant, ipſo facto incurri. *C. Secundũ leges. Castro. Sanchez. Suarez. Aragon.*

2. Atq; iuxtà ibidẽ dicta nota 1. cum Soto lib. 1. de iuſtit. q. 6. art. 6. conc. 3. iuxtà prædictũ cap. *Cum ſecundum leges*, ſufficere ad incurrendã prædictã pœna, quòd iudex declaret crimẽ hæreſis co miſſum à tali perſona, & tuc retrotrahi ſententiã uſq; ad diem, quo cõmiſit crimen, ita ut ab illa die habeat fiſcus ius ad ea bona, & ad cætera, quæ talis homo acquiſierit, donec ex animo reſipiſcat; nã bona, quæ cõparat, poſtquã reſipuit, non ſunt publicanda, nec pertinẽt ad fiſcũ, quia iã nõ ſunt bona hæretici, ſed catholici, ut docet Sanchez cap. 14 n. 10. cũ alijs, & probabile reputat Suarez diſp. 22. ſect. 1. nu. 15 pro foro conſcientię, licèt ipſe probabiliꝰ exiſtimet, omnia bona, quæ acquiſita fuerint ab hæretico uſq; ad tempus latæ ſentẽtiæ, publicanda eſſe, & applicanda fiſco, ſaltem in foro externo, ſeu Eccleſiæ. *Soto. Sanchez. Suarez.*

3. Nota ſecundò, non teneri hæreticũ, etiã poſt latã ſentẽtiã deferre bona ſua ad fiſcum, niſi forte id illi præcipiatur, ſed ſatis eſſe ſi ea exhibeat, cùm primũ petita fuerint authoritate iudicis. De quo diximus in loco citato Cõtrov. de legibus, diſp. 15. Nota tertiò, poſſe hæreticũ ante ſententiã latam transferre in alium bona ſua titulo gratioſo, dummodò id non faciat in fraudem fiſci, vel damnum donatarij, quia cùm adhuc ſit dominus eorum bonorum, non eſt cur non poſsit de illis diſponere ſecluſo damno tertij; poterit verò fiſcus ea bona recuperare, & auferre à donatario.

Ex

Ex quo consequéter fit, non posse transferre bona medio aliquo cótractu oneroso, v. g. emptionis, aut venditionis, quia id cederet in damnum eius, cum quo contractum iniret; sed si cognita veritate, & periculo, vellet nihilominùs aliquis cum hæretico contrahere, licitum esset, & sibi imputaret dánum, quod posteà proveniret: imò si certum moraliter esset, crimen hæretici occulti non esse manifestandum iudici, nulla culpa esset eiusmodi cótractus onerosos inire, quia tunc nullum esset periculum damni.

5. *Molina.* Nota quartò cum Molina tom. 1. de instit. tract. 2. disp. 40. mancipia Christiana non esse computanda inter bona hæreticorum, quæ fisco adiudicantur, saltem in Regno Castellæ, & ubi obligat Ius civile commune. Audio tamen hanc esse praxim Quæsitorum fidei, ut licèt cum reliquis bonis hæreticorum confiscentur Christiana mancipia, posteà libertate donentur, si de illorum innocentia constet, nisi fortè hæreticus ea emisse post commissum crimen, túc enim applicátur fisco, si venditor nolit pretium restituere.

6. *Sanchez.* Circa hæc bona, quæ fisco adiudicátur, multa latissimè, & egregiè, ut solet, disputat Sanchez à cap. 14. & ideò visum est ad eum remittere lectorem, præsertim cùm minùs propria sint nostri instituti.

7. *Castro.* Hactenus egimus de bonis fortunæ. Quod verò attinet ad famam, Castro lib. 2. cap. 9. & 10. ait, hæreticum ipso iure esse infamem, priusquàm cóndemnetur; unde non potest esse testis in iudicio, & est ipso facto inhabilis ad beneficia, & dignitates, cap. *Quicumque* §. *hæretici*, *de Hæreticis* in 6. privationem verò officij, aut beneficij priùs suscepti non incurrit ante condemnationem. *C. Quicüq;*

8. *S. Thom.* Ad extremum si de pæna mortis sermo fit, rectè docet S. Thomas quæst. 11. art. 3. omnes hæreticos puniri posse ab Ecclesia pæna mortis, cùm alia minùs gravia crimina hoc supplicio digna sint: re tamen ipsa solùm infligit hanc pænam ijs, qui persistere volunt in hæresi, negativis, hæresiarcis, dogmatizátibus, vel relapsis, vivosque comburit solos pertinaciter manere volentes in hæresi sua. ¶ Addit Sanctus Doctor in quæst. 12. art. 2. apostatas denunciatos, & excómunicatos nominatim per sententiam iudicis, iure optimo privari dominio, quod erga subditos habebant, & subditos non teneri iuramento fidelitatis erga illos servandæ: nomine autem apostatarum comprehendi hæreticos, licèt propriè non sint apostatæ, notat Bañez ad eú articulum. Videantur etiam Valencia quæst. 12. par. 2. & Suarez lib. 3. defensionis fidei cap. 22. *Bañez. Valenc. Suarez.*

DISPUTATIO XVI.

Ad quos alios extendantur pœnæ hæreticorum.

1. 
E multis potest esse difficultas, sed de singulis breviter dicédum est. Imprimis nonnulli sunt complices hæreticorum, qui vocantur *credentes*: & quidem si isti re vera credant doctrinæ hæreticorum saltē sub dubio, & signo aliquo externo id manifestent, quamtumvis occultè, verè sunt hæretici, (nisi ignorantia eos excuset) & consequenter incurrunt omnes pænas hæreticorú: si verò non credant, sed tamen sint confidentes, seu amici, cum eisque conversentur, ex hoc capite pænas non incurrunt, licèt in multis saltem casibus peccatum grave sit cum hæreticis conversari.

2. Deinde alij dicuntur receptatores, defensores, & fautores hæreticorú. Receptator est, qui hospitio recipit, etiam semel, hæreticum hominem eo titulo, quòd hæreticus sit: defensor verò, qui hæreticú defendit, aut ne iustè capiatur à ministro iustitiæ, aut laudando, & propugnando errores illius; nam si solùm defendat ab iniusto invasore, aut laudet ingenium, & eloquétiam illius, non censetur hæretici defensor. Denique fautor est, qui consilio, armis, aut simili ratione favet hæretico, ut hæreticus est, aut omittit facere id, quod ex iustitia tenetur contra hæreticú facere.

3. Et quidem hi omnes excommunicationem incurrunt ipso facto, estque una ex contentis in Bulla Cœnæ, quamvis

non tam strictè reservata, quàm excõmunicatio hæretici; unde qui in generali potest absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, potest absolvere receptatores, defensores, & fautores hæreticorum, dummodò ipsi hæretici non sint. Prætereà privãtur sepultura sacra, & oblationibus, ut constat ex cap. *Excommunicamus* 1. §. *Credentes de Hæreticis.* Fiunt etiam infames ipso iure, si per annum indurescant, ut patet ex eodem textu, sed non incurrunt pœnã mortis, & confiscationis bonorum.

C. Excommunica.

4. Postremò de filijs, & nepotibus hæreticorum possunt multa tractari. brevissime tamen dico primò, illos non cõcurrere excõmunicationem latam pro crimine parentum, quia cùm ipsi non commiserint hoc delictum, ut supponitur, nec incurrent excommunicationem, quæ personalem culpam exigit. Dico secundo: Filij hæreticorum, & nepotes per lineam masculinam sunt irregulares. De quo in Materia de Cẽsuris. Solùm nota, hoc intelligi de filijs, & nepotibus hæreticorum, qui impænitentes decedunt, aut pœnam ignis subierunt. Dico tertiò: Iidem sunt incapaces recipiendi beneficia Ecclesiastica, imò & pensiones, estq; collatio nulla. De quo in Materia de Beneficijs; & idem extenditur ad officia publica etiam sæcularia. Dico quartò Filij hæreticorum non puniuntur pœna corporali mortis, vel mutilationis propter hæresim parentum; nec privantur bonis, quæ erant propria illorum, quando pater deliquit, aut quę acquisierũt post delictum parentis; sed solum illis, quibus privantur parentes, & quæ alioqui per ipsos ad filios devenirent. Dico quintò: Non sunt aliæ pœnæ, quæ filijs hæreticorum infligãtur; unde nec sunt infames infamia iuris, nec amittunt nobilitatem, nec sunt incapaces succedẽdi Avis, vel extraneis. Vide Thomam Sanchez lib 2 Summæ cap. 28. & 29. & Suarez disp. 24. sect. ult. An autem, & quatenus succedant in maioratus, tractat idem Sanchez cap. 30.

Sanchez. Suarez.

(?)

DISPUT. VLT.

Vtrùm apostasia ab ordine, à religione, & ab obedientia mandatorum destruat fidem?



1. Præter apostasiam à fide sunt alia tria genera apostasiæ. Primum est, quo quis retinet quidem credulitatem mysteriorum, sed in nullo alio vult obedire Deo; & hæc quidem, ut patet, gravissimũ peccatum est, sed non excludit fidem, quia fidei solùm opponitur assensus, quo quis pertinaciter negat fidem in animo suo, aut de illius veritate dubitat deliberatè: atq; ad hanc reducitur cõmissio cuiuslibet peccati mortalis, quæ largè dici potest apostasia, quatenus est retrocessio ab obedientia debita Deo, quã in Baptismo omnes Christiani profitentur.

2. Secundum genus est, apostasia ab ordine suscepto, & quidem hæc, sicut & præcedens, non destruit fidem, nec illi opponitur; est autem peccatũ mortale, si quis retrocedat ab ordinibus sacris, seu maioribus absq; dispensatione habẽtis ad id potestatem, quia est gravissima deordinatio, maxime si quis velet ducere uxorem. Si verò quis retrocedat à minoribus ordinibus, etiam si se reddat inhabilem ad ordines sacros ducendo bis uxorem, aut semel uxorẽ viduam, saltem non peccat mortaliter, ut rectè Bañez, & Aragon ad art. 1. q. 12. nisi fortè adesset contemptus, quia nulla extat gravis prohibitio. Alia verò, quæ hoc loco disputãt prædicti Doctores, pertinẽt ad Materiam de Sacramẽto ordinis, vel ad Tractatum de Statibus.

Bañez. Aragon.

Tertium genus est apostasia à religione, quando scilicèt quis post vota solemnia emissa, & in nostra Societate post vota biennia simplicia, ut habetur in privilegijs verbo *Apostatæ* §. 1. recedit cum animo non revertendi, aut dimittit habitum cũ animo non redeũdi.

Et

Et ne hoc quidem destruit fidem, cùm non sit infidelitas, est tamen gravissimum peccatum mortale. Plura verò, quæ circa hoc genus apostasię dici possent, pertinent ad Materiam de Statu religionis in communi. Videantur Bañez, & Aragon hic, Summistæ verbo *Apostata*, aut *Apostasia*, & præsertim Sãchez to.3. Summæ lib.6. cap.8. q.1. & 2.

Bañez. Aragon. Sanchez.

COMMENTARIVS IN quæstiones 13. & 14.

DIsputat S. Thomas in hisce quæstionibus de vitijs, quæ opponũtur externæ confessioni fidei, & ferè non distinguuntur à blasphemijs: unde in artic.1. q.13. ait, blasphemiam opponi confessioni fidei. In secundo blasphemiam esse ex genere suo peccatum mortale, licèt defectu advertẽtiæ possit esse veniale. In tertiò docet, blasphemiam esse maximum peccatorum, ad eum modum, quo idem suprà dixerat de infidelitate, imò addere circunstantiam, quæ infidelitatem aggravat. In quartò affirmat, damnatos blasphemare. In quæstione verò 14. descẽdit ad specialem blasphemiam, quæ dicitur in Spiritum Sanctum, & in art.1. assignat varias sententias circa definitionem huius peccati, & magis probare videtur eam, quæ ait, illud esse peccatum ex certa malitia, cùm scilicet quis contemnit ea, quæ illum à peccato poterãt deterrere, ut timorem Dei, & alia, quę sunt effectus Spiritus Sãcti. In secundò numerat sex species peccati in Spiritum Sanctum. In tertio declarat, quo modo peccatum in Spiritum Sãctum dicatur irremissibile. In ultimo docet, contingere posse, ut primum peccatũ hominis sit in Spiritum Sanctum, licèt plerumque non ita eveniat.

(?).



TRACTATVS XVI.

De vitijs oppositis externo actui fidei, seu de peccato Blasphemiæ.

IN tract.11. huius materiæ explicuimus peccata, quę quasi negativè opponebantur confessioni fidei, declarantes, quibus modis posset peccari nõ confitendo fidem; modò disputatur de vitio positivè opposito, quo nimirum exteriùs negentur veritates fidei, quas externa confessio manifestat: & quoniam ad hoc genus pertinent aliquæ saltèm blasphemię, ideò de blasphemia disputandum est; omittemus autẽ plura facilia, & quæ optimè explicantur à B. Thoma, Caietano, & Iunioribus interpretibus, & solùm differemus de aliquibus difficilioribus.

DISPVTATIO I.

Quid, & quotuplex sit Blasphemia, & quo modo opponatur actui externo fidei?

I. BLasphemia apud Græcos idem est, quod *Maledictio* apud Latinos, & quamvis maledictio in quamcũque rem excellentem iactata dici possit largè blasphemia, ut accipi videtur ad Titum 3. *Admone illos, neminem blasphemare*; iam tamen iuxtà cõmunem acceptionẽ significat blasphemia convitium, quod in Deum, & res divinas iactatur; quàmvis enim præcipuæ blasphemiæ sint cõtra ipsam divinam bonitatem, ut docuit S. Thomas quæst.13. art.1. aliæ tamen sunt contra imagines Dei, & contra Sanctos, qui sunt magis strictè aliquid Dei, & possent etiam esse contra quamlibet creaturam, si consideretur ut aliqua Dei participia

Ad Tit. 3.

S. Thom

participatio. Habet autem blasphemia varios gradus, quorũ enumeratio declarabit dilucidè naturam illius.

2. Primus, & maximus blasphemiæ gradus est, quando quis ex inordinato affectu erga Deũ, seu ex odio illius movetur ad interiùs assentiendum alicui hæresi, & ad illam exteriùs manifestãdam, ut ita iniuriũ Deo se præstet. Atq; hæc quidem blasphemia destruit fidẽ, & proinde non solùm opponitur externæ confessioni. ¶ Secundus gradus est, cùm quis ex odio Dei movetur ad exteriùs negandam fidem, quam mẽte retinet; & hic quidem blasphemus est, sed fidem internam non amittit, quia hæc per solum internum dissensum destruitur, ut non semel dictum est, & id dictũ sit de alijs gradibus blasphemiæ, quos statim subijciemus, solùm ergo opponitur externæ confessioni fidei, & internæ charitati.

3. Tertius gradus est, quãdo solùm animo, & non ore iactaret aliquis in Deũ convicia, ut si illi destructionem, dolorem, aut alia mala desideraret, & intellectu cogitaret de tali malo infligẽdo, & hæc blasphemia cùm merè interna sit, non opponitur externo actui fidei, sed potiùs charitati, aut religioni ergà Deum. ¶ Quartus est, quando ex vehementi passione, aut nimia levitate solo ore proferret homo verba valde iniuria Deo, & hæc quidem, si forent sententiæ, quibus aliquid contrà fidem diceretur, opponerentur externo actui fidei, secùs verò non nisi religioni, & charitati, ad quas spectat debitam reverentiam, & dilectionis obsequium exhiberi supremo conditori.

4. Quintus gradus continet verba minus iniuria, sed quæ præseferunt irreverentiam, ut si quis membra pudenda Christi Domini nominaret, non quia in eo, sicut & in cæteris hominibus, non sint omnes partes corporis humani, sed quia in eo nihil est vituperabile, aut quod verbis nominandum sit in vituperium tanti Principis, ut optimè notavit inter alios Iacobus Simancas de Cathol. instit. titul. 8. num. 2. ¶ Sextus gradus complectitur blasphemias, seu convicia in Sanctos, quæ quidem tot ferè modis intelligi possunt, quot in- *Simanc.*

telliguntur in blasphemijs cõtra Deũ.

Ex dictis infero primò rectè Caietanum, q. 13. art. 1. §. *Quoad* 2. & Simãcam notavisse, nullam esse blasphemiã in qua aliquid falsitatis nõ inveniatur, nam si blasphemia continet internam, aut externam assertionem alicuius falsitatis, satis patet esse falsam, si verò veritatem affirmet, aut sine affirmatione convicium aliquod iactet in Deum, & Sanctos, falsa est in actu exercito, quatenùs per modum iniuriæ aliquid illis tribuit, quod illis iniurium non est, aut ullo modo vituperabile. 5. *Caiet. Simancas.*

Infertur secundò, non omnia peccata blasphemiæ esse eiusdem speciei, ut contendit Caietanus ad artic. 1. §. ult. quem sequitur Dominicus Bañez. Et enim blasphemia, quæ simul est infidelitas, sine dubio differt specie ab ea, quæ solùm verbis, aut alio modo maledicit Deo, licèt nihil contrà fidem sentiat, qui profert illam, cùm una reddat hominem hæreticum, altera non. Præterea, blasphemiæ procedẽtes ex odio Dei, & aliæ ortum habentes ex aliqua inordinata affectione valde distinctam naturam habent in genere moris. Denique, sicut cultus exhibitus Deo differt essentialiter à cultu exhibito Sanctis, ita & blasphemiæ contra Deum differẽt à blasphemijs contra Sanctos. Atq; hæc quidem distinctio intelligenda non est in genere physico, quod ad rem, de qua tractamus, nihil refert, sed solùm in genere moris, quatenus inæqualis valde est deformitas harum blasphemiarum. Notat autem rectè Simãcas n. 7. ex qualitate verborum, & circunstantijs personarum, temporum, & locorum colligendam esse maiorẽ, vel minorem huius sceleris gravitatẽ, maximè cùm quis statim ac illud commisit, seriò dolet. 6. *Caietan. Bañez.* *Simanc.*

Tertiò ad finem disputationis rogabit aliquis, ad quem ex gradibus assignatis pertineat blasphemia in Spiritum Sanctum, de quo multa ex Sãctis Patribus afferri possunt, & afferuntur à B. Thoma q. 14. Bellarmino to. 2. lib. 2. de Pœnitentia cap. 16. & Maldonato in cap. 12. Matthæi versu 32. Tota autem ratio difficultatis, & illius explicatio posita est in intelligentia verborum 7. *S. Thom. Bellarmi. Maldon. Matth. 12*

Christi Domini, Matth.12.n.31. & 32.
Math. 12. *Omne* (inquit) *peccatum, & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ, non remittetur. & quicumq; dixerit verbum contrà filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei*, &c.

8. Bellarminus, & Maldonatus relatis varijs sententijs affirmãt cum S. Athanasio, Paciano, Anastasio, S.Basilio, S. Ambrosio, S.Hilario, S. Hieronymo, Richardo de S.Victore, & alijs, verbũ, seu blasphemiam in Spiritum Sanctum esse illud peccatum, quo quis manifestam fidei veritatem ex malitia improbat, tribuens dæmoni opera, quæ manifestè sunt Spiritus Sancti, patet hoc ex contextu, nam agebat Christus Dominus in eo loco cum Pharisæis, qui opera Christi Domini virtute dæmonis patrari mentiebantur; unde meritò subdit, si homines dicerent aliquid cõtra Christum Dominum, ut homo erat, seu cognita solùm humanitate, dignũ esse venia tale peccatum, quia excusationem habebat; at verò, qui contra opera manifestè ab ipso facta in virtute Spiritus Sãcti, seu virtute divina, cuius mirabiles operationes tribuuntur Spiritui Sancto, non habere hanc excusationem, & proinde indignum esse remissione.

9. Vndè, quod dicitur, hoc peccatum numquam remittendum, non significat numquam remitti, aut esse irremissibile per pænitentiam, sed dicitur non remitti, primò ob difficultatem, quæ est in eius remissione, ut vult Bellarminus. Secundò ut vult Maldonatus, quia dignus non est veniæ, qui hoc peccatũ cõmisit; non quia propter alia peccata nõ reddatur etiam homo indignus, sed quia in hoc peccato est specialis ratio indignitatis ob malitiam, & advertentiam, qua quis veritatem, & opus Dei refert ad dæmones; quando enim quis peccat ex ignorãtia, aut minori advertentia aliqualem excusationem habet, & minùs distat à veniæ consecutione, iuxtà illud Pauli 1.ad Timoth.1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.*
1.Ad Timoth.1.

10. Atquè hoc secundò modò docet B. Thomas art.3. quæst.14. appellari irremissibile prædictum peccatum; addit etiam aliam rationem, quod scilicèt dicatur irremissibile, quia qui opera Dei ad salutem ordinata, malitiosè tribuit dæmoni, sibi ipsi præcludit viam ad salutem, & voluntariè persistit in peccato, quamvis absolutè loquendo, remitti possit istud, & quodcumque aliud crimen in hac vita. ¶ Deniq; in art.1. eiusdem quæstionis videtur magis propendere Sanctus Doctor in eam sententiam, quæ ait, peccatum in Spiritum Sanctum esse peccatum ex malitia commissum, quo quis contemnit ea, quibus à peccato posset deterreri, & quidem doctrina, quam iuxtà hanc declarationẽ docet S. Thomas in ea quæstione, verissima est, videtur tamen textus Matthæi postulare, ut blasphemia in Spiritum Sanctũ non denotet quodcumq; peccatum ex malitia, sed illud tantùm, quo malitiosè quis refert ad dæmonem opera Spiritus Sancti.
S. Thom.

DISPVTATIO II.

Vtrùm omnis blasphemia, sit peccatum mortale: Vbi an interdum possit esse culpa venialis.

BEATVS Thomas quæst.13 art.2. affirmat blasphemiã ex genere suo esse peccatum mortale, quia ex sua ratione contraria est charitati, & valdè deordinat hominem ab ultimo fine. In art.verò 3. docet etiam esse maximum peccatorũ, quia habet in se gravitatem infidelitatis, quæ iuxtà dicta in quæst.10. est maximum peccatorum, & insuper aggravat ipsam infidelitatẽ, quatenùs claudit etiam depravationem voluntatis, & externam prolationem contumeliæ cõtra Deum, quæ duo in infidelitate non includuntur. 1. S. Thom.

Hæc doctrina vera est, si adhibitis limitationibus intelligatur, ut intellexisse creditur Sanctus Doctor. Et quidem blasphemia potest esse peccatum 2.

veniale defectu perfectæ advertentiæ, quæ ad mortale necessaria est, ut ipse B. Thomas notavit artic. 2. ad 3. & Navarrus cap. 12. n. 84. Præterea Aragon, & Bañez ad artic. 2. q. 13. quos sequitur Sanchez lib. 2. Summæ cap. 32. n. 42. dicūt, posse esse aliquas blasphemias, quę solum sint peccatum veniale, quādo nimirùm levis esset materia, ut si iactaretur in Sanctos, non quatenùs Sancti sunt, sed quatenus fuere quidam homines. Exemplum Aragonis est, si quis per iocum diceret B. Petrum, cum Iudæus esset, negavisse Christum. Bañez exhibet alia duo exempla, scilicèt, si quis diceret aliquos Sāctos fuisse Eunuchos, aut fuisse Sutores. Quæ omnia levem deordinationem continent, etiam iocosè dicta, nisi proferrentur animo contemnendi Sanctos. *S. Thom.* *Navarr.* *Aragon.* *Bañez.* *Sanchez.*

3. Circà doctrinam verò articuli tertij, tunc erit blasphemia maximum peccatorum omnium, quando clauserit odiū Dei, ut claudere potest iuxtà supra dicta, quia odium Dei est maximum omnium scelerum. Deinde quando clauserit internam infidelitatem, & exteriorem negationem fidei, erit gravius peccatum quàm desperatio, & peccata contrà virtutès morales, quia infidelitas excedit hęc omnia vitia ut diximus tract. 15. disp. 1. & superaddet infidelitati illam circumstātiam exterioris negationis, non verò erit gravius, quàm odium Dei, nisi fortè blasphemia nascatur ex odio. Aliæ blasphemiæ, quæ nec ex odio, nec ex infidelitate nascuntur, minùs grave peccatum sunt, quam infidelitas, odium Dei & desperatio, quia non sunt immediatè cōtra aliquā virtutem Theologicam, & verissima doctrina est, peccata contra virtutes Theologicas esse ex suo genere graviora. Neque hoc negat B. Thomas. Videantur Bañez, & Aragon.

(?)



DISPVTATIO III.

De pœnis, quæ propter blasphemiam infliguntur.



DE hac re videantur multa, quæ docet Simancas suprà à n. 9. Et imprimis blasphemis nulla est lata excommunicatio, dūmodo non habeant internam infidelitatē: probatur, quia in tract. 15. ostendimus præcisè ob externam negationem fidei non incurri pænas hæreticorum, nec esse in iure crimen hoc reservatum, cui favet Conciliū Lateranense sub Leone X. sess. 9. tit. de Reformatione Curiæ & aliorum, ubi contra blasphemos feruntur pænę, quarum aliquas ipso facto incurrunt Ecclesiastici, & iubetur Sacerdotibus, ut ab illo crimine non absolvant, nisi imposita gravissima pœnitentia, supponit ergò Concilium, posse absolvi, ut bene notavit Navarrus cap. 27. n. 262. dicēs decretum hoc non servari in foro consciētiæ. Vnde Sanchez lib. 2. Summæ cap. 32. nu. 44. absolutè docet cum Suarez, peccatum blasphemiæ non esse reservatum. Et Decretū Concilij Lateranensis, quantùm ad non absolvendum, nisi imposita gravissima pænitentia, non esse usu receptum, nec iam obligare. I. *Simancas.* *Leo X.* *Navarr.* *Sanchez.* *Suarez.*

Dico secūdò blasphemiæ hæresibus confines, & quæ speciem hæresis præseferunt, pertinent ad Quæsitores fidei, aliæ verò, non; ut si quis iuraret per mēbra pudenda divorum. Sic Simancas n. 6. & Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 12. paulò ante finem. Probatur, quia eorum munus est conservare fidē, quarè quidquid nullo modo ad illam pertinet, extrà eorum iurisdictionem est, solùm ergò puniendi sunt ab alijs iudicibus pro qualitate criminum. Debet autem quicumq; accusare blasphemos, ut ita prospiciant divino honori, ut Simancas docet n. 3. 2. *Simanc.* *Castro.* *Simanc.*

Castro lib. 1. de iusta hæretic. punit. cap. 12. & alij putant, blasphemiā ipsis 3. *Castro.*

operibus

operibus fieri posse etiam sine verbis; ut qui per contumeliam spueret imaginem Christi Domini, aut Deiparæ. Sed S. Thomas hic artic. 1. solùm in verbis constituit blasphemiam. Et Sanchez in Summa lib. 2. cap. 32. cum Suarez to. 1. de Religione, & alijs bene probat, in signis, aut factis non esse propriè blasphemiam, alioqui adorans idolum cōmitteret peccatum blasphemiæ, quod non videtur dici posse. Ex quo patet, cùm blasphemię peccatum reservatur, aut dicitur pertinere ad aliquod tribunal, non intelligi, nisi de blasphemijs vocalibus.

S. Thom. Sanchez. Suarez.

COMMENTARIVS IN Quæstionem 15. & Tractatus 17. de Vitijs oppositis dono intellectus, & piæ affectioni.

1. IN hac quæstione agit B. Thomas de duplici vitio, quod opponitur dono intellectus, qui est veluti comes, & adiutrix fidei iuxtà dicta ad q 7. Primū vitium est, *Cæcitas mentis*, quæ quidem non accipitur hoc loco pro privatione luminis naturalis, sed pro carentia doni intellectus, cuius munus est illustrare intellectum, ut intimè penetret convenientiam rerum fidei; & hæc quidem carentia est pæna in quantùm provenit à Deo auferente prædictum lumen; est verò culpa quando homo voluntariè non attēdit ad ea, quæ dono intellectus manifestantur, ut ita recedat à peccatis, & bona opera exerceat. Secundum est *Hebetudo mentis*, quę minus vitiū est, quàm cæcitas, & consistit in quadam tarditate ad percipiēdū divina. Potestque esse culpa, aut pæna, ad eum modū, quo cæcitas mentis; opponitur autem dono intellectus, cuius est intimè, & facilè penetrare divina. Vtrumque vitium oritur ex gula, & luxuria, quarū delectationes avocant animum à consideratione divinorum.

2. Rogabit tamen aliquis, cur S. Thomas non meminerit vitij oppositi dono scientiæ, cùm titulus quæstionis id postularet, inscribitur enim quæstio de vitijs oppositis scientiæ, & intellectui. Respondetur, id factum fuisse, quia sufficienter colligi poterat ex dictis de vitijs oppositis intellectui, cùm enim apprehensionem inordinatam sequatur inordinatum iudicium, & donum sciētiæ ordinetur ad iudicādum de rebus, quas apprehendit donum intellectus, iuxtà dicta ad q.7. & 8 eo ipso quòd cæcitate, & habitudine mentis impeditur operatio doni intellectus, impeditur consequenter operatio doni scientię, ac proinde rectè dicuntur hæc duo vitia opposita intellectui, & scientiæ.

In speciali verò dici etiam potest, directè opponi dono scientiæ, illud falsum iudicium, quo quis iudicaret, non esse nostram fidem dignam creditu ob motiva creata, seu inferiora, aut non esse sectādam viam, & imitandos mores Catholicorum (sicut etiam dono sapiētiæ opponeretur iudicium, quod affirmaret, res nostræ fidei non esse dignas creditu ob motiva superiora, nec mores Catholicorū sectandos) cuius oppositum docent dona scientiæ, & intellectus. 3.

Quod ad vitium oppositum piæ affectioni spectat, brevissimè dico: piæ affectioni opponi actum, quo quis efficaciter nollet credere: iudicio autem piā affectionē præcedēti, opponitur aliud, quo quis iudicaret non esse bonum credere. Difficultas tamen est, an qui eliceret prædictos actus, amitteret habitus piæ affectionis, & iudicij illam præcedētis. Qua in re sentio primò actum, quo quis efficaciter nollet credere, posse sumi tripliciter primò pro actu, quo Ethnicus, nondum audita fide, vel post illam auditam diceret se nolle illā amplecti, & hic non destruit piam affectionem, quia illa nondum erat in Ethnico. Secundò accipitur pro actu, quo Catholicus nollet elicere actum fidei quoad exercitium, licet vere vellet esse Catholicus, & hic quidem non esset infidelis, ut satis patet, licèt peccaret non eliciendo actum fidei in tempore, quo obligaret præceptum credēdi. Ex quo consequēter infero, non amitti habitū piæ affectionis, qui fidē comitatur, imò 4.

tatis volitio nō opponitur piæ affectioni, cū quivis Catholicus possit sæpe dicere, se nolle modo elicere actū fidei, ad quē non tenetur, & tamen nemo dicere possit illū amittere piā affectionē. Tertiò ergò nolitio opposita piæ affectioni, est actus, quo efficaciter volūtas vult non admittere fidē quoad specificationē, quia scilicèt homo credit esse falsam, vel certè dubitat; & hic actus, si sit cū pertinacia, non solū destruit habitū piæ affectionis, sed etiā fidei, cùm illū necessariò comitetur infidelitas, si vero sit sine pertinacia, non destruet habitū piæ affectionis. Quod probari potest eisdē rationibus, quibus id probavimus de habitu fidei tract. 15. disp. 2. Nā pia affectio, & fides reputātur pro eadē virtute, & quod de fide dictū fuit, applicandum etiam est piæ affectioni.

5. Secundò sentio sub meliori iudicio, destrui habitū iudicij piā affectionem præcedentis, cū quis pertinaciter iudicaret non esse bonū credere, voco autē iudiciū hoc pertinax, quando quis advertens doctrinā fidei esse sufficienter propositā, ut revelatā à Deo, adhuc iudicaret non esse bonū illi assentiri; imò crediderim tūc amitti fidē, quia impossibile est tale iudiciū elici ab eo, qui nō dubitaret de veritate fidei, aut qui illā non reputaret falsam, quod utrūq; est infidelitas, ac proinde destruit fidē: etenim de fide est nostrā fidē debere credi, & esse bonū illi assentiri, hoc autem negat ille, qui haberet tale iudiciū. Si vero id sine pertinacia iudicaret, non amitteret talē habitū, quia ille comitatur fidē, & est veluti eadem virtus, ergò sicut non expellitur fides sinè pertinacia, ita nec prædictus habitus. Similiter qui iudicaret hic & nūc esse bonū non credere actualiter, non quia fides nō sit vera, sed quia in his, aut illis circunstātijs expediret non elicere actum fidei propter aliquas speciales rationes probabiles, quæ occurrere possunt, non amitteret habitum supernaturalē illius iudicij, nec fidem, & piam affectionē. Denique notandū est, quoties destruitur fides, destrui etiam habitus piæ affectionis, & prædicti iudicij, quia fides est prima virtutū sine qua nulla potest infundi, atque adeò nec manere.

Commentarius in quæst. 16.

IN art. 1. concedit B. Thomas, nō fuisse in antiqua lege impositū præceptū fidei, quod totā fidē complecteretur. Circa quod notandū est, non negari à S. Doctore habuisse antiquos præceptū credendi, id enim certū est iuxtà dicta in tra. 10. sed solū velle, nō debuisse poni ut speciale præceptū, seu specialem legē, sicut ponūtur præcepta decalogi, quia præcepta, seu leges alicuius superioris supponūt subiectionē subditi ad superiorem, cū ergò subiectio hominis ad Deum ut authorē supernaturalē fiat per fidē, debuit præsupponi fides ante specialia præcepta, quod idē verum est in lege gratiæ. Imponuntur tamen, aut imponi possunt præcepta circa speciales materias credendorū, & quidem in lege Gratiæ multa imposita sūt, aliqua verò minus principalia in lege antiqua iuxtà doctrinam B. Thomæ ad 5. 1.

Plura, quæ de præcepto fidei inquiri possunt, disputavimus in 4. tract.

In 2. art. ait, rectè fuisse in antiqua lege præcepta imposita circà scientiā, & intellectū, quæ etiā modo obligāt. Notat hic Aragó, præcepta huiusmodi nō esse de habitibus, sed de actibus; quatenùs scilicèt tenetur quis conari percipere doctrinā fidei, & morū. Notat etiā illorū transgressionē sæpè solū esse culpā venialē. Cui doctrinæ addēdū videtur 1. actus scientiæ, & intellectus, prout sunt dona Spiritus S. non cadere ut in plurimū sub præceptū saltē grave, quia cū nō possint elici actus donorū absq; speciali instinctu Spiritus S. & hic non ita certò possit dignosci ut in plurimū, non est cēsenda gravis obligatio, potiùs ergò intelligēda videtur doctrina huius art. de actibus, quibus homo percipiat res fidei, & illarū convenientiā, ac rectitudinem morū Christianæ religionis, sive id fiat per actus donorū, sive nō. Vnde 2. dico, quòd qui sufficiēter percipit ea, quæ ad ipsius fidē, & statū pertinēt, satisfacit plenissimè huic præcepto, & tunc solùm peccabit contra illud, quādo defectu observationis, minùs rectè credere, & operari potuerit, qui defectus iuxtà materiæ gravitatē erit mortalis, vel venialis. Et hæc de 1. Controv. ad Dei, & B. Mariæ gloriam. 2. *Aragon.*

SECVNDA CONTROVERSIA GENERALIS DE VIRTVTE SPEI, AD SEX quæstiones huius 2. 2. S. Thomæ, scilicèt à q. 17. ad 22.

PRAEFATIO.

DISSERVIT in superioribus quæstionibus S. Thomas de Fide, quæ mentem firmat in obscura cognitione divinarum rerum; nunc spei naturam declarandam aggreditur, qua voluntas erigitur, ut ad æternam fælicitatem posthabita quacumque difficultate certò properet: quãvis enim præclarè dixerit Plato apud Magnum Basilium in Rescripto, quod habetur post Epist.6. S.Nazianzeni, humanã spem esse vigilantium insomnia, *eo quòd homines incerta perituræ fælicitatis spe sibi montes aureos polliceantur, perinde ac si dormientes id somniarent: at divina spes certitudinem firmissimam affert, neminem in æternæ beatitudinis consecutione decipit, si seipsum ipse non fallat, & id quod certò sperabat, pro sua libidine reddat incertum. Huius ergò eximiæ virtutis natura à nobis etiam investiganda est; universam verò controversiam quatuor tractatibus complectemur: in primo dicẽdum erit de obiecto, actibus, & habitu Spei. In secundo de illius causis, præsertim de materiali. In tertio de præceptis ad spem pertinentibus, & vitijs illi oppositis, quibus annectemus tractatum de dono timoris, quod in q.19. explicuit S.Thomas, eò quòd ad spem dilucidiùs percipiendam conducere videretur.* Plato.

COMMENTARIVS IN QVAEST. XVII.

IN art. 1. statuit B. Thomas spẽ esse virtutẽ. In corp. 2. art. affirmat, principale obiectũ spei esse beatitudinẽ æternã: in solutione verò 2. & 3. argumenti, alia, quæ ad beatitudinẽ ordinantur, esse obiectũ secundarium, seu minus præcipuum. In art. 3. definit, media hac virtute posse aliquẽ sperare beatitudinem, non solùm sibi, sed alijs quos amoris vinculo sibi devinxit. In 4. docet, non licere homini sperare beatitudinẽ ab alio homine, ut à principali agente, bene tamen ut ab instrumento divinæ bonitatis atquè sapientiæ. In art. 5. dicit spem esse unam ex virtutibus Theologicis. Et in 6. declarat in quo differat spes, à fide, & charitate. In 7. & 8. statuit fidem absolutè esse priorem spe; charitatem verò esse quidem posteriorem ordine generationis, priorem verò ordine perfectionis.

TRACTATVS I.

De obiecto, actibus, & habitu virtutis spei.

HAEC omnia unico tractatu cõplectimur, eò quòd ad perfectã essentiæ spei notionẽ exhibendã necessaria sint: & quidem spei nomen est valdè generale, significatq; quemlibet actum, & habitum, quo aliquid quomodolibèt speratur: in præsenti autẽ sumitur magis pressè, prout scilicèt significat præcellentem quandam qualitatem in nostra voluntate residentem, qua supremam fælicitatẽ speramus.

DISPVTATIO I.

Quodnam sit obiectum formale spei.

SECTIO I.

Deum esse immediatum obiectum formale spei probatur contra Durandum.

1. *Gabriel.* GAbriel in 3. dist. 26. q. unic. art. 3. dub. 7. docet, immediatum obiectum spei esse cognitionem rei speratæ, scilicèt Dei; sicut & obiectum immediatũ charitatis est cognitio rei amatę: quod quidẽ si rigorosè intelligatur falsum est, & in Philosophia reiectum; etenim cognitio, quæ voluntati proponit obiectũ amandũ, aut sperandum, solùm est conditio applicans potentiæ bonum, in quod feratur, undè non est in hoc nobis immorandum.

Durandus verò eadem distinctione q. 2. n. 6. existimat immediatũ obiectũ spei esse visionem beatã, quæ est quid creatum, Deum verò esse obiectũ mediatũ, licèt principale; Priorẽ suæ sententię partẽ probat, tum quia spes pertinet ad amorem concupiscentiæ, quo amamus nobis aliquod bonũ, sed hoc bonum non potest esse immediatè ipse Deus, quia ille propter se amãdus est, nec reperitur aliud bonum, quòd per spẽ nobis amemus, præter visionẽ beatã, quæ est beatitudo creata, ad cuius consecutionẽ inclinat spes; ergò. Tum etiam, quia idem est obiectum spei, & gaudij: hoc autẽ non est immediatè de Deo, sed de visione, seu possessione ipsius Dei; ergo non Deus, sed visio Dei est obiectũ formale immediatũ spei. ¶ Posteriorẽ partẽ probat, quia cũ visio beata immediatè versetur circà Deũ, ut circà obiectum formale præcipuũ; spes etiã, quæ visionẽ respicit immediatè, cõsequenter, & mediatè tendet ad ipsum Deum ut ad præcipuum finem. 2. *Durand.*

Dico tamẽ primò: Deus est immediatum obiectum formale spei. Conclusio colligitur ex communi doctrina Theologorum in 3. dist. 26. vbi docent spem esse virtutẽ Theologicã, de cuius ratione est immediatè tendere ad 3.

Deum:

Carthus. S.Thom. Caietan. Scot. Palac. Deũ: undè Carthusianus q.1.Durandi opinionẽ à cõmuni doctrina alienã appellat. S.Thomas in hac quæst.ar.5. Caietanus & Iuniores, Scotus in prædicta dist.26.q.unic. Palacios disp.2. & pleri què alij absolutè docent Deũ esse immediatum obiectum spei.

4. ad Tit. 2. Probatur primò authoritate Scripturæ, nã Apostolus ad Titum 2. *iustè (inquit) & piè vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem.* Id est, expectantes præmiũ laborũ, quod non est aliud, qui ipse Deus; spes enim in hoc loco ponitur pro re sperata, ut notat Cornelius, Cornel. & propterea ad Hebræos 6. addidit, ad Heb. 6 *Spem sicut anchoram habemus animæ tutã, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Iesus.* Quasi diceret, media spe nos tẽdere ad interiora velaminis, hoc est, ad interiorem & velatã beatitudinẽ, ut exponit interlinealis, vel ad ipsa cælestia arcana, quæ oculus non vidit, S. Ansel. ut declarat S. Anselmus, vel tandem, quod in idem redit, ad ipsum Deum, ut vult noster Franciscus Ribera; quibus Ribera. omnibus denotatur ab spe nostra respici Deum tãquam obiectum, non verò aliquid intermediũ, in quod immediatè feratur: quod tandè cõfirmat Petrus Epist.1.cap.1. dum ait, Christum suscitatum fuisse à mortuis virtute Dei, *ut* 1. Pet. 1. *fides, & spes nostra esset in Deo*, seu in Deũ iuxtà aliam versionem: ubi apertè indicatur æquè immediatè respici Deum à fide & spe.

5. Secũdo probatur cõclusio, quia spes est virtus Theologica, ut infrà ostẽdemus, ergo immediatũ eius obiectũ est ipse Deus: patet cõsequentia, quia mediatè versari circà Deũ non sufficit ad rationẽ Theologicæ virtutis, alioqui si quis amaret visionẽ beatam propter eius pulchritudinẽ, diceretur habere virtutẽ Theologicã charitatis, eo quòd mediatè versaretur circà Deũ, & qui desideraret habere actũ fidei, eliceret desiderium Theologicũ, quia mediatè desideraret Deũ, qui est immediatum obiectum fidei, quæ omnia sunt incõmoda & contrà communem cõceptionem Doctorum. Vide quæ in 1.2. controvers.5. diximus de Virtute Theologica in communi.

Tertiò probatur, declarando inefficacitatẽ rationis Durandi; etenim licèt Deus non possit amari amore concupiscentiæ propter nos, ut propter ultimũ finẽ, potest tamẽ amari nobis, ita ut ipse sit absolutè ultimus finis, quem tamen nobis ipsis exoptamus, ut nos perficiat. De quo plura in disp.3. Præterea falsum omninò est, gaudiũ beatorũ nõ esse immediatè de ipso Deo, quamvis enim nullus gaudere possit, nisi bonũ adipiscatur, nõ tamen de sola adeptione gaudet, sed de bono, quod adipiscitur; cùm enim quis delectatur manducando, non sola manducatione delectatur, sed immediatè etiam ipso sapore, quẽ percipit; undè potiùs in Durandũ illius ratio retorquẽda est: nã obiectũ formale immediatũ gaudij beatorum est ipse Deus, ergo idem erit etiã obiectum immediatum spei: patet consequentia, quia idem est utriusque actus obiectum formale. 6.

SECTIO II.

Sub qua ratione specificet Deus virtutem spèi.

Dico secundò: Deus est obiectũ formale virtutis spei in quantũ est bonũ nostrũ. Conclusio priùs explicãda & 7. ratione probanda est; deindè Doctorũ testimonijs cõfirmanda: ex ea enim ferè pẽdet universa cõtroversia de huius virtutis natura. Et imprimis Deũ esse obiectũ formale sub aliqua ratione boni, supponendũ est, tũ ex Scholasticis adducẽdis, tũ ex 1.2. cõtrover.5. tract. 1. ubi ostendi obiectũ cuiuslibet virtutis esse aliquod bonũ, tũ ex cõmuni ratione actuum voluntatis, qui circà aliquod bonũ semper versãtur, hoc enim est obiectũ formale adæquatũ volũtatis ut in lib.4. de Anima disp.3. probatum est; quarè nõ est admittendus modus loquẽdi S.Bonavent. in 3. dist. 26. S. Bonav art.2.q.4. dicentis obiectũ spei nõ esse bonum sub ratione boni, sed sub ratione ardui, excellẽtis, & gloriosi; ut enim omittam ea, quæ cõtra hanc rationem explicandi obiectum spei adducemus disp.3. satis impossibile videtur spem versari circa arduitatem non respiciẽdo illud bonũ, quod est arduum, & ad

cuius consecutionem erigitur nostra voluntas mediante actu spei.

8. Deinde verò ut explicetur, quomodò Deus, ut bonum nostrum, sit obiectum spei, recolendum est ex breviter dictis 1.p.controver.1.tract.3.disp. 6. duplicem in Deo rationem bonitatis reperiri: unam, qua constituitur in se ipso bonus, seu ipsi convenientissimus; alteram, qua constituitur bonus nobis, seu nos intrinsecè respiciens, ut media eius possessione perficiamur. Et quidẽ bonitates istas esse diversas constat, tũ ex diversis illarum definitionibus, tum etiam ex eo quòd in creaturis inveniãtur diversæ: aliud enim est calorem v.g. esse in se bonum, aliud esse bonum alteri, unde cùm in aqua existit, in se quidem bonus est, aquę autem non est bonus, sed dissentaneus; deniq; duplex hęc ratio bonitatis diversas exigit proprietates, ratione enim unius bonitatis amari potest Deus amore amicitiæ, ratione verò alterius, non nisi amore concupiscentię, de quo latiùs infra. Est ergò distinctio rationis ratiocinatæ inter has duas Dei Optimi bonitates.

9. Affirmat ergò conclusio, Deum ratione bonitatis, qua in se ipso bonus est, esse obiectũ formale charitatis; ratione verò bonitatis, qua nobis bonus est, esse obiectũ formale virtutis spei. Probatur, quia charitas & spes sunt virtutes distinctæ; & Deũ respiciẽtes ut obiectum formale sub aliqua ratione boni, ergo ex parte Dei assignãda est distinctio in ipso obiecto formali, patet consequẽtia, quia circa idẽ obiectũ formale nõ est nisi unica virtus, nec Philosophi, aut Theologi distinguere solent virtutes, nisi ob diversas honestates, seu diversas rationes boni, quas inveniunt. Dices sufficere diversum modũ tendendi ad diversas virtutes, licèt unũ sit obiectũ formale; sed id faciè1 refellitur, nã in voluntate nõ potest assignari diversus modus tẽdẽdi in virtutibus infusis, aut in acquisitis, nisi ad diversitatẽ obiecti recurratur; aliòqui plures quã pro numero virtutes multiplicarẽtur. de quo latiùs in disput. 3.

10. Igitur cùm ex parte Dei distinguẽda sit hæc duplex ratio bonitatis, ut spes sit nobis tributa, ut erigat mẽtẽ nostrã ad Deũ ut ad finẽ, quẽ à nobis possidendũ expectamus, rectè dicitur obiectũ formale illius esse Deus ut bonũ nostrum, seu sub ratione bonitatis nos perficiẽtis; charitas verò respicit Deũ ut in se bonũ, eo quòd sit virtus amicitiæ, cuius obiectũ est amicus in quantũ est in se bonus, non verò quatenus est bonus amanti: id enim pertinet ad amorem concupiscentiæ, de quo dicetur etiam in sequente controversia de Charitate tract. 5. disp. 2.

Atque hanc nostrã sententiã amplectuntur plures, iique graves Doctores. Imprimis B. Thom. art. 6. in eo distinguit spẽ à charitate, quòd hæc facit hominẽ inhærere Deo propter semetipsum, ut non sibi vivat, sed Deo; spes vero facit tendere in Deũ ut est quoddã bonũ adipiscendũ à nobis. Quã doctrinã dilucidè explicat Caiet. ad ar. 5. & ad art. 7. sic scribit, *charitas fertur in ultimũ finem propter seipsum; spes verò in finem ultimum ut nostrum*: qua differentiam docet desumi ex parte obiecti secundũ S. Thomã. Deinde Scotus suprà art, *Spẽ esse desideriũ Dei ut boni nobis; charitatẽ verò versari circa Deum ut in se bonum*. Tertiò Gabriel suprà art. 1. docet, *ad spem pertinere diligere Deum ut est bonus ipsi diligenti; ad charitatẽ verò, diligere ut est in se bonus*. Quartò Medina 1.2. q. 62. art. 3. docet, *obiectum spei esse Deum ut summum bonũ nostrũ*. Quinto, Suarez 3. p. to. 1. in comment. articuli ante 19 disp. nobiscũ plane cõsentit, & in tract. de Spe disp. 1. sect. 3. pręsertim conc. 4 & alij docti Theologi. Et quidẽ licet ni omnes, aut illorũ plerique nõ dicãt expresse has duas bonitates in Deo distingui ut duo attributa, imo Scotus §. *ad q. igitur*, in fine dicat, eandẽ esse rationẽ formalẽ obiecti; in eo tamen nobiscum plane consentiunt, quòd Deũ ut bonũ nostrũ statuunt esse obiectum spei; nec crediderim ab ipsis negari, hanc rationẽ boni distingui per intellectũ à bonitate, qua respicitur à virtute charitatis, quod clariùs innuisse videtur Gabriel suprà art. 2. conc. 2.

11. S. Thom. Caietan. Scotus. Gabriel. Medina. Suarez. Gabr.

Illud obiter circà hanc conclusionẽ notandum est; virtutem spei, & versari circà Deum ut circà bonum nostrum, 12.

quod

quod speramus, & ut circa causam efficientē auxilij, quod ad fælicitatē obtinendā necessariū est, ut colligitur ex B.
S.Thom. Thom. art.6. atq; in hac secunda acceptione frequenter docet Scriptura spem
Psal. 90. nostram inniti Deo: Psal.90. *Quoniam tu es Domine spes mea*, & alibi, *Spera in Deo quoniam adhùc*, &c. id est innitere Deo ut principio, à quo tibi proveniet auxilium: sed sub hac ratione non est Deus obiectum formale spei, sed quasi materiale; quia ratio formalis obiecti est illud bonum, quod speratur, & in cuius consecutionē erigitur; causa verò, quæ auxilia confert ad illius consecutionē, se habet quasi extrinsecè, & ut conferens vim ad tendendum in obiectum formale: superest ergò sub priori ratione Deum esse obiectum formale, prout scilicèt est bonum nostrum.

SECTIO III.

An visio beata pertineat ad obiectum formale Spei.

13. DICO tertiò: visio beata pertinet ad obiectū formale spei tāquàm illius complementum. Hanc assertionē expresserunt Michael Palacios suprà,
Palac. Aragon. Bañez. Caietan. S.Thom. Aragon 2.2.q.17.ar.2.conc.1. Dominicus Bañez ad eūdem articulum, & Caietanus infrà adducendus: innuit verò B.Thomas art.2. quatenus ait, *Beatitudinem æternam esse obiectum spei*, quod etiā Scriptura testatur, cùm enim beatitudo æterna consistat in Deo ut à nobis possesso media visione beata, Deus & visio, seu Deus ut visus videtur secūdùm Sanctum Doctorē constituere integrum obiectum huius virtutis. Probatur, quia obiectum formale spei est Deus ut bonum nostrum, id est Deus ut est bonum nos perficiēs, seu à nobis posidēdum, ut sit completa nostra fælicitas; sed in hac ratione clauditur intrinsecè visio beata; ergo illa pertinet ad complementū obiecti formalis spei. Maior patet, nam cùm spes sit homini cælitus infusa, ut in Deum tanquam in suam fælicitatem tendat, non potest sub alia ratione illum respicere ut bonum nostrum, quàm respiciendo, ut bonum à nobis posidendum, ut media hac possessione simus omni ex parte fælices. Minor probatur, quia visio beata est ratio formalis posidendi Deum, ergo non potest spes versari circà Deum, ut circà bonum à nobis posidendum, quin versetur circà ipsam visionē. Confirmatur, quia Deus est obiectum formale spei ut est finis ultimus noster, sed non est ultimus finis, nisi ut media visione beata posidēdus; ergo.

Sed obijciunt aliqui, visio beata est aliquid creatum, ergo non potest pertinere ad obiectum formale spei. 14.
Antecedens est certum. Consequētia patet, quia spes est virtus Theologica, de cuius ratione est tendere ad Deum ut ad obiectum formale adæquatū. Confirmatur, quia fides, & charitas respiciunt solum Deum ut obiectū formale, ergo idem dicetur de spe. Respondetur negando consequentiam, & probatio illius non urget; nam ratio virtutis Theologicę id solùm postulat, quòd nimirum immediatè respiciat Deum ut præcipuam rationem obiecti, non verò excludit aliquid creatum, quod sit veluti complementum illius in ratione obiecti, & ita res se habet in præsenti; spes enim immediatè respicit Deum ut bonum nostrum, eaque est potissima ratio sui obiecti, quoniàm tamen Deus sub hac ratione intrinsecè affert visionem beatam, ut medium, quo est bonū nostrum, & non potest versari spes circà hic rationem boni, nisi versetur circà visionem, quæ facit Deū esse in actu secundo nostrum bonum, & ultimum finem, propterea visio pertinet ad cōplementum obiecti formalis huius virtutis. Ad confirmationē dicimus, exēplo fidei cōfirmari nostrā sententiam: nā revelatio, quæ est aliquid creatum, pertinet ad complemētum obiecti formalis fidei ut in Prima Cōtroversia Tractatu 1. probatum est. Charitas verò cùm respiciat Deum ut in se bonū, non postulat ex parte obiecti formalis aliquid creatum, quo medio nobis illud communicetur, & propterea solā Dei bonitatem respicit ut obiectū formale; secùs est de virtute spei, ut iam declaravimus, & dicemus iterum in Controversia de Charitate tract.5. disput.3. ex mente S.Thomæ.

15. Caiet. Ex dictis colligetur facilè, quidnam veritatis habere possit, quod Caietanus ad art. 5. huius quæstionis docuit; scilicèt, sicut actio causæ efficientis est ratio formalis agendi, seu à qua provenit, causam efficientem immediatè operari, ita visionem beatam esse *Finalizationem Spei*, id est rationem formalé, à qua provenit, Deum, ut est summum bonum nostrum, immediatè movere voluntatem, ut in illum tendat medio actu Spei. Etenim si Caietanus velit, visionem beatam esse causalitatem nostri ultimi finis, sicut actio est causalitas causæ efficientis, omnino reijciendus est; nam causalitas finis est motio voluntatis, qui est influxus metaphoricus ipsius finis, ut ad 2. Physicorũ dicebamus; at visio beata non est motio metaphorica, sed realis, & perfectissima qualitas, qua beatus intuetur Deum: si autem solùm contendat, visionem esse necessariò requisitam ut rationem formalem complentem obiectum Spei, eò quod media illa cõstituatur Deus finis noster in actu secundo, sic assecutus est veritatem, quã in 3. concl. docuimus: et ita sanè sentire videtur in Commẽtario art. 2.

DISPVTATIO II.

Quod sit obiectum materiale virtutis Spei.



1. NOMINE obiecti materialis significatur illud totũ, circà quod versatur aliqua potentia, vel virtus propter suũ obiectum formale; unde cùm spes habeat pro obiecto formali ipsum Deum ut bonum nostrũ, id totum erit obiectum materiale illius, quod ipsa spes respexerit propter prædictam bonitatem, seu quod aliqua ratione fuerit ordinatũ ad Deum ut bonum nostrum; quæ doctrina dilucidiùs perspicetur declarando varia consectaria, quæ ex hoc principio deducuntur.

2. Infertur ergò primò pertinere ad obiectum materiale spei resurrectionẽ corporis, & gloriosum statum illius; & quidem omnino certum est id cadere sub obiectum Spei; nam Iob in cap. 19. id perspicuè testari videtur, *Scio* (inquit) *quod in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meũ, reposita est hæc spes mea in sinu meo*; & sanè cùm beatitudo corporis sit quasi complementum nostræ fælicitatis, quæ à Deo nobis promissa est, negari non potest eam, sicut & beatitudinem animę sperandam esse; quod autem illa sit obiectum materiale, patet, quia spes ut potè virtus Theologica non respicit ut obiectum formale, nisi Deum ut bonum à nobis immediatè possidẽdum; beatitudo vero corporis nõ est immediata Dei possessio, sed quid ordinatũ ad complemẽtum beatitudinis animæ, quæ in hac possessione consistit. Iob 19.

3. Infertur secundò omnia auxilia, & media necessaria ad beatitudinis adeptionem esse obiecta materialia spei; de hoc etiã consectario non potest esse dubiũ apud Catholicos; nam hæc omnia necessario requiruntur ad obtinendum obiectum formale spei, offerunturq; omnibus à Deo, non minùs quam ipsa beatitudo, ergo qui efficaciter sperat beatitudinem, consequenter etiam sperat auxilia, & media prędicta. Vnde Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait, *Per Spem erigi peccatorem ad veniam consequẽdam*, quæ est unum ex requisitis, ut peccator obtineat beatitudinem. Sunt autẽ hæc omnia obiectum materiale, quia ut benè B. Thomas art. 2. ad 2. respiciuntur secundariò ab spe in ordine ad æternã fælicitatem. Trident. S. Thom.

4. Tertiò infertur, etiam bona temporalia, quæ non sunt necessaria ad beatitudinẽ, posse pertinere ad obiectũ materiale spei, si prudenter credantur forè utilia ad adeptionem supremæ fælicitatis. Sic Aragon, & Bañez 2. 2. q. 17. art. 2. & planè B. Thomas ibidem, cùm enim in secundo argumẽto obiecisset, non solam beatitudinem esse obiectũ spei, cùm etiam bona temporalia speremus, respondet: *Hæc secundario respici ab spe, prout ad beatitudinem conducunt.* Probatur imprimis authoritate S. Augustini to. 3. in Enchirid. cap. 114. ubi ait, *Ea omnia pertinere ad spem, quæ in oratione Dominica continẽtur*, sed in oratione Aragon. Bañez. S. Thom. S. August.

Dominica etiam postulamus bona tẽporalia, dùm dicimus, *panem nostrũ, quotidianum da nobis hodiè*, ergo bona temporalia, dummodò prudenter credantur conducere ad beatitudinẽ, possunt sperari in ordine ad illam. Deinde probatur, quia prædicta bona licitè, & religiosè petuntur à Deo, prout creduntur conducere ad beatitudinem, ergo possunt etiam sperari, patet consequẽtia, nam spes, & fiducia maximè requiruntur ut oratio perfecta sit; atque hæc doctrina confirmabitur ampliùs in sequentibus.

5. Infertur quartò, alia etiam auxilia, & dona supernaturalia esse posse obiectum materiale spei, licèt nec illa sint ad salutem necessaria, nec omnibus à Deo concedantur. Sic Aragon supra conc.3. ubi ait, posse sperari quodcumque donum supernaturale, licet ad salutem non sit necessariũ; & S. Thomas proximè adductus indistinctè docèt, tã bona spiritualia, quàm temporalia pertinere secundariò ad hanc virtutem. Et quidem, si prędicta auxilia, aut alia dona sint à Deo alicui promissa, non dubium est, quin illa posśit sperare, sicut Abraham dicitur ad Roma. 4. *In spem contra spem credidisse*; id est, adhùc sperasse à Deo multiplicandũ semen eius, sicut stellas cæli, & arenam maris; licèt iam ferè exstinctam videret spem posteritatis in tanta sui, & uxoris suæ senectute. Vide ibi Cornelium.

Aragon. *S. Thom.* *Ad Ro. 4.* *Cornel.*

6. Si verò prædicta dona non sint promissa, videtur nonnullis non posse cadere sub obiectum spei. Primo, quia spes dirigitur ab actu fidei proponẽtis spei suum obiectum, ut à Deo concedendum, si per hominem non steterit, sed plura auxilia specialia, & singularia dona, v.g. martyrij palma, non possunt proponi à fide, ut concedẽda Petro, vel Ioanni, etiam si ab ipso desiderentur, cùm Deus id non revelaverit; ergo non possunt esse obiectum spei. Secundo, quia spes est certa; si autem versaretur circà prædicta dona, posset esse incerta, imò & vana, cùm interdum speraret aliquid, quod Deus statuit uni, vel alteri non conferre, ergo.

7. Opposita tamen sententia verisimilior est, & ad mentẽ B. Thomæ, & Aragon, nimirum hæc dona, si prudenter existimentur conducere ad beatitudinem, posse à nobis sperari; addidi autem, si prudenter existimentur conducere; quia si quis peteret rem extrà cõmunem ordinem, & quæ soli B. Mariæ, aut Apostolis concessa est, non ad illam inclinaret spes, cùm potiùs foret præsumptio: posita autem prædicta regula prudentiæ, probo ea posse sperari in ordine ad beatitudinem. Primò, quia in Scriptura videtur id nobis esse consultum, Psal. 36. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam.* Vbi non videtur esse sermo de re necessaria ad salutem, sed de liberatione ab oppresśione, vel tribulatione quacumque; & tamen cõsulitur spes, non in alio, quam in Deo, ut constet sermonem esse de virtute Theologica, ergo possumus sperare liberationem à prædictis malis. Susannam etiã notat Scriptura Danielis 13. cùm in iudicium vocaretur, flentẽ suspexisse ad cælum, *Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino*, quia nimirũ sperabat se à Deo liberãdam, cùm tamen ea liberatio non foret ad salutẽ necessaria, nec illi à Deo promissa, licet ergo prædicta specialia auxilia, & beneficia sperare: lege Bellarminum in prędictum locum Psalmi.

Psal. 36. *Daniel. 13* *Bellarmi*

Secũdò probatur, quia id, quod quis prudenter, & religiosè petit à Deo, potest etiam ab eodem sperare, cùm spes, & fiducia sint una ex cõditionibus perfectæ orationis, sed prædicta dona petuntur prudenter, imò & debere peti à Domino suadet praxis virorum spiritualium, ergo. Confirmatur, quia secundùm doctrinam S. Augustini, & aliorum quos in tertiò conlectario retulimus, bona temporalia possunt cadere sub obiectum spei, ergo & prædicta dona specialia; patet consequentia, quia adversariorum argumẽta, si quid efficacitatis haberent, probarẽt etiam tẽporalia bona non posse sperari, cùm nec sint absolutè necessaria ad salutẽ, nec sint promissa fidelibus, qui illa sperant; sæpè enim aliquis corporis salutẽ sperabit, quam Deus decrevit illi non donare; sufficit ergò prudenter ea postulari, ut sub spem cadere posśint: neq;

8. *S. August*

crediderim in petendis, & sperandis prædictis donis ordinis supernaturalis, necessarium esse apponi explicitè conditionem, ut nimirùm ea concedātur, si Deo placuerint; nam ea conditio intrinsecè supponitur in talibus actibus eò ipsò quòd honesti sint.

9. Ad primum respondetur, spem dirigi à fide in proponēdo obiecto formali, & medijs ad illius consecutionem omnino necessarijs; at verò in proponendo aliquo obiecto materiali sufficiēter dirigi à prudētia supernaturali; sic enim charitatis obiectum formale proponitur à fide, plura verò obiecta materialia proponuntur à prudentia, v. g. quòd Petrus sit pauper, ut propter Deū velim sublevare miseriā illius; quòd hoc, vel illud negociū dignū sit, quòd ob Dei amorē geratur, &c. ¶ Ad secundum dicetur cum B. Thoma ad q. 18. ubi de certitudine spei, modo sufficiat, certitudinem spei, prout tendit ad obiectū formale & media, quæ Deus promisit, desumi à fide, certitudinem verò in ordine ad alia obiecta desumi à prudētia, quæ etiam est certa licet dictet aliquid esse sperandum, quod re ipsa obtinendum non sit. S. Thom.

10. Ad extremum cùm nomine obiecti materialis intelligi possit etiam subiectum, cui speramus beatitudinem æternam, breviter dicendum est cum B. Thoma art. 3. non solum posse quemvis sibi sperare beatitudinem sed etiam alijs, quos amoris vinculo sibi devinxit, quia amor ex multis excellente quadā ratione facit unum, ut ita illorum fælicitas sit cōmunis, requiritur autem ut beatitudo, quam alijs speramus, sit illis possibilis, nam damnatis, quibus iam impossibilis est, non possumus eam sperare, actus enim, qui propriè appellatur spes, versatur circà bonum possibile. Porrò advertit idem S. Thomas art. 4. licèt spes nostra innitatur Deo ut præcipuo auxiliatori à quo nimirū nobis proventura sunt auxilia ad beatitudinem obtinendam, quæ ut vidimus sunt obiecta materialia, non tamen esse illicitū, sed potiùs consentaneū inniti etiā alijs hominibus ut instrumentis divinæ virtutis, quæ instrumēta etiā pertinent ad obiectū materiale huius virtutis. S. Thom.

DISPVTATIO III.

Qui nam actus pertineant ad virtutē spei: Vbi de actu præcipuo, qui est erectio animi in beatitudinem.



VARIE explicant Doctores actū spei: & imprimis spem esse actum amoris concupiscentiæ, quo nimirùm Deum ut bonum nostrum diligimus, docere videntur Durandus, & Gabriel suprà, Caietanus ad art. 5. ubi inter alia dum respondet ad 1. Durandi, *Spe* (inquit) *concupisco Deum mihi*, imò B. Thomas art. 8. corp. spem dixit pertinere ad amorem concupiscentiæ. Palacios verò in tertio distinct. 26. disput. 2. dixit hunc amorem concupiscentiæ non esse spem, licèt spē sapiat, unde in §. 2. *dilues*; addidit, talē amorem esse ex charitate, quæ prius amat Deum ex beneficio beatitudinis speratæ, deinde propter se ipsum. Tertiò Scotus in eadē distinctione quæst. unica docuit, actum spei esse desideriū Dei ut boni nostri, cui subscribit Vega lib. 6. in Trident. cap. 16. ad finē, addit verò Scotus ad virtutem spei non posse pertinere actum, qui non sit in concupiscibili, quia irascibilis non potest elicere actum, qui circà Deum immediatè versetur. Quartò alij dicunt actum spei esse quandam erectionem voluntatis nostræ in Deum ut bonum arduū, quod nobis proponitur esse possibile per divinum auxilium. Hæc videtur esse sententia Richardi distinct. 26. art. 4. quæst. 1. Aragonis 2. 2. quæst. 17. art. 6. conc. 5. & eam docuisse credendus est S. Bonaventura, quem in 1. disp. conc. 2 retulimus, & Durandus suprà quæst. 3. num. 6. ita explicat actum, qui propriè dicitur spes. Deniq; S. Thomas q. 18. art. 1. ad 1. & 1. 2. quæst. 25. art. 1. explicat naturam spei in ordine ad bonum arduum. 1. Durand. Gabriel. Caietan. S. Thom. Palac. Scot. Vega. Richard. Aragon. S. Bonav. Durand. S. Thom.

2. Suarez. Mihi quidem in hac re placet doctrina, quam Frãciscus Suarez 3.p.to.1. cõmentario ante 19. disputationem breviter, sed dilucidè proposuit, & quã alij docti magistri secuti sunt, nec ea est aliena à mente S. Thomæ ut videbimus, sed potiùs consentanea, & in se facilis ad rem hanc alioqui difficilem explicandam.

3. Dicendum ergò est, ad virtutẽ spei pertinere omnes illos actus, quorũ obiectum formale fuerit Deus ut summũ bonum nostrum; licèt unus sit, cui cõvenit absolutè nomẽ spei, & à quo hæc virtus suã denominationẽ accepit. Hęc posterior nostræ sententiæ pars infrà declarabitur, prior vero videtur omnino certa positis principijs, quæ in 1. disp. statuimus circa obiectum formale spei; etenim omnis actus honestus, qui habet obiectum formale alicuius virtutis, pertinet ad illam virtutẽ, sed obiectum formale virtutis spei est Deus ut bonum nostrum; ergo omnis actus, cuius obiectum formale fuerit Deus ut bonum nostrum, pertinebit ad virtutem spei. Consequentia est evidens, minor patet ex 1. disp. Maior verò videtur omnino certum principium Materię de Virtutibus. Lege dicta in 1.2. controver.5. tract.1.

4. Suarez. Ex hac doctrina deducitur primò ad virtutem spei pertinere amorẽ concupiscentiæ, quo nimirùm voluntas amat Deum ut summũ bonum nostrũ: sic sentiunt Doctores primæ sentẽtiæ, inter eos autem latè & optimè Suarez disp.1. de Spe sect.3. & patet, quia obiectum formale talis amoris est obiectum formale virtutis spei. Sed prætereà id ipsum confirmatur: quia prædictus amor est supernaturalis, & immediatè versatur circa Deum, ergo pertinet ad aliquam ex virtutibus Theologicis. Consequentia est certa, & antecedens probatur, nam ratio formalis determinans voluntatem ut illum eliciat, est divina bonitas prout in ordine supernaturali nos perficit, ergo, & versatur circa Deum, & est supernaturalis, cùm habeat obiectum ordinis supernaturalis. Rursus non potest elici hic amor à virtute fidei, cùm hæc ad intellectum pertineat, amor verò ad voluntatem: nec à charitate, quidquid contendat Palacios, tum quia charitas amat Deum amore amicitiæ, non vero amore concupiscentiæ, tum etiam quia obiectum formale charitatis est Deus ut in se bonus; hic autem amor respicit Deum ut bonum nobis, ergo elicitur à virtute spei, patet consequentia, quia non est alia virtus Theologica.

Sed obijciat aliquis, hunc amorem non solùm non esse Theologicum, sed nec supernaturalẽ quidem, imo nec honestum: etenim cùm quis amat aliquod bonum amore cõcupiscentiæ, seipsum amat per eundem amorem ut rationẽ formalem, ac proinde obiectũ formale illius non est bonitas rei concupitæ, sed potiùs bonitas ipsius subiecti, cui illam concupisco. Ex quo fit primò actum, quo quis amat Deum sibi, non esse Theologicum, quia non habet pro obiecto formali Deum, sed ipsum hominem. Secundo, non esse supernaturalẽ, quia est amor valde imperfectus, quem melius esset non habere. Tertio, esse inhonestum, quia refert Deum summũ bonum ad bonitatem creaturæ tamquam ad finem. 5.

Ante solutionem notandum, dupliciter posse aliquod bonum amari alicui subiecto, uno modo accipiendo tãtùm illud bonum pro obiecto materiali, ut cùm quis amat divitias propter se, altero modo accipiendo subiectum ut finem, cui volo illud bonum, ipsum vero tamquam rationem formalem, in quam tendit amor, quæ quoniã intrinsecè est commoda tali subiecto, concupisco illam ipsimet subiecto, ut cùm quis sibi vult regem sapiẽtissimum, ut nimirùm ille prospiciat bono subditorum. Ex quo patet ad obiectionem: etenim si per spem priori modo amaret homo Deum sibi, difficultatem haberet argumentum, non tamen ita res habet, sed amatur Deus posteriori modo, quia nimirùm, cùm ipse sit bonum nostrum, finisque nos perficiens, amamus illum sub hac ratione, vt scilicet nobis coniungatur, nosque fęlices efficiat, & ita bonitas Dei est obiectum formale talis amoris, nos vero sumus finis, cui prædicta bonitas diligitur, unde hic amor esse potest honestus, supernatu- 6.

pernaturalis, & Theologicus, nec ullã affert imperfectionem indignã homine sanctissimo: potiùs enim is amor in corde & ore sponsæ residebat iuxtà illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi*: & finis cui bene potest esse longè ignobilior bono, quod ad illum ordinatur.

Cant. 2.

7. Secundò infertur ad eandem virtutem spectare odium, seu detestationem mali, quod opponitur Deo ut bono nostro, quãdo hæc ipsa bonitas movet ad talem actum eliciendum. Probatur, quia amor, & odiũ si habeãt eandẽ rationem formalẽ, sunt eiusdẽ speciei, & ad eandem virtutem pertinẽt: vndè cũ quis odio prosequitur peccatũ propter summam Dei bonitatem, quæ est obiectum formale charitatis, verè elicit actum charitatis.

8. Infertur tertiò, desideriũ Dei ut boni nostri etiã elici à virtute spei, ut Scotus & Vega contendebãt; similiter ad eandẽ speciẽ virtutis referuntur delectatio de Deo ut bono nostro iã possesso, timor amittendi illum ut est bonũ nostrum, & omnes alij actus studiosi, & ordinis supernaturalis, qui habuerint hoc idem obiectum formale; sicut etiam dixit S. Thomas 3. p. q. 55. art. 1. ad 1. *Ab eadem charitate elici amorem boni, gaudium de illo, & tristitiam de opposito.* Verùm inter omnes ille est potissimus, quo voluntas erigitur, ut tendat in hoc summum bonum nostrum superando arduitatem, quę est in illius adeptione: & hoc est ad mentem Doctorum quartæ sententiæ; & planè S. Thomas hũc actũ appellat spẽ locis citatis, illumquè distinguit à desiderio, amore, delectatione, & similibus; videatur 1. 2. q. 40. art. 1. ubi egregiè declarat naturam, & conditiones huius actus, quæ breviter ita explicari potest. Proponit intellectus voluntati Deũ ut summũ bonũ nostrũ nondum possessum, sed quod possit possideri; repræsentat etiã difficultatẽ, quæ est in adeptione tanti boni; & ex hac consideratione provenit in volũtate quidã actus, quo quasi insurgit ut tendat in tã præcellẽs bonũ ut illud cõsequatur, quantumvis sit difficultas in eius cõsecutione; & quoniã ad id consequendũ requiruntur Dei auxilia, remissio peccati, infusio gratiæ &c. Actus quibus quasi erigitur ut tẽdat ad consecutionẽ horũ mediorũ, dicuntur etiã spes. Vnde Tridentinũ sess. 6. cap. 6. dixit, *peccatorem erigi spe veniæ*; & tandem cùm ad perfectionẽ beatitudinis spectet corporis gloria, ad huius etiã assecutionẽ insurgit, diciturque etiã actus spei, licèt non tã perfectus, quã ille primus, à quo iste habitus spei denominatur.

S. Thom.

S. Thom.

Trident.

9. Sed obijcies actus partis irascẽtis, & partis cõcupiscẽtis distinguũtur essentialiter, & pertinẽt ad diversas virtutes, sed amor Dei ut boni nostri pertinet ad partẽ concupiscentẽ, actus verò spei proximè explicati pertinẽt ad partẽ irascentẽ, ergo distinguũtur essentialiter, atq; adeo nõ pertinẽt ad eandẽ virtutẽ. Maior patet, quia actus partis irascẽtis respiciũt bonũ arduum, ergo differũt essentialiter ab actibus partis cõcupiscentis, qui arduitatẽ nõ respiciũt. Respõdetur, licèt in appetitu corporeo illæ duæ partes, & earum actus distinguãtur specie ob facultatis corporeæ limitationẽ, in volũtate verò, in qua residet virtus, de qua loquimur, id falsum esse: nec urget probatio; nam arduitas nõ est obiectũ formale actuũ voluntatis, sed potiùs est quid materiale, quod superatur à volũtate propter bonũ, quod est obiectũ formale suorũ actuũ. Et quidẽ quàm vera sit hæc nostra doctrina satis cõstat ex 1. 2. cõtrovers. 5. tract. 1. disp. 4. & controvers. 4. disp. 8. ubi ostẽdi, ad eandẽ virtutẽ necessariò debere pertinere actus partis irascẽtis, & cõcupiscentis, nisi velimus plures quàm pro numero virtutes multiplicare.

10. Et si urgeas, ergo charitas poterit elicere actũ spei accipiendo pro obiecto formali bonitatẽ, qua Deus constituitur bonus in se, ergo superflua erit alia virtus distincta ad sperandũ. Respondetur cõcedendo primã cõsequentiam, ut optimè concessit Suarez, sicut enim potest charitas elicere actus circà materiã aliarũ virtutũ, ita & circà materiã virtutis spei, habendo semper pro obiecto formali bonitatẽ Dei ut est in se, quod fortasse voluit Paulus 1. Corynth. 13. dũ dixit, *Charitatem omnia*

Suarez.

1. Cor. 15.

sustinere

sustinere, omnia sperare, &c. Nego tamē secundā consequentiā; sicut enim non sunt superfluę aliæ virtutes, quę habeāt specialia obiecta formalia, licèt charitas possit elicere actus circà materias illarū, ita in proposito. Et sanè maximè docuit infundi homini habitū supernaturalē, qui inclinaret ad sperandū Deū ut summū bonū nostrū; nam cùm in eo respiciatur aliquid commodi proprij, multū deseruit nostræ fragilitati, præsertim dū homo est in peccato, & non erigitur ad sperandā beatitudinē præcisè ob Dei gloriā nullo proprio commodo cōsiderato, sicut postulat virtus charitatis; & propterea charitas præcipuè infusa est ad amandum Deum, & ab hoc actu denominationem accipit; virtus verò spei præsertim tributa est ut erigeretur animus ad adeptionem nostræ fælicitatis, ut hac spe proprij commodi paulatim disponeremur ad obtinendam charitatem.

DISPVTATIO IIII.

Quidnam requiratur ex parte intellectus, & volūtatis ad eliciēdos actus spei. Vbi an detur habitus spei non solùm in voluntate, sed etiam in appetitu.

SECTIO I.

De iudicio requisito ex parte intellectus.

1. DICO primò: ad actum spei eliciendum requiritur ex parte intellectus aliquod iudiciū ordinis supernaturalis: probatur, quia nomine actuum spei intelligimus in præsenti actus supernaturales voluntatis nostræ, quibus serio, seu efficaciter voluntas tendit ad Deum ut summum bonum nostrum, sive illum amādo, & desiderando, sive sperando illius adeptionem, sed omnis actus efficax voluntatis præsupponit iudiciū ex parte intellectus, ut patet ex libris de Anima, ergo. Rursus iudicium hoc futurum est supernaturale, non solùm quia proponit obiectum spei, quod est supernaturale, sed etiam quia inter actus voluntatis, & intellectus debet ea proportio servari, ut volitio necessariò prærequisita ad actum supernaturalem intellectus, sit etiam supernaturalis; & cognitio necessaria ad volitionem supernaturalē, sit supernaturalis; propterea enim piæ affectionis actus est ordinis supernaturalis, ut in præcedēte cōtroversia tractatu 9. monstravi; quia est volitio requisita ad fidē supernaturalē, quæ est actus intellectus, & actus prudentiæ infusæ sunt supernaturales, quia exiguntur ad actus virtutum infusarum, quæ resident in voluntate, ergo cognitio prærequisita ad actus spei supernaturalis futura necessariò est ordinis supernaturalis.

Dubitabit tamē aliquis primò, ad quā virtutem spectet prædictum iudiciū, quod ad actus spei eliciendos necessarium est. Et quidem si loquamur de illo actu, qui absolutè vocatur spes, iuxtà dicta disputatione præcedente, S. Thomas in hac quæstione art. 7. & 1. 2. quæst. 62. art. 4. docet debere esse actum fidei, & probat optimè; quia obiectum spei est æterna beatitudo, seu Deus ut summum bonum nostrū, quod nondum est possessum, sed possideri potest, hoc autem cùm nobis non constet lumine naturæ, sed lumine solius fidei, oportet per actum fidei proponatur. Vndè S. Augustinus, quem affert Beda in cap. 13. epist. 1. ad Corint. *Homo* (inquit) *fidelis debet credere, quod nondum videt, ut visionem speret, & amet.* Confirmatur primò, quia ita se habet fides ad virtutes Theologicas voluntatis, sicùt prudentia infusa ad virtutes morales eiusdem voluntatis, sed actus virtutis infusę v. g. fortitudinis, aut temperantiæ non elicitur sinè actu prudentiæ infusæ; ergo nec actus spei, aut charitatis sinè fide. Confirmatur secundò, quia perfectio virtutis Theologicæ volūtatis postulat dirigi à virtute Theologica intellectus. Deniquè propterea Paulus ad Hebræos 11. appellat fidem *substantiam sperandarum rerum,*

2. (margin, beside "Dubitabit tamē aliquis primò")

S. Thom. (margin)

S. Aug. (margin)

ad Heb. 11 (margin)

rerum quia est fundamentum, cui innititur spes nostra.¶ Rursùs notandū est iudicium requisitum ad spem non esse istud, *ego beatitudinem possidebo*, nam seclusa revelatione, quam pauci habuerunt, non est hoc iudicium elicitū à fide, nec potest esse certum, imò in reprobis est falsum, cùm tamen illi sinè dubio sperare possint; solùm ergò requiritur hoc iudicium, *possibilis mihi est adeptio beatitudinis, per divinum auxilium, quòd certò scio mihi non defuturum, etiam in actu secundo, si per me non steterit.* Verùm tamen est, illud iudicium, quo quis sibi persuadet, ob Dei misericordiam se adepturum beatitudinē, valdè iuvare ad sperandum, seu potiùs ad fiduciam habendam: licèt enim hęc non distinguatur ab spe in sua intrinseca ratione, in hoc tamen videtur aliquantùm distingui, quòd spes nō prærequirit iudicium illud, *ego obtinebo vitam æternam*, fiducia verò affert eundem actum spei, posito tamen prædicto iudicio. Videatur Vega 6. in Tridentinum cap. 26. ad finem. Ex B. Thoma, qui ita explicuit naturam fiducię in 1. 2. q. 40. art. 2. ad 2. S. Thom. Vega.

3. Denique adverto, licèt ad proponendum obiectum formale spei sit iudicium fidei necessarium, ad proponēdum tamen hoc, vel illud obiectū materiale sufficere actum prudētiæ: cùm enim, ut suprà dicebamus, plura sperari possint, quæ non est certum à Deo esse concedenda, aut velle concedi, nō possunt hæc cadere sub obiectū fidei, quarè solùm per supernaturalem prudentiam proponentur.

4. Hactenus locutus sum de actu, qui propriè dicitur spes; alij verò actus, ut amor concupiscentiæ, desiderium, & similes etiam requirunt actum fidei, qui voluntati proponat obiectum formale, scilicèt Deum ut bonum nostrū.

5. Secundò dubitatur circà eandem conclusionem; an istud iudicium fidei prærequisitum ad actus spei eliciendos debeat elici quoties quis sperat. Respondetur probabiliùs esse non requiri; sicùt enim, ut quis eliciat conclusionem, non requiruntur semper præmissę in intellectu, sed sufficit, hominem recordari se illis assensum præbuisse, ut virtute illarum possit modò assentiri conclusioni, iuxtà dicta lib. 5. in Logicam: ita sufficiet, hominem recordari, se credidisse ob Dei authoritatem, Deum esse summum bonum nobis possibile, ut voluntas illud sperare possit.

SECTIO II.

De requisitis ex parte voluntatis.

Dico secundò, ad omnes, & singulos actus spei eliciendos requiritur ex parte voluntatis habitus per se infusus, licèt primus actus spei elicitus ab homine denuò accedēte ad fidem non eliciatur ab habitu, sed Deus medio auxilio præstet effectum ipsius. Et quidem posterior conclusionis pars cōmunis est omni actui supernaturali, & probata fuit in 12. controvers. 8. nam cùm quis non habet habitū fidei, spei, vel charitatis, primus actus, quem elicit, est dispositio ad infusionem habitus, atque adeò est ipso habitu prior, nō ergò efficitur ab habitu, sed à Deo suppiente concursum habitus, medio auxilio uberiori; ad cęteros verò actus S. Thomas, & vera sentētia Theologorum concedit habitum, quia cùm voluntas, utpotè entitatis naturalis, non sit proportionatum principiū actuum supernaturaliū, oportet proportionari media infusione qualitatis supernaturalis, quæ sit suaptè natura virtus effectrix illorum; & hæc qualitas est habitus spei, sicut quæ inclinat ad actus charitatis, est habitus charitatis; multa verò, quæ circà habitus supernaturalis naturam inquiri possunt, explicata sunt 1. 2. controversia 4. 6.

7. Dico tertiò, ad eliciendum actum, qui propriè dicitur spes, prærequiritur in voluntate actus aliquis amoris supernaturalis. Et quidem ad sperandū aliquod bonū nobis, prærequiri actū, quo tale bonum amemus, docet S. Thomas 1. 2. q. 25. art. 2. & q. 62. art. 4. & hic à n. 8. & per se manifestum est; quia non erigitur voluntas ut tendat in bonum, supererque difficultates in illius adeptione occurentes, nisi præcedat amor talis boni; præsertim cùm amor S. Thom.

sit prima quasi affectio voluntatis, ex qua omnes derivatur. Rursus ille amor debet esse supernaturalis, ut bene notasse videtur Medina 1.2.q.62.ad finem art.4.quia ordinatur ad spem supernaturalem,& ab illa intrinsecè præsupponitur: actus autem supernaturalis non habet intrinsecam cōnexionē cum naturali,nec ab illo derivatur: qua etiam ratione crediderim, quidquid alij velint,illum amorem,quem cum S. Thoma suprà diximus requiri,ut quis alteri speret beatitudinem, illum (inquā) futurum esse ordinis supernaturalis.

8. Difficultas tamen est; à qua virtute eliciatur prędictus amor. Respōdetur, amorē necessario requisitū ad spem,ut minimùm debere esse illum amorē cōcupiscentiæ,quē suprà diximus ad hāc virtutem pertinere. Sic videtur sentire S.Thomas in art. 8. dum loquitur de amore requisito ad spem, & ait, spem pertinere ad amorē cōcupiscētiæ,quasi diceret,ab illo depēdere. Sed dilucidiùs in 1.2.q.66.art.6.ad 2. *Spes* (inquit) *præsupponit amorem eius, quod quis adipisci se sperat, qui est amor cōcupiscentiæ.* Probatur,quia amor requisitus ad spem debet versari immediatè circà Deū; nā illud bonū,quod speratur,debet esse amatum à voluntate, hic autē tantum potest esse duplex, scilicèt amicitiæ,qui spectat ad charitatem,& concupiscentiæ, qui pertinet ad spem: & quidem ille prior,licèt possit esse sufficiens ad sperandū in eo, qui iam haberet charitatē, præsertim valdè accēsam,ut videtur indicare S.Thomas hic art.8.afferēs,& ita explicās S.Ambros. dum dixit,*spem esse ex charitate*,non tamen potest talis amor requiri; tū, quia in peccatore nō est amor charitatis, & tamen est actus spei; ac proinde debet esse amor alius ad illā requisitus: tum etiā,quia non omnis,qui est insignitus gratia, debet ex charitate moveri ad actū spei eliciendū. Quarè dicēdū est, per se loquendo requiri amorē concupiscentiæ iam explicatum, licèt ut diximus,sufficere posset actus charitatis in homine iusto.Et sanè satis patet, esse valdè consentaneū, ut spes,quę tendit ad Deū ut bonū nostrū, prærequirat amorem eiusdē Dei ut boni nostri.

Medina. *S. Thom.* *S. Thom.* *S. Ambr.*

9 Ad extremum disputationis notandū est,cū dicitur amor esse necessarius ad eliciendū actū spei, nō intelligi requiri ut efficiat spem,id enim sine fundamento diceretur,sed solùm requiri, ut inclinet, seu determinet voluntatē; rursus non est necessarium semper existere in voluntate amorem, quamdiù voluntas sperat, sufficit enim elicuisse actum amoris,& virtualiter permanere,in quantum scilicèt homo recordatur, se illud bonum amasse, ut illud deinde sperare possit.

DISPVTATIO V.

Vtrùm habitus spei sit virtus Theologica,realiterquè distincta à Fide, & Charitate?

1. Dico primò, habitus spei est virtus per se infusa: cōclusio est S.Thom.art.1.& Scholasticorū in 3.dist.26. atq; imprimis eū esse virtutē, cōstat ex pluribus definitionibus virtutis, quę adducūtur in 1.2.q.55. inter quas illa videtur exacta,quā S.Thomas affert ex Aristotele 2. ethic. cap. 6. *Virtus est, quæ bonū facit habentē, & opus eius bonū reddit*, sed spei habitus facit bonū ipsum hominē,nō quidē omninò,& absolutè, sed secundū inclinationem ad aliquod bonū,scilicèt beatitudinē, & prætereà efficit opus bonū,scilicèt actū spei, ergo est virtus:deinde esse virtutē supernaturalē, cōstat ex disputatione pręcedēte;cū enim actus illius sint supernaturales, utpotè immediatè respiciētes finē nostrū supernaturalē,& ad illū disponētes,necessè est dari habitū supernaturalē,à quo eliciatur:hic autē dicitur per se infusus, quia habitus supernaturalis nō efficitur ab actibus, sed à Deo,& ideò dixit S. Augustinus apud S.Thomam 1.2.q. 55. art.4. virtutem infusam esse, *quam Deus in nobis sinè nobis operatur.*

S.Thom. *Aristot.* *S.Aug.*

2. Dico secundò, habitus spei est virtus Theologica.Sic S.Thom. art.5.& omnes Theologi cū Magistro in 3. dist. 26. probatioquè desumitur ex verbis

S.Thom. *Magist.*

1. Cor. 13. Pauli 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes charitas,* quibus videtur agere de virtutibus immediatè tendentibus ad Deum ut ad obiectum, atquè adeò de Theologicis; propterea enim illorum trium habituum meminit potiùs quàm aliorũ, quia illi nimirũ Deũ respiciunt, & ipsi nos coniungunt, quãdiù ab ipso peregrinamur; undè dixit

Aug. Carthus. eleganter S. Augustinus apud Carthusianum dist. 26. q. 1. *Per fidem, spem, & charitatem animam directè, & immediatè æterno sponso desponsari,* ut nimirùm matrimonium consumetur, cùm sponsus venerit, & apparuerit gloria eius. Deniquè ratio conclusionis perspicua est ex dictis de obiecto spei; cùm enim decuerit, infundi nobis aliquã virtutem, quã in Deum ut bonum à nobis adipiscendum voluntas erigeretur, & hęc sit habitus spei, necessè est, ipsum esse virtutem Theologicã, seu quod idem est, immediatè tendentem ad Deum.

3. Sed obijcies primò, virtus Theologica non est in medio, sed spes media est inter desperationẽ, & præsumptionẽ; ergo non est virtus Theologica. Secundo, expectatio, seu spes pertinet ad longanimitatẽ, quæ est species fortitudinis, & tendit in arduum, quod est proprium magnanimitatis, sed fortitudo, & magnanimitas sunt virtutes morales, & non Theologicæ; ergo spes non est virtus Theologica.

4. Ad primũ ex professo respondi in 1. 2. cõtrover. 5. modò breviter dicitur; virtutẽ Theologicã non consistere in medio, quãtùm est ex parte obiecti formalis; cùm enim illud sit Deus summũ bonũ, nõ potest esse quidquam in eo vitiosè excedens, aut diminutũ; ex parte verò obiecti materialis, & aliarum circunstantiarum potest virtus Theologica habere mediũ, ut in præsenti perspicitur: spes enim media est inter desperationẽ, quæ diffidit divino auxilio, quod omnibus offertur, & inter præsũptionẽ, quæ nimiũ sibi pollicetur absque fundamento divinæ promissionis: at verò proùt spes respicit summã bonitatem Dei nobis convenientem, quę est obiectum formale illius, non consistit in mediocritate, quia ex hac parte nihil vitiosum potest excogitari.

Ad secundũ, omissis solutionibus S. Thomę art. 5. ad 3. & 4. breviter respõdetur, illas duas virtutes distingui ab spe, quia respiciũt honestates creatas; spes verò tendit immediatè ad Deum: quòd si circà Deũ ut bonũ nostrũ elici possit aliquis actus, cui nomen longanimitatis conveniat, ille pertinebit ad eundem habitum spei, ad quem pertinent alij in tertia disputatione explicati: magnanimitas verò nõ videtur posse revocari ad spem, quia hæc respicit Deũ, cuius consecutio indiget auxilio superioris causę, nempè Dei; magnanimitas verò respicit bonũ, quod est in potestate ipsius sperantis, ut rectè docuit S. Thomas ad 4. 5. S. Thom.

Dico tertiò, habitus spei distinguitur realiter ab habitibus fidei, & charitatis. Est cõmunis cõclusio videturq; planè S. Thomæ art. 6. & ferè omnium Theologorũ, qui, vel id dicũt expressè in 3. dist. 26. vel saltẽ dicunt, habitum charitatis manere in patria, & non habitum spei, ut patebit tract. 2. atquè adeò spem, & charitatem distingui; & similiter fidem esse in intellectu, spẽ in voluntate, quod est signũ realis distinctionis. Probatur breviter; tum, quia Apostolus suprà ait, manere tria hæc, scilicèt fidem, spem, & charitatẽ, qua phrasi notat realẽ illarũ distinctionẽ; tum, quia spes manet in peccatore, ut dicetur infrà, in quo tamen non est habitus charitatis; tũ, quia in eo, qui desperaret, posset manere fides sinè spe, ut posteà dicetur, ergo spes non solùm à charitate, sed etiam à fide distinguitur realiter quoàd habitum, & actus. Deniquè omnes habitus virtutum specie distinctarum distinguuntur realiter, sed eiusmodi sunt fides, spes, & charitas; ergo. Quę ratio etiam probat habitũ spei distingui realiter á virtutibus moralibus, scilicèt prudentia, iustitia, fortitudine, & temperantia. 6.

Ex dictis patet esse manifestè falsam sententiã, quã refert, & refellit Scotus in 3. dist. 26. scilicèt spei habitũ nõ distingui absolutè ab habitu fidei; sed fidẽ, proùt in generali dicit omnẽ iustũ perventurũ ad beatitudinẽ, esse fidem, proùt verò in particulari dictat hũc iustũ adepturũ esse gloriã, dici spẽ. Contrâ 7. Scot.

trà hoc enim figmentum est imprimis, fidem pertinere ad intellectum, spem verò ad voluntatē; ac proindè illud iudiciū non spectare ad virtutē spei, sed fidei; deindè quia non solū sibi, sed omnibus, quos diligit, potest quis sperare beatitudinē, ergo virtus spei nō versatur solùm circà unum particulare; deniquè fides quoàd habitum esse potest sinè habitu spei, ut infrà dicetur.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm spes primum locum obtineat inter virtutes Theologicas?

1. Vplex comparatio fieri potest inter istas virtutes, una quoád ordinem generationis, seu infusionis, altera quoàd ordinē perfectionis; de hac posteriori dicemus statim, modò de priori dicendum est. Et quidem S. Thomas art. 7. absolutè docet, spē esse posteriorē fide: & art. 8. esse priorem charitate, quā doctrinā dilucidiùs explicavit 1. 2. q. 62. art. 4. dicēs, quoàd habitus nullā esse prioritatē inter virtutes Theologicas; quoàd actus verò, fidē esse priorē spe, & spem charitate; subscribūt huic veritati Medina ad prædictū articulū, ubi eam appellat communem Scholasticorum, & Valencia. 1. 2. disp. 5. q. 5. puncto 2. Durandus etiam in 3. dist. 23. q. 2. n. 8.

S. Thom. *Medina.* *Valenc.* *Durand.*

2. Vt mens S. Thomæ, & res ipsa breviter explicetur. Dico primò, aliquis actus fidei est saltém natura prior, quàm actus spei. Probatur, quia ut in 4. disp. dicebamus, nō potest elici actus spei, nisi illius obiectū medio actu fidei proponatur; cōtrà verò, ut quis eliciat actum fidei, nō requiritur act⁹ spei, ergo actus fidei est prior saltèm natura: nā quòd tempore præcedat, contingere quidem potest, sed necessarium nō est.

3. Dico secūdò, actus spei præcedere solet actū charitatis, licet id nō requiratur; imò interdū cōtingere possit priorem esse actum elicitum à virtute charitatis. Prima pars cōclusionis patet in eo, qui denuò convertitur ad religionem nostram, qui priùs credit, deinde ꝛ igitur spe veniæ, & gloriæ, postremò amat amore charitatis, ut in Dei amicitiā evehatur: & sanè cū amor concupiscentiæ pertineat ad virtutē spei, & ille sit facilior, quā amor amicitiæ, verisimile est, mentē nostrā ab imperfectioribus, & facilioribus incipere, ut tādem ad excellentiam charitatis perveniat. Deniq; ipse actus, quo quis à Deo sperat summā fælicitatē, est veluti dispositio ad amorē charitatis; spes enim excitat amorem illius, à quo bonū aliquod expectamus, ut benè S. Thomas art. 8. huius quæstionis. Secunda, & tertia cōclusionis pars persuadetur; quia, qui in infantia simul accepit habitus omniū virtutū, cùm primùm fide crediderit Deū esse summo amore dignissimum, nō est cur illum statim amare non possit amore charitatis, quamvis ne in mentem quidem venerit obiectum spei. *S. Thom.*

4. Dico tertiò, si habitus virtutū Theologicarū magis consentaneè ad suam naturam, atquè adeò in statu perfecto constituantur, petunt simul infundi, atquè adeò sub hac ratione nullus est ordo inter illos. Hæc est S. Thomæ mens ut rectè notaverunt Medina, & Valencia suprà, cū Caietano 1. 2. q. 62. art. 4. Probatur, quia natura horum habituum non est in statu perfecto, nisi cum gratia habituali; hæc autem simul postulat omnium virtutum infusionem. *S. Thom.*

5. Addo tamē quartò, sæpè cōtingere, ut nō infundantur simul; & tunc habitus spei potest esse posterior habitu fidei, sed nunquā prior: cōtrà verò potest esse prior habitu charitatis, sed nūquā posterior. Conclusio breviter probatur, & declaratur: nam si quis ethnicus accedat ad fidē, & pri⁹ credat, quā speret, illi infūdetur habit⁹ fidei, & nō spei; similiquē ratione, si quis desperet, nō tamē neget fidē, amittit habitū spei, sed nō fidei, ergo sub hac ratione habitus fidei prior est, nunquā verò potest esse posterior; quia sicùt nunquā potest quis elicere actu spei sinè actu fidei, ita nec potest habitum spei sinè habitu fidei habere. Contrà verò, qui cōmittit

peccatum læthale, quod non fit contrà fidem, aut ſpem, amittit habitum charitatis, ſed non ſpei; & ſimiliter ille adultus, qui accederet ad baptiſmũ cum actibus fidei, & ſpei, ſed ſinè dolore peccatorum, quæ commiſiſſet, acciperet habitum ſpei, non charitatis; ergo ſub hac ratione prior eſt habitus ſpei; nunquàm verò poteſt eſſe poſterior; quia qui habet habitum charitatis, neceſſariò habet gratiam, quæ ſecum affert omnes virtutes. Atquè hæc
S. Anſel. ferè omnia tetigit eleganter S. Anſelmus in cap. 13. 1. ad Coryнth. ad finẽ, ubi loquens de excellentia charitatis ſuprà alias virtutes, *Maior* (inquit) *eſt charitas, cui fides, & ſpes nõ poſſunt deeſſe*, ſed fides, & ſpes ſinè charitate poſſunt eſſe.

Circà poſteriorem comparationem
6. conveniunt Doctores, ſpem eſſe ignobiliorem charitate: tum, quia id expreſ-
1. Cor. 13. ſè teſtatur Apoſtolus 1. ad Corint. 13. *Manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas*; tum etiam, quia charitas excellentiori modo verſatur circà Deum, ſcilicèt abſquè intuitu proprij commodi, quod reſpicit ſpes. Difficultas verò ſupereſt, an ſit
S. Thom. ignobilior fide: & quidem S. Thomas conſultò videtur noluiſſe ſuam de hac re proferre ſententiam, cùm id in diſputationem adduxerit 1. 2. quæſt. 62. art. 4. ut patet ex inſcriptione articuli: & in articulo ſeptimo huius quæſtionis aptiſsimum locum habuerit id explicandi, fortaſsè nihil ſolidum invenit, quod in unam, vel alteram ſentẽtiam mentem adduceret, & ſanè vix inveniri poteſt.

In re tamen incerta libentiùs pro-
7. pendeo in ſententiam Bartholomæi
Medina. Medinæ ſuprà, & Dominici Bañez 2.
Bañez. 2. q. 4. art. 7. dub. 1. qui ſpem dicunt eſſe ignobiliorem fide. Probatur primò, quia fides id habet maximè excellens, quòd mentem firmat in cognitione rerum valdè ſublimium, & perfectiſsimam animi noſtri facultatem captivat in obſequium fidei; ſpes autem attendit commodum propriũ, in quo ſanè aliquantulùm declinat à perfecta ratione tendendi in Deum. Secundò, quia ſpes omninò dirigitur à fide, & ei nititur ut fundamento, ex eaquè accipit certitudinem ſuam, ergo nobilior eſt fides.

Sed obijcies primò ab Apoſtolo eo ordine numerari virtutes Theologicas, ut poſtremo loco ponatur charitas, quæ eſt perfectiſsima, & in ſecũdo ponatur ſpes poſt fidẽ, ergo ſignum eſt ſpẽ obtinere inter illas mediũ locum, atquè adeò eſſe ignobiliorẽ charitate, ſed nobiliorem fide. Cõfirmatur, quia quod eſt generatione prius, eſt perfectione poſterius, ſed fides eſt generatione prior ſpe, ut patet ex proximè dictis, ergò eſt perfectione poſterior ſpe. Maiòr patet, nã diſpoſitiones ad formã ſubſtantialẽ priùs efficiuntur, quã forma, & ideò ſunt ignobiliores illa. Reſpondetur, negando Apoſtolum eo ordine numeraſſe, ut indicaret ordinem perfectionis; nec id ex cõtextu, aut interpretibus colligi poſſe. Ad confirmationẽ reſpondetur; maiorẽ nõ poſſe eſſe in univerſum verã; alioqui fides foret minùs perfecta, quã virtutes morales, eò quod illa ſit prior ordine generationis; nec poſsit infundi iuſtitia, aut tẽperantia, niſi ſupponatur fides; quod tamen admitti nõ poteſt ſinè abſurdo: ſimiliter gaudium, quod beati habent de Deo clarè viſo, eſt poſterior ipſa viſione, cùm illã intrinſecè ſupponat, & tamen viſio lõgè nobilior eſt. ¶ Oportet ergò maiorẽ illã diſtinguere; quod enim eſt generatione prius, tanquàm mera diſpoſitio ordinata ad aliud ut ad finẽ præcipuũ, eſt imperfectius illo, ad quod diſponit, & eiuſmodi ſunt diſpoſitiones cõparatione formæ ſubſtãtialis; quod verò eſt generatione prius eò ſolùm quòd ſit fundamentũ prærequiſitũ ad aliud, non ſemper eſt imperfectius; & eiuſmodi eſt fides comparatione ſpei, & virtutum moralium, & ſimiliter viſio beata cõparatione gaudij beatorum.

Obijcies ſecũdò, habitus ſpei manet in beatis, in quibus nõ manet fides, ergo ſpes eſt magis perfecta. Confirmatur, quia ſpes magis unit hominẽ cum ultimo fine, ſcilicèt Deo; verſatur enim circà illũ ut eſt finis noſter, ergo nobilior eſt fide, quæ ſolùm reſpicit Deum obſcurè revelantẽ. Reſpõdetur omiſſo

8. (beside "Sed obijcies primò")
9. (beside "Obijcies ſecũdò")

antece-

antecedete, de quo in q.18. dicetur, neganda est consequentia; quia etiam virtutes morales permanent in beatis, & tamē non sunt nobiliores fide, quæ nō manet, virtus ergò aliqua in eo statu perseverat, non quia perfectior est, sed quia habet actus non dissentaneos illi statui; fides autē nō permanet ratione suæ obscuritatis, quæ nō decet statū, in quo omnia æternæ lucis splēdore collucēt. Ad confirmationem, licèt illa unio sit magis immediata, quatenùs expressè tendit ad Deū ut ad finem, aliūdè verò est minùs perfecta, quia attēdit commodū proprium; fides verò immediatè cōiungit nos primæ veritati, & modus coniunctionis est valdè perfectus, quatenùs evehit intelligentiam nostrā, ut firmiter innitatur Deo, & propter eius authoritatem certò sciat quod quodā modò nescit.

10. *Suarez.* Videatur Suarez disp.1.sect.6. à n.4. ubi rem accuratè disputat, et licèt probabiliùs putet spem esse perfectiorē, nihil tamē urgens adducit, licèt illud notet, quod certissimū est; scilicèt piam affectionē voluntatis requisitam ad credendum, esse minùs perfectam, quàm spē; cæterùm cùm quæritur, an spes excedat, aut excedatur à fide, non comparatur cum pia effectione voluntatis, quæ licèt ad fidem pertineat, modò explicato in 1. controversia, non est fides, seu virtus Theologica, quæ residet in intellectu, & innititur authoritati divinæ, sed est virtus moralis existens in voluntate, & inclinans intellectum ad credendum, habetq; pro obiecto formali honestatem, quæ est in ipso exercitio credendi.

COMMENTARIVS IN *quæstionem*.18.

Differit in hac quæstione S. Thomas de subiecto spei, & in 1. art. definit, spem esse in voluntate: in 2. negat, spem esse in beatis: in 3. ait, spem non esse in damnatis, benè tamen in viatoribus, sive in hac vita, sive in purgatorio sint, & hanc spem dicit art. 4. esse certam, quatenùs sequitur certitudinem fidei.

TRACTATVS II. de causis spei, præsertim de illius subiecto.

Habitus spei, cùm sit perse infusus, non potest effici à suis actibus, iuxtà veram sententiam Theologorū explicatam in 1.2. controversia 4. qui omnem habitum supernaturalem negāt effici ab actibus; quare Deus est causa efficiēs illius, sivè cùm per sacramenta iste, & reliqui habitus infundūtur, aut augentur, sivè cùm pro prijs actibus homo disponitur, ut Deus illos infundat, & augeat. Deinde causa efficiens actum spei est ipse Deus præcipuè; concurrunt tamen ad illos nostra voluntas, & habitus spei tāquàm instrumenta. Causa formalis intrinseca huius virtutis est ipsamet illius essētia; extrinseca verò est charitas, quam doctores appellant formam virtutum, de quo dicetur in controversia de Charitate. Finis spei est Deus ut bonum nostrū; propterea enim nobis infūditur, ut ad nostram fœlicitatem tendamus. 1.


Solùm ergò superest agendū de causa naturali, seu de subiecto Spei. Qua in re illud præmittendum est; volūtatem esse subiectum illius, cùm ex dictis suprà constet, spei actus ad voluntatem pertinere; rursùs cùm ad hanc virtutē spectent actus proprij voluntatis, ut irascens, & concupiscens est, iuxtà dicta tract.1. disp.3. necesse est eam recipi in voluntate sub utraque ratione, quamvis verum sit, actum, qui absolutè denominatur spes, esse propriū partis irascētis, atq; adeò habitum, prout ad sperandum inclinat, recipi in voluntate, quatenùs irascibilis est; quod nō obscurè innuit S. Thomas art. 1. ad 1. Præter spem residentē in voluntate, est alia in appetitu corporeo, de qua nihil in præsenti dicēdū occurrit, præter generalē doctrinā stabilitā in 1. 2. cōtroversia 4. & 5. quòd scilicèt habitib' & virtutibus volūtatis respōdeant alij in appetitu. His igitur positis expendēdū est in 2. *S.Thom.*

7.

in quorum hominum, aut angelorum voluntatibus resideat, aut residere potuerit virtus Spei.

DISPVTATIO I.

Vtrùm Spes sit, aut esse possit in beatis?

1. 
DICO primò, in beatis nó remanet ille præcipuus actus Spei, qui est erectio animi in beatitudinem essentialem propriam ipsius sperantis: & consequenter nec manet habitus spei, proùt ab isto actu denominatur spes. Conclusio est S. Thomæ, ac discipulorum eius in artic. 2. & omnium Theologorum in 3. dist. 31. atquè omninò certa. Probatur primò ex Paulo ad Romanos 8. ubi, *spes*, (inquit) *quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* quasi diceret, spem versari circà bonum non possessum ab sperante; quia, quod iam possidetur, sperari nulla ratione potest. Quæ verba saltèm intelligenda sunt dicta de actu, qui versatur circà propriam beatitudinem sperantis: Videantur Origenes lib. 8. in epist. ad Romanos, & alij Patres infrà referendi.

S. Thom. *ad Rom. 8* *Origenes.*

2. Secundò probatur ratione, quam ipse Paulus expressit: etenim actus potissimus spei tendit ad Deum ut bonú arduum possibile nobis, sed quod nondùm adepti sumus, ergo eo ipsò quòd Deum videat aliquis, ac proinde illum possideat, non potest elicere talé actú, ergo ille non permanet in beatis; consequenter autem habitus, proùt ad illum actum inclinat, non dicetur in patria remanere, quia nimirum iam in eo statu non poterit determinare voluntatem ad talem actum eliciendum.

3. Dico secundò, non repugnat saltèm divina virtute permanere in beatis habitum, qui dicitur spes, & in eo statu elicere plures actus. Hanc conclusionem, quoàd actus, & habitum, expressè docuit Maior in 3. dist. 31. conclus. 1. & Suarez suprà adductus tract. 1. disp. 3. quoàd habitum verò, eam amplectitur Argentinas infrà referendus, & satis indicat Durandus in 3. dist. 26. q. 3. n. 7. nec ab ullo, nisi fallor, negari potest. Probatur; nam imprimis habitus spei nullam in sua entitate incompossibilitatem habet cum lumine gloriæ, aut cum visione beata: ex nullo enim capite ea potest colligi verisimiliter; & quàmvis verè essent incompossibiles, adhùc possent divina virtute simul conservari, sicùt calor, & frigiditas in summa inténsione. Deinde plures actus elici possent ab habitu spei; nam primò posset quivis beatus sperare alicui viatori beatitudinem animi, sibi verò beatitudinem corporis, quam nondú habet; imò Maior ubi suprà, contendit posse de potentià absoluta sperari ab ipso beato gloriam, quam iam habet; quàmvis id videatur minùs verú; eò quòd de ratione actus spei sit versari circà bonum non possessum, & ita destruẽdus necessariò sit, eò ipso, quòd bonum iam obtineatur. ¶ Prætereà potest beatus amare Deum sibi, & delectari de Deo ut bono suo iam possesso, qui actus ab habitu spei eliciuntur, iuxtà dicta tract. 1. disp. 3. nullo ergò modo repugnat, spem quoad habitú, & aliquos actus in patria remanere.

Maior. *Suarez.* *Argent.* *Durand.*

4. His præiactis, potissima disputationis difficultas in hoc posita est, an scilicèt re ipsa permaneat habitus spei in beatis, & eliciat prædictos actus, licèt non maneat ille præcipuus, quo speratur beatitudo essentialis. Thomas Argentinas in 3. dist. 26. q. unic. ar. 3. conc. 4. existimavit remanere in patria habitum spei ad maioré illius status splédorem; licèt ibi nullum actum eliciat: eademquè videtur esse sententia Gersonis, quem refert Aragon 2. 2. q. 18. art. 2.

Argen. *Gerson.* *Aragon.*

5. Suarez verò suprà cum doctis Theologis nostri temporis, & in tractat. de Spe, disp. 1. sect. 8. conc. 4. dixit in beatis, atque adeò in Christo Domino esse habitum spei, & ab eo elici actus, quos in conclusione præcedente commemoravimus; licèt non maneat quoad denominationem spei, eò quòd ibi non possit elicere præcipuum actum, à quo iste habitus desumit suam denominationem. Pro hac sententia affertur Alexander 3. p. q. 12. memb. 3. ubi

Suarez. *Alexan.*

ait,

ait, in Christo Domino fuisse spem secundùm id, quod est perfectionis in ipsa, scilicèt adhæsionem cum bono: sed manifestam habet explicationem; solùm enim vult fuisse in Christo Domino id perfectũ, ad quod tendit spes, scilicèt visionem Dei, & unionem cum illo per charitatem, & gaudium; non verò dicit habuisse habitum spei: eadem enim ratione docet, manere fidẽ secundùm id, quod est perfectionis in ipsa, cùm tamen non maneat fides, sed cognitio longè perfectior, quæ est visio beata. Scotus verò in 3. dist. 31. eatenùs favet huic doctrinę, quatenùs asserit habitum spei perseveraturum in beatis, si esset indifferens ad desiderium, & gaudium, & alios actus, sicùt docet Suarez, & nos suprà probavimus: addit tamen; hoc non esse verũ, sed solùm inclinare spem ad desiderãdam beatitudinem, & ideò in patria non manere. Scot. Suarez.

6. Probatur prædicta sententia à Suarez primò, quia cum statu beatitudinis non repugnat sperare gloriam proprij corporis, & gloriam animæ alterius, ergo bene potest beatus elicere aliquos actus huius virtutis; & cùm ad actus supernaturales proportionatè eliciendos requiratur habitus, consequenter dicendum erit in beatis perseverare illum met habitum, qui dicitur spes. Secundò probatur; quia Christus Dominus erat beatus, & tamen habebat actum spei, iuxtà illa verba Psalmi 30. *In te Domine speravi*. Imò S. Thomas 3. p. q. 7. art. 4. corp. docet habuisse spem respectu aliquorum, sed hæc non potest esse alia, quàm virtus Theologica, de qua disputamus; ergo in beatis perseverant habitus, & actus spei. Tertiò, quia delectatio de Deo ut bono à nobis possesso pertinet ad virtutem spei, ut suprà dicebamus, sed hęc non potest haberi in via, cùm nondum possideatur Deus; ergo est actus proprius beatorum; ergo non solùm repugnat, sed quodammodò necessarium est, aliquem actum virtutis spei manere in beatis, & consequenter habitum, qui ad illum eliciendum determinet voluntatem. Psal. 30. S.Thom.

7. Dico tamen tertiò, in beatis non remanet spes, non solùm quoàd habitũ, sed neque quoád ullum actum, qui sit proprius huius virtutis. Hanc conclusionem amplectitur communis sententia Theologorum. Imprimis S. Thom. hic art. 2. expressè negat manere in beatis spem: & ne aliquis eum explicaret iuxtà doctrinam Suarez, quòd scilicèt non maneat secundùm actum præcipuum; addit in responsione ad 3. in patria non sperare beatos gloriam viatorum per virtutem spei, sed magis ex amore charitatis: & ad quartum reddit triplicem rationem, ob quam beatus non habeat virtutem spei in patria ad sperandam gloriam corporis. Consentiunt Bañez, & Aragon ad prædictum articulum. Et Caietanus 3. p. q. 7. art. 4. negat in Christo Domino fuisse habitum spei, etiam in ordine ad secundario sperata, scilicet gloriam corporis. S.Thom. Bañez. Aragon. Caietan.

Deindè Albertus Magnus apud Carthusianum in 3. dist. 31 quæst. 2. *Habitus* (inquit) *spei, & actus eius evacuantur; imò totaliter destruuntur* Scilicèt in cælesti patria. S. Bonavẽtura art. 2. q. 2. ait, *habitum spei non remanere, etiã secundùm aliquid perfectionis ipsius*. Scotus suprà id docet omninò expressè, quia nullum actum elicere potest in patria talis habitus. Durandus dist. 26. q. 3. n. 7. ait, *non remanere talem habitum, quia deest in patria præcipuus actus illius*. Gabriel dist. 31. art. 2. conc. 1 docet, *neque ad ornatum permanere in beatis habitum spei*. Richardus dist. 26. art. 5. q. 2. *non manere quoàd habitum, vel actum*. Maior dist. 31. conc. 2. & 3. docet, *non manere in beatis habitum, & actũ spei, quia essent otiosi*. 8. Albert. S.Bonav. Scot. Durand. Gabriel. Richard. Maior.

Ex quibus patet, nullo modo esse aptam explicationem Suarez, & aliorum dicentium, Doctores istos solùm velle, non manere habitum spei, proùt talis denominatur à præcipuo actu, qui est erectio animi in beatitudinẽ propriam nondùm possessam; hæc (inquã) declaratio non quadrat verbis Scholasticorum, quæ retulimus; nam illi, vel dicunt non manere habitum spei in patria, quia esset otiosus, vel quia non habet actum, quem eliciat; si autem posset elicere actum gaudij, aut spei, 9.

circà beatitudinem aliorum, profectò non esset otiosus; Albertus etiam, & S. Bonaventura omninò dicunt destrui habitum spei; de S. Thoma, & discipulis eius minùs dubitari potest, ut patet ex adductis. Deniq; cùm scholastici tã ex professo disputent de proposita difficultate, non est credibile, ab uno, vel altero ex prædictis doctoribus nõ fuisse saltèm indicãdũ, quòd remaneat habitus spei, licèt non sub nomine spei, si id verum esse existimassent; omnes igitur sentiunt non remanere.

10. S. August. Probatur conclusio primò testimonijs Sanctorum Patrum; imprimis Sanctus Augustinus to. 3. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 39. docet absolutè, *in patria non manere fidem, & spem.* Sed eleBeda. gantiùs Beda ex ipso Augustino in ea verba cap. 13. 1. ad Corinth. *nunc manẽt fides, spes, charitas, quid* (inquit) *spes, erit ibi* (scilicèt in patria) *Spes? non erit iam spes, quãdo erit res; etenim ipsa spes peregrinationi necessaria est, cùm venerimus, tenebimus, & iam visio erit, non fides; & iam* S. Chrys. *res erit, non spes.* S. Chrysostomus etiam Homil. 34. in priorẽ epistolam ad Corinthios. *Cessat* (inquit) *fides, & spes quãdo advenerint bona credita, & sperata.* S. S. Ansel. Anselmus in prædictum locum Pauli, *fides cessabit, & spes finem habebit; sola verò charitas in æternum perseverabit.* Theo. & postremò Theodoretus, ait, *in patria solam manere Charitatem ex tribus virtutibus Theologicis, quas Paulus ibi commemorat, & spem in eo statu fore superfluam.*

11. Nec sufficienter occurret aliquis dicens, Patres solùm velle nõ manere spẽ sub denominatione spei; tũ quia illi absolutè loquuntur, tum quia Theodoretus, & S. Anselmus solã charitatẽ dicũt perseveraturam; si autem sub aliqua ratione maneret spes, non foret vera illa propositio: tum denique quia actus, quo quis sperat beatitudinem proprij corporis, beatitudinem amicorum verè & propriè dicuntur, & sunt spes, ergo si quoad istos actus maneret hæc virtus, abosolutè maneret in quantum spes, quod negant Theologi, & Patres citati.

12. Secundò probatur ratione, quia habitus spei ad eum finẽ precipuè infunditur à Deo, ut homo erigatur ad superandam difficultatem, quæ est in adeptione Dei ut summi boni nostri, cuius visio illi promissa est; undè meritò fatẽtur plerią;, spẽ potissimùm versari circà propriam beatitudinem, non corporis, sed animi, ergo cùm beatus iam nõ possit talem actũ elicere, nõ est cur habitus spei perseveret; patet cõsequẽtia, nã ad eliciendos alios actus, facilè deserviẽt charitas, & aliæ virtutes, ut statim ostendemus: ad solũ verò splẽdorẽ, & decorẽ beatorum nõ est cur habitus iste perseveret; tum quia illi satis decorantur lumine gloriæ, charitate, & alijs virtutibus; tum etiam quia habitus non infunditur, nisi propter actus.

Tertiò probatur; habitus, & actus fidei non manent in patria, ergo neq; habitus, & actus spei: antecedens est receptum à Sanctis, & Theologis. Conse- 13.
quentiã probo; nam fides ideò non manet, quia affert imperfectionem obscuritatis, quæ non decet statum perfectissimum beatitudinis, & ita iuxta Apostolum, *Cùm venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Sed eadem ratione spes affert imperfectionem aliquam, quod nimirũm tendat in Deum intuitu proprij commodi, ergo in patria, ubi Deus clarè cognoscitur dignissimus, qui propter se ametur, & in quem tendat voluntas non attenta propria utilitate, nõ remanebit ullus actus spei. Cõfirmatur; quia licét non sit omnimoda incõpossibilitas inter amorẽ amicitiæ, & cõcupiscentię, negari tamẽ nõ potest, istũ diminui, dũ ille prior augetur, ergò cùm beatus sẽper amet necessariò Deũ amore amicitiæ, & delectetur de eo ex virtute charitatis, quia nimirùm ipse in se optimus est, nũquã eliciet alium amorem, & delectationem, qui ad Deum tẽdit ut ad bonum commodum ipsi amanti, certè negari non potest, hunc amorem esse ex parte, atquè adeò evacuandum esse, cùm venerit amor, qui perfectus est, & quem necessario semper habebunt beati in illa perpetuò duratura fœlicitate. 14.

Ad primum respõdet S. Thomas hîc art. 2. ad 3. beatos sperare alijs beati-

tudinem

tudinē media virtute charitatis,quę,ut notabamus tract.1.disp.3. potest versari circà obiectum spei, ut circà quid materiale,intuitu sui obiecti formalis, nempe Dei ut in se boni; atque hoc mihi maximè placet,cùm sit longe perfectior sperandi modus, quàm ille qui habetur virtute spei; & eodem modo respondetur,beatitudinem proprij corporis sperari ex charitate, non autem ex virtute spei;cuius rei tres rationes exhibet S. Thomas ad 4. Prima est; quia cùm virtus Theologica spei præcipuè tendat ad beatitudinem essentialem animæ, & hæc iam non possit sperari à beatis,nō potest,id est,seu nō decet, eam remanere ad sperandam gloriam corporis. Secūda,& tertia est; quia iam beatitudo corporis non habet rationem boni ardui comparatione beati,qui certò scit, se esse in statu, cui gloria corporis debetur,veluti proprietas gloriæ animæ: virtus autē spei data est præcipuè ad superandam difficultatem, quam secum affert status viatoris.

15. *S.Thom.* Ad secundum respondetur ex ipso S.Thoma,qui in illo art.4.ad 1. expressè dicit,Christum Dominum non sperasse per virtutem Theologicam spei. quia illa præcipuè infunditur ad sperādam beatitudinem essentialem. quam Christus Dominus iam habebat; speravit ergò ex virtute charitatis gloriam proprij corporis, & beatitudinē fratrum suorum,nempè omnium nostrum,qui per eum habituri sumus accessum ad Deum,si per nos non steterit. *S.Thom.* Adverto autem, à S. Thoma in hac quæstione art.2. ad 1. cōstitui discrimen inter Christum Dominum & reliquos beatos; quod hi non sperant absolutè; Christus Dominus verò cùm esset nō solùm comprehensor, sed etiā viator,sperare poterat gloriam corporis. Quæ doctrina non ita intelligenda est,ut Christus Dominus habuerit virtutem spei, cùm id neget ibidem sanctus Doctor;sed solùm vult actum,quo ex charitate beati sperant gloriam corporis, non dici tam propriè spem. eo quòd ea gloria non sit bonum arduum cōparatione status illorū,cōparatione verò Christi Domini in quantum viatoris erat gloria corporis bonum arduum, & ad cuius adeptionem se ipsum humiliaturus erat usquè ad mortē crucis.

Ad tertium respondetur, aliquam delectationem posse elici in hac vita à virtute spei,sicut etiam elicitur à charitate; iuxtà illud Psalmi 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum,* & Psal.36. ubi David hominem in terris commorantem alloquitur, *Delectare* (inquit) *in Domino*: quamvis autem ea perfecta delectatio, quæ de Deo possesso habetur, nequeat esse nisi in patria,adhùc tamen illa licèt de potentia absoluta provenire posset ab habitu spei,ut suprà dictum est, de lege communi non elicitur, nisi à charitate,quæ est magis perfecta,quàm amor concupiscentiæ,qui minùs decet statum tam perfectum. 16. *Psal. 83 & 36.*

DISPVTATIO II.

Vtrùm spes sit, aut esse possit in damnatis.

Verissima est sentētia Theologorū, quæ affirmat, spē non esse in damnatis:eam docent S.Thomas, & eius discipuli in art.3. Durandus in 3.dist.26.q.3.n.6.& 7.& alij. Affertur in huius veritatis confirmationem locus ille cap.11. Proverbiorum, *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes, & expectatio solicitorum peribit.* Et proptereà cùm in cap.5. libri Sapientiæ commemorasset Sapiens ea,quæ damnati serò confessi sunt in inferno, *Talia* (inquit) *dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt,quoniam spes impij tanquàm lanugo est,quæ à vento tollitur,& tamquàm fumus,qui à vento diffusus est,* quasi diceret, citò interijsse impiorū spem, sicut dissipari solet fumus, & flos tribuli, seu cardui,dum ventus perflat. 1. *S. Thom. Durand.* *Prov. 11.*

Sed neuter locus urget secundùm litteram; nam in hoc posteriori loco sermo est de spe, quam in temporalibus bonis constituunt impij,ut bene notavit Lyranus; & hæc illos decipit, & 2. *Lyra.*

cito

Psal. 75. cito evanuit iuxta illud Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum.* Prior etiam locus de eadem spe videtur intelligendus,
Iansen. ut benè notat Iansenius; propterea enim additur, *& expectatio solicitorum peribit*, id est, auferetur divitibus, seu impijs id, quod ipsi in hac vita sperare solebant, scilicet peritura sæculi gloria. Adhuc tamen (ut Iansenius vult) in sensu spirituali referri potest ad spem Theologicam, qua beatitudinem, & veniam sperabant damnati in hac vita, &
Gloss. Lyra. Hugo. de tali spe explicant absolutè prędictũ locũ Glossa, Lyran.9 & Hug. Cardinalis.

Deinde probatur ratione; & imprimis non elici à damnatis actum, quo
3. sibi sperent veniam, aut beatitudinem, ostendit optimè S. Thomas art. 3. quia spes versatur circà bonum possibile;
S. Thom. damnati autem sciunt se esse destitutos auxilio divino, sinè quo non possunt illud bonum obtinere. Alios verò actus, quibus beatitudo speratur alijs, vel amorem, & gaudium de Deo ut bono nostro, non eliciunt, quia cùm ille status sit summæ miseriæ, non decet in eo ullum actum supernaturalem reperiri. Ex quo etiã principio infertur, nec in illis esse habitũ spei; nã iste non infunditur, nisi ad actus eliciendos.

Si verò loquamur de absoluta potentia, non dubito quin damnatus pos
4. sit habere habitũ spei, cùm nulla, nec apparens ratio contradictionis adducatur; imò posset etiam elicere actum, quo speraret beatitudinem alijs, ac postremò cùm non involvat contradictionem, hominem iam addictum cruciatibus inferni, divino beneficio liberari, & id ei à Deo revelari, nec etiam erit de potentia absoluta impossibile, quod suam beatitudinem speret.

DISPVTATIO III.

Vtrũ spes sit in omnibus viatoribus: ubi an fuerit in Patribus Limbi, & sit modò in animabus Purgatorij.

Asfero primò, habit9, & actus spei sunt in viatoribus iustis: conclusio est communis, & certa. Et imprimis spem absolutè loquẽdo esse in hominib9 iustis docet fides. 1.
Probatur primò ex Paulo ad Rom. 5. *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem, in gratiam istã, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Vbi S. Anselmus, *magna valdè gloria est per fidem, ac spem* (scilicèt formatas) *in numerum filiorũ Dei asciscí.* Et optimè Origenes lib. 4. in epistolam ad Romanos ostendit hic loqui Apostolum de spe æternæ beatitudinis, & statim addit, *Huius ergò gloriæ videndæ spem gerunt hi, de quibus dictum est, beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt: & hæc est viva spes, in quam regenerati sunt iusti per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* 1. Petri 1. Deinde verò, quod non solùm actus, sed etiam habitus spei sit in iustis constat ex Tridẽtino sess. 6. cap. 7. ubi in iustificatione dicitur homo accipere fidem, & spem, & charitatem, quod de habitibus intelligẽdum est iuxtà notata in 1. tract. disp. 4. Denique ratio id persuadet; nã nullus est, cui potiori iure tribuenda sit spes quoàd habitum, & actum. Nec refert quòd aliqui iusti ut B. Virgo, & Apostoli certò sciverint, se adepturos beatitudinem; nam adhùc illa erat bonum arduum comparatione eorum, nec ab eis possidebatur: optimè ergò poterant habere habitũ, & actus spei, etiam illum, qui magis propriè ita nominatur. ad Rom. 5 S. Ansel. Origenes. Trident.

Dico secundò, spes quoàd habitum, & actum est etiam in peccatore, licèt gratiam amiserit, dummodò contra fidem, aut spem non deliquerit. Conclusio etiam recepta est à Theologis. Et quidem, quòd in peccatore possit esse actus spei, est omnino certum; nam Tridentinum sess 6. cap. 7. spei actum constituit in peccatore dum disponitur ad iustificationem: & can. 3. id ipsum videtur supponere, & ratio valdè persuadet: nam cùm spes erigat voluntatem nostram ut tendat ad supremã fælicitatem, & ad remissionem peccato- 2. Trident.

rum

rum obtinendam à Deo, necessarium fuit actum spei in peccatore perseverare: unde Bañez q.18.art.3.erroneum docet esse hoc negare. Quod verò attinet ad habitum non est res certa, sed videtur communis S.Thomæ art.3. Durandi dist.26.q.3.& aliorum,quatenùs dicunt absolute spem esse in viatoribus. Bañez etiam ad art.3.id docet expresse,& etiam Aragon;imò Vega lib. 9.cap.38. ait hanc esse sententiam omnium Theologorum. Probatur, quia habitus fidei, & spei sunt veluti fundamenta ædificij spiritualis, quod per gratiam in hac vita consumatur,quare decuit illos non destrui per quodcumque peccatum læthale;sicut non evertuntur fundamenta alicuius ædificij, cùm primùm parietes,& tecta ruunt.

Bañez. S Thom. Durand. Bañez. Aragon. Vega.

3. Et si objicias definitionem spei, quã adhibet Magister in 3.dist.26.scilicét, *Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia, & meritis*; sed qui est in peccato læthali non habet merita; ergò nequè spem. Respondet S.Thomas q. 17. art. 1. ad 2.spem dici provenire ex meritis quantùm ad rem speratam, quia nimirùm nullus sperat beatitudinem, nisi consequendam per merita,quæ,vel tunc habet, vel posteà habebit: fortè etiam Magister agit de spe formata,quæ non est in peccatore.

Magister. S.Thom.

4. Advertenda tamen sunt duo: unum est; si quis eliceret actum desperationis,quamvis non amittat fidem, amitteret habitum spei; sicut amittitur etiã fides per infidelitatem illi oppositam. Alterum est, si quis denuo accederet ad fidem,& solùm crederet revelata à Deo,quamdiù non sperat,vel iustificatur,non infundi illi habitum spei, quia solus actus fidei non est sufficiens dispositio ad infusionem habitus spei, cũ fides sinè spe conservari, atque adeò infundi possit. Sufficit verò elicere actũ fidei, & spei,ut statim habitus spei infundatur à Deo; sicut infunditur habitus fidei homini credenti, quamvis non iustificetur.

5. Dico tertiò, in animabus Purgatorij est spes quoád actum, & habitum. Sic S.Thomas art. 3. & probatur, quia nondum possident beatitudinem; & certitudo de illius adeptione non tollit sufficiens motivum ad eam sperandam,cùm spes solùm requirat bonum, quod nobis est possibile, nondum esse possessum; idem etiam docet Bellarminus lib.2. de Purgatorio cap. 4. & Palacios dist.26.disp.2.Ex eodem etiã principio infertur, in Patribus Limbi fuisse spem quoàd habitum, & actum, ut optimè dixit Magister in 3. dist. 26. in pueris verò decedentibus sinè baptismo non manet spes, quia absolutè numerantur inter damnatos; quibus proinde non est possibilis beatitudo supernaturalis.

S.Thom. Bellarm. Palac. Magister.

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm spes esse posit in homine, qui cognosceret absoluta revelatione suam damnationem?



Ico primò, non repugnat de absoluta potentia revelari alicui suam damnationem, ita ut illi omnino certò constet, se ob aliquod proprium peccatum re vera fore damnandum. Conclusio est contrà B.Bonaventuram in 1.dist.48.dub. 1.circà litteram,sed eam supponit Palacios in 3.dist.26.disp.2. & amplectitur Maior in 3.dist.26.q.3.Imò S.Thomas de verit. q.23.art. 8.ad 2. ubi ita scribit, *Quãvis de potentia absoluta Deus possit revelare suam damnationem alicui, non tamen de potentia ordinata.* Vnde cũ in 1. dist.48.q.1,art.2.id ait esse *quasi impossibile*, intelligendus est de lege ordinaria,quia scilicèt(ut ipse ait) *nulli sua damnatio revelatur, & si alicui videretur sibi revelatam fuisse, posset credere verisimiliter id sibi dictum secundùm comminationem;nisi quando certò constaret revelationem esse absolutam.* Gabriel etiã lect.68.in Canon.propè finem,& Gregorius in 1.dist. 48. q. unic. licèt conclusionem hanc reputent dubiam, absolutè non reijciunt. Conclusio probatur breviter, quia ex nullo capite id potest repugnare, Deus enim utpotè summè sapiens,& infinitè potens,sicut I.

S.Bonav. Palacios. Maior. S. Thom. Gabriel. Gregor.

novit hominem fore damnandum, ita potest id ei certò manifestare, nec id est magis impossibile, quã quod Deus revelet alicui peccatum ab ipso committendum.

Sed obijciunt aliqui, Deus non potest cogere hominem, aut certè illum
2. valde inclinare ad desperationẽ, cùm hæc sit intrinsecè mala, sed prędicta revelatio cogeret hominem desperare, ut ait S.Thomas in illo loco ex quæst. de veritate; vel certè illum valde inclinaret ad desperandum, ergo Deus non potest absolutam damnationem revelare. Minor probatur, quia nulla alia re magis cadere posset sperantis animus, quam si sciret conatus suos irritos fore, & non adepturum esse, quod sperat, ergo valde determinaretur ad desperandum à prædicta revelatione. Confirmatur primò, quia Deus nulli consulere potest ut desperet, ergo nec potest absolutam damnationem revelare. Antecedens est certum, quia id foret inclinare ad peccatum, atq; adeò esse causam moralem illius, quod in Deum cadere nullo modo potest. Consequentiam verò probo, quia magis inclinaret ad desperandum illa revelatio, quàm consilium. Confirmatur secundò, quia nullum honestum finem potest sibi Deus præscribere in hac revelatione, ergo illa impossibilis est.

Respondetur negando minorẽ simpliciter, & absolutè loquendo, nam
3. quod aliquis sciat se aliquid non adepturum, nullam infert etiam moralem necessitatem desperandi, optime enim potest actum cohibere; Sanctus autem Thomas in eo loco solùm voluit, ex tali revelatione posse sumi ab homine ansam desperandi ob suam fragilitatem, quo pacto res, quę difficilem reddunt cõsecutionem alicuius finis, quodammodo dicuntur ad desperationẽ trahere. Adde quòd Deus potest iustè constituere hominem in circunstantijs, quæ illum infallibiliter facient peccare, & damnatis fert sententiam æternæ infælicitatis, quæ multo maior occasio est desperationis, & impatiẽtiæ, quin tamen in Deum propterea cadat ulla imperfectio ratione cuius id efficere non possit, multò ergo minùs repugnabit, alicui fieri absolutam revelationem suæ damnationis.

Ad primam confirmationem concesso antecedente neganda est conse- 4.
quentia, & illius probatio; nam qui consulit desperationem, determinatè inclinat ad malum proponendo, & suadendo peccatum, quod sinè dubio est intrinsecè malum; qui verò revelat damnationem, solùm enũciat id, quod re ipsa futurum est, nec ullo modo intendit, aut determinat desperationẽ. Ad secundam, illius revelationis poterunt esse non pauci fines; primus declarare scientiam futurorum, quam Deus habet, secundus punire hac revelatione peccatorem, tertius deterrere alios, &c.

Superest modò præcipua quæstionis difficultas, an ille, cui Deus prædicto 5.
modo suam damnationem revelaret, elicere posset actum spei; illum nimirùm, quo voluntas erigitur ut tendat efficaciter ad beatitudinem superata omni difficultate, & sermo est de homine quamdiù recordatur huius revelationis, nam si illam obliviscatur, non dubium est, quin sperare possit, sicut & reliqui. Partem ergò negantem amplectitur Maior ubi suprà conc.4. & Palacios in ea dist. 26. disp. 2. quamvis po- *Maior.*
stea referat contrariam sententiam, *Palacios.*
nec omnino reijcere videatur, affertur etiam Vega 9. in Tridentinum cap. 38.
ubi ait, ad sperandum sufficere cogni- *Vega.*
tionem certam de possibilitate adipiscendi beatitudinem, & probabilem coniecturam de eius adeptione, quam cùm non haberet ille, cui fieret prædicta revelatio, videtur secundùm istum Doctorem sperare non posse.

Probatur primò authoritate S. Augu- 6.
stini qui in 21. de Civit. cap. 24. docet, *S. Aug.*
si Ecclesia certò sciret damnationem alicuius, non oraturam pro illo, sed non magis difficile est orare, quàm sperare in prædicto casu; ergo. Confirmatur, quia sperare in isto casu esset velle oppositum eius, quod Deus vult; Deus enim vult damnationem, & qui speraret, vellet efficaciter salutem: nemo autem potest velle oppositum ei, quod Deum efficaciter velle novit.

Probatur secundò, quia obiectum in- 7.

tētionis efficacis est finis in quātū possibilis, sed spei actus est efficax intētio beatitudinis; ergo illius obiectum est beatitudo in quantū posibilis. Rursus ille, qui certò sciret suā damnationē, non posset obtinere beatitudinē, ergo foret illi impossibilis, ergo illā sperare non posset. Confirmatur, quia licèt ad intendendum efficaciter finem, nō sit necessarium, ut ille qui intēdit, sciat se consecuturum talem finem, requiritur tamen ut non sciat oppositum: nam efficax intentio tendit ad finem ut ad bonum futurum, ergo ille, qui certò scit non esse futurum, non potest efficaciter illum intendere, atquè adeò nec sperare.

8. Tertiò probatur, quia maximè caderet animus desperātis si certò sciret conatus suos irritos fore, sed ille qui revelatione cognosceret suam damnationem, certò sciret conatus suos irritos fore, ergo non posset sperare.

9 Dico tamē secūdò, ille, qui certa revelatione cognosceret suā damnationē, posset elicere actū spei. Sic sentiūt illi Theologi, quos tacito nomine refert, nec omnino reijcit Palacios suprà, & placet doctis iunioribus; ex antiquis verò Caietanus infrà referendus eam docere videtur; imò & Agatho Papa quatenus dicunt, posse in voluntate humana esse actū efficacem contrarium aliquomodo ei, quod scitur Deū efficaciter velle. Vt autem probetur cōclusio, adverto prædictam revelationem ita intelligendam esse; ut nimirùm ille præscitus certò nosset, se liberé cōmissurum aliquod peccatum ob cuius impœnitentiam damnandus foret, cū tamen posset illud non committere, eò quòd Deus illi offerret auxilia sufficientissima ad non peccandum, atque adeò ad beatitudinem obtinendam. In hac ergò hypothesi posse sperare, probatur primó à priori. Obiectum spei, sicut & cuiuscūque intentionis efficacis solùm est bonum possibile, sed beatitudo, posita tali revelatione, esset illi homini possibilis, ergo esset obiectum sufficiens ad sperandum. Consequentia videtur legitima: minor est certa; nam quamvis in sensu composito, ut dicunt, ille non posset ad beatitudinem pervenire, quia iam supponit talis revelatio, illum non esse perventurum, absolutè tamen posset; nam scientia futuritionis obiecti non tollit libertatem, & indifferentiam ad oppositum, ut satis constat ex dictis in 1. p. controversia 2. tract. 4. disp. 6. Maiorem ergò probo, quia reprobi sperare possunt, & intendere beatitudinem, & tamen illa non est futura, sed solùm possibilis, ergo obiectum spei, & intentionis efficacis solùm est bonum possibile.

Caietan. Agatho Papa.

Respondent adversarij, ad spē, & intentionē efficacē non requiri futuritionē obiecti; requiri tamē ut nō sciatur non esse futurum. Sed hoc minùs bene dictū est, cùm supponat id, de quo disputamus: difficultas enim quæstionis est, an illud, quod certò scitur nō futurū, possit esse obiectū intētionis efficacis, & cōtendit ratio esse hoc obiectū sufficiens, quia intentio versatur circà obiectū possibile: & quòd quis certè noverit, illud non esse futurum, non tollit eius possibilitatem. 10.

Secūdò probatur, & declaratur amplius vis prædictæ ratiocinationis; omne illud, quod quis certò novit sibi esse possibile, si velit, potest illud obtinere, ergo potest velle obtinere. Patet cō sequētia, quia nō potest illud obtinere, nisi depēdenter à sua volūtate. Rursus in prædicto casu, beatitudo est possibilis illi homini, si ipse velit, ergo potest velle illam obtinere, ergo potest illam efficaciter intendere, atquè adeò sperare. Confirmatur, quia quod quis potest re ipsa facere, potest re ipsa velle efficaciter facere, nec enim id est difficiliùs, sed potiùs multo faciliùs aliquid velle; quā illud facere; sed qui certò sciret suā damnationē, posset re ipsa adipisci beatitudinem, ergo posset illam efficaciter velle, & consequēter sperare. Cōfirmatur iterū: quia cū certa cognitione damnationis magis pugnat reipsa pervenire ad beatitudinem, quā illā intēdere, aut sperare; sed qui certò sciret suā damnationē posset pervenire ad beatitudinem, ergo potiori iure posset illā intendere, aut sperare. Maior non videtur negari posse; quia adeptio beatitudinis redderet falsam 11.

cognitionē dānationis: spes verò beatitudinis nō ita; quia non omne, quod speratur, obtinetur; ergo bene posset homo in prędicta hypothesi sperare, & consequenter obligari præcepto spei, nam cùm liberè posset illud implere, non est cur deobligandus sit.

12. Ad primū respōdetur, nō asseri à S. Augustino tūc Ecclesiā nō posse orare, sed nō oraturā; & ita ille homo, qui sciret suā damnationē, nō speraret saltèm ut in plurimū, licèt posset. Ad cōfirmationē respōdetur, nullū posse velle oppositū ei, quod novit Deū decrevisse, si sermo sit de voluntate omnino perfectè efficaci; quia id esset velle nō impleri voluntatē efficacē Dei: quod nō solū est malū, sed etiā impossibile per se loquēdo: posse tamē velle oppositū mediante actu nō omnino efficaci, sed talis cōditionis ut mediante illo conetur homo in id, quod videt esse cōtrariū decreto divino, nō tamen ita ut re ipsa cōtendat reddere irritos conatus divinos, & dispositionē Dei cassam reddi. Qua ratione dicemus 3.p. cōtroversia 1. tract. 13. disp. 1. in volūtate Christi D. humana fuisse aliquos actus aliquomodo efficaces, quibus voluit obiecta cōtraria materialiter volūtati divinæ, licèt in volito formali, quod aiūt, nulla esset cōtrarietas: & hoc modo efficacitatis posset intendere, & sperare beatitudinē, qui certò sciret suā dānationē. Vide dicta in 1.2. controversia 2. tract. 13. disp. 3. ubi latè hanc doctrinā explicuimus, & testimonio Agathonis Papæ, & Caietani confirmavimus.

13. Ad secundū, cū cōfirmatione satis patet ex dictis; illud verò speciale, quod in cōfirmatione notatur, scilicèt intētionē efficacē tēdere ad bonū ut futurum, potest dupliciter intelligi, primò, ita quòd intētio petat obiectū esse futurū, aut cognosci à me ut futurū, vel certè nō cognosci ut non futurū, & id totū falsum est ut vidimus. Secūdò, ita quòd intētio ordinetur ad faciēdū obiectū esse futurū, seu ad ponendū illud in re; & hoc verū est: quia nullus intēdit efficaciter finem, nisi ut ille re ipsa obtineatur: sed ex hoc nō infertur, nō posse intendi efficaciter finē, qui scitur nō esse futurus; quia quāvis ex parte talis intentionis, si illa permaneret, & adessent omnia requisita, re vera obtineretur finis, revelatio tamen dictat non esse obtinendū, quia vel non permanebit illa intentio, vel non aderunt aliæ circūstantiæ requisitæ ad eius adeptionem, v.g. si ille homo in prædicta hypothesi speraret beatitudinē, quantùm est ex vi illius spei, seu intentionis efficacis, consequeretur beatitudinem: dictat tamen revelatio illum non permāsurum, aut hominem non servaturum omnia præcepta, quæ sunt necessaria ad salutem.

Ad tertiū fateor, illa revelatione reddi difficilē actū spei, non tamen reddi impossibilē, etiā moraliter; quia adhùc permanet obiectū sufficiens ad sperādum: sicut enim tūc posset omnia præcepta servare, & re ipsa obtinere beatitudinem, ita quoquè posset illam sperare, cùm id sit multò faciliùs. 14.

DISPVTATIO V.

An, & quomodo spes habeat certitudinem.

SErmo est de actibus elicitis à virtute spei, quibus voluntas erigitur ad beatitudinē animi, & corporis obtinendā, superatis omnibus difficultatibus, quæ occurrūt in illi⁹ adeptione: & sub hac ratione spem esse certā, docet Magister in 3. dist. 26. ubi ait, spē esse certam expectationem futuræ beatitudinis. Consentiunt S. Bonaventura art. 2. q. 5. Durādus q. 3. S. Thomas hic art. 4. & communis, ac vera sententia. 1. *Magist.* *S. Bonav.* *Durand.* *S. Thom.*

Probatur authoritate Scripturæ ad Hebræos 6. ubi vocat Apostolus spem *anchoram tutam, ac firmam*; quia nimirū, ut ait S. Anselmus, *Spes cælestium similitudinem exercet anchora, quæ navim, ne ad scopulos frangatur, retinet, & tutam facit, atquè firmam, ne titubare possit*, quibus verbis significatur satis nostræ spei certitudo; nam ubi incertitudo, ibi titubatio, seu fluctuatio est. Deinde in 2. ad Corinth. cap. 1. *Vt spes nostra firma sit pro vobis*, ubi Ambrosius legit, *ut spes nostra certa sit pro vobis:* qua versione 2. *ad Heb. 6.* *S. Ansel.* *2. Cor. 1.*

satis ostendit, idem esse apud Paulum firmitatem, & certitudinem. Vnde in cap. 1. epistolæ 2. ad Timotheum explicans illa verba, *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare. Spe* (inquit) *& fiducia magnificentiæ Salvatoris securus est, quia quod commendat illi* (scilicet salus sua) *in tuto est*. Quarè certitudinem hanc de qua loquitur Apostolus, explicat de certitudine spei, sicut & S. Thomas hic in argumento *sed contrà*. Deniquè S. Chrysostomus Homil. 9. in epistolã ad Romanos spem vocat *firmam, & evidentem*; quæ verba satis declarant in spe nostra esse certitudinem.

S. Ambr. S: Thom. Chrysost.

3. Vt autem reddatur ratio huius veritatis, & explicetur sensus nostræ conclusionis, obijcio primò; certitudo est propria actuum intellectus, ergo non reperitur in spe, qui est actus voluntatis. Secundò id, quod est certum, nunquàm deficit, sed spes sæpè deficit, nã reprobi sperant beatitudinem, quam non assequentur; & ille, qui certa revelatione cognosceret suam damnationem, speraret rem prorsus incertam, imò nunquam possidendam; ergo spes non est certa. Tertiò, quia per virtutẽ spei sperari possunt dona non promissa à Deo, & quæ sæpè non concedentur, ut in 1. tract. disp. 2. dicebamus, ergo ex nullo capite haberet certitudinem talis spes.

4. S. Thom. S. Thomas in corpore artic. 4. egregiè notat, dupliciter inesse posse alicui certitudinem, primò intrinsecè; & hac ratione in solum actum cognitionis cadit certitudo, quæ non est aliud, quàm firma adhæsio potentiæ cognoscentis ad obiectum cognitum; secundo modo participative; quo pacto illud dicetur certum, quod á certa cognitione dirigitur; unde natura dicetur certò tendere ad suum finem, v. g. lapis ad centrum, quia dirigitur à certa cognitione supremi artificis illũ inclinante ad infimum locum media gravitate: & secundùm hanc posterioré acceptionem dicitur spes certa, & alij etiam actus voluntatis dicũtur certi; & quidẽ actus studiosi pertinẽtes ad virtutes morales voluntatis dicuntur certi, quia sequuntur certã cognitionem virtutis prudentiæ, quæ hic, & nũc certò dictat bonũ esse sic, vel aliter operari. Spes verò, si cõsideretur obiectum formale illius, & media ad illius adeptionẽ necessaria, dirigitur à certo actu fidei, qui proponit illa omnia ut possibilia, & quæ certò offeruntur à Deo: unde dum spes in talia obiecta tendit, dicitur certa, quãvis non consequatur homo re ipsa beatitudinẽ: si verò considerentur alia obiecta materialia spei non promissa á Deo, cùm illa debeant proponi à prudentia, quæ certò dictat hic, & nunc esse bonũ illa sperare, cõsequẽs est, ut spes, dũ circá illa versatur, habeat etiã certitudinẽ, quantumvis illa dona non consequatur homo; sicut enim ad certitudinem prudentiæ non requiritur, quod revera sit concedendum à Deo id, quod iudicatur nobis conveniens, sed sufficit, quod secũdùm rectam rationem credatur expedire id postulare, ita hoc sufficiet ad certitudinem spei.

Ad 1. patet ex dictis. Ad 2. respondetur, certitudinem prrticipatã solùm exigere, ut quantùm est ex parte rei, quæ dicitur certa, non deficiat; quamvis aliunde deficere posit; v. g. ut lapis dicatur certò tẽdere in centrũ, sufficit quòd quantùm est ex inclinatione lapidis tendat in illud; quamvis occurrere posit obstaculum, vel ab alio extrinseco agente posit sursum moveri. Sic ergò spes est certa, quia quantũ ex se est determinatè, tẽdit ad rẽ speratã; quamuis ob fragilitatẽ nostrã apponi posit impedimentum peccati: & propterea hæc certitudo spei est virtualiter conditionata, ita enim tẽdit certò ad beatitudinẽ, ut in eam tandẽ deveniat, si per hominem non steterit; & quoniã certò constare nõ potest absq; revelatione, nullum ex parte nostri futurum impedimentũ, propterea Tridẽtinum sess. 6. can. 26. dixit, *Iustos debere sperare, si tamen bene agendo perseveraverint usquè in finem*; quod nõ ita intelligendũ est, quasi ipse act' spei sit cõditionatus; cùm in voluntate nõ reperiãtur propriè loquẽdo act' cõditionati, sed quia supponit ex parte intellectus prædictam conditionem ut certò creditam. Ad tertium iam responsum est. 5.

Trident.

COMMENTARIVS IN quæstionem 19.

AGit S. Thomas in hac quæst. 19. de Timore, qui circà Deũ versatur, eo quod quodamodo opponatur spei, quatenus aliquis timor religiosè recedit à Deo, in quẽ tendit spes: cõplectitur autẽ quæstio duodecim articulos. In primo ait, Deum posse, & debere timeri. In secundo, dividit timorẽ in filialẽ, initialẽ, servilẽ, & mundanũ. In tertio docet, timorẽ mundanũ esse malũ. In quarto, timorẽ servilẽ esse bonũ, secundũ suã substantiã, licèt servilitas eius sit mala. In quinto, distinguit specie timorẽ servilẽ à filiali. In sexto, timorẽ servilẽ quoad substantiam dicit manere cũ charitate, sed nõ in quantũ servilẽ. In septimo, timorẽ esse initiũ sapientiæ, prout sapientia est recta norma vivendi, & servandi legem Dei. In octavo definit, timorẽ initialem, prout significat timorẽ incipientiũ, habere charitatẽ, nõ distingui essentialiter à timore filiali, sed solũ sicut perfectũ, & imperfectũ, quàvis si timor initialis acciperetur pro servili, distingueretur specie à filiali. In nono docet, nõ timorẽ servilẽ, sed filialẽ esse donũ Spiritus Sancti. In decimo, timorem servilem diminui crescente charitate, non verò filialẽ. In undecimo concedit in patria remanere aliquẽ timorẽ filialem, nullum verò servilẽ. In duodecimo dicit, dono timoris respõdere primã ex octo beatitudinibus, scilicèt paupertatem spiritus, quæ est humilitas, vel rerum temporalium abiectio,

TRACTATVS III. De Timore Dei.

DISPVTATIO I.

Quodnam sit obiectũ materiale, & formale timoris Dei: & de illius divisione in varias species.

NAturam timoris in cõmuni declarare pertinet ad Philosophũ, nõ ad Theologum, quarè nos de solo timore Dei disputamus, quamvis ex hac particulari doctrina facilè colligi possit, quid nos de timore in cõmuni sentiamus. Est igitur timor Dei, quidã quasi recessus à Deo supposita consideratione suæ eminentiæ, aut mali, quod potest infligere, & à nobis nõ sinè difficultate vitari potest. Ostendit autẽ optimè S. Thomas art. 1. Deũ sub hac ratione timeri posse, quod, & in Scriptura, & naturę lumine est adeò perspicuũ, ut probatione nõ indigeat. 1. S. Thom.

2. Ac primũ quidẽ, si loquamur de obiecto formali huius timoris, existimo semper illud esse aliquod bonum; hoc enim est adæquatũ obiectum formale nostræ voluntatis: malũ verò, non nisi materiale, quantumvis actus illius sint odiũ, timor, vel detestatio; de quo ex professo egi in libris de Anima, disputatione de Voluntate. Et quidem licet S. Thomas in hac quæstione maximè art. 11. dicat, proprium obiectũ timoris esse malum, sicut obiectum spei est bonũ, nõ est id intelligẽdũ, quasi illud sit obiectum formale, sed quia est obiectum materiale propriũ, ratione cuius omnis, vel aliquis timor differt ab amore, & spe; in cuius confirmationem valde facit testimonium eiusdẽ in 3. p. q. 7. art. 6. ad 1. ubi loquens de dono timoris, ut ostenderet, nec illius, vel alterius habitus, vel actus obiectũ formale esse malum, ita scribit; *habitus virtutũ, & donorum propriè, & per se respiciũt bonum; malum autem ex consequenti; & ideò de ratione doni timoris non est illud malũ, quod respicit timor, sed eminentia illius boni*, &c. Hæc S. Thomas. Quibus satis declarat, malũ pertinere ad obiectum materiale timoris, atque adeò cuiuscumquè alterius actus voluntatis; nam si aliquis versaretur circà malum, ut circà obiectum formale, ille sanè esset actus timoris. Quod autem sit illud bonum, ad quod Dei timor tendit ut ad obiectum formale, declarabitur in sequentibus disputationibus; quia non est unum, sed multiplex pro multiplicitate timorum. S. Thom.

3. Superest modò declarandum, quod nam sit obiectum materiale timoris; an nimirùm illud sit semper aliquod malum, à quo voluntas recedat, dum timet. Partem affirmantẽ sequũtur nonnulli iuniores, videturq; S.Thomę hic, maximè art.11. & Caietanus 3. p. q. 7. art.6. ubi ex professo cõtẽdit, nõ posse Deum timeri, nisi ratione alicuius mali, quod saltèm potest insligere; licèt certò sciatur de facto infligere nolle. Suaderiquè potest, quia timor est quædam quasi fuga voluntatis, sed volũtas non fugit, nisi malum, cùm ratio boni potiùs alliciat, ergo timor semper respicit aliquod malũ. Confirmatur, quia si timoris donum non versetur circà malum, quod Deus potest infligere, solùm versabitur circà summã bonitatẽ Dei, ergo erit virtus Theologica; cùm tamen B.Thomas 1.2.q.68. omnia dona distinguat á virtutib⁹ Theologicis.

S.Thom. *Caietan.*

4. Vera tamen sentẽtia est, licèt plures actus timoris divini versentur circà aliquod malũ, posse tamẽ elici aliquem, qui nullum malum respiciat. Hanc doctrinam existimo esse iuxtà cõmunem doctrinã Theologorũ, quos referam in explicatione, & probatione conclusionis. Tres igitur act⁹ timoris possunt in pręsenti distingui. Primus est, qui versatur circà malũ, quod attenta cõmuni lege potest nobis provenire, sive Deo volẽte, sive permittẽte; & hic quidẽ timor est per modũ actus efficacis fugiẽtis tale malum, quod cognoscitur esse possibile, & nõ sinè difficultate aliqua vitari potest: qua ratione, timẽt plerique viatores etiã iusti cruciat⁹ inferni, & offensã Dei, & de eo possũt cõgruè explicari plura Scripturæ testimonia, in quib⁹timor iste cõsulitur, pręcipitur, aut laudatur, Ecclesi.12. *Time Deũ, & mãdata eius observa.* Psal.110. *Initium sapientiæ timor Domini.* & similia. Neq; hunc timorem quispiam negare potest.

Ecclesi.12 *Psal. 110.*

5. Secundus actus est qui versatur circà malum, quod secundùm se loquendo potest infligi creaturæ, quamvìs attẽta cõmuni lege, aut singulari Dei privilegio non possit accidere. Huius timoris meminerunt S. Thomas art. 11. & Caietanus citatus, & medio illo timere posset beatus peccatũ, & beata Virgo separationẽ à Deo, quantumvis revelatione cognosceret, ipsam ex privilegio non posse peccare; & de hoc timore posset fortasse intelligi, quod dicitur in Psalm.18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Advertendum tamen est, illum timorem nõ esse actum efficacem; quia sicùt intentio efficax non respicit bonum impossibile, ita neque efficax fuga, qualis est timor, respicit malum impossibile; est ergò quædã inefficax fuga per modũ displicẽtię, seu nolitionis inefficacis.

S.Thom. *Caietan.* *Psal.18.*

6. Dices, timor proportionatur spei; ergo sicut hæc solũ respicit bonũ possibile, ita & timor solũ versabitur circá malum possibile. Occurrendum tamẽ est, nomen spei accipi proùt significat intentionẽ efficacẽ beatitudinis; quòd si omnis timor solũ acciperetur pro fuga efficaci, concluderet obiectio, sed nõ ita res habet; quaré timor in priori illa acceptione proportionatur spei, nõverò in hac posteriori; nisi fortè quis dicat, etiã dari actũ inefficacẽ spei minùs propriè sumptæ; & hunc respondere timori inefficaci, posseq; versari circà bonum, quod secundùm se est possibile, licèt attenta communi lege sit impossibile: quod certè verisimile videtur, quamvis nõ soleat esse sermo de isto actu, cùm disputam⁹ de actu spei.

7. Tertius actus timoris est etiã inefficax; explicaturq; per quandã animi depressionẽ, qua dum creatura creatoris sui excellentiã, & propriã ignobilitatẽ considerat, se ipsam deijcit, ac veluti mentis alas comprimit coram tãta maiestate, & hic timor appellari solet reverentialis, nullamque videtur mali rationẽ respicere, sed excellentiã bonitatis obiecti, quod timet, seu reveretur. Et quidẽ quòd eiusmodi timor nullũ malũ respiciẽs cõcedendus sit, suadet imprimìs ratio; nã sola excellẽtia obiecti, quod cognoscim⁹, quãvis ne in mẽtẽ quidẽ veniat ratio mali, sufficiẽs est, ut quis coram illo se subijciat, & deprimat, & quasi ad nihilum se redigere velit, si sic loqui fas est.

8. Deinde graves Theologi timorem hũc agnoscũt: imprimis S. Tho. in hac 2.2.q. 81. art. 2. ad 1. & q. 130. art. 2. ad 1. ait, *ad timorem pertinere revereri Deum*

S.Thom.

ri Deum, in reverentia autem non attenditur malum, sed eminentia boni. Et 1. 2. q. 67. art. 4. ad 2. ait, *in patria non manere timorem circà malum, sed eum, qui est revereri Deum*, quarè in alijs locis, in quibus ait, timorem versari circà malum, intelligendus est de timore in duplici acceptione suprà posita; quo etiã modo explicandus est S. Augustinus tom. 4. lib. 83. quæstionum q. 33. dum dixit, *nullum metum esse nisi futuri, & imminentis mali*, appellat autem malum futurum illud, quod evenire potest. Deinde S. Bonaventura in 3. dist. 34. p. 2. distinctionis art. 2. q. ult. & Gabriel q. unica art. 3. dub. 2. dicunt, in patria non manere timorem, qui versatur circà malum, sed alium, qui est revereri Deum; idem colligitur ex Alberto apud Carthusianum q. 3. Richardus artic. 2. q. 4. docet, hunc timorem esse consentaneum communi opinioni, & q. 1. illum admiserat; licèt addiderit non esse propriè timorem, sed æquivocè. Favet Alphonsus à Castro verbo *timor* hæresi 2. ubi affert egregiũ Theophilacti testimonium.

Augustin. — S. Bonav. — Gabriel. — Albert. — Richard. — Castro.

9. Ad extremum Scriptura, & Patres satis videntur indicare, hunc timorem reperiri etiam sinè intuitu mali. Ieremiæ 10. *Quis non timebit te, ò Rex gentium; tuum est enim decus, &c.* id est, tibi debetur honor ab omnibus, ut benè Lyranus; ubi ratio, propter quam dicitur Deus timendus, est eum dignũ esse omni honore; est ergò hic timor ob Dei excellentiam, non ob malũ, quod nobis infligere potest. Sed clariùs in cap. 1. Lucæ cùm narrasset Evangelista mirabilia, quæ in Ioãnis nativitate fuerant à Deo patrata, *factus est* (inquit) *timor magnus super omnes vicinos eorum*, ubi causa timoris non fuit malum, sed potiùs excellentia divinæ maiestatis, quæ in tam præclaris facinoribus elucebat, ut rectè declarat doctissimus Alphonsus Salmeron tom. 3. tract. 16. unde Ioannes Maldonatus in cap. 1. Lucæ versu 65. ait, *in hoc loco timorem vocari, ex Hæbreorum idiomate, religionem, & reverentiam; quia alioqui nullum malum ibi erat, quod timerent, sed bonum potiùs, quo gauderent.* Favet S. Augustinus apud Magistrum in 3. dist. 34. dum dicit; timorem manere in patria quoad actum reverendi Deum, S. Nazianzenus orat. in sancta lumina, seu de baptismo Christi Domini appellat laudabilem timorem illam reverentiam, qua perterritus Centurio Christum Dominum in ædes suas admittere non audebat. Ac postremò S. Gregorius 17. moral. cap. 17. in ea verba cap. 26. libri Iob. *Columnæ cæli contremiscũt, & pavẽt ad nutũ eius, ipsæ* (inquit) *virtutes cælestium, quæ Deũ sinè cessatione conspiciunt, in hac sua contemplatione cõtremiscunt, sed idem timor, ne eis pænalis sit, non timoris, sed admirationis est*: quasi diceret non esse timorem mali, sed submissionem corã tam admirabili bono.

Ierem. 10. — Lyra. — Luc. 1. — Salmer. — Maldon. — S. August. — S. Naziã. — S. Greg.

Ad rationem contrariæ opinionis. Respondetur, ex bono excellẽtissimo non solùm provenire amorem, sed etiã fugam; non quà ita recedat voluntas ab illo, ut nolit illud habere; is enim modus fugæ non est de ratione omnis timoris, sed qua se illi submittat, & sub illo, quasi se constituat; unde non omnis fuga respicit malum, sed illa, qua recedit voluntas ab obiecto, quasi nolẽs illud habere. Ad confirmationem patebit infrà. 10.

In fine disputationis notandum est timorem Dei hactenùs explicatum esse multiplicẽ, alius enim servilis, alius filialis, alius initialis, alius perfectus, alius, qui dicitur speciale donum Spiritus Sancti, alius deniquè opponitur timori Dei, & est mundanus; ac de his omnibus sigillatim dicendum est. 11.

DISPUTATIO II.

An detur donum timoris: & quodnam sit illius obiectũ, atquè cui virtuti correspondeat?



IN 1. 2. controversia 5. tract. 2. egimus de donis Spiritus Sancti, & singulorum naturam declaravimus, differentes ad hunc locum explicationem uberiorem doni timoris. Et imprimis illud non potest 1.

versari circà obiectum alicuius virtutis Theologicæ, sicut nec alia dona, propter dicta in loco citato disput.3.

2. Secundò diceret aliquis, donum timoris versari circà obiectum religionis; quia cùm ad hunc timorem pertineat revereri Deum, non potest alteri virtuti magis proportionari, quàm religioni, quæ Deum veneratur. Sed ista sententia non placet, tum quia S.Thomas in hac 2.2. q. 81.art.2. ad 1. videtur constituere discrimen aliquod inter obiectum religionis, & doni timoris; tum etiam quia donum pietatis est distinctum à dono timoris, sed illud respondet religioni; ergo timor respõdebit alteri virtuti.

S.Thom.

3. Tertiò alij dicunt, habitum doni timoris esse specialem inclinationẽ voluntatis ad suum obiectum; nec curãt explicare an eius obiectum coincidat cum obiecto alicuius virtutis. Sed hi minus sufficienter vidẽtur locuti; nam cùm obiectum formale doni timoris futurum sit aliquod bonum, oportet explicare, quodnam illud sit, & quodcumque assignatum fuerit, respondere patebit obiecto alicuius virtutis.

4. Dicendum ergò est donum timoris versari circà obiectum humilitatis; atquè adeò humilitatis virtuti respondere. Hanc assertionẽ amplectuntur Scotus in 3.dist.34. §.*de donis dico*, Gabriel ibi q.unic.art.1.notab.4.& Suarez 3.p. to.1.disp.20. sect.2. §. *quo circa*. Probatur primo ex Patribus, nam S. Gregorius 2. moral. cap. 26. expressè docet, *timorem nobis esse tributum contra superbiam*. Et S. Augustinus tom.4.lib. 1.de serm. Domini in monte multa dicit, quæ faciunt pro nostra sententia; sed præcipua sunt illa verba cap. 4 *Timor* (inquit) *Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur, beati pauperes spiritu, id est non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit, noli altũ sapere, sed time.* Et propterea S. Thomas art. 12. dixit; donum timoris respondere paupertati spiritus, quæ est humilitas, secundùm S. Augustinum.

Scot. Gabr. Suarez. S.Gregor. S.August. S.Thom.

5. Secundò probatur ratione, quia iuxtà communem doctrinam adductam disp.1. proprius actus doni timoris est revereri Deum, id est, illi se subijcere, ac seipsum pro nihilo reputare coram summa Dei Omnipotentis maiestate, ergo versatur circà obiectum humilitatis, cuius munus est respicere eam honestatem, quæ est in servanda prædicta subiectione; & quoniam hæc honestas non est ipse Deus, propterea humilitas, & donum timoris non annumerantur, aut correspondent virtutibus Theologicis. Confirmatur, quia nullum aliud motivum invenietur magis proportionatum dono timoris, ut nimirum ab alijs donis, & à virtutibus Theologicis distinguatur.

Advertendum hoc loco est, cùm iuxta principium à nobis in hac controversia, & alibi inculcatum, ad eundẽ habitum pertineant actus amoris, desiderij, odij, timoris, & gaudij, si habeant idem obiectum formale, id ipsum dicendum esse de timore; pertinẽt enim ad illum amor honestatis, quæ est in prædicta subiectione, desideriũ illius, gaudium de eius adeptione; quamvis timor sit actus, propter quem infusus est iste habitus, & ideò accipiat denominationem ab illo. Vnde S.Thomas hic art.6.corp.dixit, *eiusdem rationis esse, quod homo cupiat bonum suum, & quod timeat illo privari:* quasi diceret, ad eandem speciem pertinere actum amoris boni, & timorem, qui versatur circà illud idem bonum. Et Richardus in 3. dist.34.art.2.q.4.ait, in patria elici ab habitu timoris gaudium de evasione offensæ Dei, quia nimirum sentit gaudium, & timorem; atque adeò alios actus elici ab habitu timoris, dummodò versentur circà illius obiectum formale. 6.

S.Thom. Richard.

Rursùs notandum est, ab habitu doni timoris, non solùm elici illum actum reverendi Deum, sed etiam timorem offensæ Dei, non propter pęnam illi debitam, id enim est proprium servorũ sed propter reverẽtiam debitam Deo, & ut servetur debita subiectio creaturæ ad Creatorem; qui timor dicitur castus, seu filialis. Videatur S. Thomas art.9. si verò quis timeret pœnas, non quia sibi sunt nocumento, sed quia supponunt iniuriam Deo illatam, iam is timor filiorum esset, & ad donum timoris pertineret, secus veró non elicietur 7.

S. Thom.

à dono

à dono timoris, quod est proprium iustorum, in quibus solis sunt dona Spiritus Sancti; timor verò pœnæ, quia nociva est homini, potest esse in peccatoribus.

8. Vna superest obiectio contra nostram sententiam, quod nimirùm possit quis ex motivo charitatis, aut spei timere Deum, sicut & alios actus elicere; ergo sinè fundamento dicitur, donum timoris pertinere ad humilitatem, & non ad charitatem, vel spem. Respondetur, antecedens esse verum, negandam tamen consequentiam; quia donum speciale timoris, sicut & alia, non sunt virtutes Theologicæ, nec illis respondent, iuxta suprà dicta. Posita autem hac doctrina, nullum aliud motivum congruentiùs Patribus, Theologis, & rationi potuit assignari dono timoris, quàm motivum humilitatis: itaquè potest Deus ex charitate, aut spe timeri, ut rectè notavit Suarez suprà, & dicetur infrà, sed non est iste timor speciale donum, de quo disputatum est. *Suarez.*

DISPVTATIO III.

Quid sit timor filialis, & ad quam virtutem pertineat, quoad actum, & habitum.



1. DVrandus in 3. dist. 34. q. 4. existimat, timorem filialem, qui castus etiam appellari solet, non versari circà malum culpæ, sed solùm circà malum pœnæ damni, quæ consistit in separatione à Deo, seu privatione possessionis illius. Probat, quia timor in præsenti significat actum, quo convertimur ad Deum fugiendo peccatum; ergo peccatum fugere non est actus immediaté elicitus á timore, sed imperatus ab illo; ergo obiectum immediatum timoris nõ est malum culpæ. Secundò probatur, quia obiectum timoris est malum arduum à nobis non evitabile; sed culpa est ab homine vitabilis; ergo non est obiectum timoris. Tertiò, quia timor filialis, seu proprius filiorum est ille, quo quis timet separari à Patre, sed pœna damni est ipsa separatio á Deo Patre nostro; ergo illa est obiectum timoris filialis. Confirmatur, quia negari non potest, posse ex charitate, atquè adeò ex timore filiali provenire timorem separationis à Deo, quem tantopere desiderant videre filij, iuxtà illud Psal. 41: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus*, &c. *Durand.* *Psal. 41.*

2. Dico tamen primò, obiectum materiale timoris filialis est malum culpæ. Sic S. Thomas art. 2. Magister & alij in 3. dist. 34. ubi afferuntur expressa S. Augustini testimonia, unde in ea verba Psal. 18. *Timor Domini sanctus, seu castus* (ut ipse legit) *permanens in sæculũ sæculi*; timorem castum appellat eum, quo Ecclesia sponsum suum, quantò ardentiùs diligit, tantò diligentiùs cavet offendere. Ratio etiam idipsum suadet; nam in eo maximè se ostendit aliquis vere Dei Filium, si timeat peccatum, quia illius iniuria est, & filiationem dissolvit, potiùs quàm, quia pœnam infligit, ergo malũ culpæ est proprium obiectum materiale timoris filialis. *S. Thom.* *Magister.* *S. August.*

3. Ad primum, timor in præsenti significat recessum, seu fugam peccati, quia Deo iniurium est: iste autẽ actus non est imperatus a timore, sed est ipse timor. Ad secundum, nego timorem versari semper circà malum à nobis non evitabile; sufficit enim si respiciat malum, ad quod incitare non possunt dæmones, & ipsa humana fragilitas, aliquè occasiones, quæ non sunt in nostra potestate; iure enim optimo timet homo id, quod licèt vitare possit, nescit tamen an vitaturus sit ob difficultates, quæ occurrere solent. Ad tertiũ, separatio præcisè ob privationem visionis Dei, quæ est pæna damni, non timetur timore filiali, sed alia separatio peior, quæ provenit à malo culpæ, & reddit hominem inimicum Deo. Ad confirmationem illa separatio timeri quidẽ potest à filijs, non præcisè prout pæna est, sed prout supponit culpam, & aufert Deum ut bonum nostrum: itaquè

bene

bene potest timeri peccatum, quia habet adiunctam pœnam, non quasi in ea sistat voluntas, dum timet; id enim est proprium servorum, sed quatenùs Deo ipsi placet, ne illius visione privemur: & ita intelligendus est S. Augustinus cùm enarratione in Psal 127. dixit, *timorem castum timere, ne sponsus tardet, & ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi:* quarè conclusio nõ negat, posse prædictas pœnas aliqua ratione timeri timore filiali, sed solùm eas non esse obiectum materiale, quasi in eo sistat volũtas eo modo, quo dicemus disp. 4. sistere timorem servilem. *S. August.*

4. Dico secundò, obiectum formale timoris filialis est aliquod bonum, cui opponitur offensa Dei; & pro huius boni multiplicitate potest esse multiplex secundùm speciẽ iste timor, quoad habitum, & actum. Conclusio probatur; nam primò ex dictis constat, bonum debere esse obiectum formale illius: rursus hoc bonum debet esse oppositum offensæ Dei; ut ita per timorem fugiatur in quantum pugnat cum tali bono: & quidem bonum hoc potest esse honestas, quam respicit humilitas; & tunc, si id fiat ex speciali motione Spiritus Sancti, pertinebit ad donum timoris; secus verò ad virtutem moralem humilitatis: deinde potest esse bonum, quod respicit religio, nã propter illud potest optimè timeri, sicut & odio haberi peccatum; & sic timor filialis pertinebit ad religionem: potest etiam timeri peccatum, prout est contra Deum bonum nostrum; & sic elicietur à virtute spei, ut bene notavit Suarez in illa disp. 20. suprà citata sect. 2. ac postremò si quis timeat culpam ob Dei bonitatem propter se dilectam, pertinebit ad virtutem charitatis; quod etiam concedit Suarez, & videtur colligi ex Salmerone tom. 3. tract. 22. quatenus ait, timorem filialem totum esse amorẽ, & charitatem; nam si timet, ob id timet, quia amat: S. Thomas verò cùm dicit, timorẽ non pertinere ad charitatem, loquitur de timore, qui est donum Spiritus Sancti, & iuxta supra dicta, respondet humilitati. *Suarez. Salmer. S. Thom.*

DISPVTATIO IIII.

De timore servili, initiali, & perfecto: ubi quis timor sit initium sapientiæ, minuatur crescente charitate, & in patria perseveret.

Nomine timoris servilis intelligunt S. Augustinus, & S. Thomas citati timorem pœnæ debitæ peccato, seu ipsius peccati ratione pœnæ, quæ pro illo solet infligi; non quasi ipsa pœna sit obiectum formale: iam enim sæpè diximus, malum non posse esse, nisi obiectum materiale actuum voluntatis: sed quia versatur circà illam, ut circà propriam materiam; quatenus opponitur bonæ cõsistentiæ, seu commoditati propriæ: atquè adeò hæc commoditas erit obiectum formale. Ex quo obiter patet id, quod optimè docuerunt S. Thomas art. 5. Richardus dist. 34. art. 2. q. 2. & Argẽtinas q. 1. art. 1. scilicèt timorem servilem distingui specie à filiali; habent enim obiecta formalia diversa: servilis enim timet pœnam propter propriam commoditatem, quam amat; filialis verò culpam propter reverentiam, seu amorem patris. 1. *S. August. S. Thom. S. Thom. Richard. Argent.*

Dico primò, timor servilis est bonus. Conclusio est certa secundùm fidem, & eam optimè probat Castro verbo *timor*, hæresi 1. contra Lutherũ, qui timorem hũc inutilem, & noxium esse putabat: affertquè multa ex Scriptura, & egregia testimonia S. Augustini, S. Basilij, S. Bernardi, & Richardi, in quibus satis commendatur iste timor. Et verbo *contritio* id ipsum probat ex S. Ambrosio, & locis Evangelij, in quibus Salvator proponit nobis obiectum huius timoris, scilicèt pœnas Inferni, & severitatem Iudicij ut timeamus; præcipit etiam, ut illum timeamus, qui corpus & animam detrudere potest in Gehẽnam. Et propterea 2. *Castro. Lutherus.*

Tridēt. Tridentinum sess.6.cap.6.laudat istum timorē,& illū numerat inter actus, qui bus homo ad remissionem peccatorū disponi solet: & can. 8. definit, *illū non* Valenc. *esse peccatum.* Videatur etiam Valencia to.3.disp.2.q.2.p.3. ubi affert etiā optima Patrum testimonia in confirmationem huius veritatis.

Ratione etiam probatur, quia licèt 3. iste timor, quoad servilitatem malus sit, id est, adhùc relinquat hominem sub peccato,& non evehat illum ad amorē charitatis,quo homo desinit esse servus peccati, & incipit esse filius Dei;quoad naturā tamen, & essentiam suam nihil habet,quod rationi, aut legi Dei dissentaneum sit: pœna enim damni, vel sensus maximum malum est creaturæ rationali,quod proinde timere, sicut & bonam consistentiam illi appositam amare, est maximè cōgruens; ergo non potest id esse ex se malum, seu contrarium dictamini rationis, aut legi Dei. Confirmatur,quia timor iste revocat hominem à peccato, & illum continet in officio,ergo bonus est.

Sed obijcies primò S. Augustinū, ex 4. quo hęc verba afferūtur in Florib⁹ Do S. August. ctorum. *Quando timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonū,nondū bene fit bonū; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quādo mallet homo facere,si posset impunè.* Quibus verbis indicare satis videtur,malū esse timorē servilē, imò & propriū hypocritarū,qui adhùc in corde retinent affectū peccati. Respōdetur de mente Augustini non est dubiū; nā ab illo laudatur iste timor tanquā via ad charitatē, ut patet ex ijs,quæ affert Castro suprà,& Magister in 3.dist.34.& enarrat. Magister. Castro. in Psal.127.appellat *istum timorē bonū, & utilem;* igitur in adducto loco nō dicit timorē illum esse malū, sed potiùs per illū fieri bonū; dicit tamen nō fieri bene,id est,non ita perfectè: & cū addit nō fieri in corde,quod fit in opere; significat illud nō fieri ex amore; nec contēdit sanctus Pater, adhùc hominē velle peccare; sed quod,si non timeret pœnam, fortassè non abstineret à peccato, quamvis ex animo, & seriò velit abstinere propter pœnam.

Obijcies secundò, sicut illicitum est 5. referre maius bonū ad minus bonum, ita illicitū est odisse maius malum propter minus malū; sed ille timor fugit culpā propter pœnā, quæ est multo minus malū; ergo est timor illicitus. Respondetur illicitum esse referre maius bonū ad minus; aut timere maius malum propter minus, quando illud minus acciperetur pro ultimo fine;quando verò datur aliquis ultimus finis perfectior,ad quē hæc omnia referuntur, nulla est malitia, sed potest esse maxima honestas, v.g. illicitū fuisset ordinare incarnationem ad salutē hominū, si hæc foret ultimus finis; quia verò finis ultimus est Dei gloria,ad quā incarnatio,& salus hominum ordinatur, optimum fuit Deum incarnari, ut hominē redimeret; ita ergò timere culpā propter pœnā malū esset,si pœna foret ultimus finis; non tamen ita res habet,sed id totum tandem refertur ad Deum, qui est ultimus finis cuiuicumq; actus honesti: nec ad id est necessariū, quod actus ipse timoris immediatè, seu expressè hoc referat ad Deum; sufficit enim virtualis relatio, quam habet eò ipso,quod sit conformis rectæ rationi.

Dico secundò,iste timor servilis potest esse actus supernaturalis.Cōclusio hæc in simili probabitur 3.p. in controversia de Pœnitentia,ubi ostenda,attritionē esse supernaturalem; modo 6. breviter suadetur,quia obiectum formale illius est supernaturale, scilicet bona consistentia in ordine ad supernaturalia, quam ab animo, & corpore auferret pœna damni, & sensus: sicut beatitudo supernaturalis ponit in corpore, & animo dona supernaturalia; ita qui timet peccatum propter pœnas, quibus privatur istis donis, habet pro obiecto aliquid supernaturale; imò existimo hunc timorē esse eiusdē speciei cū attritione,& alijs actibus amoris,desiderij,&c. qui habent hoc idem obiectum formale.

Ex quo infero; dari in nobis habitū 7. timoris servilis, ut bene docuerunt S. S. Thom. Thomas in 3. dist. 34. q. 2. art. 3. q. 1. Durand. Durandus quæst. 4. nu. 9. Aragon hic Aragon. art.5. & colligitur ex S. Bonaventura S. Bonav. 2.p.distin.art. 1. q 1.quatenus hunc timorem explicat sicùt donū habituale. Probatur, nam si loquamur de timore

servili,

servili, qui sit actus naturalis, non est cur ille non generet habitum, sicut & alij actus voluntatis; si verò sit supernaturalis, non minùs indiget voluntas habitu, quo ad illum efficiendum eleuetur: quòd enim timor ille imperfectus sit, & quoad actus existat in peccatore; nihil refert, nam etiam fides, & spes sunt in peccatore, & aliunde imperfectio huius timoris valde iuvat imperfectionem hominum, qui à timore servili incipientes paulatim ad filialem accedunt.

8. Dico tertiò, timor initialis solùm differt accidentaliter à timore filiali. Sic S. Thomas art. 8. & probatur, quia nomine timoris initialis intelligit Sanctus Doctor timorem filialem existentem in homine, dum non habet perfectam charitatem, sed imperfectam, & incipientem; ergo sicut perfecta charitas non differt specie ab imperfecta, ita nec timor initialis à perfecto, seu filiali. Si verò nomine timoris initialis intelligeretur servilis, aut certè timor, qui simul includeret obiectum filialis, & servilis, ut accepisse videtur Durandus suprà q. 5. sic ipse consequenter docet distingui specie initialem à filiali solo, vel à solo servili.

S.Thom.

Durand.

9. Dico quartò, tam timor seruilis, quàm filialis dici possunt initium sapientiæ. Conclusionem explicat optimè S. Thomas art. 7. & sumitur ex illis verbis Psal. 110. *Initium sapientia timor Domini.* ubi nomine *sapientia* non significatur cognitio rerum divinarum, sed potiùs ipsa recta operatio, & inculpata vivendi ratio, ad quam cognitio dirigitur. Ex quo patet, timorem servilem dici initium huius sapientiæ, quatenùs eo incipit homo expellere affectũ peccati, ut ita incipiat rectè operari: & similiter timorem filialem esse initium, quatenùs per illum homo subijcitur Deo, & illum revereretur, ut in nullo audeat ab eius voluntate discedere.

S.Thom. Psal. 110.

10. Dico quinto, timor servilis, & filialis quoad habitus augentur in homine iusto, quando augetur charitas; quoad frequentiam verò actuum, qui eliciuntur, timor filialis crescit crescente charitate; servilis verò decrescit. Conclusio est S. Thomæ art. 10. quamvis enim dicat timorem servilem crescente charitate minui, maximè quoad actus: illa particula *maximè* non denotat diminui etiam aliquãtulùm quoad habitum in se, sed quoad effectum, seu actum, quẽ eliciebat. Probatur prima conclusionis pars; quia nullus habitus supernaturalis in hac vita pugnat cum charitate, sed potiùs, quando gratia, & charitas augentur, crescũt etiam omnes virtutes, & habitus supernaturales, qui à gratia ut à radice dimanant, iuxtà dicenda in controversia sequente. Secũda pars persuadetur, quia quò magis filius, aut amicus diligit parẽtem, aut amicum, eò magis æstimat ab illius amicitia, aut filiatione non separari; ergo plùs timet illi irrogare iniuriam, ne lædat amicitiam; non verò ita frequẽter movetur ad id timendum propter supplicium, quia id est magis proprium servorum, quàm amicorum; quarè minùs frequenter elicit homo actus timoris servilis, quando magis diligit Deum, frequentiùs verò elicit actus timoris filialis.

S.Thom.

Sed obijcies primò illud 1. Ioannis 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Quibus verbis omnem timorem, tàm quoad actum, quàm quoad habitum videtur excludere Ioannes ab habente charitatem. Respondetur tripliciter explicari posse locum illum, & nullo modo obesse nostræ conclusioni. Prima explicatio est de timore servili quoad actus, qui rarò eliciuntur ab homine insignis charitatis, & propterea absolute dicitur non manere. Ita explicant Scholastici cũ S. Augustino, qui in Psal. 18. ait, *à consũmata dilectione non foras mitti timorem filialem.* Videatur etiam in Psal. 127. Secunda explicatio est de solicito, & mũdano timore pænarum, quas pro Christi amore debebant fideles contemnere; hunc enim utpotè malum ait Ioannes, non esse in homine iusto. Sic Vega 6. in Trident. cap. 25. cum Tertulliano, S. Ambrosio, & S. Augustino, quos affert. Tertia explicatio est de anxio timore diei iudicij, quem vix habet homo perfectæ charitatis ob conscientiæ tranquillitatem, & singularem fiduciam; quamvis interdùm

11. 1. Ioan. 4.

August.

Vega.

timere posit: & ad hunc timoris actû eliciendum habeat habitum timoris servilis. Quadrat autem hæc explicatio contextui; dixerat enim Ioannes in hoc perfectam esse charitatem nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij; non ergò excluditur ullus habitus timoris, sed frequentia actuum timoris servilis, & anxietas, quam affert secum in hominibus imperfectis, qui timor pænam habet, ut ibi dicit Apostolus.

12. *Durand.* Obijcies secundò ex Durando dist. 34. q. 6. qui habet maiorem charitatem, magis distat à periculo peccandi; ergo minus possibile est illi peccatũ, sed quò malum est alicui minùs possibile, eò minus illud timet, ergo timor filialis, quo timetur peccatum, decrescit etiam crescente charitate. Respõdet optimè Caietanus ad art. 10. huius quæstionis, timorem magis crescere ex maiori appretiatione mali possibilis, quàm ex maiori illius possibilitate; & ita licet in homine maximè charitatis dici posset secundùm quid decrescere timor filialis, eò quòd malum culpæ est illi minùs possibile; quia tamen ille habet longè maiorem appretiationem mali culpę, & magis accensum desiderium non discedendi ab amico tam fideli, ideò simpliciter loquendo, eò magis timet culpam, quò magis amat. *Caietan.*

13. Dico ultimò, in patria non manet timor servilis, benè tamen filialis, tam quoàd habitum, quàm quoàd aliquos actus. Conclusionem docent S. Augustinus enarrat. in Psalm. 127. S. Thomas art. 11. & Scholastici communiter in 3. disp. 34. Et quidem aliquem timorem manere in patria est de fide, ut contrà Abaylardum probat Castro verbo *timor*, hæresi 2. ita enim intelligitur illud Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Vide quæ Magister affert ex S. Augustino in 3. dist. 34. Isaiæ etiam 11. dicitur Christus Dominus, *repletus timore Domini*, cùm tamen esset beatus: id etiam de Angelis canit Ecclesia. Rursus iste timor non potest esse servilis, quia videtur imperfectus, & minùs dignus illo statu; & ideò S. Thomas art. 11. dixit nullo modo permansurum in patria istum timorem; solùm ergò remanebit filialis, non solùm quoàd habitum, ut malè Durandus q. 3. num. 5. tum quia habitus ibi non manet, nisi propter actus; tum etiam quia dum Scriptura, & Theologi dicunt ibi manere timorẽ, improbabiliter explicãtur de timore quoàd habitum; maximè cùm in Christo Domino etiam quoàd actum concedat ipse in n. 6. *S. August. S. Thom. Castro. Abaylar. Psal. 18. Magist. Isaiæ 11. S. Thom. Durand.*

14. Qui verò actus timoris filialis in patria perseverent, facilè definiri potest ex dictis in 1. disp. non enim manebit actus, qui versatur circà malum possibile attenta conditione beatorum, sed alius, quem ponit S. Thomas artic. 11. quo scilicét considerata malitia peccati, quòd secũdùm se est possibile creaturæ rationali, illud inefficaciter timent. Deniquè manebit ille timor reverentialis, qui circà malum non versatur, ut ibi dictum est cum gravibus Theologis; nulla autem huic timori anxietas erit adiuncta, quia ea non decet statum perfectæ fælicitatis. *S. Thom.*

15. In fine disputationis notandum est, cùm habitus timoris servilis inclinet etiam ad aliquos actus non dicentes imperfectionem, v.g. ad amorem bonæ conscientiæ, quam habet beatus in ordine supernaturali, posse optimè dici manere talem habitum, licèt non sub denominatione timoris servilis; id enim meritò negant Doctores.

DISPVTATIO V.

De præceptis timoris, & vitijs illi oppositis.



1. Anctus Thomas q. 22. art. 2. rectè docet, esse præceptum timendi Deum. Colligitur ex Deuteron. cap. 10. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum*: & multis alijs locis Scripturæ. ¶ Conclusionem hãc bene explicat Dominicus Bañez dicens, præceptum timoris servilis sufficienter impleri ab eo, qui eliceret actus timoris filialis; quãdo verò timor servilis foret necessarius ad peccata *S. Thom. Deut. 10. Bañez.*

detestanda

detestanda in tempore, quo obligat præceptum contritionis; tunc esset obligatio eliciendi actum timoris servilis, sicut & in tẽpore, in quo sinè tali timore non posset vitari aliquod peccatum.

2. De timore filiali censet probabile, non esse speciale præceptum distinctum à præceptis charitatis, & aliarum virtutum, quibus si quis observet legem Dei, sufficienter creditur satisfacere præcepto timoris: & idem placet alijs. Quando verò ad vitanda peccata foret necessarius timor filialis, ille obligaret, sicut & præcepta aliarum virtutum. Vide Valenciam to. 3. disput. 2. quæst. 4. p. 2. ubi bene ostendit non esse speciale præceptum timoris, quia timorati non solent se accusare de tali crimine.

Valent.

DISPVTAT. VLT.

Vtrùm timor mundanus sit semper malus, atquè adeò oppositus timori Dei.

1. *S.Thom.* RES est facillima, & bene explicatur à S. Thoma art. 3. Dico ergò timoré mundanum accipi posse dupliciter; uno modo ut significat timorem malorum temporalium, ratione cuius homo deserit Deum; & hic semper est malus, ut patet, prohibeturq; à Christo Domino Matthæi 20. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. altero modo prout significat timorem malorum temporalium, quæ re vera digna sunt timore, & nihil involvunt contrà legem Dei; & hic timor non est ex se malus, sed potest esse bonus si debitè eliciatur; sic enim Christus Dominus timebat mortem, & naturalissimum est homini timere mala fortunæ, etiam ut possit Deo inservire animo tranquillo; sed quoniam nomen timoris mundani in malam partem accipi videtur, rectè dixit S. Thomas absolutè timorem hunc esse malum.

Math.20.

S.Thom.

2. Timori Dei directè videtur opponi audacia inordinata, sub qua comprehendi possunt superbia, quæ iuxta dicta in 2. disputat. opponitur dono timoris; & actus quo quis audacter aggredi vellet offensam Dei posthabito divino honore, & timore pœnarum, qui opponútur charitati, religioni, & habitui attritionis, ad quẽ diximus disput. 4. pertinere timorem servilem, sicut filialis pertinet ad religionem, & charitatem.

COMMENTARIVS IN quæst. 20. 21. & 22.

IN quæst. 20. tractat Sanctus Thomas de primo vitio opposito spei, scilicèt de desperatione: docetquè in articulo primo desperationem esse peccatum in viatoribus, non verò in damnatis, quibus iam est impossibilis beatitudo. In secundo definit, desperationem esse posse sinè infidelitate. In tertio, desperationem non esse maximum peccatorum; & in quarto oriri hoc vitium ex accidia, & luxuria. ¶ In q. verò 21. agit de secundo vitio opposito spei, scilicèt de præsumptione; & hanc dicit in art. 1. consistere in spe inordinata, qua nimirùm, quis plùs sperat à Deo, quàm secundùm ordinem suæ providentiæ scitur esse concedendum. In secundo definit præsumptionem esse peccatum. In tertio, præsumptionem magis propriè opponi spei, quàm timori. In quarto, præsumptionem oppositam virtuti spei oriri ex superbia. ¶ In q. 22. statuit homines obligari præceptis spei, & timoris.

TRACTATVS IIII.

De præceptis pertinẽtibus ad virtutem spei, & de vitijs illi oppositis.

DISPVTATIO I.

Vtrùm aliquo præcepto teneamur sperare, & quonam tempore illud obliget?

1. S. Thom. Anctus Thomas in art. 1. q. 22. rectè docet homines obligari præcepto spei ad eliciendum illum actum, quo voluntas erigitur ad beatitudinem,& ad media, quæ sunt necessaria ad eius adeptionem. Et quidem ea obligatio dupliciter colligi potest ex Scriptura. Primò, quatenus in illa absolutè monemur sperare, & ad sperandum incitamur: Psal. 36. Psalm. 36. *Revela Domino curam tuam, & spera in eo.* Psal. 62. Psalm. 62. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* & in Matth. 9. Math. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Secundò quatenus proponuntur nobis præmia, ut ita erigatur mens ad illa obtinenda. Gen. 15. Genesis 15. *Ego merces tua magna nimis:* & multa alia. Ratione etiam id ipsum persuadetur, nam actus virtutum Theologicarum sunt præcipuè intenti à Deo, tanquam media necessaria ad salutem; sed de omni medio necessariò ad salutem habetur præceptum, illudquè graviter obligans, ergo de actu spei. Confirmatur, nam actus spei valde necessarius est, ut homo observet mandata Dei,& ab illo postulet auxilia ad salutem necessaria; qui enim æternam fælicitatem non speraret, difficillimè certè erigeretur ad superandas tot tentationes, & molestias præsentis vitæ, & ad se continendum in officio, spretis sæculi voluptatibus; unde Regius Psaltes, Psal. 118. *Inclinavi* (inquit Psalm. 118.) *cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* S. Ambr. *Qui enim* (inquit S. Ambrosius in prædictum Psalmum) *retributionem bonorum operum sperat à Christo, & ad eum festinat: inclinat cor suum ut faciat Christi iustitias,* ergo sicut observatio mandatorum obligat, ita etiam & actus spei.

2. Circà tempus verò, quo illud obligat sub mortali, vix potest aliquid certò definiri. Breviter tamē sentio primò illud non semper obligare, quia id est commune omni precepto affirmativo, ut non obliget quocumque tempore. Secundò, quādo necessarium foret sperare ad superandam aliquam gravem tentationem, aut ad debitè orandum Deum quando obligat orationis præceptum; tunc certè videtur obligare præceptum spei. Tertiò, quando quis accedit ad fidem, & illam suscipit, videtur obligari ad sperandum. Probatur, quia actus spei, sicut & fidei est veluti fundamentum ædificij spiritualis, & sine quo vix poterit homo incitari, ut summam legis gratiæ integritatem profiteatur, ergo quando homo legem hanc amplectitur, tenebitur elicere actum spei: & propterea Paulus ad Hebræos 11. ad Heb. 11 *Accedentem ad fidem* dixit, *oportere credere Deum esse remuneratorem,* quia scilicet id spem excitat, & animum erigit ad bene sperandum. Vnde Theodoretus Theodor. explicans prædictum locum Pauli affert exemplum agricolæ, *Qui* (ut ipse ait) *in agro colendo sudores non toleraret, nisi se laborum fructus relaturū speraret.* ita ergo &c. Quartò etiam Tridentinum Trident. sess. 6. cap. 6. spem veniæ numerat inter dispositiones ad iustificationem adulti: ex quo colligitur ad contritionem requiri actum spei,& ita quoties obligaverit præceptum contritionis, obligabit etiam actus spei saltèm virtualiter habitus. Præter hæc autem, aut similia tempora non occurrit aliud, in quo videam gravem obligationem.

3. Advertenda sunt duo in fine disputationis, unum est hoc præceptū, cùm sit supernaturale, debere impleri eliciendo actum spei supernaturalem; verùm quoniam certo non constat homini, quando eliciat actum supernaturalem, excusabitur ab obligatione huius præcepti, si ipse sibi proponat obiectu supernaturale spei, & conetur circà illud elicere actum; quamvis enim in re ipsa non evaderet talis actus supernaturalis, id non tribueretur ei vitio, sed ignorantiæ invincibili, qua nescit certo quando actum supernaturalem eliciat. ¶ Alterum est, licet obligemur sperare, sufficienter tamen satisfieri præcepto, si quis ob motivum charitatis speraret, quamvis nunquam eliceret actum ob proprium motivum virtutis spei. Patet hoc, quia in 1. tractat. disp. 3. ad finem dicebamus, virtus charitatis sperare potest, quidquid sperat virtus spei; ergo nobiliori modo erigit voluntatem ad beatitudinem, ac

proinde excellentiùs præstat id, ad quod necessarius est actus spei: qui verò charitatem non haberet, aut non se experiretur promptum ad sperandum ex charitate, teneretur sperare ob motivum spei.

DISPVTATIO II.

An sit præceptum non desperandi, & quæ sit natura desperationis oppositæ virtuti spei.

1.  Esperatio est actus voluntatis, aut appetitus omnino oppositus alteri, qui propriè dicitur spes iuxtà suprà dicta: sicut enim spes est erectio animi in bonum arduum, ita desperatio est deiectio eiusdem animi à tali bono, quasi se superari sinat ab arduitate, quæ occurrit in illius adeptione. Vnde in præsenti materia, desperatio erit deiectio animi à consecutione Dei boni nostri ardui adipiscibilis; sivè deijciatur animus à tali consecutione intuendo difficultatem recipiendi divinum auxilium; sivè considerando propriam fragilitatem, quæ non cooperabitur divino auxilio in ordine ad beatitudinem.

2. *S.Thom.* Observandum autem est id, quod non obscuré colligitur ex doctrina S. Thomæ quæst. 20. artic. 1. corp. ad tertium dupliciter posse aliquem desperare de adeptione summi boni nostri, uno modo, quia licèt adeptio sit possibilis, repræsentatur tamen difficilis; & dum ab ea difficultate se finit voluntas superari, cadit in desperationem: altero modo, quia adeptio est impossibilis; qua ratione damnati desperant, eò quòd certò noverint iam illis denegari à Deo auxilium, quo tendere possint ad æternam fælicitatem. Et quidem licèt isti duo actus elici possint à voluntate propter idem motivum formale, ut si quis propter bonitatem, quam invenit in non aggrediendiendo res difficiles, vellet desperare de adeptione boni sibi possibilis, aut impossibilis; si tamen attendantur proximę, & magis proportionatæ rationes, quæ ad istos actus allicere solent, negari non potest, quin habeant obiecta formalia aliquo modo diversa; nam obiectum formale desperationis, qua viator desperaret de adeptione Dei ut summi boni sibi possibilis, habet pro obiecto formali ipsum Deum ut summum bonum sibi possibile: idem enim omnino obiectum respiciunt spes, & ista desperatio, illa quidem superando difficultatem intuitu talis boni, hæc verò cadendo à tanto bono, in cuius adeptione invenit arduitatem: at verò illa altera desperatio non respicit Deum ut bonum possibile, sed potiùs impossibile desperanti; atquè bonitatem, quę repręsentatur in Deo ut impossibilis, seu ut non potest obtineri, habet pro obiecto formali, & re vera non est iste desperationis modus, tam proprius, quàm ille prior.

Dico primò, desperatio in priori acceptione est ex genere suo peccatum mortale contrà virtutem spei, non verò in posteriori acceptione. Sic Sanctus Thomas artic. 1. & quoàd posteriorem partem facilè suadetur conclusio: nam nullum vitium, est quo deijciatur animus, & desperet consequi, quando rem sperandam obtinere non potest. Priorem verò probat, quia desperatio correspondet illi iudicio intellectus, quo quis iudicaret Deum non dare gratiam, & gloriam peccatori pænitenti; sicut spes correspondet iudicio, quo iudicant fideles, Deum esse paratum ad hæc bona donanda postulantibus; ergo sicut illud primum iudicium, quòd scilicèt Deus deneget veniam falsum est, & inordinatum, atquè adeò peccatum læthale, ita etiam erit intrinsecè mala desperatio, & peccatum mortale: hanc rationem non ita intelligit Sanctus Thomas, quasi omnis, qui desperat, habeat prædictum iudicium; sic enim omnis desperans esset hæreticus, quod ipse negat in articulo secundo. Solùm ergò vult perinde se habere ex parte motus voluntatis eum, qui desperat, ac si intellectus illam falsitatem crederet esse veram; deinde probatur conclusio, quia maximam iniuriam irrogat Deo, qui diffidit, se consecuturum veniam à tam liberali Domino, quiquè tam expresśè illam promisit in Scriptura, & sanguinem 3. *S.Thom.*

suum fudit in pretium nostræ redemptionis, est ergò ex genere suo peccatum læthale, quamvis per accidèns posset esse veniale in eo, qui absq; sufficiēte, & plena advertentia desperaret.

4. Dico secūdò, per actū desperationis, qui fit peccatū mortale, destruitur charitas, & omnis habitus supernaturalis, excepta fide. Et quidem charitas, & gratia simul cum virtutibus moralibus deperdūtur per desperationem, sicut & per quodcumque aliud peccatū læthale. Deinde habitus spei destruitur, quia desperatio est directè illi opposita; & hoc est proprium fidei, & spei, quod expellantur ab actibus, qui directè opponuntur illis, non verò à quocumque peccato læthali. Tertiò licèt, quando amittitur habitus fidei, destruatur habitus spei, eò quòd fides sit fundamentum illius, non tamen contrà; quia rectè potest quis desperare, & esse fidelis, licèt enim deijciatur animus, & ob difficultatem adeptionis cadat, nō propterea credit sibi esse impossibilem, aut à Deo non concedēdam gratiam, & gloriā pænitentibus.

5. *S. Thom.* S. Thomas in art. 2. probat, posse esse desperationem sinè infidelitate; atquè adeò sinè amissione fidei; quia rectè potest intellectus non errare circà universalem veritatem, qua credit, esse remissionem peccatorum in Ecclesia, licèt erret circà particularē ueritatem remissionis suorum peccatorum, dum de illa desperat: quæ ratio non ita intelligenda est, quasi ille, qui desperat, iudicet sibi non esse oblatam à Deo remissionem peccatorū, si ipse voluerit cū Dei auxilio pænitere; hoc enim iudicium etiam esset contrà fidē, quæ cuicumque homini docet nō denegari remissionē, si ex corde pæniteat; atq; adeò, si illud foret necessariū ad desperandū, hæreticus esset omnis desperans: solùm ergò vult S. Thomas, eum, qui desperat, habere errorē practicū circà suā particularem salutem; licèt enim iudicet hominibus offerri veniā, ipse tamen dum desperat, ita se gerit in praxi, ac si crederet, sibi non esse promissam veniam á Deo.

6. Notanda sunt duo circà prædictam conclusionē; unum est, cū dicimus destrui spē supernaturalē per actū desperationis, nō ita esse intelligendū, quasi desperatio, & habitus ab eo productꝰ physicè expellant habitū spei supernaturalis; nā inter habitū naturalē, & supernaturalē non est physica contrarietas, ut in 1. 2. controversia 4. dictū est. Solū ergò expellit moraliter, quatenùs scilicèt naturæ spei supernaturalis cōsentaneum est, ut in desperante nō permaneat; cū habitu verò naturali spei, qui generatur in nobis medio actu spei naturalis, habebit physicam repugnantiam habitus desperationis, iuxtá communem doctrinam de contrarietate habituum declaratam in loco proximè relato. ¶ Alterum est, peccatū desperationis quandiù defectu perfectæ libertatis non fuerit mortale, sed veniale, non expellere habitum spei supernaturalis; quia non solū spes, aut fides, sed etiam omnis habitus supernaturalis non expellitur, nisi per peccatum læthale; habitus verò spei naturalis, saltèm quoàd aliquam partem, expelli poterit per desperationē, quæ sit peccatum veniale, de quo loco citato.

Dico tertiò, desperatio est minùs grave peccatū, quàm infidelitas, & odiū oppositū virtuti charitatis; sed gravius est, quàm peccata contra virtutes morales. Conclusio est S. Thomæ art. 3. & quoàd posteriorem partē probat, quia cùm virtutes Theologicæ immediatè respiciāt Deū; vitia, quæ directè illis opponūtur, immediatè, & directè avertunt à Deo; quod nō cōvenit vitijs oppositis virtuti morali: cū ergò præcipua gravitas peccati cōsistat in aversione à Deo, cōsequens est, peccata cōtrà virtutes Theologicas esse ex suo genere graviora. Prior verò pars etiā persuadetur ab eodem Sancto Doctore in hūc modū: odiū Dei, & infidelitas magis opponūtur Deo, quā desperatio, ergo sunt graviora peccata; patet consequentia: quia, quod magis avertit nos à summo bono, est magis malum. Antecedens verò probatur, quia infidelitas ipsam Dei veracitatē non credit, & odium immediatè opponitur bonitati Dei, cuiꝰ destructionē vult; desperatio verò respicit Deum, ut participatur à 7. *S. Thom.*

nobis,

nobis, & ita non tam recedit ab ipso, quàm ab eius participatione. Addit tamen bene S. Thomas, desperationem esse periculosiorem, quã odiũ, & infidelitatẽ; quia per spem revocamur à malis, & erigimur ad prosecutionẽ bonorum, & utrumque præcludit desperatio; qui enim credit, sed non sperat, valdè difficile se in officio continebit; qui verò est infidelis, poterit saltè per naturalẽ aliquã spem erigi, ut in aliquã alterius vitæ fælicitatem tendat, & eius spe licèt vana, abstineat ab aliquibus voluptatibus.

8. Caietanus ad art.3. rectè dubitat, quo pacto S. Thomas ibi dicat infidelitatẽ esse contrà Deum, ut est in se, cùm tamen fides non respiciat Deum, nisi ut loquentem nobis, iuxtà ea, quę ipse dixerat q.17.art.6. sed respõdet optimè, Deũ dupliciter respici à fide; uno modo quatenus est ille, cui creditur; altero modo quatenus est id, quod creditur: & quidẽ fides, prout credit Deo, respicit ipsum ut loquẽtẽ nobis, prout verò credit Deũ esse, & esse bonũ &c. respicit ipsum Deũ secundũ se; ac proinde infidelitas opposita fidei etiã opponitur Deo secundũ se, seu in se ipso.

Caiet.vi.

9 Ex dictis colligitur solutio difficultatis, quæ in priori parte tituli disputationis proposita est; an scilicèt sit pręceptum non desperandi, constat enim, hoc esse pręceptũ, illudq; graviter obligare, quãdiù homo est in via; nã damnati sinè vitio desperant, cùm illis sit omninò præclusa salutis via.

10. Vna superest difficultas circà dicta in hac disputatione; quo scilicèt pacto desperatio posSit esse vitiosa, cùm iuxtà dicta habeat pro obiecto formali Deũ, ac proinde videatur esse eiusdẽ speciei cum actu spei, nec possit illi esse contraria. Respondetur tamèn hoc facilẽ explicationem habere; licèt enim desperatio respiciat Deum, respicit tamen illum deordinato, & vitioso modo. Ex quo fit, habere modũ tendẽdi essentialiter diversum á modo tendẽdi spei; esseque proinde specie, imò genere ab illa distinctã, & ita esse posse contrariã virtuti spei. Neq; novũ est circà idem obiectum formale reperiri actus genere distinctos, propter diversum modũ tendendi; nam actus naturalis, & supernaturalis circà idem omnino bonum versantes distinguuntur genere; & qui vellet orare propter Deum haberet idem obiectũ formale, quod habet ille, qui vellet propter Deũ mentiri; eò quòd vincibili ignorantia credat id expedire ad Dei gloriam; & tamen isti duo actus distinguuntur genere, eò quòd unus sit bonus, alter malus, & inordinato modo tendens ad Deum: ita ergo &c. Prætereà, circà idẽ obiectũ formale possunt esse actus contrarij, v.g. ob eandem Dei bonitatem potest quis modo velle orare, & postea non orare; non ergò mirùm est, si spes, & desperatio circà idem obiectum versantes sint contrariæ, cùm tẽdant modo omnino opposito: & hoc ipsum notandum est in vitio præsumptionis statim explicando, cùm sit eadem omnino ratio.

DISPVTATIO III.

Quo pacto præsumptio opponatur virtuti spei, ubi an distinguatur specie à desperatione, & possit esse absquè infidelitate.



Ræsumptio propriè loquẽdo significat idem, quod immoderata spes, id est, motum volũtatis, quo nimiũ aliquis sperat; & qui- 1.
dẽ hęc immoderata spes potest versari circà bona creata, ut si aliquis speret honorẽ suprà vires suas, quasi nimiũ sibi cõfidens; & hoc est speciale vitium præsumptionis, de quo agit S.Thom. 2.2.q 130. opponiturq; virtuti magnanimitatis, cuius munus est versari circà res magnas cõparatione naturæ humanæ, id est, circà honores, illos moderatè, & iuxtà proprias vires aggrediẽdo, iuxtá doctrinam illius in q. 129. art. 1. deinde potest præsumptio versari circà Deum ut bonũ nostrum, & circà media, prout ad illi' adeptionẽ referũtur, & de hac agimus in præsenti.

2. *S. Thom.* Dico primò, præsumptio est ex genere suo peccatum mortale contra virtutem spei. Sic S. Thomas q. 21. artic. 2. & probatur declarando duplicem actum præsũptionis istius: unus est, quo quis speraret gloriam, aut veniam peccatorum obtinendam absquè pœnitentia, aut alijs medijs à Deo præstitutis secundùm ordinem suæ iustitiæ, vel misericordiæ; & hic est intrinsece malus: tum quia correspondet iudicio falso intellectus, quo quis crederet sibi remittenda peccata sinè pœnitentia: tum quia expresè contradicit divinæ voluntati, quæ nullum vult ad gloriam admittere sine prædictis medijs; tum denique, quia ut ait S. Thomas art. 1. ad 1. qui hoc modo speraret, irrogaret iniuriam Deo, diminuendo scilicet eius virtutem: circà quam rationem optimè notat Caietanus, quòd licet, qui sperat gloriam v. g. sinè meritis, quodãmodo videatur augere divinam virtutem, & extollere Dei misericordiam; aliunde verò diminuit in ordine ad effectus, quos divina providentia præfinivit; vult enim ut Deus solùm sua misericordiam, aut iustitiam ostendat in donanda gloria, non verò in donandis meritis, quorum corona sit ipsa gloria.

Caietan.

3. *S. Thom.* Alter actus præsumptionis est, quo quis proprijs viribus speraret gloriam obtinere, & quamvis S. Thomas art. 1. dicat, hanc præsumptionẽ opponi magnanimitati, intelligendus est iuxta dicta initio disputationis, scilicet de præsumptione tendente ad bonum creatum; nam si tendat ad Deum ut bonũ nostrum, opponitur virtuti spei, quæ tendit, ad beatitudinem innitens auxilio divino, & non proprio. Et quidem hunc actum esse ex genere suo grave peccatum, facilè etiam probatur primo, quia sequitur erroneum iudicium, quod nimiùm absquè divino auxilio sit nobis possibilis adeptio beatitudinis supernaturalis. Secundò, quia omnino contrarius est ordini divinæ sapiẽtiæ, & maximam in tanta re superbiam præsefert.

4. Ex hac cõclusione infertur, ab actu præsumptionis, qui sit mortale, expelli habitum supernaturalem spei ad eum modum, quo diximus expelli ab actu desperationis; cùm utrumque vitium verè sit illi contrarium: quòd si præsumptio ratione indeliberationis, aut aliunde non pervenerit ad malitiam mortalem non expelletur; rursus nota, ab actu præsumptionis produci naturalem habitum, qui expellat habitũ acquisitum spei iuxta dicta in simili de desperatione.

Dico secundò, probabile videri, actum præsumptionis non distingui specie ab actu desperationis. Probatur, quia sicùt desperatio habet pro obiecto formali Deum ut bonum nostrum, iuxtà suprà dicta, ita & præsumptio; fertur enim ad nostram beatitudinẽ, quãvis simul respiciat obiecta materialia vitiosa; quatenùs tendit ad gloriam sinè meritis, aut sinè auxilio divino; ergo habent ista duo vitia idem obiectũ formale, ergo non distinguuntur specie. Probatur consequentia, quia quãdo duo actus voluntatis habent idem obiectum formale, non distinguuntur specie, nisi habeant diversum modum tendendi; qua ratione desperatio, & præsumptio distinguuntur essentialiter ab spe, quia ista tendit ad Deum modo ordinato, illæ vero duæ tendunt vitiosè, ergo cùm præsumptio, & desperatio inordinatè tendãt ad Deum, nec sit alia diversitas in modo tendendi, nõ distinguentur, nisi materialiter. 5.

Dicet aliquis, præsumptionem tendere ad Deum innitendo proprijs viribus; desperationẽ verò cadere ab eius assecutione; qui duo modi videntur essentialiter diversi. Occurrendũ tamen est, hanc diversitatem solùm esse materialem; nam sicùt auxilium divinum, cui innitur spes, seu Deus ut auxiliator, pertinet ad obiectum materiale, iuxtà dicta in 1. tract. disp. 1. ita etiam propriæ vires, quibus innititur præsumptio, non pertinent ad eius obiectum formale: quòd verò desperatio cadat à consecutione boni, etiã est quid materiale, sicùt & quòd spes erigat animum ad beatitudinis adeptionem. 6.

Alia minutiora videantur in S. Thoma. Solùm est expedieda hoc loco brevis difficultas, an scilicèt præsumptio possit esse sinè infidelitate. Ratio dubitandi est, actum præsumptionis esse 7. *S. Thom.*

efficacem

efficacem intentionem beatitudinis obtinendæ finè meritis, aut etiam proprijs viribus, & finè Dei adiutorio; ficut spes est etiã efficax volitio beatitudinis per divinum auxilium, &c. ergo ficùt non poteft sperare, qui non iudicat fibi esse possibilem beatitudinem per divinum auxilium, ita nec poteft præsumere, nisi iudicet fibi esse possibilé finè meritis, & finè Dei adiutorio; fed hoc iudicium eft hæreticum, atquè adeò reddit hominem infidelem, ergo præsumptio non poteft esse absqué infidelitate.

8. Refpondetur, per fe loquendo verũ esse id, quod ratio dubitandi concludit; per accidens verò poteft esse præsumptio finè infidelitate. Primò, in eo, qui tam infcius esset Catholicæ religionis, & naturæ beatitudinis, ut inuincibiliter crederet, fibi esse possibilem gloriam finè meritis, & divino auxilio; is enim ficùt non peccaret id credendo, ita nec amitteret fidem. Secundò etiam in eo, qui ignorantia vincibili laboraret, ita ut mortaliter peccaret iudicando fibi esse possibilem beatitudinem finè meritis, quia non fecit debitum examen, ut veritatem nosset; nontamen id pertinaciter assevera ret: & is quidem præsumere posset, cùm habeat prædictum iudicium, non tamen amitteret fidem, quia ad hoc requiritur pertinacia, & non sufficit error utcumquè vitiofus cõtrà veritates fidei; de quo suprà in controverfia de fide.

DISPVTATIO IIII.

An fint alia vitia oppofita virtuti fpei.

1. VM in primo tractatu oftẽderimus, ad virtutem fpei pertinere amoré, defideriũ, & alios actus, qui tendũt ad Deum ut bonum noftrum, tanquam ad obiectum formale, & defperatio, ac præfumptio folùm opponãtur illi præcipuo actui, quo quis erigitur, ut ordinato modo fperet beatitudinẽ; videndum eft, an fint alia vitia oppofita fpei ratione aliorum actuum.

Qua in re breviter fentio, omnes illos actus efficaces, qui fuerint oppofiti alicui actui elicito à virtute fpei, & pervenerint ad peccatum mortale, esse contrà fpem, & habitum eius deftruere. Probatur, quia prædicti actus funt finè dubio vitiofi, & contrarij actibus, ad quos per fe inclinat fpes; ergo. Loquor autem de actibus efficacibus; quia inefficax difplicentia de aliquo obiecto non pugnat cum actu efficaci amoris illius; ac proinde non videtur fufficiens ad expellendam virtutem fpei; maximè cùm ea fimul cum virtute fidei fit fundamentum vitæ fpiritualis. 2.

Ex qua doctrina infertur; eum, qui odio profequeretur Deum ut bonum noftrum, amittere habitum fpei; patet, quia ille actus opponitur amori concupifcẽtiæ, qui efficitur ab fpe; imò cùm talis amor fit per fe neceffarius ad eliciẽdum actũ, qui propriè dicitur fpes, iuxta dicta in tract. 1. difp. 4. Ille, qui haberet prædictum odium, non poffet fperare; ergo amitteret actum fpei. Nota tamen, hunc actum odij diftingui fpecie, imò & genere à defperatione, & præfumptione, quia iftæ habent bonitatem Dei pro obiecto formali; odium verò Dei non poteft habere ipfam bonitatem Dei pro motivo, cùm non hæc, fed aliquid aliud inclinet ad odium tanti boni. 3.

Finis controverfiæ de Spe.

TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS DE VIRTVTE CHARITATIS, & vitijs illi oppositis. Ad viginti quatuor quæstiones, scilicèt à 23. ad 46.

PRÆFATIO.

QVOD de charitatis laudibus Apostolus ad Corinthios scribens longo sermone prosecutus est, id ipsum Ecclesiæ Patres brevioribus verbis complectuntur. Sanctus enim Chrysostomus Homil. 1. de incomprehensibili Dei natura, charitatem appellat bonorum omnium caput, radicem, fontem, atquè parentem: *& in Concilio Lateranensi sessione 4. tom. 5. Concil.* virtutum omnium fons, & origo *amandi virtus nuncupatur. Et eleganter S. Augustinus, seu quicumque alius sit author libelli de substantia divinæ dilectionis tom. 4. cap. 1. in mystica paradiso, qui homo est, medium locum designat cordi humano, unde fons amoris erumpit; & subdit,* duo sunt rivi, qui de fonte amoris emanant, cupiditas, & charitas; & omnium malorum radix cupiditas, & omnium bonorum radix charitas. *Nos divinis auspicijs utriusque rivi aquam degustabimus in decursu controversiæ, quam aggredimur; charitatis quidem, ut illius dulcedine, atquè virtute mirabili allecti reficiamur; cupiditatis verò, ut illius salsedine percepta, solo cælestis aquæ potu sitim extinguere exoptemus; ita fiet, ut quæ ad charitatis naturam, & ad vitia charitati contraria spectant, de quibus hoc loco S. Thomas disserit, explicentur: & simul ad informationem vitæ, virtutis amorem, ac vitij detestationem aliquid utilitatis hauriamus.*

Chrysost. Lateran. S. August.

PARTI-

PARTITIO ISTIVS *Controversiæ.*

VNiversa, quæ de charitate, & vitijs illi oppositis explicat S. Thomas, quindecim tractatibus, iuxtà quæstionum, & articulorũ eius seriem complectemur. In primo differetur de habitu charitatis. In secundo, de causa efficiente, & recipiente habitum charitatis. In tertio, de causa eundem habitum augente. In quarto, de causa diminuente, & destruente. In quinto, de causa finali, & formali habitus charitatis. In sexto, de obiecto materiali habitus charitatis. In septimo, de ordine, quo obiecta cadunt sub habitum charitatis. In octavo, de effectu habitus charitatis, scilicèt illius actu, præsertim quatenùs ad Deum tendit. In nono, de eodem proút ad bonum proprij subiecti spectat. In decimo, de actu charitatis proút respicit bonum proximi. In undecimo, de illo speciali actu charitatis, quo subvenitur proximo elargitione elemosynæ. In duodecimo, de alio actu, quo succurritur proximo corrigendo defectus illius. In decimo tertio, de vitijs oppositis charitati, præsertim de bello, & scandalo. In decimo quarto, de præceptis ad charitatem pertinentibus, quæ hactenùs explicata non sunt. In decimo quinto, de dono Spiritus Sancti, quod respōdet virtuti charitatis, scilicèt sapientia; & de stultitia illi opposita.

COMMENTARIVS IN quæstionem 23.

IN hac quæstione differit S. Thomas de virtute charitatis secundùm se. & in art. 1. concludit, charitatem esse amicitiam quandam hominis ad Deum. In secundo, docet charitatẽ esse aliquid creatum, id est, supernaturalem habitum, quo voluntas ad amorem inclinetur. In tertio, definit charitatem esse virtutem. In quarto, esse specialem virtutem. In quinto, esse unam unitate specifica propter unitatẽ obiecti formalis. In sexto, esse virtutem omnium excellentissimã. In septimo docet sinè charitate non posse reperiri perfectam virtutem, benè tamen in aliquo statu imperfecto. In octavo, concludit charitatem esse formam virtutum.

TRACTATVS I. De habitu supernaturali virtutis charitatis.

DISPVTATIO I.

Vtrùm Deus infundat iustis aliquem habitum, qui rectè charitas nuncupetur. Vbi an illi respondeat alius acquisitus.



ESSE in homine iusto actũ inhærentẽ, quo diligat Deũ supernaturalem authorem, disponaturquè ad iustificationem, & illius, ac gloriæ augmentum mereatur, indubitatum est. I.
Magister verò in 1. dist. 17. latissimè cōtendit, inter charitatem, & cæteras virtutes esse singulare discrimen; quod nimirũ ad istarum actus eliciẽdos infundat Deus habitum, seu donum creatum, quo homo elevetur, & proportionetur; ad diligendum verò Deum non ita; sed Spiritus Sãctus immediatè per se ipsum evehat iustũ, ut eiusmodi actum eliciat. *Magist.*

2. Dicendum tamen est, iustis infundi à Deo habitum, qui verè illis inhæreat, & conferat potestatem proportionatè eliciendi actum amoris Dei, & alios ad virtutem eandem pertinentes. Sic S. Thomas in art. 2. ubi omnes eius Interpretes, & Scholastici in 1. distinct. 17. præsertim vide Albertum, Petrum, S. Bonaventuram, Richardum, Scotum, Aegidium, & Durandum, quos refert Carthusianus ibi quæst. 1. omnes enim, tum hi, tum alij unanimi consensu Magistri doctrinam in hac parte confutarunt. Et quàmvis dubium sit inter recentiores, quanta sit huius nostræ assertionis certitudo, nos in 1. 2. controversia de habitibus disputat. 2. probabiliùs existimavimus, ex fide certum esse, infundi iustis habitus fidei, spei, & charitatis: omissisque varijs Scripturæ, & Patrum testimonijs, quæ in huius rei confirmationem possunt legi in Gregorio de Valencia tom. 3. disput. 3. quæst. 1. §. 2. maximè urget authoritas Concilij Tridentini, quod cùm in sessione 6. cap. 6. explicavisset dispositionem ad iustificationem adulti requisitam, quæ complectitur actus fidei, spei, dilectionis, &c. subdit in cap. 7. *hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum:* ubi planè agit de donis, quæ ab actibus distinguantur. Et infrà ait; *Homines effici iustos, dum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione hæc omnia simul infusa accipit homo fidem, spem, & charitatem.* Et Can. 11. *Si quis dixerit homines iustificari, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, anathema sit.* Constat ergò definiri à Concilio, infundi iustis donum charitatis ipsis inhærens, ac proinde creatum, & distinctum ab Spiritu Sancto, qui Deus verus est, & nulli inhærere potest: cumque donum hoc non sit ipse actus, ut dictum est, non potest aliud esse, quám habitus ad actum eliciendum inclinans, de quo in assertione nostra sermo est.

S. Thom · *Scholast.* · *Carthus.* · *Valenc.* · *Trident.*

3. Sed objicit Magister testimoniū Ioannis Apostoli in 1. Can. cap. 4. dicentis, *Deus charitas est*: quod quidem non ita explicari potest, ut propterea Deus dicatur charitas, quia efficiat charitatem in nobis, sicut dicitur spes nostra, & patientia nostra; id enim expressè confutat S. Augustinus to. 3. lib. 15. de Trinitate cap. 17. *Hunc* (inquit) *sensum facilè refellit Scripturarum ipsa locutio; tale est enim, tu es patientia mea, quale est, tu es Domine spes mea, misericordia mea, & multa similia; non est autem dictum Domine charitas mea, sed ita dictum est; Deus charitas est, sicut dictum est, Deus spiritus est: hoc qui non discernit intellectum à Domino, non expositionem quærat à nobis; non enim apertiùs quicquam possumus dicere, Deus ergò charitas est.* Hactenùs Augustinus, qui in alijs locis à Magistro relatis differtè testatur, Deum esse ipsam dilectionem.

1. Ioan. 4 · *S. August.*

4. Respōdetur, verum quidem esse, quod S. Augustinus affirmat; scilicèt non solùm dici Deum charitatem, quia in nobis illam efficiat, sed etiam quia verè charitas est; nam Deus est amor non solùm essentialis, qui communis est Trinitati, sed etiam personalis; quia tertia sanctissimæ Trinitatis Persona peculiari titulo Charitas, seu Amor nuncupatur: non autem negat Sanctus Doctor, præter hanc charitatem increatam, quæ secundùm Ioannem Apostolum Deus est, infundi iustis aliam creatam, qua mediante evehatur nostra voluntas ad amandum Deum: ipse enim in tom. 3. lib. de spiritu, & littera cap. 32. *Charitas* (inquit) *Dei dicta est diffundi, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicùt fides Iesu Christi, qua nos fideles facit.* Elegantèr etiam S. Bernardus in tractatu de diligendo Deum, non longè à fine, utramque charitatem distinguit explicans locum Ioannis Apostoli: *Dicitur* (inquit) *rectè charitas, & Deus, & Dei donum; charitas dat charitatem, substantiva accidentalem: ubi dantem significat, nomen substantiæ est; ubi donum, qualitatis.*

S. Bernar.

5. Secundò objicit sibi S. Thomas in argum. 3. charitatis effectus in animis iustorum est infinitus; sed nullus habitus creatus potest conferre effectum infinitum, ergo charitas non est habitus

creatus.

creatus. Maior probatur, quia charitas cōiūgit hominem Deo infinito, & tribuit illius ad præmiū infinitū. Minor patet, quia omnis habitus creatus, sicut & omnis alia creatura finitam virtutem habet. Respondet Sanctus Doctor, licét charitas non sit infinita, tribuere posse effectum infinitū; quia hic refertur ad efficacitatem agentis illam infundentis, nempè Dei, qui infinitus est: in cuius solutionis explicationem multa dicit Caietanus maiori subtilitate, quàm necessitate. Facilis enim, & expedita solutio est, effectum formalem charitatis esse quidem infinitum secundū quid, quatenùs coniungit nos Deo infinito, & ius confert ad æternam gloriam, & quatenùs est omnino supernaturalis requirens in causa producente, scilicet Deo, virtutem infinitam: absolutè verò, & simpliciter esse finitum; quatenùs forma, à qua provenit, est simpliciter finita: sic enim unio hypostatica in entitate sua finita est, licet coniungat humanitatem Deo infinito, & sit radix meriti infiniti: nec hoc est contrà S. Thomam; qui, ut bene hic notat Caietanus, non maiorem infinitudinem admittit in effectu formali charitatis, quā in ipso habitu charitatis, id enim est impossibile; sed solùm contendit, effectum secundùm quid infinitum, qui provenit à charitate simpliciter finita, requirere; & arguere virtutem infinitam in Deo, quia solùm agens infinitum potest virtute propria efficere hominem iustum, & intimè unitum Deo.

Caietan.

6. In fine huius disputationis duo notanda sunt; unum est, habitum, de quo in hac disputatione, & controversia sermo est, aptè appellari charitatem; quia charitas significat gratuitum amorem inter eos, qui amare, & vicissim redamare possint; habitus autem iste inclinat voluntatem, ut amet Deum, & proximum à quibus redamari potest; & quàmvis amor, quo creatura prosequitur Deum, non sit gratuitus comparatione Dei, quasi illi non debeatur, quippè creatura creatori suo debet esse devinctissima; & propterea *noster amor* (ut S. Bernardus ait in tract. de diligendo Deum) *non gratuitus impendatur, sed debitus rependatur*; in eo tamen sensu dici potest gratuitus, quòd gratis infundatur à Deo, & inclinet ad diligendum Deum, & proximum, etiam quando nulla præcepti obligatio urget. Vide multa, quæ circà nomen charitatis à Valencia, & Bañez hic annotantur. Solùm adde id, quod advertit S. Thomas infrà q. 28. art. 4. licèt habitus charitatis inclinet ad alios actus, scilicèt desiderij, gaudij, &c. ut patebit postea, adhùc denominari charitatem ab actu amoris, qui præcipuus est, & radix cæterorum, & propter quem maximè infusa est hæc virtus voluntati.

S. Bernar.

Valenc. Bañez. S. Thom.

Alterum est, habitui charitatis, quem Deus infundit, respondere alium acquisitum proprijs actibus; quæ doctrina generalis est in Materia de Habitibus; cùm enim circà obiecta, in quæ fertur noster intellectus, aut voluntas actu supernaturali, ferri etiam aliquo modo possit actu naturali, ut 1. 2. in Materia de Gratia tract. 2. latè probatum est; sicut ad actus supernaturales infundit Deus habitum entitatis supernaturalis, qui nec generatur, nec generari potest ab actibus, eò quòd per se, & ex sua essentia infusus sit, ut in Materia de Habitibus probatum est; ita ab ipsis actibus naturalibus generatur in nobis quædam facilitas, seu promptitudo; quæ habitus naturalis appellatur: consequenter ergò ex actibus naturalibus amoris Dei, dicendum est naturalem amoris habitum in nobis resultare. 7.

DISPVTATIO II.

An, & quatenùs requiratur habitus charitatis ad suos actus: ubi an magis ad illos inclinet voluntatem, quàm alij habitus ad suos.

IN Materia de Habitibus ex professo probatum est, hoc esse discrimen inter habitū naturalem, & supernaturalem; quod ille, cùm incline tad actus naturales omnino proportionatos facultati, à qua eliciuntur, v.g. intellectui, & voluntati, non est simpliciter necessarius ad illos eliciendos, sed solùm acquiritur, ut magis prompté, & expedité, ac proinde minori labore facultas operetur; 1.

tur; & propterea dicitur requiri, ut faciliùs posfit, non ut absolutè posfit: habitus verò supernaturalis, cùm inclinet ad actus supernaturales, qui non sunt proportionati facultati eos elicienti, utpotè naturalis entitatis, est simpliciter necessarius, ut illi eliciantur consentaneè ad ipsorum naturam; propterea què habitus iste dicitur tribuere, ut potentia simpliciter posfit; imò quodammodo appellatur potentia, licèt simul conferat promptitudinem, & facilitatem, quæ habituum proprius effectus est: non tamen hoc ita rigorosè accipiendum est, quasi nullatenùs absque habitu elici posfit actus supernaturalis; nam de absoluta potentia id non repugnat; imò cùm adultus per contritionem disponitur ad justificationem, primus ille actus charitatis, quem elicit, non efficitur ab habitu charitatis, sed à voluntate, supplente tamen Deo medijs inspiratione sua, & gratia concomitante id, quod ab habitu præstandum erat, de quo 1. 2. controversia 8. Solùm ergò contendimus, habitum supernaturalem absolutè esse necessarium, ita ut sinè illo non eliciantur actus supernaturales proportionatè, & cõsentaneè ad illorum naturam. De quibus omnibus in loco citato satis superquè dictum est; & ex illis infertur, habitum supernaturalem charitatis modo explicato esse necessarium, ut actus charitatis eliciantur, & ab illo, præsertim cùm intensus est, provenire facilitatem, & alacritatem quandam in eliciendis actibus, ad quos inclinat.

2. *S. Thom.* Iuxtà hæc delaranda est ratio, qua S. Thomas in art.2. probat, charitatem esse aliquid creatum, & nobis inhærens, quo voluntas proportionetur ad amandum Deum; ita ut actus amoris sit ei connaturalis, non ratione suæ propriæ virtutis, sed ratione habitus infusi. Duo verò supersunt explicanda, quę Sanctus Doctor affirmat; unum est, non posse dici voluntatem moveri ab Spiritu Sancto ad actum dilectionis, sicut movetur instrumentum; quia sic tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti, cùm tamen charitas sit principium merendi. Vbi videtur supponere, hominem, cùm elicit actum supernaturalem charitatis, non operari ut instrumentum, sed ut causam principalẽ; quod quidem falsum videtur, primò, quia homo elicit actum charitatis mediate potentia obedientiali, sed hæc intrinsecè est instrumentum Dei; ergo homo non elicit illum actum ut causa principalis: secundò, quia ipse etiam habitus charitatis est accidens, & omne accidens est instrumentum substantiæ, ut alibi dictum est.

Dominicus Bañez dub. 2. ad prædictũ articulum, & Gregorius de Valencia p.1. §.2. in 4. probatione putaverunt, hominẽ concurrere ad actum charitatis medio habitu infuso tanquam agens principale; sed id sufficienter refellunt argumenta proposita, quàmvis hic brevisimé ea retulerimus, quia pertinent ad alias materias: nec S. Thomas absolutè negat hominem concurrere ut instrumentum, sed solùm ait, non concurrere ut instrumentum inanime, quod nullo modo se moveat; inde enim inferretur, tolli rationem voluntarij, & meriti, ut optimè argumentatur Sãctus Doctor: nos autem fatemur, ita hominem esse instrumentum elevatum à Deo medio habitu charitatis, ut nihilominùs se quodammodo moveat, quatenùs liberè cooperatur habitui charitatis, & gratiæ divinę; nec id est contrà rationem instrumenti, quod animatum, & liberũ est. Nec verò sufficit ad rationem causæ principalis, si aliquo modo se moveat, sed insuper requiritur ut operetur virtute substantiali propria, & non tanquam virtus alterius; cùm ergò homo, vel angelus eliciat actũ charitatis media virtute obedientiali, & habitu charitatis, quæ sunt accidentia suaptè essentia subordinata Deo ut agenti principali ordinis supernaturalis, non potest concurrere ut causa principalis. 3. *Bañez. Valenc.*

4. Alterum, quod S. Thomas docet, est, nullam esse virtutem, quę tantam inclinationem habeat ad suos actus, quantam habet charitas ad suos; nullamquè esse, cui tanta delectatio insit in operando. Quæ sané doctrina nõ parùm difficilis est, quia ita se habet habitus cuiuslibet virtutis ad suos actus, sicut habitus charitatis ad suos; ergo imposibile est, maiorẽ inclinationẽ esse in habitu charitatis ad propriũ actũ, quàm in alijs habitibus ad suos; aut maiori delectatione elici actum unius virtutis, quàm alterius, si cætera paria sint.

5. *Bañez.* Bañez ad prædictum articulum dub. 2. *§. deinceps*, respondet propterea charitatem maximè inclinare ad suos actus, quia

prima voluntatis inclinatio est amor; unde charitas,quæ secūdùm suam essentiam est amor, inclinat maximè voluntatem ad suum actum; quod quidem non convenit alijs habitibus, quorum proprissimus actus non est amor. In cuius rei confirmationem facit, quòd inter omnes virtutes nulla subit denominationem amoris præter charitatem, ut nimirùm indicaretur, amorem, in quem maximè propendet voluntas, esse proprissimam charitatis operationem: & hac etiam ratione respondet Caietanus hic ad propriam difficultatem, licèt priùs alias solutiones exhibuerit. Sed hæc mihi non probatur, quia nulla virtus est, cui non sit maximè proprius amor sui obiecti, non solùm per participationem,ut declarat Bañez, sed intrinsecè & essentialiter; sicut enim charitas inclinat ad amandum Deum, & ex eo amore, quasi profluunt cæteri actus ad charitatem pertinentes; ita temperantia, v. g. inclinat ad amandam honestatem sui obiecti, & eo amore determinatur ad cæteros actus. Nec obstat, quòd sola virtus charitatis ab amore sumpserit denominationem; id enim propterea factum est, quia amor iste nobilissimus est, eò quod habeat excellētissimum obiectum, scilicèt bonitatem divinam,quod non habent aliarū virtutū amores: imò eorū perfectio in eo consistat,quòd ad Dei amorē tandem referantur. Vnde eleganter S. Augustinus to.1.lib.de morib⁹ Ecclesię cap.
S.August. 14. *Quatuor* (inquit) *virtutes* (scilicet cardinales) *sic definire non dubitem; ut temperantia sit amor, fortitudo amor, iustitia amor, prudentia amor: sed hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæquè concordiæ.*

6. Dicendum igitur est, habitum charitatis magis inclinare ad suos actus, quàm cæteras virtutes ad suos; quia obiectū illius est Deus summum bonum. Etenim, ut rectè ostendit S. Thomas 1.p.q.60.art.
S.Thom. 5. Angelus,(& idem est de homine)natura sua,&suoptè pondere magis inclinat ad amandum Deum,quàm se ipsum, & alias creaturas, eò quod illud sit summum, & maximè universale bonum, quod proinde cæteris præferendum est; sicùt bonum totius præfertur bono partium,& bonū capitis bono cæterorū membrorū.Quod verò in Deo ut naturali authore verum est comparatione voluntatis naturaliter acceptæ,verissimum etiā est in Deo authore supernaturali comparatione eiusdē voluntatis elevatæ medio auxilio divino, seu habitu supernaturali charitatis, cùm eadem omnino ratio sit;cùm ergo potissima inclinatio voluntatis in Deum authorem supernaturalē sit ipse habitus infusus charitatis,fateri oportet,ipsum magis inclinare in Deum, ac proinde in supernaturalē illius amorem, quàm cæteros habitus in sua obiecta,& suos actus: & quoniam nihil tanta delectatione efficitur,quanta illud,in quod maximè propendet volūtas, aut appetitus;inde provenit, habitum charitatis inter omnes alios habitus id conferre voluntati, ut maxima delectatione, & promptitudine operetur.

Sed obijcies primò,difficile admodum esse, elicere actum charitatis præsertim supernaturalis, ergo non magis inclinari voluntatem medio habitu ad amorem Dei, quā medijs habitibus ad alios actus; patet consequentia,quia in eliciendis actibus,ad quos alij habitus inclinant,non est tanta difficultas,foret autem, si minùs esset inclinata voluntas ad illos. Respondetur difficultatem in eliciendo actu charitatis provenire ab extrinseco, ab impedimentis nimirùm passionum, quibus vitiosè inclinamur ad bona sensibilia maximè opposita Deo;per se autem loquēdo, & seclusis impedimentis,facilius esset diligere Deum, quàm alia obiecta; & nos in assertione locuti sumus de eo, quod per se provenit ratione habitus charitatis; non de eo,quod per accidēs,& ob extrinsecum obstaculum. 7.

Obijcies secundò,habitus supernaturalis spei inclinat etiam ad amandū Deum, qui est summum bonum; ergo ęqua erit inclinatio huius, & charitatis ad actus,ergo falsum est inter omnes habitus charitatē esse,quæ maximè in suos act⁹ inclinat. Respōdetur negando utrāque consequētiam, quia sicut voluntas magis inclinat in Deum diligendum,quàm in cætera obiecta,eò quòd Deus sit bonum maximè universale,ita etiā magis inclinat ad nobiliorē modū amandi Deū,quia hic modus est maximè debitus summo bono; quoniā ergò habit⁹ spei inclinat ad amandū Deū amore cōcupiscentiæ,qui longè minùs no- 8.

bilis est, quam amor amicitiæ, ad quē incli nat habitus charitatis, maior asserenda est inclinatio charitatis ad suos actus, quā habitus spei ad suos.

DISPVTATIO III.

Vtrùm habitus charitatis infusæ sit amicitia hominis erga Deum, & proximum?

CVm habitus charitatis, & gratiæ sint intimè cōiuncti, & hic sit illius radix, & origo proxima, quod in hac disputatione de habitu charitatis dixerimus, de habitu gratiæ dictum intelligatur, licet illi conveniat ut rationi formali proximę, huic verò ut radici, & principio.

SECTIO I.

Inter Deum & homines esse veram, ac propriam amicitiam probatur authoritate Scripturæ, & Patrum.

1. *Durand.* *Aristot.* DVrandus in 4. dist. 43. q. 4. conc. 4. in 2. rat. vers. *posset autem aliquis*, negat, creaturæ ad Deū esse posse amicitiam propriè: imò Aristot. 8. Ethic. cap. 7. docet, *Dei ad hominem non esse ullam amicitiam*. & lib. 2. magn. moral. cap. 11. *hominis ad Deum non esse amicitiam, imò nec dici debere amorem esse.* Quæ pro hac doctrina faciunt, expendentur postea.

2. *S. Thom.* *Caietan.* *Bañez.* *Aragon.* *Valent.* *Salmer.* *Suarez.* *Vasquez.* *Azorius.* *Gabr.* *Sap. 7.* *Cantic. 5. & 2.* *Iudith 8.* *Isaiæ 41.* *Ioan. 15.* *Luc. 11.* Nunc breviter dicendū est, inter Deū, & homines esse verā, ac propriā amicitiā. Sic S. Thomas in art. 1. ubi Caietanus, Bañez, Aragon, & Valencia, to. 3. disp. 3. q. 1. p. 2. optimé Salmeron to. 9. tract. 59. Suarez lib. 3. de relig. cap. 5. Vasquez lib. 1. de adorat. disp. 6. cap. 2. Azorius to. 1. lib. 9. cap. 3. q. 1. Gabriel in 3. dist. 27. q. unica art. 2. conc. 5. Probatur 1. testimonijs Scripturæ Sap. 7. ubi cōmendatur sapiētia, *infinitus thesaurus est hominibus, quo, qui usi sunt, participes facti sūt amicitiæ Dei.* Cāt. 5. *Ipse est amicus meus*, inquit sponsa cœlestis, sicut & sponsus ipse in cap. 2. *Surge, propera amica mea.* Iudith. 8. *Abraham Dei amicus effectus est.* & Isaiæ 41. *Iacob semen Abrahæ amici mei.* Ioan. 15. *Vos autē dixi amicos, & vos amici mei estis.* Luc. 12. *Dico autem vobis amicis meis.* & sic in alijs locis..

3. *Trident.* *S. Cyril.* *S. Hilar. Psal. 138.* *S. August.* *S. Bernar. Cantic. 2.* *S. Ambr.* *S. Hieron.* Secundò probatur authoritate Patrū; nam Tridentinum sess. 6. cap. 7. ait, *per susceptionem gratiæ, & donorum fieri hominem ex inimico amicum.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioan. cap. 23. in verba citata ex cap. 15. Ioannis, *Quid* (inquit) *maius, quid clarius, quam Christi amicum, & esse & appellari? Excedit certè hæc dignitas naturæ humanæ terminos.* S. Hilarius in id Psalm. 138. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*: semel, & iterum ex Scriptura, ait, constare homines esse Dei amicos. S. Augustinus to. 9. tract. 85. in Ioannem in illa verba, *Vos amici mei estis: magna* (inquit) *dignatio, ut Dominus, quos novit servos suos, dignetur dicere amicos suos.* Vbi etiam eleganter ostēdit, quomodo cùm servitute Dei cohæreat amicitia. S. Bernardus serm. 48 in Cant. in ea verba cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, cùm dixisset, orandum esse pro calumniatoribus, & bene faciendum ijs, qui nos oderunt. *Ergo* (inquit) *& tu fac similiter, & erit anima tua amica Domini.* S. Ambrosius lib. 2. epistolarum, epist. 7. *Libertas liberum facit hominibus, charitas amicum Deo.* Denique S. Hieronymus in verba adducta ex cap. 41. Isaiæ, *Ante* (inquit) *accepimus spiritum servitutis in timore, & posteà* (scilicet in lege gratiæ) *electi in amicitiam Dei iungimur.*

4. Respōderi potest ad hæc, & similia testimonia nō usurpari ab Scriptura, & Patribus nomē amicitiæ in stricta, & propria significatione; ac proinde ex illis solùm elici, aliqualē impropriā amicitiā inter Deū, & homines inveniri. Sed hęc solutio efficaciter refellitur, quia Scripturæ, & Patrū verba accipienda sunt in significatione propria, quando, vel Scriptura ipsa, vel cōmunis interpretatio, vel manifesta ratio non cogit à proprietate recedere; alioqui nihil firmū ex authoritate colligi posset, si cuilibet pro cerebro suo liceret Scripturam ad metaphoram, aut sensum improprium detorquere; at in re, de qua agim', nec est locus Scripturæ, ubi prædicta amicitia impropria nuncupetur, nec interpretes in eo consentiunt, sed potiùs in opposito, cùm Patres Scripturam declarantes nec leviter quidem insinuent amicitiæ

impropriecatem; nec denique ratio ulla cogit à proprietate recedere, ut patebit ex sequentibus. Omnino ergò certum sit, veram ac propriam esse præfatam amicitiam: unde nonnulli recentiores oppositum appellant errorem; & Bañez suprà in

Bañez. 1. conc. dixit, secundùm fidé catholicá esse inter Deum, & iustos verá amicitiam.

SECTIO II.

Vera amicitia inter Deum, & iustos probatur explicando conditiones, quæ ad amicitiam requiruntur.

5. Aristot. ARistoteles in lib. 8. & 9. Ethicorum copiosam, & tanto Philosopho dignam de amicitia tractationem instituit, ex cuius doctrina eliciendę sunt conditiones ad veram, & propriam amicitiam requisitæ, ut indè perspicué constet, inter Deum & iustos inveniri. Prima ergò conditio est, ut sit amor mutuus, qui proinde sit inter res cognitione prędi tas, imò & intelligentię participes; nã licèt bruta redamare posśint amantem illa, non est hic amor spiritualis, sed omninó materialis, de quo hic non agitur. Secunda, ut sit amor benevolentiæ; ratione cuius amicus amico velit bonum gratia ipsius amici, & non propter utilitatem, & iucunditatem, quæ amanti proveniunt, aut provenire possunt ab amico; alioquì amor ille dicetur concupiscentiæ, non amicitiæ. Tertia, ut obiectum huius amoris sit aliquod verum, & non apparens bonum; alioquì non erit amicitia honesta, & naturæ intelligentis digna. Quarta, ut amor iste mutuus utriq; amãti manifestus sit. Quinta, ut detur mutua aliqua inter amãtes cõmunicatio, quæ amoris fundamentũ sit. Sexta, ut sit aliquis cõvictus inter amãtes. Septima, ut inter illos sit æqualitas. Octava, ut sit amor ergà paucos.

6. Ex quibus omnibus desumitur nõ levis dubitãdi ratio: videtur enim imposśibile, inter Deũ, & iustos intercedere amicitiã, quia nulla ex enumeratis cõditionibus in mutuo illorũ amore impleta conspicitur: nõ prima, quia licet Deus semper amet iustos, nõ semper ab illis amatur, imò nec amari potest: nã sæpe adulti, qui iusti sunt, non eliciũt actũ charitatis; infantes vero, qui in baptismo iustitiã acceperũt, Deum redamare nõ possunt, quia infantilis ætas huius amoris incapax est. ¶ Nec secũda; quia Deus nõ amat creaturas, nisi propter se ipsum, & quia ad gloriã eius manifestãdã deserviũt, iuxtà illud Proverb. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dñs.* Prov. 16.
Cõtra etiã iusti diligũt Deũ, propter cõmoda, & beneficia, quæ in illos confert. ¶ Nec tertia, quia homo nihil honestatis præhabet, quod sit obiectũ huius amoris, cũ potiùs divinus amor sit principium, & fõs omniũ bonorũ etiã naturaliũ, quę Deꝰ cõtulit in hominé, qui ex se nihil omnino est. ¶ Nec quarta, quia iustis seclusa speciali revelatione ignotũ est, an amentur à Deo, nec ne. ¶ Nõ quinta, quia iustus nihil potest tribuere Deo, cũ quidquid boni habet, à Deo accipiat; & aliunde Deus ipse nullo indigeat. ¶ Nõ sexta, quia, quis cõvictus esse potest inter Deũ, & infanté recens baptizatũ. ¶ Nec septima, quia inter Deũ, & iustũ infinita distantia est, & sũma inęqualitas. Nec deniq; octava, quia licèt iustus unũ singularisśimũ habeat amicum Deũ, ipse tamé multos homines ad amicitiã admisit; Nõ ergo inter Deum & hominem iustum vera amicitia est.

Nihilominus persistendũ est in assertione sectionis pręcedẽtis, quæ uberiùs comprobabitur diluendo propositas obiectiones, & explicando quã aptè in amoré mutuũ Dei, ac iustorũ octo pręfatę cõditiones cõveniant. Et quidé quoàd primã attinet, non est necessariũ ad amicitiã, semper amoré actu exerceri; quis enim pręter Deum, & cęlestes cives hoc modo dilexit amicũ? satis ergò est habitualis amor, qui suis téporibus in actũ prosiliat: adulti ergò iusti aliquãdo solent, saltè cũ pręceptũ dilectionis obligat, diligere Deũ, & semper habent charitaté, quę habitus est illos ad eũ amoré inclinãs; & hic idem habitus in infantibus est, prodibitq; in actũ secundũ, quãdo ad adultã ætatem pervenerint, quòd si priùsquàm operetur amoré, amittant illum peccando lethaliter, accidentarium est; nec propterea non erant amici quando illum habebant, nam ut Aristoteles lib. 8. cap. 5. dixit, *amor quidem similis est affectui, amicitia verò habitui*, hic auté in quolibet iusto semper est. 7. Aristot.

Secunda etiã conditio amicitiæ impletur in amore mutuo Dei, & hominis iusti: etenim Deus licèt iustos amet propter bonitaté suã divinã, quæ sola est formale obiectũ divinæ voluntatis, ut 1. p. controver- 8.

sia 3. probatum est, non tamen amat illos ob utilitatem, aut iucunditatem, quæ Deo ipsi proveniat ex illis: Deus enim nullo nostro bono indiget, nec minùs fœlix, & lætus esset absquè ulla creatura, quàm est modo. Vnde in Psal. 15. dicitur, *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Nec minùs eleganter in originali per Apostrophem legitur, *dixisti, ò anima mea Domino, Deus meus es tu, & bonum meum non super te* (scilicèt cadit, aut quid simile, ut notat Genebrardus) & in editione Septuaginta, *Dixi ego apud me, bonum meũ nihil tibi confert.* Quem locum explicuisse videtur S. Augustinus tom. 2. epist. 5. ad Marcellinũ col. 3. *Nihil* (inquit) *Deus iubet, quod sibi prosit, sed illi, cui iubet; ideò verus est Dominus qui servo non indiget, & quo servus indiget.* Vrgerique possunt eadem Psalmi verba, si attẽdatur, nõ à quocumque, sed in persona Christi Domini, qua homo erat, dicta fuisse, ut constat ex Apostolo Petro, qui Act. 2. de Christo D. explicat prædictũ Psalmũ. Vnde S. Hieronymus in prædicta verba, *bonorum meorũ non eges. Vox* (inquit) *Christi, quæ sunt bona Christi? Incarnatio, passio, resurrectio, & redẽptio nostra: vel aliter, bona sunt cæli, & terra, &c, his patet nec postquam facta sunt, indiguit, nec antea, ista Patri non sunt opus, nec necessaria.* Cõcludo ergò, nõ esse de ratione amicitiæ, ut obiectũ formale amoris sit ipse amicus, sed satis esse, si qui amat velit amico bonũ, nõ propter utilitatẽ, & iucunditatẽ, quæ inde proveniunt amatori: sic enim amor ille nõ est cõcupiscentiæ, sed gratuitus, & non necessarius.

Psal. 15.

Genebr.

Septuag.

S. August.

Act. 2.

S. Hieron.

9. Vrgebit tamen aliquis, Deus ideò amat creaturas, quia sunt media ordinata ad ipsum ut ad finem, & ad eius gloriã manifestandam, ergo amantur ab illo propter utilitatem inde ipsi provenientem: patet cõsequentia, quia medium, ut mediũ nõ amatur nisi ob utilitatẽ, seu quod idẽ est, quatenùs conducit ad finem. Respondetur concesso antecedente, distinguendo consequens; creaturæ enim non amantur ob utilitatem, aut commodum intrinsecè existens in Deo, nihil enim intrinsecum afficiunt, aut aufferre possunt Deo omnia creata, nec amantur ob aliquod extrinsecum commodum, quo Deus absolutè loquendo indigeat ad suam numeris omnibus absolutam fœlicitatem; amantur verò tanquam media ad Deum ipsum ordinata; tũ quia perfectissimam Dei voluntatem omnino dedecet alius finis, aliudvé formale obiectum ab ipso distinctum; tum quia hæc est ipsa quidditas creaturarũ, ut quid quid habent, & quidquid sunt, ad Deum ut ad ultimum finem, atquè ad eius gloriam referatur; quarè dum Deus hac ratione illas amat, verè diligit ipsarũ intrinsecum bonum, & quod in illis maximè honestum est, & id lædere nõ potest, sed nobilitare, & perficere amicitiã. At verò inter homines meritò censet Aristoteles, nõ esse perfectam amicitiam, cùm quis alterum amat ob delectationem, aut utilitatem ab amato provenientẽ, quia verè tunc diligitur propter intrinsecum emolumentum amantis, & nõ propter præcipuum amati bonum; hoc enim consistit in virtute, & honestate, quam in se habet; non autem in eo, quod ad sui amici utilitatem referatur.

Quòd verò attinet ad amorem, quo iustus prosequitur Deum, illo quidem, ut ex charitate procedit, nõ amatur Deus, quia iusto ipsi bonus, aut iucundus est, nec propter beneficia in ipsum collata; licèt enim hic modus amoris honestus sit, de quo postea, nõ tamẽ elicitur à virtute charitatis, quæ est ratio formalis amicitiæ; charitas enim amat divina beneficia, iucũditatem, & commoda, quę ex Deo in hominem derivantur, sed non amat propter illa ut propter motivum amandi, hoc enim est sola bonitas, qua Deus in se, & sibi ipsi bonus est. Quod quidẽ elegantissimè explicavit his verbis S. Bernardus in tractatu de diligendo Deũ, *nõ sinè præmio diligitur Deus, & si absquè præmij intuitu diligendus sit: vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippè non quærit quæ sua sunt: affectus est, non contractus; nec acquiritur pretio, nec acquirit; sponte afficit, & spontaneum facit, verus amor se ipso contentus est: habet præmium, sed id, quod amatur; nam quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quo amoris finis prætendit, non per quod tendit*: hactenus Bernardus. 10.

S. Bernar.

Sed objiciet aliquis Aristotelem, qui 8. Ethic. cap. 2. ait, *esse simpliciter quidem amabile ipsum bonum: unicuique autem id, quod est unicuique bonum*: ubi planè affirmare videtur, á nemine amari, nisi 11.

quod est bonum ipsi amanti; non ergo amant iusti Deum, quia in se bonus est, nec proinde id requiritur ad veram amicitiã. Respondetur mentem Aristotelis esse, amicum non amari, nisi sit bonus amico, non quidem propter utilitatem, aut iucunditatem inde amico provenientem, sed propter intrinsecam virtutis honestatem, quæ in amico est, eo enim ipso, quòd ab amico, cui similis est in honestate, diligatur, & quodammodo unus cum eo efficiatur, quidquid boni habet unus, est bonum alterius. Vnde in cap. 9. *Volunt amici bona ijs, quos amant, illorum tamen gratia: & amantes amicum, id amant, quod sibi ipsis est bonum; vir enim bonus factus amicus bonum fit ei, cui iam est amicus.*

12. Tertia conditio amicitiæ perspicuè cernitur in homine iusto: nec enim ille amatur á Deo amore amicitiæ, proùt est non ens, aut peccato læthali infectus; sed quatenus insignitus charitate supernaturali, quæ licèt effectus sit divini ergà hominem amoris, in ratione tamen obiecti proportionati dilectioni divinæ præintelligitur amicitiæ, & est id, quod cohonestat, & decorat hominem, ut à Deo tanquàm amicus diligatur.

13. Quartam etiam conditionem impleri facile probatur; quia ad amicitiam non requiritur, internum amorẽ esse omnino manifestum amicis; quis enim omnino certò novit inter homines, num ab altero homine verè diligatur: sufficit ergò si nónullis signis hic amor indicetur. Et quidem Deus eximij sui ergà homines amoris indicia præbuit innumera, nonulla verò magis specialia amoris amicitiæ, qualem ergà iustos habet, eo maiora, aut minora, quo firmior, aut suavior est amicitia; hominis verò erga Deum amor eo ipso quod sit, Deo manifestissimus est.

14. Nec veró deest mutua bonorum communicatio, quæ in quinta conditione petebatur; nam Deus eximia beneficia confert iustis, & inter alia tribuit ius ad æternam beatitudinem, in qua fundamẽtum habet amicitia divina, ut S. Thomas in art. 1. affirmat; homo verò iustus, & si nihil tribuere posit Deo, quod Dei nõ sit; hæc tamẽ, quæ de manu eius accepit, reddere potest, offerendo libertatem, studẽdo bonis operibus, & cavendo à malis, ut Deo placeat; his enim qualibuscumque munusculis tãta maiestas cõtenta est, præsertim si iust°, quanto potuerit affectu, eius immẽsa perfectione delectetur. S.Thom.

15. Adest etiã convictus, & communicatio aliqua; nam ut Aristoteles lib. 9. cap. 12. dixit, *amicis maximè expetibile est conversari, simulque vivere; amicitia namque cõmunicatio est*; & quidẽ adultus in hac vita si iustus sit, Deũ alloquitur medijs sanctis cogitationibus, & desiderijs, Deumq; interiùs ad cor, vel per ministros suos loquentẽ audit, perpetuã in patria cõmunicationẽ adepturus: infans verò id habet in habitu & aptitudine, quę ad habitualem amicitiam sufficit, licèt non ad usum, & completum exercitium illius. Aristot.

16. Circà septimam conditionem, licèt Aristoteles lumine rationis illustratus, & non supernaturalis fidei splendore, nõ agnoverit amicitiã inter Deũ, & hominẽ ob summam inæqualitatem, ut constat ex lib. 8. cap. 7. ibidem tamen affirmat, esse quandam speciem amicitiæ, quæ in excellentia consistit; & ei esse posse inter inæquales, etiam inter principem, & subditos, inter patrem, & filios: & cap. 11. addit, inter Dominum, & servum, qua servus est, nõ posse esse amicitiã, bene tamen, qua homo est: itaq; licèt inter eiusmodi personas sit inæqualitas absolutè, quodámodo tamẽ amor æqualitatem efficit. Sic ergò Deus, qui supernaturalẽ charitatis habitũ infũdẽs reddidit homines consortes divinæ naturæ, & tribuit ius ad visionẽ Dei, qua ipsi similes efficiãtur, eo ipso evexit illos ad aliquam æqualitatẽ, quæ ad propriam amicitiã sufficiat; licet alioqui ipse sit Rex, homines verò subditi, ille Pater, & Dominus; illi filij, & servi. Aristot.

17. Ad extremũ, & si limitatæ virtutis homo ad plures perfectã amicitiã habere nõ posset, nisi fortè illos ob unum singularissimũ amicũ diligeret, de quo postea; Deus tamen infinitæ capacitatis cum multis, atque adeò infinitis strictissimæ amicitiæ iura servare novit.

SECTIO III.

Statuitur solam charitatem supernaturalem esse rationem formalem adæquatam perfectæ amicitiæ.

18. TRia afferuntur in huius sectionis titulo, quæ singillatim expendenda, & probanda sunt. Primum est, sinè supernaturali charitate non posse consistere verã amicitiam hominis ad Deum, quantùmvis illum diligat amore aliquo naturali super omnia; ac proinde si Deus non evexisset hominem ad finem supernaturaturalem, non futuram prædictam amicitiam. Id quod rectè advertit Bañez ad art. 1. in solutione 2, & colligitur ex doctrina Patrum, & Scholasticorum, qui pro eodem reputant, esse hominem gratum Deo, eiusquè Filium, & esse amicum; sinè gratia autem supernaturali nemo potest esse gratus, & filius Dei. Ex quo desumitur prima ratio; nam eo ipso quòd homo sit gratus Deo, & eius filius, est hæres æternę beatitudinis, quæ in clara Dei visione consistit; & ideò sinè dono supernaturali nullus potest esse filius, quia non potest habere ius ad hanc hæreditatem, quæ maximè supernaturalis est; sed eodem modo amicus Dei ordinatur ad eius communicationem in patria, imò fundamentum huius amicitiæ est beatitudinis communicatio, ergo sinè charitate supernaturali, cui hæc communicatio respondet, non potest esse vera amicitia. Secunda ratio est, quia perfecta amicitia excludit inimicitiã, sed naturalis amor non excludit divinam inimicitiam; ergo non est perfecta amicitia. Minor probatur, quia si loquamur de habitu naturali inclinante ad naturalem amorem Dei, ille cõpatibilis est cum peccato læthali etiam actuali, quod constituit hominem inimicum Deo; si veró de actuali amore sermo sit, quàmvis iste, si sit verus, & ex corde, non compatiatur peccatũ mortale actuale, compatitur peccatum habituale, ratione cuius redditur homo simpliciter inimicus; solus autem habitus charitatis cum gratia, quam comitatur, ita sanctificat animam, ut peccatum etiam actuale mortale prorsus excludat.

Bañez.

19. Adverte tamen, eiusmodi amorem naturalem sufficere ad aliqualem imperfectam amicitiam in eo homine, qui peccatum læthale non haberet, & diligeret Deũ super omnia; quod quidem in natura pura, seu non evecta ad finem supernaturalẽ accidere potuit, modò autem non; quia quisquis charitatem supernaturalem habitualem non habet, est in peccato læthali saltèm originali, cum quo amicitia cohærere non potest. Itaquè posita divinæ providentiæ dispositione, qua hominem, & angelum evexit ad finem supernaturalem, nulla, nec imperfecta amicitia ipsius ad Deum esse potest sinè habitu charitatis supernaturalis, quia sinè illo nullus est nisi peccato læthali infectus; ac proinde non solùm non amicus, sed etiam Deo inimicus.

Atquè ex his infertur secundum, quod in hac sectione affirmatur; scilicèt nullum quantumcùmque prædestinatus sit, esse amicum Deo pro illo tempore, quo habitum charitatis non habet. Supponit assertio prædestinatos saltèm plerosq; fuisse aliquando sinè charitate, quod salva fide negari non potest: nam primò, si Beatam Virginem excipias, omnes concepti sunt in peccato originali, & sinè charitate; de horum autem numero sunt Apostoli, sunt Martyres, sunt reliqui prædestinati pertinentes ad solum statũ naturæ lapsæ: quod dixerim propter primos parentes, qui in statu innocentiæ, ac proinde gratia, & charitate insigniti conditi sunt. Secundò post debitum originale plures peccarunt læthaliter, & consequenter amiserunt charitatem ut in tract. 4. patebit, & tamen ex his multi sunt prædestinati, ut S. Petrus, S. Paulus, S. Magdalena, & innumeri alij. Asseritur ergò istos prædestinatos, quandiù peccato læthali infecti erant, non fuisse Dei amicos, eò quòd charitate destituti essent. Probatur manifesta ratione ex Scriptura, & Concilijs deducta; impossibile est aliquem esse simpliciter inimicũ Deo, & simul amari ab eo amore amicitię; sed quicumque est infectus culpa lęthali, est simpliciter inimicus Deo; ergo impossibile est simul amari à Deo amore amicitię; sed quicumque charitatem non habet, est simpliciter inimicus iuxtà illud Ioannis Apostoli in 1. Canon. cap. 3. *qui non diligit, manet in morte*, ergo sinè charitate nullus, quantumcùmque prędestinatus, est Deo amicus. Confirmatur primò, quia amicitia est mutuus amor, sed peccator, etsi alioquì prędestinatus, non potest protunc, & in sensu composito, manens scilicèt peccator, amare Deum amore supernaturali charitatis, ergo nec amatur à Deo amore amicitię. Confirmatur secundó, quia odio sunt Deo impius, & impie-

20.

1. Io*a*n. 3.

tas

tas eius: sed prędestinatus potest pro aliquo tempore esse impius, ergo odio est Deo videlicèt ut inimicus; non ergo esse
S.Cyrill. potest amicitia sinè charitate. Vnde S.Cyrillus adductus á S. Thoma in Catena Lucę 12. declarans illa verba, *dico autem vo-*
Luc. 12. *bis amicis meis:non quibuscùmque*(inquit) *simpliciter hic sermo convenire videtur, sed his,qui Deum ex tota diligunt mente.*

Sed obijcies;Deus ex sua ęternitate dilexit prędestinatos,& amor eius immuta-
21. bilis est;ergo semper illos diligit; sed non alio amore quã amicitiæ, ergo etiã, quando sunt in peccato, diliguntur amore amicitię. Cõfirmatur,quia peccatoribus vult Deus conferre auxilia,& alia bona supernaturalia,& aliunde id non provenit ab amore concupiscentię, ergo ab amore amicitiæ. Vnde 1. Ioannis 4. *non quasi nos dilexerimus Deum,sed quoniam ipse prior*
1.Ioan.4. *dilexit nos,* amore scilicèt charitatis, qui idem est,quod amicitia: & de hac locutus est Christus Dominus Ioan.3. dicens, *Sic Deus dilexit mundum,ut Filium suum uni-*
Ioan. 3. *genitum daret.* Respondetur ad obiectionem cum confirmatione, certum esse eximio amore prosequi Deum ex ęternitate sua mundum universum, ac proinde homines omnes præsertimque prædestinatos; sed nihilominùs amorem illum non esse amicitiam absolutè, quamdiù ex parte hominis non est amor supernaturalis charitatis,quia amicitia mutuus amor est. Cùm ergò prædestinatus, quam diù in peccato lęthali est, non habeat supernaturalem amorem charitatis; nec est amicus Deo, nec amor, quo Deus illum prosequitur, dicendus est amicitia; non quia sit concupiscentiæ,sed quia deest illi redamatio, ut amicitia dicatur; dicitur ergò amor benevolentiæ,qui est veluti fundamentum amicitię. In speciali verò ad obiectionem respondetur, Deum semper amare prædestinatos amore amicitiæ, sed non pro semper; itaquè in Deo est immutabilis amor amicitię ergà prędestinatum, sed ille amor tendit ad prędestinatum, proùt insignitum charitate,ac proinde nõ proùt peccato læthali infectum.

Tertium huius sectionis assertum est,
22. reprobos esse etiam Dei amicos,quamdiù habent charitatem supernaturalem: & quidem nonnulli Scholastici de divino ergà reprobos amore ita loquuntur,ut indigeant explicatione: Magister in 3.dist.32. cap. ult. ait, *simpliciter dicendum esse,Deũ* Magist.
ab æterno dilexisse electos, odisse verò reprobos. Iuxtà illud Malachiæ 1. *Iacob di-* Malach.1
lexi,Esau autem odio habui. S. Thomas ibi,q. unic. art.2. corp. *Solos* (inquit) *ele-* S.Thom.
ctos diligit Deus amore amicitiæ. Durandus q. unic. ait,*dilectione antecedente,qua* Durand.
vult omnes homines salvos fieri, diligi á Deo omnes homines, & angelos; dilectione verò,quæ pertinet ad voluntatem consequẽtem, diligi solos prædestinatos, & electos.

23. Certa tamen doctrina est, quamdiù reprobus habet gratiam, esse amicum Dei: nam imprimis reprobus habet pro eo statu charitatem;hæc autem est ratio formalis amicitiæ secundùm doctrinam S.Tho- S. Thom.
mę in art. 1. & iuxtà ea, quæ hactenùs explicata sunt. Deinde Ioan. 15. ait Chri- Ioan. 15.
stus Dominus,*vos amici mei estis, si feceritis,quæ ego præcipio vobis;* at reprobus, quamdiù charitatem habet, facit omnia, quę gravi præcepto tenetur. Pręterea *Deus diligentes se diligit.* Proverb. 8. Et Prov. 8.
qui diligit Christum Dominum, diligetur à Patre eius. Ioan. 14. Sed prædictus reprobus diligit Deum, ergo ab ipso diligi-
tur, non utiqué alio amore quàm amicitię. Deniquè omnis iustus est amicus Dei; Ioan. 14.
sed quisquis habet charitatem est iustus, ergo est amicus Dei: consequentia est evidens,minor patet;quia charitatem comitatur gratia, quæ est causa formalis iustificationis, ut definitur à Tridentino sess. 6. cap.7. ubi etiam docet,*eum,qui iustifi-* Trident.
catur,ex inimico fieri amicum: & Can.17. definit, *iustificationis gratiam non solis prædestinatis,sed reprobis etiam contingere*: reprobus ergo iustificationem adeptus,simul est amicus Dei. Nec Doctores adducti aliud contendere potuerunt:Magister enim agit de dilectione, quatenùs complectitur universam seriem prædestinationis, & reprobationis,intrà quam, cũ tot tantaquè sint dona prædestinati per æternitatem duratura, meritó divinus amor,qui illorum fons est,dicitur simpliciter haberi ergà prædestinatum, non autẽ ergà reprobum,licèt pręcisè pro statu, in quo charitatem habet,verè ametur amore amicitię.& ad hunc fermè sensum S.
Bonaventura, cuius verba refert Diony- S.Bonav.
sius dist. 32.q.1. dixit, *quantum ad dile-* Dionys.
ctionem approbationis, secundùm præsentẽ

iustitiam, magis diligi à Deo iustum præscitum: sed quoad dilectionem æternæ electionis, plùs diligi prædestinatum iniustum. S. Thomas verò, & Durandus loquuntur nō solùm de prædestinatis absolutè, sed etiā de ijs, qui secundùm præsentem iustitiam sunt electi: reprobi autem, quatenùs charitatem habent, electi sunt in hoc sensu, quòd habent ius ad gloriam, & Deus decrevit illis eam conferre si perseveraverint.

SECTIO IIII.

Probatur habitum charitatis esse etiam hominis ad hominem, imò & ad angelum amicitiam.

24. ET si tam certum sit, charitatem infusam esse amicitiam hominis ad Deū, non videtur dici posse amicitia comparatione alterius hominis, & multò minùs cōparatione angelorū, quod sensit Vasquez lib.1. de Adoratione disp.6. cap.2. & lib.3. disp.1. cap.3. n.19. suaderique potest. Primùm quidem, quia obiectum formale charitatis est bonitas divina; ac proinde, quidquid mediante illa amatur, non propter se diligitur, sed propter Deum; nō ergo charitas inclinat hominem ad amandum hominem, vel angelum gratia ipsius, ut exigit vera amicitia. Deinde, quia amicitia est mutuus amor, plures autem sunt, qui nec redamant, nec redamare volunt amatores suos; homo enim sæpè diligit proximum sibi inimicum, vel qui charitatem non habet, qua redamare possit. Confirmatur, quia si peccatorem diligeret iustus amore amicitiæ, etiam diligeret dæmonem, essetque proinde amicus illius, quod est absurdum. Deniqué amicitia est ad paucos, si autem charitas dicatur esse amicitia hominis ad hominem, amici essent omnes angeli, & homines, quorum multitudo penè infinita est.

Vasquez.

25. Nihilominùs negandum non est, charitatem esse etiam amicitiam hominis ad hominem, & ad angelum: sic S. Thomas in art. 1. ad 2. & 3. Azorius tom.1. lib.9. cap.3. q.5. Aragon q.25. art.1. in difficultate circà ultimum argumentum; & ex professo probat Suarez lib.3. de Religione cap.5. n.12. id tribuens gravibus Scholasticis, quos proximè retulerat, & videtur communis sententia. Probatur primò testimonijs Scripturæ, & Patrum, Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicùt dilexi vos;* dilexit autem Christus Dominus suos ut amicos: & Actorū 4. *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una,* quibus verbis amicitia, eaq; strictissima denotatur; nam ut sapienter Aristoteles lib.2. magnorum moral. cap.11. *Cùm demum voluerimus impensè amicis dicere, una mea, & huius anima est, dicimus, sentimur.* Quis præterea neget id, quod in Psalm. 132. dictum est, *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum,* ad perfectam amicitiam pertinere? at istam unitatem à charitate provenire, docet ibidem S. Augustinus. Lege egregium S. Hieronymi commentarium in illa verba.

S.Thom. Azorius. Aragon. Suarez.

Ioan 15. Act.4. Aristot. Psal. 132. S.August. S.Hieron.

26. Eundem amicitiæ amorem ex charitatis virtute profectū satis declarant illa verba authoris libelli de substantia dilectionis apud S. Augustinum, to. 4. cap. 4. *Per amorem sociata est factori suo creatura rationalis, solumquè est dilectionis vinculum, quod ligat utrosque in idipsum, & tātò fælicius, quantò fortius, propter quod, ut indivisa societas, & concordia utrobiquè perfecta haberetur, geminatus est nexus in charitate Dei, & proximi, ut per charitatē Dei omnes uni adhærerent; per charitatem proximi, omnes unum fierent.* &c.

27. Secundò probatur ratione, respondēdo simul ad propositas difficultates. Etenim charitatis amor, quem Deus homini iusto infūdit, versari potest erga alterū hominē, vel angelū iustū, ac proindè eadem charitate insignitū: aut circa alterū hominē peccatorē, sed viatorē, qui Deo, aut ipsi amāti inimicus sit: aut deniq; circa damnatos, qui sunt omnino destituti spe felicitatis æternæ. Inter personas primi generis facilè explicari potest charitatem esse amicitiā, nā mediāte illa se mutuò diligunt semper quòad habitum: quòad actum verò, saltem quādo præceptum amoris obligaverit. Est prætereà hic amor utriquè iusto manifestus dupliciter; scilicèt, aut sub conditione, quia quilibet homo rectè novit se ab altero diligi, si hic alter iustus sit: aut absolutè per indicia, & signa huius amoris, quæ sæpè exhibere solent. Fundamētum què habet amor ille in aliquo convictu, & communicatione bonorum, nam pertinēt

ad

ad eandem Ecclesiam, in qua una est omnium fides, eadem sacramenta, & ad eandem beatitudinem habent ius ut ad paternã hæreditatem. Nec obstat primò, quòd per charitatem non amet unus iustus alterum propter ipsum, sed propter Deum; quia id non obstat veræ benevolentiæ, prout à concupiscentia distinguitur; sicut non obstat amicitiæ Dei erga hominem, quod hunc diligat propter bonitatem suã: vide, quæ in sectione secunda dicta sunt. Nec secūdò obstat, quod amicitia ad paucos esse debeat; iusti autem multi sunt, nã satis superque est, si præcipuus amicus, & propter quem ceteri amantur, népè Deus, unicus sit; plures enim esse possunt secundarij amici, quorum princeps, & primarius unus sit, & propter quem cæteri diligantur.

28. Deinde inter personas secundi generis fatemur quidem, non esse tam strictam amicitiam, quia hæc est mutuus amor, qui saltèm prout á charitate proficiscitur, inter solos iustos esse potest: & propterea Dominicus Bañez ad art. 5. negat inter iustum, & peccatorem esse amicitiam ex charitate profectam. Sed nihilominùs ex parte iusti dici potest, & debet amicitia; quia peccator, aut inimicus, ut rectè in huius rei explicatione notavit S. Thomas suprà adductus, non est primarius amicus, & qui propter se diligatur, sed secundarius, & dilectus propter Deũ, cuius amor mutuus est, non enim amatur, quin vicissim amet, *Ego enim* (inquit) *diligentes me diligo*. Prover. 8.

Bañez. S.Thom. Prover. 8

29. Ad extremum inter personas tertij generis non est amicitia, quia ad hanc necessaria est communicatio in bonis æternæ gloriæ saltém in spe, seu potentia remota, ut constat ex sect. 2. damnati autem sunt omnino destituti spe beatitudinis, qua absolutè secundùm ordinariam Dei potentiam est illis impossibilis.

SECTIO V.

Sit ne alia vera, & supernaturalis amicitia inter homines, quæ scilicèt ab habitu infuso á charitate distincto proveniat.

30. PRæmittendum est, inter plures homines esse naturalem amicitiam, quæ est mutuus amor benevolentiæ, cuius fundamentum est virtus in ipsis elucens; ac proinde ex eiusmodi amore, sicut ex alijs actibus voluntatis generari habitum naturalem, qui ad eiusmodi amorem incline; cumque non dubitetur, quin amor iste honestus sit, habitus quoque honestus erit, licèt ad quæstionem de modo loquēdi pertineat, num virtus appellari debeat. Sanè Aristoteles 8. ethic. cap. 1. dixit, *Amicitiam esse virtutem, aut cum virtute coniunctam*, & S. Thomas hic art. 3. ad 1. rem non definit, quidquid Caietanus velit. Porrò si virtus sit, ut quoàd rem ipsam esse videtur, cùm sit habitus studiosus, probabile est, illi respondere habitum infusum, seu supernaturalem eo modo, quo temperantiæ, & alijs virtutibus moralibus acquisitis respondent aliæ infusę circa ipsamet obiecta naturalia honesta, prout ad finem supernaturalem referuntur, id quod bene notavit Suarez lib. 3. de Religione cap. 5. n. 15. viderique possunt, quæ à nobis in Materia de Virtutibus dicta sunt in 1. 2. controver. 5. tract. 1.

Aristot. S.Thom. Caietan. Suarez.

Difficultas verò huius loci propria est, an sit aliquis amor supernaturalis, quo homines mutuo se ament propter gratiam, & alia dona supernaturalia creata, ita ut hic amor sit vera amicitia, distinctaque proinde ab ea, quæ provenit à charitate supernaturali, de qua hactenùs sermo fuit, & quæ non diligit hominem, nisi ob divinam bonitatem increatam, ut ampliùs infrà declarabitur in hoc tractatu, & in 5. 31.

Partem negantem amplectuntur Suarez tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 5. à n. 15. Aragon ad art. 1. q. 25. conc. 2. & videtur colligi ex antiquis Scholasticis, qui una eademquè charitate diligi affirmant proximum, & Deum, sed illi tantùm contendunt eodem habitu charitatis amari Deum, & proximum, quatenùs propter Deum amatur; non verò negant alium amorem, de quo hic disputatur, imò Suarez suprà n. 17. ait, istum amorem esse possibilem, re tamen ipsa non dari, quod idē sentiunt alij recentiores. 32.

Suarez. Aragon.

Probatur primò testimonijs Patrum, qui dilectionem proximi dicunt esse omnino connexam dilectioni Dei, ita ut ab illa separari non posit, sic S. Augustinus tom. 9. tract. 83. in Ioannem, *Ubi dilectio* (inquit) *proximi, ibi necessariò etiam di-* 33.

S.August. *lectio Dei; qui enim non diligit Deum, quo modo diligit proximum tanquam se ipsum?* & tract.9. in 1. epistol. m Ioannis declarãs illa verba cap. 4. *qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Falleris* (inquit) *si quando dicis diligo fratrem, putans quia non diligis Deum: necesse est ergò, qui diligis fratrem, diligas ipsam dilectionem; dilectio autem Deus est: necesse est ergò, ut Deum diligat, quisquis diligit fratrem.* Et S.Bernardus in tractatu de diligẽdo Deũ, S.Bernar. *Vt perfecta* (inquit) *iustitia sit diligere proximum, Deum in causa habere necesse est; alioquin proximum purè diligere quomodo potest, qui in Deo non diligit? Porrò in Deo diligere non potest, qui Deum non diligit: oportet ergò Deum diligi priùs, ut in Deo diligi possit, & proximus.* Nullam itaquè hi Sancti Patres dilectionem, aut amicitiam supernaturalem agnoscũt inter homines, quę ab amore Dei, ac proinde ab habitu charitatis non proveniat.

Secundò probatur ostendendo, impossibilem esse prædictum amorem ordinis
34. supernaturalis. Imprimis enim amor amicitię respicit bonum intrinsecum ipsius personæ, quæ amatur amore amicitię, & intuitu illius vult cætera bona: unde amor supernaturalis amicitię a charitate distinctus respiceret, ut motivũ formale, ipsam proximi personam, & intuitu illius vellet gratiam, & cætera dona supernaturalia; hoc autem est impossibile, tum quia obiectum formale amoris supernaturalis nõ potest esse quidpiam naturale, qualle est persona proximi, qui diligitur; tum etiam quia bona supernaturalia referentur ad ipsam personam, quæ illis est longè inferior, quod sine inordinatione fieri non potest. Deinde ostenditur eadem impossibilitas, quia prędictus amor esset Theologicus, & simul non Theologicus; nã Theologicus esse non posset, cum tres tantùm virtutes Theologicę sint, charitas, fides, & spes, ille autem non sit fides, cùm pertineat ad voluntatem, fides verò ad intellectum; nec esset charitas, ut supponitur; nec denique spes, quia amor ad spem pertinens est concupiscentię, & non amicitię. Aliunde verò videtur hic amor Theologicus, quia mediãte illo vellet proximus proximo ipsum Deum; qui est summum bonum illius; ac proinde obiectum illius esset Deus, quod est proprium virtutis Theologicę: impossibilis ergo est prædicta amicitia supernaturalis.

Tertió probatur, quia licèt possibilis foret, adhùc negandum esset, infundi à Deo habitum, aut exhiberi concursum ordinis supernaturalis ad eiusmodi amorem eliciendum. Primò, quia cùm charitatis habitus sufficienter inclinet ad amandum proximum ut amicum, iuxtà doctrinam sectionis præcedentis, superfluus esset alius habitus, pręsertim cùm amicitia fundamentum habeat in cõmunicatione bonorum; & inter homines ad supernaturalem finem evectos sit eadem omnino, & eorundem bonorum communicatio, scilicèt gratię, & glorię, quæ proinde unius tantùm amicitię fundamentum est, scillicèt illius, quæ provenit à charitate. Secundò, quia ex possibilitate alicuius habitus, aut actus supernaturalis non bene infertur eius existentia; plures enim possibiles sunt, quos Deus non infundit, eò quòd non sint necessarij; sed necessarius non est habitus huius amicitiæ, ergo. Tertio, quia licèt possibilis sit fides supernaturalis, qua quis credat mysteria divina propter authoritatem angeli, aut hominis beati, adhùc non infunditur à Deo, quia sufficit fides, qua creduntur propter authoritatem Dei; ergo similiter licèt possibilis sit amor supernaturalis, quo quis diligat proximum propter dona creata ordinis supernaturalis, adhùc non infunditur à Deo, quia sufficit charitas, qua proximus amatur propter Deum. Quartó, quia si semel admittatur habitus inclinãs ad amorem proximi propter dona supernaturalia, cùm hęc sint plura, & essentialiter distincta, plures quàm pro numero habitus infundentur, v. g. unus ad amandum proximum propter habitũ luminis gloriæ, alter propter habitum gratiæ, alius propter habitum fidei, & sic plures alij; quod nemo est, qui non videat esse fictitium. Quintò tandem, quia cùm inter homines multi sint destituti donis omnibus supernaturalibus, illos saltẽm nõ decet amari prædicto amore; imo nec cõparatione illorum poterit esse amicitia; cùm ista sit mutuus amor, & qui dona supernaturalia non habet, redamare non possit proximum, à quo diligitur.

Dicendum tamen est prædictum amo- 36.

rem

rem ordinis supernaturalis non solùm esse possibilem, sed etiã re ipsa infundi à Deo supernaturalem habitum, qui ad illum eliciendum inclinet. Sic docti recentiores, &inter eos Vasquez lib.1.de adorat.disp. 6. cap. 2. qui eum habitum generali nomine beneficentiam appellat. Colligitur ex S. Thoma, qui in hac 2.2.q.103. art.3.ad 2. *Non* (inquit) *per charitatem diligimus in proximo, nisi Deum; & ideò eadē charitas est, qua diligitur Deus, & proximus. Sunt autem aliæ amicitiæ differentes à charitate secūdùm alias rationes, quibus homines amantur.* Non loquitur autē de amicitijs naturalibus, seu quorum fundamentum est aliquod naturale donum; nam ex prædicta doctrina tanquàm ex simili infert, præter adorationem latriæ debitam Deo ob eius excellentiam, esse aliã scilicèt duliam debitam Sanctis propter illorum supernaturalem excellentiam: eadem doctrina est Durandi in 3. dist. 9. q. 3. ad 1.

Vasquez. S.Thom. Durand.

37. Atque imprimis prædictum amorem esse possibilem, vix potest ab ullo negari; nam ubi obiectum est honestum, & ordinis supernaturalis, esse potest amor supernaturalis, quo proportionatè diligatur; sed in hominibus evectis ad finem supernaturalem est obiectum honestum, & ordinis supernaturalis; ergo esse potest in illis amor supernaturalis, quo proportionatè diligatur. Consequentia est evidens: minor omnino perspicua, cùm habeant gratiam, charitatem, lumen gloriæ, visionem beatam, & plura alia. Maior deniq́ue manifestè probatur, quia nullus adhùc plura exegit ad possibilitatem actus supernaturalis, quàm obiectum omnino supernaturale, quod sub ea ratione sit dignum amore, utpotè honestum. Et sanè cùm ad amanda obiecta virtutū moralium, scilicèt temperantiæ, &c. infundat Deus secundùm probabiliorē opinionem habitus supernaturales, ea solùm ratione, quòd ista obiecta ad finem supernaturalem referantur, nemo non videbit, posse etiam infundi ad amorem aliorum obiectorum, quæ longè excellentiora sunt, utpotè in entitate omnino supernaturalia.

38. Erit autem hæc doctrina dilucidior, si confutentur ea, quæ pro huius amoris impossibilitate adducta sunt. Et ad primum quidem respōdetur, ab amicitia exigi quidem, ut amico tanquam fini cui exoptentur bona honesta, quæ illum decent; licèt ipsa bona honesta sint obiectum formale amoris, & ut dici solet finis qui; quarè dū proximus vult fratri suo gratiam, & visionem beatam, verè se gerit ut amicum, licèt amicus non sit obiectum formale, sed finis cui: & propterea licèt persona fratris sit quidpiam naturale, amor est supernaturalis, utpotè cuius formale obiectum, nempé gratia &c. supernaturale est. Nec ulla inordinatio cernitur in eo amoris modo; nam dona supernaturalia non referūtur ad hominem ut ad ultimum finem, sed tandem totum hoc suaptè natura refertur ad Deum, licèt homo sit finis nō ultimus. Quæ omnia perspicua sunt in virtute spei, quæ Deum summum bonum amat nobis, & tamen honestissima, & supernaturalis est, quia obiectum formale est Deus, nos verò solúm sumus finis cui, qui tandem ad ipsum Deum refertur. ¶ Ad secundum respondetur prędictum amorem non esse Theologicum, quia obiectum formale illius non est Deus, nec enim medio illo volumus proximis nostris Deum immediatè, & in se ipso, sed dona supernaturalia visionis beatæ, gratiæ, &c. in quibus elucet ipse Deus.

Deinde verò reipsa infundi à Deo supernaturalem habitum ad prædictum amicitiæ amorem eliciendum. Probatur primò, quia cùm in multis, atque adeò innumeris occasionibus occurrat necessitas, aut utilitas diligendi proximum vera amicitia supernaturali, non minùs quàm humana, & politica, aliundeq́ue difficile sit elicere actum charitatis, Theologicæq́ue amicitiæ, utpotè perfectissimum, humanæ imbecillitati consultum fuisse credendum est, infundendo istum habitum inferioris amicitiæ, quæ faciliùs exerceri posset. Cōfirmatur, quia circa materias virtutum moralium potest versari voluntas medijs actibus charitatis, & tamen quia id sublimius, & difficilius erat, infudit Deus virtutes morales, quæ circa obiecta ipsa creata versarentur, essentq́ue proinde accommodatiores imbecillitati nostræ: ergo licèt proximus amari posit, & soleat propter Deum media virtute charitatis, erit etiam alia virtus inferior, & nobis magis accommodata, quę inclinet ad eius amorem propter dona creata. 39.

40. Secundò probatur, quia Deus infundit homini attritionis habitum, quo inclinetur ad detestanda peccata propter pœnas inferni, ut ex Materia de Pœnitentia suppono; sed obiectum formale huius attritionis est supernaturalis beatitudo, & cætera dona, prout ad beatitudinem referuntur; ergo Deus infundit habitum ad amãdam beatitudinẽ, & cætera dona supernaturalia creata non solum nobis, sed etiam proximis, in quibus eadem ratio formalis est. Minor probatur, quia pœnæ ipsæ inferorum non possunt esse obiectum formale habitus, præsertim supernaturalis, cuius species desumitur ex bono ordinis supernaturalis; pœna verò malum est, & quidpiam naturale. Quod prætereà confirmatur, quia ab eodẽ habitu provenit odium mali, & amor boni contrarij, ut alibi dictũ est, & infrà dicetur; sed attritionis habitus inclinat ad odium pœnarum inferni, ergo & ad amorem beatitudinis supernaturalis, cui opponuntur.

41. *Suarez.* Et quidem Suarez tom.4. Comment. in 3.p ad q.85.disp.5.sect.2.n.10. Admittit illum habitum, addit tamen, illum non distingui à virtute Theologica spei, quia mediante illa volumus Deum ut bonum nobis, ac proinde ut est nostra beatitudo. Sed imprimis licèt darem' id esse verum, adhùc fateri oporteret, habitum spei esse amicitiam supernaturalem, non quidem Dei, quia illum non amat propter se, sed proximorum; quia medio illo amamus Deum, & nobis, & proximis nostris; unde licèt Deus ametur amore concupiscentiæ, proximus, cui amatur, diligitur amore amicitiæ. Quæ doctrina planè desumitur ex S.Thoma 1.2.q.26. artic. 4. & Caietano ibidem asserentibus, cùm quis vult alteri aliquod bonum, illud quidem, quod vult, amari amore concupiscentiæ; personam verò, cui vult, amari amore amicitiæ; non ergo omnis amicitia supernaturalis à charitate distincta negari potest.

S.Thom. Caietan.

42. Deinde non videtur verum, attritionis habitum esse eũdem, quem habitum spei: nam hic virtus Theologica est, & proinde quacumque morali perfectior; attritio autem est imperfectus dolor, & ex motivis creatis conceptus. Confirmatur, quia virtus pœnitentiæ, à qua elicitur actus doloris peccati, quia est offensa Dei, habet excellentius motivum, quàm attritio; sed habitus spei habet excellentius motivum, quàm pœnitentia, cùm hæc sit virtus moralis, illa verò Theologica, ergo habitus attritionis non habet motivum spei.

Dicẽdum igitur est, infundi à Deo animis iustorum quendam supernaturalem habitum, cuius motivum formale sit perfecta interni hominis pulchritudo ex donis supernaturalibus proveniens, prout complectitur omnia bona ad consequendam beatitudinem supernaturalem patriæ requisita; ac proinde ipsam etiam beatam visionem. Hic itaque habitus inclinat voluntatem ad amãdum proprio supposito, imò & proximis hanc pulchritudinem, & sub hac ratione est illa amicitia, quam in hac sectione astruimus; inclinat etiam ad odium mali huic pulchritudini oppositi, ac proinde ad odium pœnarũ inferni, quæ consistunt potissimùm in privatione illius decoris, & in dolore de hac privatione concepto; & consequenter ad detestanda peccata, quibus infligitur illa pœna, & sub hac ratione est attritio. 43.

Nec obstant, quæ in tertio fundamento prioris opinionis iacta sunt: non primũ, quia iam ostendimus, non esse istud amicitiæ genus superfluum, & licèt in communicatione beatitudinis fundamentum habeat, adhùc inniti diverso motivo formali, & propterea distingui á charitate. Nec secundum; quia licèt illa doctrina vera sit in generali, verissimum etiam est, eos habitus possibiles fuisse infusos, quos infundi decuit: ostendimus autem, decere maximè huius amicitiæ infusionem. Nec tertium, quia concesso antecedente neganda est consequentia; cùm enim angelus, aut beatus raro, aut nunquàm soleat proponere nobis veritates credendas, nisi ob divinum testimoniũ; sufficiebat fides Theologica ad illarum assensum, & alia foret superflua; sæpè verò occurrunt nobis occasiones eliciendi actus istius amicitiæ supernaturalis, & attritionis, quæ ad illam pertinet ut dictum est. Ad quartùm respondetur, sicùt charitas una est, quia licet in Deo sint plures rationes formales bonitatis, omnes per modum unius, & sub quadam generali distributione amantur, ut in tract. 5. patebit; ita una est hęc amicitia, quia eius obiectum est perfecta interni hominis pulchritudo, complectens omnia per modum unius; forentque superfluæ 44.

plures pro multitudine habituum, & donorum; sicùt & plures charitates pro distinctione bonitatum. Ad quintum fatemur in eo eventu non fore præfatum amorem perfectam amicitiam; haberet tamen ex parte amantis quidquid requiritur, ut cùm alter redamaverit, dicatur, & sit amicitia. Et quàmvis iuxta suprà dicta, amicitia sit ad paucos, & hæc extendi possit ad omnes homines, quippè quibus velle possumus hanc perfectam interni hominis pulchritudinem; ea tamen amicitiæ conditio non est essentialis, quasi qui multos diligit reciproco, & nó mercenario amore, non possit esse absolutè amicus, præsertim si auxilium gratiæ adsit, quod huic habitui præsto est, ut resarciatur id, quod alioqui in amicitia humana ad maiorem perfectionem amoris requiri solet.

45. Ad extremum Patres suprà adducti non negant istum dilectionis modum, quem explicavimus; nam S. Augustinus
S. August. in illo tractat. 83. agit de illa dilectione, qua quis amat proximum, ut regnet cum Christo; & hanc ait oriri ex amore Dei, quia plerumque solet illum supponere, & quia saltem in obliquo terminatur tandem ad Deum: & eiusmodi est amicitia, de qua hic locuti sumus; amat enim proximus amico suo perfectam interni hominis pulchritudinem, quæ includit gratiam, ac proinde ius ad regnandú cũ Christo, & ipsam Dei visionem, & amorem, quibus possidetur Deus in regno suo; totus ergò hic amor ad Deum refertur, & mediatè, seu consequenter est dilectio Dei, qui enim amat ius ad videndum Deum, & fruitionem ipsius, Deum amare censetur: & eodem modo explicandum est, quod in illo tract. 9. dicit; & similiter S. Bernardus, nisi fortè loquatur de amore proximi perfectissimo; nic enim sinè dubio à sola charitate effici potest. Vide quod ex S. Augustino retulimus in disput. 2. num. 5. ubi omnem amorem etiam provenientem ab aliis virtutibus vocat amorem Dei, quia nimirùm tandem ad illum referri debet.

(✠)

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm habitus infusus charitatis sit virtus Theologica: ubi de eius excellentia inter cæteras virtutes, & entitates.

Legendus est S. Thomas in art. 3. 4. & 6. nos in alijs locis differuimus de his omnibus, & ideò ex illis breviter recolenda sunt. 1. *S. Thom.*
Primùm ergò habitum charitatis esse virtutem, indubitatum est; inclinat enim ad actum honestum & alioqui difficilem, & mensuratur regula totius honestatis, quæ Deus est. Nec ut denominetur virtus, requiritur magna aliqua intensio; nam in quocumque gradu infundatur est absolutè, & simpliciter virtus; comitatur enim gratiá, qua redditur homo iustus, & potens resistere cuicumque vitio contrario ad mortale inclinanti; & id ipsum habent cæteræ virtutes infusæ, quæ gratiã comitantur, etiamsi valde remissæ sunt: licét virtutes naturales siné gratia non habeát omnino statum virtutis, quando ita remissæ sunt, ut vix valeant contrarijs vitijs aliquantulùm resistere.

Deinde est charitas virtus specialis, quia, ut optimè S. Thom. in art. 4. habet speciale obiectú formale, népè diviná bonitaté, qua Deus in se, & sibi ipsi bonus, atq; optimus est: distinctio auté virtutum à distinctione obiectorum formaliũ desumitur. Ex quo ulteriùs infertur, esse virtutem Theologicá; quia, ut in Materia de Virtutibus dicebamus, illa est virtus Theologica, cuius obiectú formale saltè præcipuũ Deus est, obiectum autem formale, & adæquatũ habitus charitatis est divina bonitas, ut in tract. 5. declarabitur. 2.

Ad hæc iure optimo S. Thomas in art. 6. absoluté affirmat, charitatem esse virtutum omnium excellentissimam, ita ut inter quatuor Cardinales, & tres Theologicas principem locum obtineat. Et quidé Cardinalibus, seu Moralibus antecellit, quia regula immediata istarum est recta ratio; Theologicarũ auté virtutum regula immediata, & perfectissima Deus est. 3.

Inter Theologicas verò nulla est tam perfecta, quia fides attingit Deum ut aliquid nobis revelantem; spes ut aliquid promittentem, seu ut est bonum nostrum in patria possidendum: at verò charitas tendit ad Deum in se, & propter se, non habita ratione alicuius emolumenti, quod inde nobis proveniat; & hic modus attingendi Deum præstantissimus est, proptereaque Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Nunc* (inquit) *manent fides, spes, charitas, tria hæc; maior autem horum est charitas.* Vnde obiter inferes, excedi habitum charitatis ab habitu luminis gloriæ, & à visione beata, quia pertinet ad intellectum, qui est facultas nobilior, & attingunt nobilissimo modo Deum ut est in se. Exceditur etiam charitas à gratia, quę est illius radix, formaliterque iustificat animum, & consequenter ab unione hypostatica, quæ optimo modo sanctificat; reliquos verò habitus supernaturales, imò & omnes entitates naturales creatas, vel creabiles superat charitas, de quo quoniam in 1.2. controver.8. tract.4. disp. 5. & 6. latè disseruimus, nihil hoc in loco dicendū est; solùm addo unum, vel alterum testimonium, quod ibi non retuli. Sanctus enim Augustinus tom. 9. in tract. de laudibus charitatis, *Respice* (inquit) *ad munera Ecclesiæ, & universis excellentius charitatis munus cognosces, qua, ut oleum, non potest premi in imo sed semper superbullit.* Et S. Maximus tom. 5. Bibliotecæ novæ, Centuria 1. cap. 29. *Charitas è numero bonorum primum, & egregium bonum:* & cap. 48. *Apud eos* (inquit) *qui mente pollent, inter ea, quæ secundùm Deum sunt, nihil est pretiosius perfecta dilectione.*

1. Cor. 13.

S. August.

S. Maxim.

DISPVTATIO V.

Vtrùm habitus charitatis sit virtus unius speciei infimæ.

SECTIO I.

Proposita multiplici ratione dubitandi statuitur habitum charitatis esse unum specie infima.



Sermo est de habitu per se infuso, qui inclinat ad diligēdū super omnia Deū medio actu supernaturali, nā de alijs habitibus naturalibus nihil hic speciale dicendū occurrit, præter generalē doctrinam, quā in Materia de Habitibus, seu in 1. 2. controver. 4. statuebamus. Habitū ergò per se infusum charitatis esse multiplicē specie, videtur docuisse Gab. in 3. dist. 27 q. un. ar. 1. notab. 2. & ar. 2 cōc. 2. Suadeturq; primò, quia distinctio habituū desumitur à distinctione formal ū obiectorū, sed plura sunt obiecta formalia habitus charitatis; ergo habitus charitatis est multiplex secundū speciē. Maior, & cōsequētia patēt: minor probatur, quia obiectum formale charitatis est bonitas, qua Deus in se bonus est; sed hæc bonitas est multiplex secundū rationē, ergo. Minor patet, nā in Deo una est bonitas naturalis, altera supernaturalis, una essentiæ, altera personarū, alia unius attributi, alia alterius. Confirmatur primò, quia habitus charitatis distinguitur ab habitu spei, eò quòd obiectū formale illius est una bonitas, illa scilicèt qua Deus est in se bonus; huius verò obiectū formale est bonitas altera, qua scilicèt est bonus nobis: ergo similiter erūt plures habitus charitatis pro multiplici bonitate, qua diversa attributa divina bona sunt. Cōfirmatur secundò, quia si uno actu videretur unū attributū divinū, altero, alterū, visiones forent specie distinctæ, & consequenter lumina gloriæ ad illas inclinantia; ergo similiter ad amanda diversa attributa erunt diversi amores, & proinde diversi habitus. Confirmatur tertiò, quia solus diversus modus tendendi sufficit ad distinctionem habituum, sed circa bonitatem divinam potest esse diversus modus tendendi voluntatis, ergo. 1.

Gabr.

Secundò suadetur idē, quia charitas patriæ, & charitas viæ distinguuntur specie, ergo nō est charitas unius infimæ speciei. Antecedēs probatur, tū quia charitas patriæ gubernatur à visione clara Dei ut est in se, & charitas viæ à cognitione obscura, & abstractiva fidei; tū quia illa diligit Deū ut in se est, & quoàd omnē bonitatē explicitè cognitā; hęc verò fertur ad Deū, proút cōnotativé, & per analogiā ad creaturas cognoscitur, sępeq; nō distinctè & 2.

explicitè,

explicitè, sed confusè; tum deniquè, quia amor patriæ est necessarius, amor autem viæ omnino liber.

3. Tertiò suadetur, quia ad charitatem spectat non solùm amare Deum, sed etiam proximum; hi autem amores non possunt esse eiusdem infimæ speciei; ergo nec habitus à quibus efficiuntur. Maior est omnino certa, & consequentia patet; quia distinctio specifica habituum desumitur à distinctione specifica actuum. Minor probatur primò, quia Deus amandus est super omnia, & tãquàm summum bonũ, proximus verò non ita; ergo diverso modo afficitur voluntas erga Deũ, & erga proximũ; quod planè indicat essentialẽ distinctionẽ. Secundò, quia proximus amatur ut mediũ, Deus verò ut finis; amor autẽ finis, & amor medij distinguũtur essentialiter. Confirmatur, quia habitus inclinans ad cultũ Dei differt essentialiter ab eo, qui inclinat ad cultum Sãctorum; ergo habitus inclinãs ad amorem Dei differt etiã specie ab eo, qui inclinat ad amorẽ Sanctorũ, & cuiuscumq; proximi. Antecedens patet, quia prior ille habitus est latria; posterior autẽ dulia, qui sunt duo modi maximè diversi. Consequentia verò probatur, quia nulla ratio reddi potest ob quam diversus necessariò sit cultus Dei à cultu proximi, amor autem unus idemque sit.

4. Quartò tandem probatur multiplicitas habitus charitatis, quia inclinat ad plures actus specie distinctos, qui iuxta proximè dicta, ab uno habitu elici nõ possunt. Assumptum declaratur, quia virtus charitatis non solùm inclinat ad amorẽ Dei, sed etiã ad odium peccati, ad spem salutis æternæ, ad desideriũ gloriæ divinæ, ad concipiẽdam delectationẽ de adeptione summi boni, qui, & plures alij actus non possunt ad eandẽ speciẽ pertinere, cũ vel ex parte obiecti, vel saltèm ex modo tẽdendi maximè differant. Confirmatur efficaciter, quia amor efficax Dei, & amor inefficax distinguuntur specie, ergo illis respondet duplex habitus charitatis. Antecedẽs patet, quia amor inefficax reperitur in peccatore, qui antequã iustificetur, diligere incipit Deũ iustitiæ fontẽ, ut loquitur Trident. sess. 6. c. 6. si autem esset eiusdẽ speciei cũ amore efficaci, diceretur absolute in peccatore reperiri virtus charitatis, quod est omnino absurdũ, cũ charitas omnino expellat peccatũ, & nõ possit esse, nisi in homine iusto, iuxta illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus.* Ioan. 15.

Trident.

5. Nihilominùs dicendũ est, habitũ charitatis, quẽ Deus re ipsa infundit, esse unius infimæ speciei. Sic S. Thom. in art. 5. ubi Bañez, Aragon, & ad arg. 1. q. 25. & Valencia disp. 3. q. 1. p. 1. assert. 4. Alios Doctores cõmodiùs referemus in sequẽtibus sectionibus explicãtes peculiares difficultates, de quibus mẽtio fit in rationibus dubitãdi. Probatur modò assertio rationibus S. Thomæ. Prior est, unicum est obiectũ formale, seu, quod idẽ est, unicus finis habitus charitatis, ergo habitus charitatis est unius infimę speciei. Antecedẽs suppono ex tract. 5. ubi explicabitur id, quod nõ semel hoc loco dictum est, & in sectione sequẽte dicetur, scilicèt obiectũ formale, & finẽ proximum charitatis esse divinã bonitatẽ, prout cõplectitur omnẽ id, quod reddit Deũ in se ipso bonũ, saltẽ cõparatione finis supernaturalis, quæ ratio una est simpliciter, & absolutè, quamvis enim plures quasi formalitates cõplectatur, omnes adæquatã rationem obiecti formalis constituunt. Consequentia verò probatur, quia unitas specifica habit⁹ desumitur ab unitate obiecti formalis, quãdo in modo tendendi ad illud nulla est essentialis diversitas, ut non esse in habitu charitatis, patebit ex sequentibus sectionibus. Posterior S. Thomæ ratio est, charitatis habitus est amicitia, quę fundamentũ habet in cõmunicatione beatitudinis æternæ, ut infrà explicabimus; sed beatitudo æterna, seu clara Dei visio est unius speciei, ut ex 1. p. q. 12. supponitur; ergo & charitas. Probatur consequẽtia, quia unitas amicitiæ provenit ab unitate boni, cuius communicatio est fundamẽtum illius. Quæ ratio ita accipienda est, ut non excludat, sed includat potiùs priorem, quia semper unitas obiecti formalis requiritur ad unitatem habitus. S. Thom. Bañez. Aragon. Valenc.

SECTIO II.

Diluitur prima dubitandi ratio, & disseritur de absoluta possibilitate alterius charitatis specie distincta.

6. AD primam ergò rationem dubitandi respondetur, concessa maiori, negando minorem. Cuius probatio nõ urget, quia charitas, quam Deus reipsa nobis, & angelis infudit, non respicit ut obiectum formale bonitatẽ solã unius attributi, vel alterius, sed bonitatẽ Dei, prout complectitur omnes illas quasi inadæquatas formalitates, quibus essentia, & attributa divina sunt in se ipsis bona; bonitatẽ verò relativã personarũ respicit ut cõplementum sui obiecti formalis; naturalẽ autem bonitatem, ut patebit tract. 5. respicit solũ ut obiectũ materiale, quod proinde non immutat, vel multiplicat speciem habitus, quarè absolutè unicum est obiectum formale charitatis.

Tres confirmationes huius primi argu-
7. mẽti rectè probãt id, quod propterea cõcedendũ est; scilicèt possibilẽ esse alium, imò & alios habitus charitatis specie distinctos, quod nõ negatur à Doctoribus, cũ ipsi de sola charitate existẽte disputẽt; & inter illos Scotus in 3. dist. 31. §. *viso de*
Scotus. *fide*. vers. *si obijcitur*, dissertè testatur, esse possibiles duos habitus charitatis, licèt re ipsa non dentur ideò graves Scholastici fatentur nunc esse duos actus charitatis essentialiter diversos, ut patebit sectione sequente, licèt illorũ sententia cõfutãda sit. Sed ut hoc ipsum magis eluceat, obijcio primò, si amor bonitatis Dei, quę propria est essentiæ divinæ, distingueretur essentialiter ab amore bonitatis sapiẽtiæ, aut immẽsitatis, v. g. re ipsa infudisset Deus plures charitates specie distinctas: nã experientia compertũ est, sæpè iustos solere amare divinã essentiã præcisè, deinde verò sapientiam, aut alias divinas perfectiones, sicùt solent sæpè illas singillatim cõsiderare, & à singularũ excellẽtia allici ad amorem. Confirmatur, quia plures etiam iusti, qui in antiqua lege nõ cognoscebant Deum nisi ut unum, solam bonitatem essentiæ amabant ut obiectum formale & modò frequentissimum est, amari Deum, Trinum, & Vnum, ergo amores isti diversum obiectum formale habent, ac proinde essentialiter diversi sunt, illisque respõdent habitus specie diversi, quibus elevetur voluntas ad eos eliciendos.

8. Respondetur negando consecutionẽ; & ut probatio diluatur, advertendũ est, cũ quis cõsiderata excellẽtia divinæ naturæ, aut alicuius perfectionis divinæ, allicitur ad amorẽ illius, id posse dupliciter evenire; uno modo ita ut illã amet simul cũ omni alia perfectione, quã habet, saltèm implicitã quãdã, & virtuali ratione, licet occasionẽ amandi præbuerit explicita cõsideratio unius tantũ perfectionis; & id nõ satis est ad distinguẽdos essentialiter amores quia absolutè illi speciem desumũt à divina bonitate prout in se est, & solũ differũt ob implicitã aut explicitã repræsẽtationẽ eiusdẽmet bonitatis quod licèt ad distinctionẽ actuũ intellectus fortè sufficiat, non satis est ad distinctionem actuũ voluntatis quorũ ratio nõ est explicare, aut implicare obiectũ (sicut propriũ est actuũ intellect⁹, inter quos proinde id causaret essentialẽ distinctionem) sed erga illud affici. Alterò modo evenire potest, ita ut bonitas ipsius perfectionis divinæ sit solũ motivũ amoris, qui sua intrinseca differẽtia feratur ad hãc potiùs, quã ad illã, quasi postulãdo ab intellectu præcisè proponi ut motivũ istã bonitatẽ, & non aliam, sicùt actus charitatis exigit proponi bonitatem, qua Deus est in se bonus, non qua nobis bonus est, nam hanc exigit actus spei: & sic fatemur distingui specie illos amores, qui respicerent diversas bonitates, quæ in essentia, & attributis elucẽt. Sed negandũ est re ipsa cõcurrere Deum suo auxilio supernaturali ad eliciẽdos actus supernaturales, circà obiecta hoc modo proposita, & consequenter negamus infundi habitus supernaturales ad illos; quia licet re vera possibiles sint, nõ sunt necessarij; & alioquì infusus iam est unus habitus, & oblatum supernaturale auxilium, quibus voluntas hanc omnem bonitatem, ut unum adæquatũ obiectum formale amet; qui mod⁹ amoris est magis cõsentaneus excellẽtiæ obiecti divini, & nostræ voluntati, quæ non solet sub eiusmodi præcisionibus diligere bonitatẽ obiecti: similiq; ratione certũ est, nõ infũdi à Deo habitus ad quãcumq; veluti cõplicationẽ, aut præcisionem obiectorum supernaturalium, quæ à nobis effici potest; id enim superfluũ videretur, licèt possibile sit. Vnde ad amandũ Deum uno actu ut bonum sibi, & nobis non infũdit Deus tertiũ habitum, qui ab utraque bonitate specificetur; similiter non est aliqua vir-

tus

tus infusa, quæ simul feratur ad obiectum temperantiæ, & religionis, v. g. quia sufficiunt aliæ virtutes, quarum singulis singula ex his obiectis adæquatè respondent. Concludo ergò, si quis modo explicato conaretur amorem elicere, illum futurum entitatis naturalis, licèt si Deus, ut posset ex absoluta potentia, impenderet supernaturale auxilium, evaderet supernaturalis.

9. Ad confirmationem respōdetur, iustos in antiqua lege dilexisse Deum ut Trinū implicitè, & virtualiter eo modo, quo in solutione obiectionis diximus diligi posse, & solere totū Deū ab eo, qui explicitè solùm allicitur à consideratione excellentiæ uni' perfectionis divinæ, & propterea ille amor erat eiusdem speciei cum eo, quē eliciunt modo iusti.

10. Obijcies secundò, ille amor unius attributi posteriori modo explicatus est omnino illicitus, ergo etiā ex absoluta potentia repugnat infundi à Deo habitū supernaturalem, qui ad illum inclinet. Patet consequentia, quia habitus per se infusus non potest ad malum inclinare; alioqui Deus eum infundens esset illius mali author, & causa. Antecedens probatur, quia ille modus amoris est contra divinam perfectionem; etenim sicut de ratione cuiuslibet attributi est includere bonitates cæterorū, ita exigit ut cæteræ bonitates amentur amata bonitate unius; ac proinde ut quilibet amor respiciēs Deū attingat idē obiectum formale, & consequenter ut nulla sit diversitas essentialis inter amores, quibus Deus honestè diligi potest. Respondetur, contra divinā perfectionē esse diligi unius attributi bonitatē, excludēdo cæteras etiā à ratione obiecti materialis: & ita verum est, non posse amari bonitatem unius attributi, quin cæteræ amentur saltém implicitè, & ut obiectum materiale: nulla verò ratione suaderi potest, esse contrarium perfectioni divinæ, voluntatem nostrā ferri uno actu ad bonitatem unius attributi ut ad obiectum formale adæquatum, & altero ad bonitatem alterius; quod satis superque est, ut habeant diversa obiecta formalia, & consequenter distinguantur specie: sic enim re ipsa perspicitur in spe, & charitate; quarū illa respicit ut obiectum formale eam solā bonitatē, qua Deus est bonus nobis; hec verò illam solam, qua Deus est in se bonus; & propterea differunt specie, licèt altera respiciat alterius obiectum ut quidpiam materiale.

SECTIO III.

Ostenditur charitatem patriæ esse eiusdem speciei cum charitate viæ.

PRopter secundam rationem dubitandi existimarunt nonnulli Theologi, actū charitatis elicitum à beatis distingui specie ab illo, quem eliciunt viatores. Sic Scotus in 4. dist. 49. q. 5. §. *aliter potest dici.* Paludanus in 3. distin. 31. q. 1. art. 2. sub finem, Gabriel ibidem quæst. unica art. 3. dub. 2. tribuitur Ferraræ 3. contra Gentes cap. 62. & alijs, licèt omnes supponant planè, habitum charitatis esse unū in utroque statu, cùm absolutè Apostolus 1. ad Corinh. 13. dicat, nunquàm fore, ut charitas deficiat, ac proinde negari nō possit, illummet habitum, qui viatorē inclinabat ad amandū Deum, inclinare etiā voluntates beatorum. 11. *Scotus. Palud. Gabriel. Ferrara.*

Dicendū tamen est, charitatem, tam quoad actus, quàm quoad habitum esse utrobique eiusdem speciei: sic S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 6. ubi Caietanus, S Bonavētura in 3. dist. 31. art. 3. q 1, Scotus q. unic. §. *viso de fide*, & maximè in vers *si obijcitur.* Durandus q. 6. Albertus Magn. apud Carthusianū ibi q. 5. dicens, *in patria permanere habitum, & actum charitatis substantialiter, atque formaliter*: & infrà, *de charitate* (inquit) *perhibeo, quòd maneat eadem numero in via, & patria quantùm ad subiectum, & eadem specie ex parte obiecti*; idipsum sentiūt alij Doctores, & probatur primò, illo ipso fundamēto, quod adversarij destruere nō audēt, in patria, & in via est eiusdē speciei habitus charitatis, ergo & actus. Probatur cōsequentia, quia eo differt habitus à potentia, quòd hæc plures actus essentialiter diversos efficere potest, at habitus uni tantùm speciei actuum adstrictus est, & nisi hoc principiū semel statuatur, nullum erit aptum signū identitatis, & distinctionis habituum, atque virtutū. Sed de hoc latiùs in Materia de Habitibus, seu in 1. 2. controver. 4. dictū est. Secundò probatur, quia nulla pluralitas, aut distinctio asserenda est sinè necessitate, sed nulla necessitas est asserendi hanc distinctionem actuum charitatis; ergo. Mi- 12. *S. Thom. Caietan. S. Bonav. Scot. Durand. Albert.*

nor patuit, respondendo ad secundam rationem dubitandi: nunc breviter confirmatur idem, quia habitus fidei solùm inclinat ad actus eiusdem speciei, & similiter habitus spei; ergo idem dicendum est de habitu charitatis, ut ita inter tres virtutes Theologicas, quæ poterit, similitudo servetur.

13. Ad præfatam ergò rationem respondetur, negando antecedens, & ad primam probationem dicitur, visionem, & fidem esse conditiones, seu applicationes obiecti formalis, quod proponitur voluntati; cùm ergò idem omnino obiectum, scilicèt summa Dei bonitas, utroque actu proponatur voluntati, utrobique eliciet actū amoris eiusdem speciei, quantumcumque conditiones, seu applicationes differant essentialiter. Ad secundam, amor etiam in via tendit ad Deum ut est in se; id est, ad illammet bonitatem adæquatam, quam in se habet, & quam beatus videt, licèt actus fidei illam non repræsentet ut est in se, id est, per conceptum, qui Deum per propriam speciem, & per modum actus puri cognoscat, quàmvis re vera attingat fides totum Deum, eiusque bonitatem. Itaque in hoc negotio solùm ostenditur diversitas inter ipsos actus intellectus, quia illorum propriæ differentiæ sunt clarum, & obscurum, intuitivum, & abstractivum, implicitum, & explicitum; at ipsi actus voluntatis non differunt essentialiter, quia eandem bonitatem attingunt, quantumcumque diverso modo proponatur; id enim non mutat essentiam amoris, quamdiù idem omnino est, quod amatur.

14. Sed urgebis, nihil volitum, quin præcognitum; sed in via non cognoscitur Deus ut est in se, ergo non amatur ut est in se; ergo amor patriæ tendés ad Deum ut est in se, quidpiam diversum attingit in obiecto, & proinde differt essentialiter ab amore viæ. Respondetur concessa maiori, distinguendo minorem; si enim *ut est in se*, accipiatur ut propositio accipit ex parte cognitionis, verissima est, quia actus fidei viatoris non repræsentat Deum media essentia divina ut specie, & per modū actus puri; si verò *ut est in se*, accipiatur ex parte obiecti quasi aliquid sit in Deo, quod non attingat fides, falsa est; nam totum, quod Deus habet, obscurè attingit fides; undè absolutè neganda est consequentia, quia voluntatem ferri ad Deum ut est in se, solum significat ferri ad id, quod Deus in se habet, id enim est obiectum voluntatis, & charitatis, quaré idem amatur in via, & in patria, & omnis alia diversitas in intellectu est, nō in voluntate. *S. Thom.*
Vide S. Thomam q. 27. art. 4.

15. Ad tertiam denique probationem; libertas, & necessitas non sunt differentiæ essentiales actuum, sed quidpiam materiale, quod intrà eandem speciem reperitur, ut alibi dictum est.

16. In fine sectionis adverto, amorem patriæ, licèt eiusdem speciei sit cum amore viatorum, habere aliquid peculiaris perfectionis, ratione cuius, antecellat cuicumque amori, qui in via eliciatur; & fruitionem, quæ est gaudium de summo bono re ipsa in cælis possesso, habere peculiarem excellentiam in sua intrinseca entitate, quæ in fruitionem viatorum cadere non potest, quantumcumque sint eiusdem speciei, de quo in tract. 3.

SECTIO IIII.

Explicatur quomodo eadem specie charitatis Deus, & proximus diligantur.

17. ANtisiodorensis lib. 3. summę apud Carthusianum in 3. dist. 27. q. ult. impossibile putavit, eodem charitatis actu diligi Deum, & proximum. Quòd ita explicat Dionysius, ut loquatur de amore proximi, cuius formale obiectum sit aliquod bonum creatum; in eodem enim sensu idem videtur docere S. Bonaventura, quem ibidem refert, estque sinè dubio verissimum, ut patet ex disp. 3. sect. ultim. Quando autem proximus non est ratio formalis amandi, sed solùm obiectum materiale, in quod fertur voluntas intuitu bonitatis divinæ, negari non potest, eadē specie charitatis diligi Deum, & proximum. Sic S. Thomas adductus in disp. 3. sect. ult. & in art. 5. huius quæstionis ad 1. Durandus ibidem relatus: Magister in 3. dist. 27. vbi S. Bonaventura art. 2. q. 3. Carthusianus, Suarez lib. 3. de religione cap. 5. Vasquez lib. 1. de adorat. disp. 6. cum Marsilio, & alij.

Antisiod. *Carthus.* *S. Bonav.* *S. Thom.* *Durand.* *Magister.* *S. Bonav.* *Carthus.* *Suarez.* *Vasquez.*

18. Probatur primò authoritate Patrum, qui una eademque charitate testantur diligi Deum, & proximum. Sic S. Gregorius

rius Homil.16.in Ezechielem non longè
ab initio, *Vita* (inquit) *nostra tendi quoti-*
S.Greg. *diè per charitatem debet in amorem Dei*
simul,& proximi, &c. S. Nazianzenus in
S. Naziã. orat. de pauperum amore, cum ab initio
plures virtutes commendasset, *Si tamen*
(inquit) *ex Pauli,atquè ipsius etiam Chri*
sti sententia, & authoritate charitas præ-
ceptorum omnium primum, maximumque
censendum est,huius potissimam partem in
eo sitam esse comperio,ut pauperes amore,
& beneuolentia complectamur. Ecce ad
charitatem,qua diligitur Deus,(hæc enim
est primum,& maximum mandatum te-
stante Domino) ait Nazianzenus, perti-
nere amorem proximi. S. Augustinus to.
S. August. 9. tract. 87. in Ioannem, *Charitas* (in-
quit) *est fructus noster,hac diligimus invi-*
cem,hac diligimus Deum: nequè enim vera
dilectione diligeremus invicem,nisi diligen
tes Deum.

Secundó probatur generali ratione; eo-
19. dem habitu,& eadem specie actus aman-
tur obiectum formale & materiale, sed
Deus est obiectum formale charitatis, &
proximus obiectum materiale, ergo eodẽ
habitu, & eadem specie actus charitatis
amantur Deus,& proximus. Consequen-
tia est evidens: Maior est generale prin-
cipium pro specificatione habituum, &
actuum,de quo semel & iterum dictum
est varijs in locis, nec in dubium revoca-
ri potest. Minor probatur, nam imprimis
Deum esse obiectum formale adæquatũ
charitatis certum est. Deinde verò pro-
ximum esse obiectum,ac proinde,non ni-
si materiale,facilè ostenditur; quia eadẽ
virtus, qua respicitur obiectum for-
male,respicit etiam ea, quæ ad tale obie-
ctum referuntur,& quæ sunt materia, cui
applicari potest sua ratio formalis;sed pro
ximus refertur ad Deum, & illi exopta-
mus ipsum bonum divinum, ergo eadem
virtus charitatis, quæ Deum ut formale
obiectum respicit, attingit etiam proxi-
mum.

20. Ad tertiam ergò rationem dubitandi
respondetur, concessa maiori, negando
minorem: & ad primam probationem di-
citur;non solùm diversis actibus, sed etiã
eodem numero posse voluntatem ferri in
Deum,& proximum; ita ut virtute illius
actus anteponat Deum omnibus rebus,
proximum verò non ita, quia in eundem
actum utraque ratio cadere potest; sicùt
Deus eodem omnino amore suam boni-
tatem diligit super omnia, creaturam ve-
ró non,sed iuxta mensuram sui beneplaci-
ti. Ad secundam probationem responde-
tur, medium interdum,& sæpè amari pos-
se, & solere non propter bonitatem sibi
intrinsecam,sed propter bonitatem finis,
ad cuius adeptionem conducit; & tunc
idem specie, imò & numero actus inten-
dit finem,& eligit media;& hoc modo di-
cẽdum est amari proximum propter Deũ
ultimum finem, quando amatur virtute
charitatis Theologicæ.

Ad confirmationem respondet S. Tho 21.
mas in q.25. art. 1. ad 2. concesso antece-
dente, & negando consequentiam, red- S.Thom.
ditque rationem discriminis, quia amor
respicit bonum in communi, sed honor
respicit peculiare bonum illius, qui hono-
ratur; unde eo ipso,quòd Deus, & Sancti
habeant,ut verè habent diversa bona, seu
inæquales excellentias, deferendus est il-
lis diversus, & maximé inæqualis honor,
Deo quidem supremus, qui dicitur latria:
Sanctis verò alius inferior, qui dicitur du
lia; & propterea ad exhibendos istos ho-
nores tam inæquales infudit Deus duos
habitus essentialiter diversos; at verò li-
cèt Deus, & proximus inæqualem boni-
tatem habeant,possunt eodem amore di-
ligi, dummodo proximus non propter
suam peculiarem bonitatem diligatur,sed
propter bonitatem divinam,quæ est suffi-
ciens,& proportionatum obiectum amo-
ris,qui non petit terminari semper ad pe-
culiare bonum amati,ut ad obiectum for-
male,sed satis est si terminetur ad aliquod
bonum; id enim significat Sanctus Do-
ctor, cùm ait, *ab amore respici bonum in*
communi.

Et quidem Vasquez, ubi suprà cap. 2.
valde difficilem hanc solutionem iudica- 22.
vit,primò,quia amor, non solùm refertur
in bonum universale, sed etiam in parti- Vasquez.
culare illius rei,quam diligimus. Secũdò,
quia non satis apparet,quomodo bonum,
quod proximo ex charitate volumus, in
Deum referamus; honor verò,quem San-
ctis deferimus,non referatur etiã in Deũ,
cùm ille qui Martyrem colit, Deum co-
lit.

Hæc tamen parum urgẽt; primum qui- 23.
dem,quia S.Thomas non negat, posse ab

nor patet, respondendo ad secundam rationem dubitandi: nunc breviter confirmatur idem, quia habitus fidei solùm inclinat ad actus eiusdem speciei, & similiter habitus spei; ergo idem dicendum est de habitu charitatis, ut ita inter tres virtutes Theologicas, quæ potent, similitudo servetur.

13. Ad præfatam ergò rationem respondetur, nagando antecedens, & ad primam probationem dicitur, visionem, & fidem esse conditiones, seu applicationes obiecti formalis, quod proponitur voluntati; cùm ergo idem omnino obiectum, scilicèt summa Dei bonitas, utroque actu proponatur voluntati, utrobique eliciet actū amoris eiusdem speciei, quantumcumque conditiones, seu applicationes differant essentialiter. Ad secundam, amor etiam in via tendit ad Deum ut est in se; id est, ad illammet bonitatem adæquatam, quam in se habet, & quam beatus videt, licèt actus fidei illam non repræsentet ut est in se, id est, per conceptum, qui Deum per propriam speciem, & per modum actus puri cognoscat, quàmvis re vera attingat fides totum Deum, eiusque bonitatem. Itaque in hoc negotio solùm ostenditur diversitas inter ipsos actus intellectus, quia illorum propriæ differentiæ sunt clarum, & obscurum, intuitivum, & abstractivum, implicitum, & explicitum; at ipsi actus voluntatis non differunt essentialiter, quia eandem bonitatem attingunt, quantumcumque diverso modo proponatur; id enim non mutat essentiam amoris, quamdiù idem omnino est, quod amatur.

14. Sed urgebis, nihil volitum, quin præcognitum; sed in via non cognoscitur Deus ut est in se, ergo non amatur ut est in se; ergo amor patriæ tendés ad Deum ut est in se, quidpiam diversum attingit in obiecto, & proinde differt essentialiter ab amore viæ. Respondetur concessa maiori, distinguendo minorem; si enim *ut est in se*, accipiatur ut propositio accipit ex parte cognitionis, verissima est, quia actus fidei viatoris non repræsentat Deum media essentia divina ut specie, & per modū actus puri; si verò *ut est in se*, accipiatur ex parte obiecti quasi aliquid sit in Deo, quod non attingat fides, falsa est; nam totum, quod Deus habet, obscurè attingit fides; undè absolutè neganda est consequentia, quia voluntatem ferri ad Deum ut est in se, solùm significat ferri ad id, quod Deus in se habet, id enim est obiectum voluntatis, & charitatis, quaré idem amatur in via, & in patria, & omnis alia diversitas in intellectu est, nō in voluntate. S.Thom.
Vide S. Thomam q,27.art.4.

15. Ad tertiam denique probationem; libertas, & necessitas non sunt differentiæ essentiales actuum, sed quidpiam materiale, quod intrà eandem speciem reperitur, ut alibi dictum est.

16. In fine sectionis adverto, amorem patriæ, licèt eiusdem speciei sit cum amore viatorum, habere aliquid peculiaris perfectionis, ratione cuius, antecellat cuicūque amori, qui in via eliciatur; & fruitionem, quæ est gaudium de summo bono re ipsa in cælis possesso, habere peculiarem excellentiam in sua intrinseca entitate, quæ in fruitionem viatorum cadere non potest, quantumcumque sint eiusdem speciei, de quo in tract.3.

SECTIO IIII.

Explicatur quomodo eadem specie charitatis Deus, & proximus diligantur.

17. ANtisiodorensis lib. 3. summę apud Carthusianum in 3. dist. 27. q ult. impossibile putavit, eodem charitatis actu diligi Deum, & proximum. Quòd ita explicat Dionysius, ut loquatur de amore proximi, cuius formale obiectum sit aliquod bonum creatum; in eodem enim sensu idem videtur docere S. Bonaventura, quem ibidem refert, estque sinè dubio verissimum, ut patet ex disp.3.sect. ultim. Quando autem proximus non est ratio formalis amandi, sed solùm obiectum materiale, in quod fertur voluntas intuitu bonitatis divinæ, negari non potest, eadē speciē charitatis diligi Deum, & proximum. Sic S. Thomas adductus in disp. 3. sect.ult. & in art.5. huius quæstionis ad 1. Durandus ibidem relatus: Magister in 3. dist.27. vbi S. Bonaventura art.2.q.3. Carthusianus, Suarez lib.3. de religione cap. 5. Vasquez lib. 1. de adorat. disp. 6. cum Marsilio, & alij.
Antisiod.
Carthus.
S. Bonav.
S. Thom.
Durand.
Magister.
S. Bonav.
Carthus.
Suarez.
Vasquez.

18. Probatur primò authoritate Patrum, qui una eademque charitate testantur diligi Deum, & proximum. Sic S. Gregorius

rius Homil.16.in Ezechielem non longè ab initio, *Vita* (inquit) *nostra tendi quotidiè per charitatem debet in amorem Dei simul, & proximi*, &c. S. Nazianzenus in orat. de pauperum amore, cum ab initio plures virtutes commendasset, *Si tamen* (inquit) *ex Pauli, atquè ipsius etiam Christi sententia, & authoritate charitas praeceptorum omnium primum, maximumque censendum est, huius potissimam partem in eo sitam esse comperio, ut pauperes amore, & benevolentia complectamur.* Ecce ad charitatem, qua diligitur Deus, (haec enim est primum, & maximum mandatum testante Domino) ait Nazianzenus, pertinere amorem proximi. S. Augustinus to. 9. tract. 87. in Ioannem, *Charitas* (inquit) *est fructus noster, hac diligimus invicem, hac diligimus Deum: nequè enim vera dilectione diligeremus invicem, nisi diligentes Deum.*

S. Greg. S. Naziã. S. August.

19. Secundó probatur generali ratione; eodem habitu, & eadem specie actus amantur obiectum formale & materiale, sed Deus est obiectum formale charitatis, & proximus obiectum materiale, ergo eodẽ habitu, & eadem specie actus charitatis amantur Deus, & proximus. Consequentia est evidens: Maior est generale principium pro specificatione habituum, & actuum, de quo semel & iterum dictum est varijs in locis, nec in dubium revocari potest. Minor probatur, nam imprimis Deum esse obiectum formale adaequatũ charitatis certum est. Deinde verò proximum esse obiectum, ac proinde, non nisi materiale, facilè ostenditur; quia eadẽ virtus, qua respicitur obiectum formale, respicit etiam ea, quae ad tale obiectum referuntur, & quae sunt materia, cui applicari potest sua ratio formalis; sed proximus refertur ad Deum, & illi exoptamus ipsum bonum divinum, ergo eadem virtus charitatis, quae Deum ut formale obiectum respicit, attingit etiam proximum.

20. Ad tertiam ergò rationem dubitandi respondetur, concessa maiori, negando minorem: & ad primam probationem dicitur; non solùm diversis actibus, sed etiã eodem numero posse voluntatem ferri in Deum, & proximum; ita ut virtute illius actus anteponat Deum omnibus rebus, proximum verò non ita, quia in eundem actum utraque ratio cadere potest; sicùt Deus eodem omnino amore suam bonitatem diligit super omnia, creaturam verò non, sed iuxta mensuram sui beneplaciti. Ad secundam probationem respondetur, medium interdum, & saepè amari posse, & solere non propter bonitatem sibi intrinsecam, sed propter bonitatem finis, ad cuius adeptionem conducit; & tunc idem specie, imò & numero actus intendit finem, & eligit media; & hoc modo dicẽdum est amari proximum propter Deũ ultimum finem, quando amatur virtute charitatis Theologicae.

Ad confirmationem respondet S. Thomas in q.25. art. 1. ad 2. concesso antecedente, & negando consequentiam, redditque rationem discriminis, quia amor respicit bonum in communi, sed honor respicit peculiare bonum illius, qui honoratur; unde eo ipso, quòd Deus, & Sancti habeant, ut verè habent diversa bona, seu inaequales excellentias, deferendus est illis diversus, & maximè inaequalis honor, Deo quidem supremus, qui dicitur latria: Sanctis verò alius inferior, qui dicitur dulia; & propterea ad exhibendos istos honores tam inaequales infudit Deus duos habitus essentialiter diversos; at verò licèt Deus, & proximus inaequalem bonitatem habeant, possunt eodem amore diligi, dummodo proximus non propter suam peculiarem bonitatem diligatur, sed propter bonitatem divinam, quae est sufficiens, & proportionatum obiectum amoris, qui non petit terminari semper ad peculiare bonum amati, ut ad obiectum formale, sed satis est si terminetur ad aliquod bonum; id enim significat Sanctus Doctor, cùm ait, *ab amore respici bonum in communi.* 21.

S. Thom.

Et quidem Vasquez, ubi suprà cap. 2. valde difficilem hanc solutionem iudicavit, primò, quia amor, non solùm refertur in bonum universale, sed etiam in particulare illius rei, quam diligimus. Secũdò, quia non satis apparet, quomodo bonum, quod proximo ex charitate volumus, in Deum referamus; honor verò, quem Sanctis deferimus, non referatur etiã in Deũ, cùm ille qui Martyrem colit, Deum colit. 22.

Vasquez.

Haec tamen parum urgẽt; primum quidem, quia S. Thomas non negat, posse ab 23.

amore respici bonum particulare dilecti, id enim in indoctissimum cadere non posset, nedum in Doctorem Angelicum; sed solùm docet, non esse contra rationem amoris ferri in obiectum aliquod intuitu alterius boni, quod non sit proprium soli rei amatæ; & propterea amore proximi habere optimè posse pro motivo bonitatem divinam, quod satis est, ut amor Dei, & amor proximi sint eiusdem speciei: at verò contra usitatum honorandi modum est, exhiberi alicui personæ intellectuali cultum propter excellentiam alterius, & ideò cultus, qui exhibetur Sanctis, debuit fundamentum habere in excellentia creata, & limitata, quam divinitùs acceperunt: sicùt & cultus Deo deferri debet propter suam infinitam excellentiam, quæ duæ rationes formales necessariò exigebát duas virtutes specie distinctas. Secundum etiã facile solvitur; nam bonum, quod proximo volumus ex charitate Theologica, ita refertur in Deum, ut divina bonitas sit obiectum formale; quod sufficit, ut Deus & proximus eadem charitate diligantur: at honor qui exhibetur Martyri non refertur in divinam excellentiam ut in rationé colendi, sed solùm ut ad finem ultimum; quatenùs Martyrum gloria cedit in gloriã Dei, qui eos tanta fortitudine roboravit; habet ergo cultus martyris rationem formalem immediatam diversam ab illa, quæ est propria cultus divini, & ideò hi duo honores essentialiter distinguuntur.

24. S Thom. Vasquez. Consentaneè ad hactenùs dicta potest breviter declarari aliud discrimen, quod confutat ibidem Vasquez, & exhibetur à S. Thoma in hac 2.2.q.81.art.4. ad 3. ait nimirùm obiectum amoris esse bonum, sicùt obiectum honoris, seu cultus est aliquid excellens: & quoniam bonitas divina potest communicari creaturæ, non autem divina excellentia, potest proximus amari eodem amore, quo Deus, sed non coli eodem cultu. Cuius solutionis hæc est legitima intelligentia, bonitas divina potest & solet communicari creaturæ in genere obiecti, quatenùs solet esse obiectum formale amandi creaturam; at verò divina excellentia non solet esse in modo usitato ratio colendi creaturam, seu personam intellectualem, quæ sicùt propriæ excellentiæ particeps est, ita & propter illam debet coli ut dicebamus; & ideò amor Dei, & proximi potest, & solet ab una virtute charitatis proficisci, non auté cultus Dei, & Sanctorum: nec contra hoc vim habent, quæ Vasquez opponit.

SECTIO V.

Respondetur ad rationem quartam dubitãdi: & explicatur, an amor supernaturalis, sed inefficax Dei sit eiusdem speciei cum amore efficaci.

SVperest diluenda postrema dubitandi ratio, ad quam breviter dicendum est; 25. omnes illos actus esse eiusdé speciei, quia habent idem obiectum formale, nempè bonitatem divinam; solumque differre materialiter ob diversas conditiones, vel circunstantias obiecti: amor enim est affectio voluntatis, seu unio quædam spiritalis ad divinam bonitatem; desideriũ est motus voluntatis ad Deum ut absentem; delectatio est quies in illo ut præsente, seu possesso; & sic de reliquis.

Circa id verò, quod in confirmatione 26. tangitur, non modicum difficultatis occurrit: & quidem præter amorem Dei super omnia, quo ita diligitur Deus, ut nullum peccatum læthale simul cum eo cõpatibile sit certum est, esse aliam dilectionem imperfectam seu complacentiam inefficacem, quæ appellari solet velleitas, & peccandi affectum non excludit, licèt actus bonus sit, cum versetur erga summã bonitatem, & disponat voluntatem ad dilectionem perfectam, illiusque meminerunt Medina 1.2. q.109.art.3. pag. 774. Medina. vers. *deinde advertendum*, & pag. 775. Bellarm. conc.3. Bellarminus to.2.lib.2. de Pœnitentia cap 14 in solutione ad obiectioné, Molina. & to.3.lib.6.de Gratia, & libero arbitrio Suarez. cap.7. §. *dicent fortassè postremò*. & se- Vasquez. quentibus. Molina in Concordia disp.14. Henriq. Suarez to.1.in 3.part.disp.4.sect. 8. Vasquez 1.2.to.2.disp.203 cap 9 & in simili Henriquez to.1.lib.4.de Pœnitentia, cap. 23.n.3. & 4. imperfectam quandam pœnitentiam agnoscit: imò Vasquez citatus putat de hoc imperfecto dilectionis genere sermonem esse in Tridentino sess.6. cap.6. quamquàm nos in controv. 8. de Trident. Gratia tract.8. disp. 3. sect. 2. ostenderimus, Concilium agere indifferenter de amore, proùt scilicét esse potest perfectus,

& super omnia, aut non ita, sed imperfectus; utcumque tamen sit, amor ille inefficax est etiam donum Dei, & supernaturalis, ut supponere videntur prædicti authores, & præsertim probat Bellarminus.

27. Hoc posito nonnulli recentiores existimant, hunc inchoatum, & inefficacem amorem non esse eiusdem speciei cũ amore Dei super omnia; nec proinde elici posse ab eodem habitu charitatis, quẽ unius speciei esse diximus. Suaderique potest primò, quia ita se habent comparatione voluntatis, actus, qui appretiatione summa fertur in obiectum, & ille qui eiusmodi appretiationem nõ habet; sicut comparatione intellectus actus certus, & actus incertus; sed hi semper differunt essentialiter, pertinentque proinde ad diversos habitus, ergo & illi: cùm ergò amor efficax feratur ad Deum summa appretiatione, & anteponendo illum omnibus, amor verò inefficax, seu complacentia non ita; fit planè eos specie distingui. Confirmatur, quia diversus tendendi modus distinguit essentialiter actus; sed amor efficax, & amor inefficax habent diversos modos tendendi ad obiectum, cùm ille tendat summa appretiatione, hic verò non ita; ergo distinguuntur essentialiter. Secundò, quia si isti duo amores essent eiusdem speciei, cùm ille imperfectus esse possit, & soleat in peccatore, dicetur absolutè charitas compati statum peccati; imò & peccatori infundi habitus charitatis, utpotè necessarius ad eiusmodi actum eliciendum. Tertiò, quia amor inefficax est dispositio ad efficacem; imò habet se comparatione illius, tanquam gratia excitans, concurrensque ad productionem amoris efficacis, quæ distinctionem essentialem præseferunt.

28. Probabilius tamẽ est, utrumque amorem esse eiusdem speciei, elicique proinde ab uno, eodemque habitu charitatis, ut alij docti viri opinantur. Probatur primò, quia si amores isti distinguerentur specie, asserendi essent diversi specie habitus, à quibus efficerentur; sed id asseri non potest, ergo. Maior constat ex supra dictis, quia unus habitus non potest inclinare nisi ad actus unius speciei. Minor probatur, quia si semel id assereretur, multiplicandi essent habitus sinè necessitate, & contra communem sentiendi modũ; cùm enim nulla virtus sit, quæ circa suum obiectum formale versari non posit amore efficaci, & inefficaci, si ex hoc solo capite colligeretur essentialis distinctio actuum, illis quoque responderet distincti specie habitus, essetque proinde duplicatus habitus cuiuscumque virtutis: imò cùm spes Theologica habeat etiã suum amorem efficacem Dei ut boni nostri, & similiter alterum inefficacem, infunderet Deus duos habitus spei, & duos item charitatis; sicque forent quinque virtutes Theologicæ, quod est contra veram, receptamque doctrinam.

Responderi potest, eiusmodi actus inefficaces non effici mediate habitu, sed à solo Deo simul cum voluntate, eò quòd sint veluti inchoatio quædam, & dispositio ad amorem perfectum; sic enim illustrationes, & inspirationes sunt actus supernaturales, ad quos tamen efficiendos nullum habitum Deus infudit, quia sunt inefficaces, ac veluti inchoationes actuũ perfectorum. Sed hæc solutio refellitur, primò, quia in naturalibus certum videtur, ab amore inefficaci generari habitũ, hic enim à quovis actu naturæ intellectualis effici potest, & experientia compertum est, eum, qui exercet se in eiusmodi amore, facilem, ac promptum esse ad similes actus eliciendos; qui effectus proprius est habitus acquisiti; ergo in supernaturalibus etiam infundet Deus habitũ ad actus supernaturales inefficaces. Secundò refellitur expendendo id, quod de divinis illustrationibus, & inspirationibus adductum est; etenim inter illas, quædam sunt eiusdem rationis cum alijs actibus supernaturalibus, quos liberè elicimus, licèt quando conferuntur ad modum gratiæ excitantis, fiant in nobis sinè nobis, id est, sinè nostra libera cooperatione, & ad hoc genus pertinet amor inefficax Dei, quo solet Deus excitare nostram voluntatem, ut ipsum efficaciter amet, licèt nos liberè soleamus elicere prædictum inefficacem amorem; similiter illustratio, qua Deus nos solet ad fidem excitare, est quædam supernaturalis apprehensio mysteriorum, prout à Deo revelantur, licèt nos sæpè soleamus pro libertate nostra adiuti supernaturaliter à Deo, efficere eiusmodi apprehensiones:

& istas illustrationes, ac inspirationes negandum est fieri sinè habitu, quando ille adest; verè enim cócurrit ad illas illemet habitus, virtute cuius solemus posteà liberè elicere similes actus; si verò contingat peccatorem, cui Deus immittit eiusmodi inspirationes, non habere habitus supernaturales, ut sæpè contingit, tunc fient sinè concursu habitus, supplente Deo defectum illius; sicùt accidere solet in productione aliorum actuum supernaturalium, quibus respondere habitum certum est.

30. Aliæ verò illustrationes, & inspirationes sunt talis naturæ, ut nunquã pro libito nostro possimus elicere actus supernaturales circa illarũ obiecta; sed Deus pro misericordissima liberalitate illas immittat; eiusmodi sunt quidã simplex affectus volũtatis erga actũ ipsum charitatis, vel obedientiæ, vel humilitatis, quo excitamur ad actus harum virtutum; & ad similes inspirationes non videtur infundi habitus, quia hic semper deseruit ad operandum iuxta libertatem nostram, & non sola necessitate naturæ, inspiratio verò immittitur à Deo, quando ipse vult, & absque nostro consensu. Ex quo patet nõ posse deduci, amorem inefficacem Dei fieri sinè habitu, cùm experiamur eiusmodi amorem elici dependenter à nostra libertate, & alioqui negari nequeat esse ordinis supernaturalis.

31. Secundò probatur, quia amor inefficax habet idemmet formale obiectum, quod amor efficax, nempè divinam bonitatem; ergo est eiusdem speciei cum illo. Probatur consequentia, quia quando idẽ est obiectum formale, nihil efficere potest essentialem distinctionem, nisi diversus tendendi modus; sed in his amoribus non est diversus tendendi modus; ergo: minor probatur, quia diversitas hæc inde solùm provenire potest, quòd amor efficax tendat in Deum summa appretiatione, inefficax verò non; inde autem non videtur colligi sufficienter. Primò, quia similiter colligeretur ex eo, quòd unus actus sit delectatio, alter desiderium; unus timor, alter amor, alius odium, &c. cùm tamen hæc omnia intrà eandem amoris speciem contineantur, eò quòd sit diversitas proveniens ab obiectis materialibus, vel diversa conditione obiecti formalis; sic ergò de efficacitate, & inefficacitate amoris dicendum est: illa enim in eo consistit, quod voluntas ita feratur in Deum, ut virtute illius tendentiæ obediat divinæ legi, & affectum peccati lethalis excludat; quod quidẽ amor inefficax non habet.

Ex quo patet ad primum contrariæ opionis; nec paritas est in exemplo, quod ibidem affertur, nam actus certus & incertus ideò differunt essentialiter, quia vel habent obiectum formale diversum vel unus est evidens, alter obscurus, quæ duo maximé propriam & essentialem actuum intellectus distinctionem præseferunt; at verò amor efficax & inefficax tantam diversitatem non habent. Ad secundum respondere etiam tenentur adversarij, nam amor ille, amor Dei est, & in peccatore reperitur iuxta ipsorum sentẽtiam. Dicendum itaque est, nullum esse incommodum reperiri in peccatore amorem, qui inefficax sit, non enim hic est, qui charitas & amor Dei absolutè nuncupatur, & cui iustificatio annexa est, qui que incompatibilitatem habet cum violatione legis divinæ in materia gravi, nec ad illum eliciendum habet peccator pro eo statu habitum, sicut nec ad eliciendos plures actus supernaturales virtutum moralium, quos elicere solet, infunditur habitus, donec iustificetur, sed supplet Deus suo concursu illorum defectum. Ad tertium, nego, illa sufficere ad distictionem essentialem, advertoque amorem inefficacem non concurrere ullo physico influxu ad efficacem, sed solùm in genere excitantis aut determinantis, quo pacto ipse amor efficax ad ipsum inefficacem, & ad alia præstantiora opera concurrere potest. 32.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm habitus Charitatis supernaturalis sit unus numero.



Icendum breviter est, in diversis numero subiectis esse diversum numero, ut satis patet; deinde in eodem subiecto pro di- 1.

versis temporibus esse etiam diversum; cùm enim quis læthaliter peccando amittit habitum charitatis, si ad iustitiam redeat, non restituitur idem numero habitus, quia quod semel destructum est, non potest naturaliter, seu consentaneè ad illius naturam iterum produci, nec est cur Deus in ea lege dispenset cum habitu charitatis, infūditur ergo tunc alius numero diversus. Denique in eodem subiecto, & pro eodem tempore unicus numero habitus est, constans quidē ex gradibus, seu partibus intensionis, ut patebit tract.3. non veró ex partibus extēsionis; quia nec illas habere potest comparatione subiecti, quod est spirituale, & indivisibile, nec comparatione obiecti; quia quando idem est obiectum formale, non habet habitus supernaturalis diversas partes comparatione diversorū obiectorum materialium; id enim est proprium habituum naturalium, ut latè prosecuti sumus in Materia de Habitibus, seu in 1. 2. Controver. 4. Generali: locutus sum autem de habitu charitatis, nam habitus quidam corporeus, & supernaturalis illi respondens in appetitu corporeo, de quo tractatu sequente, aliquam extensionem, & multiplicitatem habet.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm Charitas sit forma virtutum?

I. S. Thom. Caietan. Bañez. Aragon. Valenc. Nicolaus.

SAnctus Thomas in art. 8. quem Caietanus, Bañez, Aragon ibidem, & Valencia p.3. Nicolaus de Nysse tract.5. p.3. port.2. q.11. alijque sequuntur, rectè affirmat charitatem esse formam omnium virtutum, non quia illis inhæreat, aut informet eo modo, quo forma substantialis, aut accidentalis actuat subiectum; sed quia refert omnes actus illarum ad ultimum finē, nempè Deum; finis autem est veluti forma actuum humanorum tribuens illis speciē physicam, aut moralem. Et quàmvis aliæ virtutes possint, & soleant imperare actus aliarum referendo illos ad suos fines, v.g. humilitas actum abstinentiæ imperando, ut caro macerata minorem præbeat occasionem superbiendi, adhùc peculiarissimo titulo charitas imperare dicitur actus aliarum virtutum, & eas informare; tum quia ipsa est virtutum omnium regina, cui proinde cæteræ subiectionem exhibere debent; tum quia medio hoc imperio referuntur ad finem præstantissimum, & ultimum omnium rerum, nempè Deum; tum denique quia sinè charitate non convenit alijs habitibus simpliciter, & absolute nomen virtutis, ut declarat S. Thomas in art. 7. & nos ex professo tractavimus in Materia de Virtutibus, seu in 1.2. controversia 5. tract. 1. disp. 11. agētes de connexione virtutum. S.Thom.

COMMENTARIVS IN tres primos articulos quæst. 24.

IN hac quæstione disserit S. Thomas de causis charitatis: & priùs quàm ad difficiliora ascendamus, explicari oportet doctrinam primorum articulorum. In primo ergò docet, subiectum charitatis non esse appetitū corporeū, sed voluntatem. In secundo affirmat, habitum charitatis infundi nobis à Deo. In tertiò, nō infundi hominibus secundùm capacitatē naturalem, sed iuxtà beneplacitum divinum.

TRACTATVS II.

De causa efficiente & recipiente habitum charitatis.



OMnia, quæ in hoc tractatu disputari possent, explicata à nobis sūt in alijs locis non alienis; quarè ne eadē longitudine molesta repetantur, brevissimè perstringenda, seu potius recolenda sunt pro huius materiæ cōplemento, & declaratione articulorum S. Thomæ. Primùm igitur recolendum est, habitum charitatis distingui realiter ab habitu gratiæ sanctificantis, ut in Materia de Gratia, seu in 1. 2. Controvers. 8. Ge- I.

nerali,tract.4.disput. 2. latè probavimus contra Scotum, Henricum, & alios, sed S.Thomam cum discipulis eius sequentes. In eo autem potissima distinctionis origo sita est,quòd gratia est habitus inhærens immediatè soli animæ, illamque sanctificans; charitas verò,& cæteri habitus supernaturales sunt affectiones à gratia realiter effluentes, receptæque in facultatibus animæ. ut illas ad eliciendum supernaturales actus eveherent.

Deinde cùm actus charitatis pertineat ad voluntatem, eò quòd sint amor, desi-
2. derium,& similes,quos circa Deum spirituale,summumque bonũ elicimus, quod est obiectum appetitus spiritualis, scilicèt voluntatis,non autem appetitus corporei; fit plané,habitum supernaturalem charitatis,qui ad illos eliciendos inclinat, non recipi in intellectu, cùm ipse amare non possit; nec in appetitu corporeo,qui circà sensibilia solùm versatur; sed in voluntate,cùm hæc sola sit, quæ ad tã præcellens obiectum tendere potest,ut optimè S.Thomas annotavit in art.1. Verum
S.Thom. quidem est,in ipso appetitu corporeo recipi habitum alium supernaturalem,qui illum elevet ad eliciendos actus circà Deũ obiectum,seu propositum ad modũ boni corporei,atque sensibilis; quod qua ratione explicandum, & defendendum sit, latè tractavimus in 1. 2. controvers. 4. de Habitibus,cui nihil modo addendũ occurrit. Vtrùm autem habitus ipse charitatis spiritualis,& supernaturalis in subiecto corporeo possit supernaturaliter collocari,pertinet ad Materiam de Sacramẽtis in genere,in cuius tract.3.disp.2. partẽ affirmantem secuturi sumus Deo iuvãte.

3. Tertiò omnino certum est, quod in art.3. affirmat S.Thomas, scilicèt habitũ
S.Thom. charitatis esse quidem in diversis hominibus inæqualem,ut latiùs probabitur tractatu sequente,non tamen provenire inæqualitatem ab ipsa inæquali capacitate, aut perfectione naturali,sed à beneplacito divino,*Non enim multi sapientes secundùm carnem* (inquit Apostolus 1.ad Co-
1.Cor. 1. rint.1.) *non multi potentes, non multi nobiles,sed quæ stulta sunt mũdi elegit Deus, ut confundat sapientes*,&c. Et Matth.11.
Matth.11. *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ,quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus & revelasti ea parvulis: ita Pater quia sic placitum fuit ante te.* Vnde eleganter S. Augustinus tom.4.lib. 1. S.August.
ad Simplicianum q.2.in fine, *Nonne* (inquit)*advertimus multos fideles nostros ambulantes viam Dei,ex nulla parte ingenio comparari,non dicam quorundam hæreticorum,sed etiam mimorum? & tamen quid dicemus? numquid iniquitas est apud Deũ exigentem,à quo placet,donantem,cui placet? absit.*

Et quidem habitus charitatis est individuus comes gratiæ sanctificantis,idem- 4.
que proinde de utroque dicendum. Dupliciter itaque solet infundi charitatis habitus,uno modo virtute sacramenti absque intuitu alicuius actualis dispositionis, ut cùm pueri ante rationis usum baptizantur, olim confirmabantur, & sacro Eucharistiæ cibo nutriebantur, & tunc nulla est in habitus istius infusione inæqualitas, nisi pro inæqualitate sacramentorum,ut sic dicam,nam virtute Eucharistiæ infunderetur intensior habitus, quàm virtute Baptismi,& proinde,qui utrumque sacramentum recepisset, maiorẽ charitatem haberet. Altero modo infunditur intuitu propriæ dispositionis, ut cũ adultus medio actu contritionis iustificatur,& tunc non attenditur natura,nisi dispositio supernaturalis,quæ inæqualis esse solet pro inæqualitate gratiæ excitantis, qua Deus homines vocat, hanc autem vocationem confert maiorem, seu efficaciorem,aut minùs efficacem non pro maiori, aut minori perfectione naturali hominũ, sed pro beneplacito suo. Cur autem id cum hominibus servet,angelis verò absolutè contulerit auxilia uberiora iuxta maiorem perfectionem naturalem,explicuimus ex professo in Materia de Angelis, seu 1.p. controvers.7 tract.11.disp.7. unde peti possunt alia, quæ hic forsitan aliquis desideraret.

Quartò quòd ad causam efficientem 5.
habitus charitatis spectat,breviter dicendum est cum S.Thoma in art.2. princi- S.Thom.
palem causam esse Deum; quia habitus iste est supernaturalis, eò quòd proportionatè respiciat Deum authorem supernaturalem,& sit amicitia hominis adDeũ fundata in communicatione bonorum supernaturaliũ,scilicèt beatitudinis æternæ,solus autem Deus esse potest causa principalis rei supernaturalis:ab ipsa verò

gratia

gratia sanctificante dimanat physicé habitus charitatis, sicùt aliarum virtutum, sicùt ab instrumento connaturali Dei, ut in Materia de Gratia, seu 1.2. controver. 8. tract.4. dicebamus. Sacramenta etiam eatenùs dici possunt efficere charitatem ut instrumenta physica Dei, quatenùs elevantur ad productionem gratiæ, à qua dimanat habitus charitatis; ab actib' verò ipsius charitatis produci non potest, quia est contra rationé habitus supernaturalis effici ab actibus, ideò enim dicitur per se infusus, de quo in Materia de Habitibus, seu 1.2. controversia 4. dictum est.

COMMENTARIVS IN articulum 4. & 5. sequentes.

HIs sex articulis complectitur Sanctus Thomas perdifficilem, & longam tractationem de augmento habitus charitatis. In art. ergò quartò affirmat, charitatem viæ augeri posse, & solere, & hoc augmentum esse secundùm eius essentiam, seu quoàd intensionem. In quinto habitum charitatis nō augeri, eò quòd charitas addatur charitati, sed eò quòd intendatur, seu magis insit subiecto. In sexto quærit, utrùm quolibet actu charitatis charitas augeatur quoàd habitum: respondetque non augeri, sed solùm actibus ferventioribus; alijs verò actibus mereri quidem nos augmentum, & disponi ad illud recipiendum, quando conemur ad eiusmodi augmentum. In articulo septimo docet, nullum esse terminum augmenti charitatis in hac via, licet ad perfectionem charitatis patrię pervenire nequeat, ut declarat ad tertiū. In octavo ait, charitatem ex parte obiecti dilecti non posse esse perfectam, nisi in Deo; ex parte verò diligentis posse esse perfectam in hominibus, licèt secundùm diversos gradus in diversis statibus, & personis. In nono, concludit bene dividi charitatem in incipientem, proficientem, & perfectam.

(:)

TRACTATVS III.

De causa augēte habitum charitatis supernaturalis.

Prima pars, de ipsius habitus augmento.

DISPVTATIO I.

Vtrùm habitus charitatis augeri possit, & soleat, non quoàd extensionem, sed quoàd intensionem?

IOvinianus, ùt refert S. Hieronymus lib. 2. contra illum, & Lutherani apud Bellarminum tom.3. lib. 3. de iustificat. cap. 16. existimarunt, omnes iustos esse pares in ipsa iustitia, ita ut nullus alio iustior, aut sanctior sit; & consequēter coguntur negare augmentum charitatis, quæ iustitiam comitatur, & in hominibus iustis fit inæqualis medio augmento. Verū quidé est, id nō directè cōtra Lutheranos dici, quippè qui omnes homines iustificari putant eadé omnino Christi Domini iustitia per fidem apprehensa, & illis imputata: cōtra qué errorem scripsimus in 1.2. controv. 8. de Gratia tract. 8. disp. 2. 1. *Iovinian.* *S. Hieron.* *Luther.* *Bellarm.*

Nunc igitur dicendū est, charitatem in hac vita augeri posse & solere. Assertio est S. Thomæ in art. 4. & omniū Theologorū Catholicorū, & ex fide certa. Probatur primò testimonijs Scripturę ad Ephes. 4. *Veritaté facientes, in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Ad Philip. 1. *Hoc* (inquit) *oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, & in omni sensu;* id est, cū ratione, & prudentia, ne amorem vestrum veluti indignè impendatis, amicitiam cum hæreticis, aut similibus ineuntes, ut declarat ibi S. Chrysostomus Hom. 2. 1. ad Thessaloni 2. *S. Thom.* *Ephes. 4.* *Philip. 1.* *S. Chrysost.* *Thessal. 1.*

centes 1. *Vos Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem in invicem*: & quamùis Apostolus non loquatur expressè de habitu charitatis, posito eo, quod in tract. 1. disp. 1. statuimus, scilicèt infundi iustis habitum istum, dubitari non potest de illius augmento, accipiendum esse, quod docet Apostolus, nam crescente actuali amore, crescit & habitus.

Secundò probatur authoritate Tridentini, quod cum in sess. 6. cap. 7. planè statuisset, hominem iustificari per in-
3. *Trident.* fusionem gratiæ, & donorum, scilicèt fidei, spei, & præsertim charitatis, de qua iterum in speciali loquitur ibidem: & in can. 11. cuius doctrinam non de actibus, sed de habitibus accipiendam esse ostendimus in tractatu primo, disput. 1. Cùm hæc (inquam) Synodus statuisset, addit in cap. 1. *iustos in ipsa iustitia crescere, & magis iustificari*, id confirmans verbis Scripturæ Apocalypsis ultimo: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: & Eccle-
Apoc.ult. siastici 18. *Ne verearis usquè ad mortem iustificari*; hocque iustitiæ incrementum
Ecclef.18. peti à sancta Ecclesia cùm orat, *Da nobis Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum*: & in Can. 24. *Si quis dixerit iustitiam acceptam non augeri, anathema sit*. Ex quibus omnibus perspicuè patet definiri à Concilio charitatis, & aliorum habituum infusorum augmentum.

Tertiò reddit Sanctus Thomas in ar-
4. *S. Thom.* ticulo 4. optimam huius veritatis rationem; etenim dum mortalem hanc vitam degimus, viatores sumus, qui proinde ad Deum ut ad finem, terminumque nostrũ tendimus; conditio autem viatoris ea est, ut ad terminum magis, ac magis accedere valeat, donec in illo conquiescat, homines autem ad Deum accedunt, non corporis gressibus, sed animi affectibus, quibus illi coniunguntur; cùm ergò eiusmodi affectus, & spiritalis coniunctio præsertim pertineat ad charitatem, fateri oportet, augeri posse, & solere charitatem.

Superest modó breviter explicãdum,
5. an illud augmentum sit quoàd extensionem, an potiùs quoàd intensionem. Et quidem, quòd ad extẽsionem attinet, nõ potest charitas augeri; nam vel hæc extẽsio consisteret in diversis partibus, quæ responderẽt diversis partibus subiecti, vel non, sed diversis obiectis: primum dici non potest; quia subiectum habitus charitatis est omnino indivisibile, nempè animus noster, seu voluntas illius. Secundum etiam admittendum non est; quia habitus supernaturales, præsertimque Theologici nullam eiusmodi extensionẽ habent, ut 1. 2. in Materia de Habitibus disput. 10. probavimus. Idem enim omnino habitus fidei inclinat ad credendum omnia, quæ propter authoritatem Dei revelantis credi possunt, & similiter idem omnino habitus charitatis secundùm eãdem rationem sufficiens est ad amorem Dei, & proximi, ac cuiuscumque alterius obiecti, quod propter Deum diligendum sit; nec potest esse habitus iste tam remissus, quin ad præstandum ea omnia sufficiens sit, accedente divino auxilio, quod iustis omnibus offertur. Cur autem idem omnino habitus luminis gloriæ non sufficiat ad cognoscendas in Deo quaslibet creaturas, sed unum determinetur ad istas, alterum ad aliàs explicuimus in 1. p. controvers. 1. generali tractatu 5. disp. 11. reddentes discrimen inter lumen, & habitus fidei, & charitatis.

Solùm igitur augeri potest charitatis habitus quoàd intensionem, quæ 6.
consistit in additione graduum eiusdem charitatis realiter distinctorum, quibus magis, ac magis ipsa perficitur, & radicatur in subiecto: sed quoniam de hoc augmenti modo, quantùm ad generalem rationem intensionis spectat, fusé disseruimus ad primum librum de Generatione, disputatione de Alteratione, nihil hic addendum occurrit, eó tamen recurremus pro difficultatibus physicis, proùt necessariũ fuerit ad expediendas Theologicas, easque gravissimas, quæ nos vocant. Quid autem senserit hoc loco articulo quinto, & alibi Sanctus Thomas circa intensionem qualitatum, num scilicèt ea fiat additione gradus ad gradum, an sola maiori radicatione eiusdemmet qualitatis in subiecto, ibidem à nobis declaratum est, & hic ex professo declararemus Sanctum Doctorem, si res foret Theologica, in qua ab eo non recedemus.

DISPVTATIO II.

Vtrùm habitus charitatis supernaturalis suaptè natura habeat terminum intensionis?

SECTIO I.

Relatis sententijs statuuntur duæ assertiones.

1. PRima sententia affirmat, ita intrinsecum esse charitati terminum intensionis, ut ne ex absoluta quidé potentia Dei augeri posit magis, ac magis, seu in infinitum syncategorematicè. Eam amplectuntur Scotus in 3. dist. 13. § *ad 1. q.* & sequentibus, Durandus in 1. dist. 17. q. 9. maximè n. 10. Henricus, & Aegidius, quos refert, & sequitur Carthusianus ibidem q.8. Caietanus hic, art.7. & 3. p. q.7. art. 11. & 12. ¶ Secunda sententia fatetur quidem, ex absoluta potentia charitaté augeri posse in infinitum, sed addit; si spectetur ipsius charitatis natura, illi prefigendum esse aliquem terminum: tribui potest hæc doctrina Capreolo in 3. dist. 13. q. 1. ad argumenta contra 2. conclus. quatenùs ad explicandum terminum charitatis affert exempla petita ex qualitatibus naturalibus, quibus præfixus est terminus à natura.

Scot. Durand. Henriq. Aegid. Carthus. Caietan.

Capreo.

2. Tertia sententia, licèt doceat, non esse præfixum charitati terminum suaptè natura, addit habere terminum aliquem versùs maximum, spectatis subiectis, quibus infunditur; ita ut animæ Christi Domini sit posibilis maior charitas, quàm alijs. Sic S. Bonaventura in 3. distinct. 13. artic. 1. quæst. 2. favet Durandus quæst. 1. fine. Et si de communi lege sermo sit, est res indubitata; ut patebit disputatione sequente. ¶ Denique cùm in hisce tribus opinionibus de solo termino charitatis versùs maximum sermo sit; addit quarta sententia, charitatem suaptè natura habere terminum quoàd minimum, ita ut ex ordinaria potentia non posit esse minùs, & minùs intensa in infinitum, licèt ex absoluta potentia id non repugnet: sic sentiunt nonnulli recentiores.

S. Bonav. Durand.

Dico primò, ex absoluta potentia potest charitatis habitus magis, ac magis augeri in infinitum. Afferitur Sanctus Thomas in art. 7. huius quæstionis, ubi eum sequuntur recentiores Bañez, Aragon, Valencia, q. 2. p. 3. assert. 2. licèt si quis attentè consideret commentarium Caietani, meritò dubitare poset de mente Sancti Doctoris, videtur enim potiùs locutus de augmento charitatis in via, & infinitudine quadam minùs rigorosa, de qua in disputatione sequente. Multò ergo urgentiora sunt alia testimonia, nam in 3. p. quæst. 7. artic. 12. licèt in corpore neget posibilem esse gratiam sanctificantem (idem omnino est de charitate) perfectiorem gratia habituali Christi Domini; planè loquitur de potentia ordinaria, non de absoluta; cùm enim in secundo argumento sibi obiecisset, *Augmentũ gratiæ est per virtutem divinam; hæc autẽ est infinita; ergo potest efficere gratiam infinitã,* id est, maiorem, ac maiorem, quæ proinde excedat Christi Domini gratiam. Respondet his verbis, *Virtus divina licèt posit facere aliquid maius, & melius, quàm sit habitualis gratia Christi, non tamen posset, &c.* Violétaq; est Caietani interpretatio, ut scilicèt loquatur Sanctus Doctor de alijs rebus, quæ nõ sint gratia; & has dicat, esse posse gratia meliores; quasi verò id foret ad rẽ, cùm ibi in argumento de sola gratia sermo esset, sicut & in articulo toto. Et in q.10. art. 4. ad 3. planè concedit, visionem beatam esse posse magis, ac magis perfectam sinè termino; eademque ratio est in gratia, imò & in lumine gloriæ; nam hec infinitudo visionis beatæ non potest referri in maiorem, ac maiorẽ perfectionem intellectuum, quos Deus potest creare; quidquid Caietanus ibi cõtrà sentiat, de quo diximus 1. p. q. 12. solùm ergo referenda est ad lumen gloriæ, quod magis, ac magis perfectum esse potest; & consequenter ad gratiam, & charitatem, quia omnes isti habitus, & actus sibi mutuò respondent. 3.

S. Thom. Bañez. Aragon. Valenc. Caietan.

Hanc eandem assertioné amplectitur Gabr. in 1. dist. 17. q. 8. conc. 3. & 5. Deza 4.

Gabriel. Deza. Gregor.

Maior. *Suarez.* *Medina.* *Azorius.* *Vasquez.* *Ocham.*

q.2.notab.6.Gregorius q.6.conc.3. Maior in 3. dist. 13.Suarez 3.p.tom.1.disput. 22. sect.2.Medina q.7.artic. 10. Azorius tom. 1.institut. moral.lib.9. cap. 3. q.8. Vasquez 3 p.tom.1. disp. 47. & Ocham in 1.q.8. in dubio post. 3. concl. reputat probabilem.

5. Probatur brevi argumento desumpto ex generali doctrina, quam ad 3. Physicorum, & 1.p. ad q. 25. stabilivimus, scilicèt in rebus, quæ habent aliquam latitudinem extensionis, aut perfectionis, possibile est maius, ac maius augmentum sinè termino; sed habitus supernaturalis charitatis habet latitudinem perfectionis quoàd intensionem, ut in præcedente disputatione dictum est; ergo in habitu charitatis possibile est maius, ac maius augmentum sinè termino. Maior ostendi potest inductione; nam quantitas continua potest a Deo effici maior, ac maior in infinitum; quantitas etiam discreta potest magis, ac magis augeri multiplicatione unitatum; nulla est enim multitudo tanta, qua non possit effici alia maior; nullus angelus ita perfectus, ut non sit possibilis alius perfectior; nulla qualitas naturalis tam intensa, ut non possit ampliùs intendi. Cùm ergò nulla impossibilitatis ratio occurrat in charitate, quæ alicuius momenti sit, id ipsum de illa, & cęteris habitibus supernaturalibus dicendum est. Hęc verò doctrina roborabitur ampliùs in assertione sequente.

6. Dico ergò secundò, habitus infusus charitatis non habet terminum suapte natura, sed potest, ea spectata, magis, ac magis in infinitum augeri, & idem verum est in reliquis habitibus supernaturalibus. Sic sentiunt Deza, Bañez, Aragon, Valencia, Suarez, Medina suprà adducti, & licèt S.Thomę tribuatur, min' mihi de eius méte cõstat in hac parte, quàmvis enim nullibi, quod ego sciam, hoc neget, expressè nõ videtur affirmare, de quo plura dicã in disputatione sequéte. Nunc pro assertionis declaratione notandũ est, qualitatibus ordinis naturalis præfixum esse à natura terminum intensionis, ita ut spectato ordine causarũ naturaliũ, & Deo nõ immutante id, quod exigit cursus naturę, nõ possint excedere certũ intẽsionis gradũ versùs maximũ, v.g. calor nõ possit esse intensior, quàm ut octo, & habitus naturalis similiter, & sic de alijs; licèt Deus agendo suprà ordinem naturæ possit eas qualitates magis, ac magis intendere modo explicato in 1.lib.de Generatione. At verò in qualitatibus supernaturalibus asserimus, nunquàm perveniri posse ad aliquem gradum ita perfectũ, ut spectata essentia, & modo debito productioni illorum, non possint habere aliũ perfectiorem.

Id ergò probatur applicando, & simul explicando rationem S.Thomę in art. 7. si habitus charitatis suaptè natura peteret terminũ intensionis, id solùm proveniret ex ipsius charitatis essentia, vel ex agéte à quo producitur, vel denique ex subiecto in quo recipitur; sed ex nullo illorum capitum provenire potest, imò omnia, & singula peculiari titulo exigunt prædictã infinitudinem; ergo habitus charitatis nõ petit terminum suapté natura, sed ea nõ immutata, aut inversã potest in infinitum augeri. Maior patet, quia omnia, quæ alicui formæ conveniunt, aut dissentanea sunt, ad aliquod ex illis capitibus revocari possũt: Minor probatur, quia imprimis id nõ potest ex ipsius charitatis essentia provenire; nam licèt habitus ille quidpiam creatum sit, imò de genere accidentium, & omnis creatura limitata esse debeat, id nõ ita accipiendũ est, quasi infinitudo syncategorematica sit cõtra naturã illius; alioqui quantitas nõ posset sine termino magis, ac magis augeri, nec ignis, & eius calor extendi possent sine termino, si plura, ac plura cõbustibilia applicarẽtur, quod sine fundamento diceretur; solùm ergò est contra naturam creaturæ infinitudo simpliciter, quæ appellari solet categorematica, de qua hic non disputatur. Accedit, quòd inter entia creata peculiari titulo sibi vendicare videntur charitas, lumen gloriæ, & alia accidentia supernaturalia similia aliquid infinitudinis; gratia enim peculiarissimo titulo est participatio divinæ naturæ, quæ cùm infinita omnino sit, consentaneum est, communicet participationi suæ hoc genus infinitudinis, de quo loquimur, quando aliud communicare non potest: similiter charitas creata est participatio infinitæ omnino charitatis, qua Deus se ipsum diligit, & lumen gloriæ inclinat ad visionem beatam, quæ est expressa imago, seu si- 7.

S. Thom.

militudo

militudo Dei infiniti; decet ergò prædicta infinitudo naturam illorum habituũ. Vnde patet non urgere, quod Scotus obijcit, scilicèt etiam accidentia naturalia, quibus hęc infinitudo non debetur, esse participationes Dei, nam sunt multò minùs perfectę participationes; nec enim ipsa, nec ulla substantia creata, vel creabilis tam strictè participant divinam perfectionem, quàm istæ qualitates supernaturales; proptereà enim sunt longè nobiliores illis, ut in tractatu primo dictum est.

8. Deinde, nec ex parte agentis desumi potest terminus intensionis charitatis; nã principale agens est Deus, cuius virtus est infinita, & proinde mirum non est, si effectus eius non concludatur limitibus, ille (inquam) effectus, qui peculiarissimo titulo refertur in Deum, cuius potissimæ operationes sunt illæ, quæ ad ordinem gratiæ spectant: si autem sermo sit de agente instrumentali, vel illud est cõnaturale, ut gratia sanctificans, à qua physicè dimanat habitus charitatis, & sic oportet ipsam gratiam magis, ac magis augeri, ut radix esse possit maioris, ac maioris charitatis; vel est instrumentum elevatum, v. g. potentia obedientialis, ratione cuius assumi potest creatura ad supernaturales effectus; & hæc cum sit instrumentum virtutis infinitæ Dei, à qua ad agendum proportionatur, nullum habet suæ activitatis terminum, sed omnem ferè effectum, quẽ Deus potest, ipsa quoque potest.

9. Dices, actus supernaturales charitatis concurrere ad augmentum habitus, saltèm ut causas morales, seu meritorias, hos autem non posse magis, ac magis intendi suaptè natura, quia petunt produci à potentia vitali limitata, ac proinde nec habitum, qui illis respondet. Sed hoc facilè refellitur, primo, quia habitus charitatis augeri potest à Deo sine eiusmodi merito, sicùt augetur interdum virtute sacramentorum: non enim suaptè natura petit actum, sed solùm respicit Deum ut causam principalem, licet ordo divinæ providentiæ id habeat modò, ut plerumque medijs actibus augeatur. Secundò, quia multiplicatione actuum eiusdem intensionis limitatæ meretur iustus augmentum habitus charitatis, ut infrà patebit, quarè ut ste magis, ac magis intendatur, non est necesse, actus charitatis posse magis, ac magis intendi. Tertiò, quia falsum est actibus supernaturalibus charitatis præfixum esse ex natura rei terminum intensionis, licet enim isti efficiãtur à potentia vitali limitata, ea tamen est obedientialis, & subdita Deo tanquàm instrumentũ principali authori, qui proinde ad quamcũmque intensionẽ evehere potest voluntatem suis auxilijs prævenientibus, & concomitantibus; sic enim creato quocumque angelo potest creare aliũ nobiliorem, qui, iuxta dicta in Materia de Angelis, maiori conatu, ac proinde fervẽtiori actu charitatis feratur in Deum.

Denique ex parte subiecti non est aliquid, quod obstet, sed potiùs, quod proslit huic intensioni habitus charitatis; quia quo magis augetur habitus, eò magis augetur habilitas, seu aptitudo ad novum augmentum; quod non ita accipiendum est, quasi novi gradus charitatis conferant formaliter novam partem potentiæ ad recipiendam maiorem intensionem; id enim alienum est à mente S. Thomę, cuius rationem explicamus, & manifestè refellitur, quia partes habitus charitatis non sunt potentia recepti. a aliarum partium, subiectum enim adæquatũ charitatis est volũtas quatenùs obedientialis: sensus igitur est, quò voluntas intensiorem habet habitũ charitatis, eò esse magis expeditam ad ferventiùs diligendũ Deum, & multiplicãda bona opera, quæ novum ius conferunt ad novam partem habitus; hic enim bonis operibus augetur, & ita nunquam pervenietur ad tantam intensionem, qua non possit maior obtineri. 10.

SECTIO II.

Diluuntur obiectiones adversùs dicta.

Sed obijcies primò, inde inferri in habitibus etiã naturalibus, nullum esse terminũ intensionis ex natura rei, quia quo habitus isti magis augentur, eò est homo proptior ad novos actus, quib' habit' intendũtur. Respondetur negãdo cõsecutionẽ; & ratio discriminis manifesta est, nã habitus naturales non deserviunt, nisi ad faciliùs eliciendos eosdemmet actus, 11.

quos potentia sola efficere posset difficilè; unde cùm potentia naturalis, & naturali virtute concurrẽs certum habeat suæ activitatis terminum, certa quoque est intensio actuum, qua maiorem, sicùt sola nõ potest efficere suaptè natura, ita nec mediante habitu acquisito: at habitus supernaturales evehunt potentiam ad eliciendos actus, qui superant virtutem illius; imò ipsa non concurrit, nisi ut elevata, quo pacto sicùt nullum habet terminum activitatis, ut suprà dicebamus, ita nec ipsi habitus, à quibus elevatur, terminum ullum intensionis exigent.

12. Obijcies secundò, voluntas concurrit ad recipiendum habitum charitatis, & ad illius conservationem medio influxu reali causæ principalis, ergo præfigendus est illi terminus suæ virtutis, ita ut non possit quamcumque intensionem recipere: antecedens patet, quia receptio habitus charitatis, & secũdarius influxus subiecti pertinẽt ad genus causæ materialis, in hoc autem genere non potest voluntas, aut anima esse instrumentum, quia cùm concurrant media potentia obedientiali passiva, nõ possent alterius, quàm Dei esse instrumenta; id autem est impossibile, cũ Deus non possit esse causa materialis principalis ullius effectus, ut ex Philosophia suppono. Consequentia verò probatur, quia causa principalis finita non potest habere effectum, aut præbere influxum, nisi limitatum. Respondetur concesso antecedente, negando consequentiam; & ad probationem dicendum est; licèt voluntas sit limitata, concurrere tamẽ media potentia obedientiali, quæ ita est causa principalis in genere subiecti, ut respiciat Deũ causam efficientem ordinis supernaturalis, quæ in eo genere maximè iuvat, & roborat, ut sic dicam, imbecillitatem voluntatis; dum enim suo supernaturali auxilio efficit novum gradum charitatis, & unionem illius ad subiectũ, valde iuvat ipsam potentiam obedientialem, ut recipiat, & secundario causæ materialis influxu concurrat; atque in eo valde similis est hæc potentia alteri obedientiali activæ; quòd sicùt hæc nullum habet suæ activitatis terminum, subordinatur enim Deo supernaturaliter operanti, ita nec illa habet suæ causalitatis terminum; quia licèt in suo genere sit causa principalis, modus cõcurrendi est imperfectus, & aliunde maximè subordinatus divino concursui ordinis supernaturalis: quod quidem de subiectis naturaliter concurrentibus ad recipiendas formas naturales dici nõ potest, quia vel subordinantur agentibus creatis, & proinde limitatæ virtutis, vel Deo ut agenti naturali operanti iuxta limites, & conditionem naturæ. Adde, quòd nulla qualitas naturalis petit recipi, & intendi in subiecto, nisi medio agente naturali creato, quod quidem sufficit, ut terminũ intensionis exigat suaptè natura,

Ex quibus obiter infertur primò, falsam esse tertiam sententiam, si de absoluta potentia loquatur, quia potentia obedientialis eandem latitudinem habet in angelis, & hominibus omnibus; nec est aliquid, quod in uno possit, non in altero. Vnde videmus in anima B. Virginis etiã re ipsa esse maiorem multò charitatem, quàm in Angelis. Infertur secundò eodem modo, quo gratia, & charitas augeri à Deo possunt extra subiectum, posse etiam in anima, aut in alio subiecto, quia ratio à nobis adducta utrumque probat; unde cùm S. Thom. 3. p. q. 7. art. 11. corp. probavit gratiam habitualẽ animæ Christi Domini fuisse in genere entis, seu qualitatis quidpiam finitum, quia subiectum, in quo recipitur, finitum est; loquitur de potentia ordinaria, reddens nimirùm rationem limitationis gratiæ, quia debuit proportionari subiecto: nam de potentia absoluta loquendo nullam agnoscit limitationem in subiecto recipiente gratiam. Sic enim in q. 29. de verit. art. 3. ad 3. ait, capacitatem obedientialem, qua mediante recipitur gratia, nunquàm impleri posse, quia respicit Deum, qui nimirùm supernaturaliter potest operari, quidquid voluerit in creatura limitata. 13.

S. Thom.

Obijcies tertiò, qualitas disponẽs ad formam finitam petit terminum suaptè natura; sed habitus charitatis est qualitas disponens ad formam finitam; ergo petit terminum suaptè natura. Consequentia est evidens: maior patet, quia dispositio ordinatur ad id, cuius dispositio est tamquàm ad finem, & inde colligitur eius limitata perfectio; unde calor est forma finita, & petens terminum suæ intẽsionis, quia disponit ad formam ignis, quæ est quidpiam finitum. Minor probatur, quia 14.

perfectissima

perfectissima forma ad quam disponere potest habitus charitatis, est unio hypostatica; sed hæc est modus quidam supernaturalis quidem, & maximè perfectus, sed finitus, ut in Materia de Incarnatione tract. 4. dicetur, ergo. Respondetur maiorem esse veram, quando qualitas suaptè natura disponit ad illam formam, ita ut non posit connaturaliter ad alios fines referri, secùs veró falsam esse; quoniam ergò charitas, licèt in Christo Domino fuerit aliquomodo dispositio ad unionem, ut loco proximè citato explicabitur, adhùc connaturaliter esse potest sinè unione, ut est in omnibus iustis præter Christum Dominum, referturque ad alios fines, scilicèt ad videndum, & amandum Deum, in quibus esse potest maius, ac maius augmentum, ipsa quoque charitas potest sinè termino augeri.

15. Sed hinc desumitur quarta obiectio; etenim gratia habitualis, & charitas animæ Christi Domini quoàd physicã perfectionem, qualitatis finita fuit, ut 3. p. q. 7. cum S. Thoma dicendum est, si ergo charitas non habet terminum suaptè natura, poterit esse in aliquo maior, quàm in Christo Domino, quod videtur valde incommodum, cùm nullum subiectum sit, quod tanta charitas deceat, quãta Filium naturalem Dei. Respondetur concedendo totum, quod quidem non est incommodum, si spectemus naturam charitatis, quæ nullis terminis concluditur; foret verò, si concederetur, alicui infundi posse ex potentia ordinaria maiorem charitatem, quàm Christo Domino, quod non conceditur, ut patebit ampliùs in disputatione sequente; similiter nemini concedi potest maior charitas, quàm Christo Domino, quasi dignitati eius magis consentanea sit, cùm non posit esse maior dignitas, quàm Christi Domini: sed quoniã in ipso charitatis habitus dimanavit ab vnione hypostatica, quæ determinatæ perfectionis erat, ipse quoque habitus, nõ nisi determinatæ cuiusdam intensionis tributus est; potuit veró Deus, aut ipsi animæ Christi Domini, aut alicui alteri iusto conferre gratiam, & charitatem intuitu meritorum; & sic ipse Dominus merito suo maiorem, ac maiorem charitatem obtinere posset, cùm sit infinitum; & similiter iustum potuit Deus, tam uberibus auxilijs prævenire, ut mereretur tandem intensiorem charitatẽ, quàm quæ modò est in Christo Domino.

SECTIO III.

Vltima disputationis assertio probatur.

Dico tertiò, habitus charitatis nõ habet suaptè natura terminum versùs minimum; sensus assertionis est, infundi posse in quacumque intensione, quantùmvis exigua, si solùm attẽdatur id, quod exigit illius natura; quidquid sit de termino præfixo à Deo, iuxtà dicenda in sequẽte disputatione. Probatur primò, quia pueris, qui circumcidebantur in lege antiqua, infundebat Deus certum gradum gratiæ, & charitatis pro beneplacito suo, & in lege gratiæ eisdem infantibus conferunt sacramenta gratiam, & charitatem iuxta providentiam divinã, quæ quidem sicùt certum gradum charitatis decrevit medijs his sacramentis, potuit decernere minorem, aut remissiorẽ, quin propterea quidpiam fieret contra naturã gratiæ, & charitatis, id enim sinè firmo fundamento negaretur, non ergo habent eiusmodi habitus terminum versùs minimum. Secundò probatur, quia licèt sæpè infundatur habitus charitatis ad mensurã dispositionis actualis in adultis, adhùc ista dispositio potest esse magis, ac magis remissa; ergo & ipse habitus. Antecedẽs probatur, quia licèt nos non cognoscamus distinctè gradus intensionis nostrorum actuum, ac proinde non possimus à consilio eligere intensionem, quantùmvis minimam, cùm aggredimur operationes, casu tamen accidere potest magis, ac magis remissus conatus potentiæ, sive propter vehementes passiones, sive ob animi tepiditatem, sive ob mentis divagationem, quæ magis, ac magis crescere possunt. Tertiò probatur, quia intensio actus charitatis dependet maximè ex quantitate auxilij divini, quo voluntas excitatur; sed Deus pro libito suo potest hoc conferre in minori, & minori intensione, quin rerum naturas immutet, ergo. Quartò, quia habitus naturales non habent terminum intẽsionis versùs minimum, ergo 16.

nec supernaturales. Patet consequentia, quia adversariorum fundamentum, quod in secunda ratione nostra convulsum est, idem probat in utrisque. Antecedens verò probatur, quia habitus naturales produci possunt in subiecto habente cōtrarios habitus in summo; tunc autem necesse est habitum, qui denuò acquiritur, produci omnino successivè, quod fieri non posset, si determinatam intensionē sibi vendicaret, illa enim producēda esset simul, quod est contra naturam perfectę successionis.

DISPVTATIO III.

Vtrùm habitui charitatis præfixus sit ex lege divina terminus aliquis in hac vita?

1. *Begardi Beguinæ.* INter varios errores Begardorum, & Beguinarum, qui referuntur in Clementina *Ad nostrum*, de *Hæreticis*, primo loco, & hisce verbis recensetur, *Quod homo in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quòd amplius in gratia proficere non valebit*: idem autem iudicium est de charitate, & alijs virtutibus, quæ gratiæ infusionem, & augmentum comitantur. Nitebantur prædicti hæretici huic argumento, quod in Clementina commemoratur, si iustus semper in gratia, & charitate proficere posset, aliquando tandem attingere posset gradum gratiæ & charitatis qui Christo Domino tributus est; sed hoc est absurdissimum, ut patet; ergo. Maioris consecutio probatur quia habitus gratiæ, & charitatis Christi Domini sunt quidpiam finitum, & limitatum quoàd physicam, & realem perfectionem, ut in Materia de Incarnatione 3. p. q. 7. dicetur, licet à Persona Verbi Divini moralem infinitudinē hauriant, de qua modó non disputatur; si ergo iustus semper potest maius, ac maius charitatis augmentum sibi comparare, aliquādo charitatē Assertoris nostri adæquabit, nam quodvis finitū perfectione, & augmento alterius finiti, quod sit eiusdem rationis cum illo, potest adæquari; sic enim quantitas mille palmorum, quia finita est, extensione, & augmento alterius quantitatis potest adæquari, si nimirùm huic addantur palmi, donec millenarium numerum compleant.

Huic argumento addi potest altera dubitandi ratio; quia certum videtur nullum hominem, aut angelum potuisse pervenire ad eum sanctitatis gradum, quem divino munere consecuta est B. Virgo Maria, ut constat ex modo loquendi Sanctorum Patrum, & dignitate Matris Dei, imò cùm Apostoli habuerint primitias Spiritus, non videntur alij homines iusti saltem ut in plurimum, etiam physicè consequi posse eundem charitatis gradum; & in Materia de Prędestinatione, seu 1 p. controvers. 4. tract. 4. authoritate, & ratione probatum est, singulos prædestinatos electos esse ad determinatum gloriæ gradum, cui proinde determinatus gratiæ, & charitatis gradus respondeat; unde cùm prædestinatio divina sit omnino certa, non poterit prędestinatus plùs gratię, aut gloriæ sibi cōparare, quā quod divina electione præfixū est. Quæ omnia planè suadere videntur, charitati in hac vita præfixum esse terminū, quem si quis attingat; prætergredi non valeat ulla ratione. 2.

Dico tamen primò, excepto Christo Domino, nullus iustus in via habere potest gratię, & charitatis gradū, ultra quē amplius perfici non possit. Hanc assertionē, quæ ex fide certa est, contēdit S. Thomas in art. 7. dum ait, charitatem in hac vita augeri posse in infinitum; nomen enim infinitudinis ita accipit, ut significet, numquàm pervenire posse iustos ad eum statum, in quo dum viatores sunt, finitum sit iam, & quasi termino conclusum augmentum perfectionis eorum: idem sentiunt omnes interpretes, & alij Catholici Doctores. Et quidem de Christo Domino nihil hic dicendum est, nam in Materia de Incarnat. tract. 7. ostendetur, ipsum in gratia, & virtutib⁹ nihil augmenti recepisse, sed retinuisse semper id, quod in momento incarnationis accepit, licèt decursu temporis magis, ac magis internam sanctitatem manifestaverit. 3. *S. Thom.*

Prætereà,

Prætereà, ut illud obiter annotetur, Enoch,& Elias,dum in paradiso,aut alio recondito loco usq; ad tempus à divina providentia præfixum commorantur, quodāmodo sunt extra statum viatorum, nec in gratia,& charitate habituali perficiuntur, licèt posteà suum augmentum, seu incrementum maximum adepturi sint adversùs Christi D. hostes decertando; de quo 3.p. in controversijs de Novißimis Deo dante dicemus, interim legatur Suarez 3.p.to.2.disp.55.sect.1.præsertim in §.*sed quæres*. Suarez.

4. Clemen.5. Quod igitur ad cæteros iustos viatores spectat,res definita fuit à Clemente V. in Concilio Viennensi,quatenus præfatū Begardorum errorem sacro approbante Concilio omnino damnat, & reprobat: niti autē videtur præfata definitio generalibus scripturæ testimonijs, in quibus sinè limitatione ad perfectionis,atq; adeò charitatis augmentum excitamur, Apocal. ult. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Ecclesiast.18.*Ne verearis usq; ad mortem iustificari.* Ad Philipp.3. *Quæ retrò sunt oblivis cens, ad ea,quæ priora sunt extendens me ipsum,ad destinatam persequor,ad braviū supernæ vocationis in Christo Iesu. Quicūq; ergo perfecti sumus,hoc sentiamus.* Ecce Apostolus non solùm de proficiendo cogitat, & seriò agit, sed id ipsum cæteros quantumcumq; perfectos sentire & facere debere admonet. Vnde S. Chrysostomus ibi.to.4.Homil.12. *Qui se metam nōdum attigisse putat, numquàm à cursu desistet; hoc ergò nobis semper reputandum est, etiam si innumera bona executi fuerimus: si enim Paulus post mille mortes, post tanta pericula istuc arbitratus de se est, multò magis nos.* Et eleganter S. Gregorius Nyssenus in postremis verbis orationis ad Olympium monachum; *Ea* (inquit) *verè perfectio est, ut qui angitur in melius, numquàm consistat, neq; terminis illis perfectionem existimet esse conclusā.* S. etiam Gregorius Homil.5. in Ezechielem dixit, *iustos usq; ad finem vitæ in virtute proficere.*

Apoc.ult. Eccles.18. Ad Phi.3. S. Chrys. S.Nyss. S.Greg.

5. S.August. Neq; contrarius est S. Augustinus in Enchiridion cap. penult dū ait, *in hac vita perveniri ad charitatē, qua maior esse non posit;* nam ex contextu manifestum est, solùm contendere, charitatem interdum esse ita accensam, ut qui illam habet, ponat animam pro amicis suis, iuxta illud Christi D. Ioan.15. *maiorem hac dilectionem nemo habet &c.* Certum tamen est, intrà hunc gradum posse reperiri augmentum, si quis hoc ipsum velit magis, ac magis intense: imò S. Bernardus in serm. 2. de S. Andręa, *nullū* (inqui) *omnino præsentiæ Dei certius testimoniū est, quàm desiderium gratiæ amplioris; quoniam ipse dicit, qui edunt me, adhùc esurient; & qui bibunt me, adhùc sitient.* Ecclesiast.24. itàqué secundùm Bernardum semper desiderari debet amplior charitas, ac proinde semper augeri potest. Confirmatur, quia impius semper potest effici deterior, iuxta illud Apocal.22. *qui in sordibus est, sordescat adhùc,* ergo iustus semper potest esse melior; alioqui minus fœlix in hac parte foret iustorum conditio, minùsq; liberalis Deus erga iustos, quàm severus iudex erga malos. Ioan. 15. S.Bernar. Eccle.24. Apoc.22.

Ad extremum probat hanc veritatem S. Thomas optima ratione, quam in disputatione præcedente latiùs prosecuti sumus; sicut enim ea persuadet, charitati suapte natura nullum esse præfixum terminum intensionis, sed magis, ac magis augeri possè, ita etiam & multò meliùs ostendit, in hac hominum vita, quæ tam brevis est, non pervenire ad gradum, quem excedere non posit: sed res hæc multo evadet dilucidior in sequentibus. 6. S.Thom.

Dicò ergò secundò, cum veritate præcedentis assertionis optimè cohæret, singulis iustis præfixum esse terminum aliquem extrinsecum augmenti habitus charitatis, quem in via excedere, aut attingere non possunt, non solùm potestate morali, sed etiam physica. Et quidem prædictum terminum negari non posse, persuadent, quæ in argumentis pro Begardorum errore producta sūt, & saltèm ad charitatem Christi D. imò & B. Virginis neminem pervenire posse, omninò indubitatum est, ac proinde gradum illius intensissimi amoris esse terminum, quem nostri habitus augmentū attingere non potest. 7.

Sed prætereà id ipsum generali ratione probatur, supponendo nonnulla principia, quorum, si necesse fuerit; brevissima ratio reddetur. Primum est, tempus viæ singulis, & omnibus hominibus præfixum, etiam ab ipsa naturali conditione, esse limitatum & certum; cum enim sint ab 8.

intrinseco corruptibiles, aliquando tandem corrumpantur necesse est, nisi Deus providétia peculiari aliter disponat, quod tamen non facturum iam novimus. Secũdum est, in hoc tempore finito, non nisi certum numerum actuum naturaliũ, aut supernaturalium elici posse ab hominibus, sive simul, sive successivè; & quidem simul non posse, patet; quia facultas animi nostri limitata est, & attentionem, quàm actibus eliciendis impendit, non potest ita dividere, ut in quamcumque rerum multitudinem diversis operationibus feratur, id quod satis experientia magistra didicimus: quod autẽ, neq; successivè posſit, probatur; quia, ut in 2. p. huius tractatus dicemus, singuli actus determinatam durationem exigunt, ita ut non sit in potestate nostra illos elicere, & quàm primùm destruere, sed necesse sit per se loquendo per aliquod determinatũ tempus permanere; ponamus ergò hîc durationis morã esse tẽpus illud, quo recitatur angelica salutatio, certũ est in tempore finito, quale est illud, quod homo durat, esse determinatum numerũ harũ morularũ, nec in infinitum excrescere, alioqui coalesceret tempus finitum ex infinitis partibus tẽporis æqualibus, quod planè reiectũ est in 6. Physicorum. Quarè illum solũ numerum actuum elicere poterit homo successivè, qui in prædictarum durationum spatijs existere possunt.

9. Tertium est, singulorum actuum intensionem non posse esse quantamcumq; nam si de actibus naturalibus sermo sit, illi proportionantur facultati naturali hominis, quæ finita est, & determinatæ cuiusdam perfectionis conatum impendere potest, nõ maiorem. si autem de supernaturalibus, licèt isti suaptè natura, & attenta absoluta virtute primi agentis terminũ non habeant, re tamen vera certis limitibus à divina providentia conclusi sunt: nam sicùt effici nunquàm possunt sinè gratia præveniente, quæ complectitur habitum infusum, vel certè illustrationem, & inspirationem cælitus immissam, ut in Materia de Gratia, seu in 1. 2. controversia 8. tract. 5. disp. 2. probatum est, ita nec elici in maiori intensione, quàm sit habitus, vel certè actualis inspiratio, aut illustratio; hoc est enim propriũ actuum supernaturalium, ut præexigant in nobis aliquod principium prævium entitatis supernaturalis, cui proportionentur, unde Deus (licèt aliter facere potuisset) nunquã vult concursum actualẽ, seu gratiam adiuvantem impendere, nisi iuxta proportionem habitus, vel gratiæ prævenientis. Et nisi hoc statuatur, potuisset profectò anima Christi Domini, imò & B. Virginis, in qua nullum impedimentum erat, potuissentque angeli, & alij beati intensiùs, ac intensiùs amare Deum absq; ullo termino, quod nemo concedit.

His tribus fundamẽtis iactis, facilè potest formari ratio pro veritate nostræ assertionis; habitus charitatis non potest in viatoribus, iuxta divinæ providentiæ leges augeri, nisi medijs actibus supernaturalibus, aut etiã naturalibus, dũmodo à supernaturalibus imperentur, sed augmentum prędictis actibus respondens habet terminum, quem excedere, & attingere non potest; ergo omnibus, & singulis iustis præfixus est terminus, quem excedere, atque adeò attingere non possunt. 10.
Consequentia est evidẽs; maior patet, & patebit ampliùs in 2. p. huius tractatus: quàmvis enim charitas medijs etiam sacramentis augeatur, omnes supponunt, sacramentis respondere certam, & determinatam mensuram, quando sinè dispositione recipiuntur, ut ab infantibus recipitur Baptismus; quando verò adest dispositio, ut in adultis, eo maius est augmentum, quò fuerit maior dispositio; sed quoniam hæc plerumque sunt actus supernaturales, quod dixerim⁹ de illis, quãdo extrà sacramenta augent habitũ, dicendum est etiam de sacramẽtis, quando cum dispositione recipiuntur. Minorem ergò probo, nam in tempore vię, seu vitę, quod limitatum est, non potest homo elicere, nisi determinatum numerũ actuum qui intrà determinatum intensionis gradum contineantur, ut probatum est; certo autem numero actuum determinatæ, ac limitatæ intensionis, non nisi determinatum augmentum habitus gratiæ, vel charitatis respondet, ut manifestè cõstat, quarè nec illud excedere, nec aliud maius attingere potest homo viator. Quod idem servata proportione de Angelis dicendum est, quia tempus vitæ illorũ, quod nostræ vitæ respondet, determinatum, imò & brevissimum fuit, in quo proinde

determi-

determinatos actus, ac certæ cuiusdam maioris intensionis elicere potuerunt.

11. Ex quibus patet, quàm aptè cohæreāt duo, quæ hactenùs asseruimus; vnum est, semper augeri posse habitum charitatis viatorum; alterum, præfixum esse huic augmento certum terminum, quem excedere, aut attingere non potest. Etenim toto tempore vitæ non potest homo elicere, nisi determinatum numerū actuum certę cuiusdam intēsionis, quibus proinde respondeat augmentū habitus charitatis in gradu determinato: ponamus ergò, illū esse solū ut octo; tūc verissimū est, ex una parte non posse eiusmodi hominem pervenire ad charitatem ut nové, vel excedere charitatē ut octo; ex altera verò parte manifestū est, quādiù vivit, & novū actū elicere, vel liberè cōtinuare potest, non pervenisse ad octavū gradū augmēti, ac proinde ulteriùs progredi posse: octavus enim non attingitur, donec cōpletus omnino sit numerus actuum totius vitæ.

12. Dicò ultimò in hac disputatione; charitati, quæ confertur in receptione Sacramentorum, præfixum fuisse à Deo aliquē terminum intensionis versùs minimum, illum nimirùm gradum, qui parvulis in lege naturæ, aut scripta conferebatur, cùm illis applicabatur Sacramentum, quo ab originali liberabātur. Charitati verò, quę adultis intuitu propriæ dispositionis infūditur, non esse præfixum propriè terminum, sicút nec præfixus est intensioni actus, quo ad iustificationem disponūtur. Dici autem poterit terminus parvitatis illa minima charitas, quæ data est homini, qui inter omnes minùs perfectè se disposuit.

13. Fundamentum Begardorum convelli potest, si quæ dicta sunt attendantur; nam quāmvis habitus charitatis animæ Christi D. determinatæ, ac limitatæ cuiusdam intensionis sit, ille gradus est multo sublimior, quàm omnes, quos cæteri homines, & angeli attingere poterant, supposita determinata duratione viæ vel vitæ, & numero, ac intensione actuum, quos elicere potuerūt: si enim ponas gradum summū, ad quem illi pervenire potuerunt, fuisse millesimum, gradus animæ Christi est bis millesimus; & idem proportione servata de charitate B. Virginis dicēdum est, imò & de charitate Apostolorum, saltém comparatione ferè omnium; ut omittamus modò, an aliqui homines fuerint illis in gratia, & gloria æquales.

Ad id, quod ultimo loco afferebatur, ex dictis á nobis in Materia de Prædestinatione, respondetur, nō esse contra nos, 14.
tum propter hactenùs dicta, tū maximé, quia licét singuli prædestinati ad determinatum glorię graduum electi sint, id non obstat, quominùs absoluté potuerint habere alium altiorem; quia electio divina ad unum finem, nō aufert absolutè potestatem ad oppositum, seu solùm in sensu cōposito, & secundùm quid; de quo in prædicta materia: sic enim prędestinatus electus est ad gloriam, & tamen absolutè loquendo potest damnari.

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm charitas viæ adæquare, vel excedere possit charitatem patriæ.



Communis & vera doctorū sentētia est, charitatem viatoris numquàm esse ita perfectam, ut excedat, vel adæquet charitatem comprehensoris, seu illius, qui beatitudinem adeptus est. Sic S. Thomas 1.2.q.67. art.6. ad 3 ubi Caietanus, & in hac quæstione art. 7. ad 3. ubi Bañez, & Aragon, & alijs in locis, de quibus posteà, Henricus quodlib. 4.q.25. Vazquez 3.p to.1. disp.47. cap 5. n 25. Azorius to.1. lib.9. cap.3. q.8. dicēs, hanc esse communem Theologorum, & referens S. Bonavēturam, Ochamum, Gabrielem, Richardum, & Argentinatem. 1. *S. Thom.* *Caietan.* *Bañez.* *Aragon.* *Henric.* *Vasquez.* *Azorius.*

2. Idem perspicuis, dissertisq; verbis testantur Ecclesiæ Patres, sed præsertim S. Augustinus, nam to. 7. lib.3. ad Bonifaciū cap.7. post medium, *Nimis* (inquit) *insipienter dicitur, tantum amari Deum, antequàm videatur, quantùm amabitur, cùm videbitur:* & pro eodem facit, quod subdidit in fine capitis, *quo circà post resurrectionē hominis futuram negare iustitiæ plenitudinem, & putare tantam futuram esse iustitiam in corpore vitæ illius, quanta esse potest in corpore mortis huius, dementia singularis est.* Vide etiam to.3. in cap. penult. *S. August.*

S. Bernar. nult. Enchiridion. Præterea S. Bernardus serm. 50. in Cant. initio ait, *Charitatem, quoad affectum, non posse in hac vita obtineri, futuræ fœlicitati reservari tamquàm præmium:* Charitatem (inquam) in gradu consummato.

3. Sed operæpretium est indagare, quidnam sit illud peculiaris excellentiæ, quod charitas patriæ habet, & à charitate viæ attingi non potest, cùm ex tract. 1. constet, utramq; esse unius infimæ speciei. Potest autem sermo esse de habitu charitatis vel de actu; & rursus tam de habitu, quàm de actu comparatione eiusdem subiecti; ita ut disputetur, an idem prædestinatus in hac vita adipiscatur aliquando habitum tam intēsum charitatis, & eliciat tam intensum actum, quàm in patria; vel comparatione diversi subiecti; ut nimirùm indagetur, an aliquis iustus in hac vita intēsiorem, seu perfectiorem charitatis habitū & actum habere posit, quàm alius in patria.

4. Illud igitur imprimis statuendum est, habitum charitatis comparatione eiusdē prædestinati posse esse æqualis omnino intensionis in via, & in patria; etenim infantes, qui cum sola gratia, & charitate Baptismi è vivis excesserūt, nullum habitus gratiæ augmentum in beatitudine recipiunt, quia gloria proportionatur gratiæ; unde si maiorem gratiam acciperent in cœlo, cōferretur illis maior gloria, quàm responderet gratiæ illis in hac vita infusæ medio Sacramento Baptismi, quod videtur contra receptam Theologorum doctrinam, qui meritò affirmāt, eiusmodi infantibus conferri in hac vita eum gratiæ gradum, qui Baptismo respondet; & aliunde certū est, quantitatem gloriæ omnino adæquari quantitati gratiæ, quæ in hac vita homini debetur; cùm ergò eadem omnino ratio sit charitatis, & gratiæ, fateri oportet, eūdem quoàd intēsionem, imò & quoàd numeralem perfectionem esse habitum charitatis in infante prædestinato, cùm è vivis excedit, & cùm beatitudinem adipiscitur. Quòd verò attinet ad adultos, si totum charitatis augmentum, quod illorū operibus respondet, cōfertur in hac vita, dicendum est, eādem omnino esse intentensionem habitus charitatis comparatione eiusdem adulti prædestinati in patria, & cùm è vivis excedit; si verò aliquid in patria conferendum reservetur, quoàd illum gradū excedetur charitas viæ, à charitate patriæ: utra autem harum opinionū vera sit, expendetur in secunda parte huius tractatus.

Sed obijciet aliquis S. Thomam, qui 3. p. q. 34. art. 4. corp. *Gratia* (inquit) *viatoris, cùm sit deficiens à gratia comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratiæ comprehensoris.* & in 3. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3. *Quantumcumq;* (inquit) *crescat gratia viatoris, non potest esse similis gratiæ comprehensoris.* Cùm ergò gratia habitus sit, & individuus comes illius sit charitas habitualis, videtur planè Sanctus Doctor negare, habitum charitatis in via posse aliquando esse æqualem habitui comprehensoris. Respondetur S. Thomā non agere de intrinseca perfectione habitus gratiæ, sed de illa, quę eam perficit extrinsecè, cùm scilicèt homo gloriam adipiscitur, & dicitur habere gratiam cōsummatam; ait ergò, quātumcumq; augeatur habitus gratiæ, aut charitatis in via, nunquàm esse gratiā consummatam, quia deest gloriæ perfectio, quam habet, quicumque Deum videt; licet habitus ipse gratię præcise acceptus æqualis sit, aut longè minùs intensus. Vide Caietanum in locum adductum ex 3. p. & hoc ipsum appositissimo exemplo declarat S. Thomas 1. p. q. 117. art. 2. ad 3. Sicùt enim semen alicuius arboris procerissimę minùs est in actu quàm arbuscula aliquod, eò quòd istud iam adeptum sit perfectionem suā, illud verò adhùc sit in potētia ad arborem ingentis magnitudinis, quam germinabit, cùm terræ mandatum sit; ita gratia, quæ semen est vitæ æternę in hac via, licèt maxima sit, & proinde conferens ius ad magnam gloriā in cœlo, minor est actu, quàm gratia cuiuslibet beati, etiam exigua; quia hæc iam arborem suam, seu fructum protulit, ac proinde perfectionem sibi debitā adepta est. 5. S. Thom. Caietan.

Ex quibus secundò infertur, dubitari non posse, ut rectè notavit Azorius, quin habitus gratię, & charitatis, quoàd intrinsecam perfectionem (de qua deinceps loquemur) in multis viatoribus esse soleat longè intensior, quàm in nonnullis beatis. Etenim habitus charitatis infantis, qui in sola gratia baptismali mortuus est, non excedit intensionem illius, quem in Baptis- 6. Azor.

mo

mo receperunt alij plures prædestinati,& diu posteà viventes multis bonis operibus claruerunt, sed hisce operibus valde auctus est habitus charitatis in via, ergo. Et sanè absurdũ videretur adæquare velle habitũ alicuius beati intẽsissimo habitui charitatis,quem B. Virgo paulò ante mortẽ sibi cõparaverat, ut rectè Suarez 3.p.to.2.disp.4.sect.1. §. ult. comparans gratiam B.Mariæ,gratię infantis mortui solo Baptismo.

Suarez.

7. Tertiò iam,quod attinet ad actũ,Azorius,Bañez,Vasquez,& Aragon absolutè affirmant,actũ amoris elicitũ à beato intensiorẽ esse actu,qui à quocumq; viatore elici potest; favet Henricus ubi suprà dicens,non posse à viatore elici amorem ferventiorem,quàm à beato. Probatur,tũ quia aliter vera esse nõ potest communis doctrina,quæ charitatẽ viæ negat æqualem esse posse charitati patriæ; tum etiã, quia qui videt Deum, multò meliùs cognoscit infinitam eius pulchritudinem, quàm à quocumque viatore cognosci potest,sed infinita pulchritudo tantò ardentiùs amatur, quantò meliùs cognoscitur; ergo.

Azor. Bañez. Vasquez. Aragon. Henriq.

8. Existimo tamen, in multis viatoribus extitisse actum amoris magis intensum, quã in multis beatis. Probatur,quia actus amoris in patria quoàd gradus intensionis proportionatur intẽsioni habitus charitatis,sed multi viatores habuerũt charitis habitũ longè intensiorẽ habitu multorum beatorum;ergo & actũ amoris intensiorem elicuerunt. Maior patet, quia actus supernaturalis charitatis, & aliarum virtutum non eliciuntur connaturaliter sinè habitu,qui potentiam naturalem evehat,& proportionet; ergo qua proportione auctus fuerit actus, oportet etiã augeri habitũ;alioqui quoàd illũ excessum elicietur actus improportionatè, seu minùs consentaneè ad illius naturã, ergo in patria, ubi omnia supernaturalia sunt in statu proportionato,nõ excedet actuscharitatis in intẽsione proportionẽ sui habitus. Vnde Christus D.in quo virtutes perfectissimũ statũ adeptę sunt, nullũ actum elicuit, qui nõn efficeretur ab habitu, & qui nõ adæquaretur omnino habitui. Minor verò patet ex dictis suprà in hac disputatione. Cõsequentia deniq; probatur primò;quia B.Virgo Maria semper operabatur actũ saltẽ tã intensum,quã erat habitus,alioqui nõ omnino respõderet divinę vocationi,quæ illã excitabat ad exercẽdas omnino vires gratiæ, quas habitus infusi tribuebãt; ergo cũ habitus charitatis illius longè superaverit intẽsionem habitus multorũ,imò & omniũ beatorũ,actus etiam superavit actum illorum. Secundò, quia omnes Theologi supponunt, sæpè à viatoribus elici actus charitatis intensiores habitu illis infuso; imò aliqui contendunt,non augeri charitatem, donec eiusmodi actus fervẽtiores eliciantur; indubitatũ ergo est,saltèm ab Apostolis,& alijs viris præcellentis sanctitatis elicitos fuisse multos actus intensiores suis habitibus; sed horũ Sanctorum habitus longo intervallo excedit intensionem habitus charitatis multorum beatorum,ut dictum est;ergo & actus sæpè fuerunt longè intensiores actibus multorum beatorum. Patet consequentia,quia actus beati omnino adæquatur quoad intensionẽ suo habitui,ut dictum est; vel saltèm non multum excedit; poterit ergo compẽsari,imò & valde superari ab Apostolis, v.g quorum habitus ferè absquè comparatione superabat habitum infantis cum solo Baptismo defuncti, & aliunde Apostoli sæpè eliciebant actum amoris habitu suo intensiorem.

Vnde Suarez 3.p.to.2.disp.18. sect. 2. conc.2.ait,semper Beatam Virginem elicuisse actus intensiores habitu; & id ipsum privilegium concessum fuisse non solùm Apostolis, sed etiam B. Francisco, & reliquis æqualis sanctitatis, saltèm pro aliquo tempore vitæ; & id videri per se probabile in tanta multitudine, & varietate donorum gratiæ. Cùm ergò multi Sancti fuerint eiusmodi, aut alia æquali sanctitate prędìti,multos fuisse credendũ est,qui in hac vita elicuerint intensiorem amorem,quàm multi Beati in patria, saltèm quàm illi,qui cũ sola Baptismi gratia recesserunt. Quæ verò pro contraria parte adducebantur,solùm probant id, quod in sequentibus concedemus. 9.

Suarez.

Quartò tãdem ergò dicendũ est, actũ amoris cuiuslibet beati habere aliquã perfectionẽ realẽ, & intrinsecã, qua superat valde amorẽ cuiuscumq; viatoris, quantũcumq; intẽsum. Hoc solùm contendunt Sãcti Patres,& sic accipiẽda est cõmunis 10.

doctrina. Nec S. Thomas nûquàm revocavit excellentiam amoris patriæ ad aliquam maiorem intensioné; hæc enim saltèm additione multorum graduum compensari, & proinde adæquari posset ab amore viatoris; & tamen in art. 7. ad 3. ait, nunquàm posse amorem viæ adæquari amori patriæ, quia est diversæ rationis; sicùt linea, quantumcumque crescat, non potest habere extensionem superficiei; revocavit ergò hâc inæqualitatem, ad id, quod in 1. 2. q. 67. art. 6. ad 3. hisce verbis declaravit, *Charitas viæ per augmentum non potest pervenire ad æqualitatem charitatis patriæ, propter differentiã, quæ est ex parte causæ; visio enim est quædam causa amoris,* ut dicitur in 9. Ethicor. *Deus autem quantò perfectiùs cognoscitur, tantò perfectiùs amatur.*

S. Thom. S. Thom. 9. Ethic.

11. Vt verò declaretur, & roboretur ampliùs hæc optima ratio Sancti Doctoris, advertendum est, intrà eandem speciem dupliciter esse posse unum actum altero perfectiorem; primò quoad intensioné, si habeat plures gradus; secundò quoad indivisibilem, & materialem perfectionem, quæ adæquari non potest ab altero, quantumcumq; intrà suam differentiam perficiatur, v. g. in 1. p. controver. 1. tract. 5. disp. 10. dicebamus, visionem beatam, qua in Deo viderentur viginti creaturæ possibiles, esse intrà eandem specié multò nobiliorem ea visione, qua solùm una istarum creaturarum in Deo conspiceretur; unde quantùmvis hęc secunda visio intenderetur, non posset adęquare perfectioné primę, quia gradus intensionis solùm deservirent, ut clariùs illa una creatura in Deo videretur, non autem ut conspicerentur viginti, quod est multò excellentius, & maximè conducens ad meliùs penetrandam essentiam diviná. ¶ Similiter in tract. 1. huius controversię dicebamus, inefficacem actũm amoris Dei esse eiusdẽ speciei cũ amore efficaci; sed nihilominus hic in sua intrinseca differentia ita est illo nobilior, ut quantumcumq; inefficax cõplacentia intédatur, nõ attingat perfectioné amoris efficacis, etiã valde remissi; hic enim in quocumque gradu excludit omnino affectum peccati lethalis, & seriò animum convertit ad Deũ; amor autem inefficax etiam intésissimus id non habet.

12. Ad rem igitur, amor ille, quo beatus afficitur erga Deum clarè visum, intrà eandem charitatis speciem tanta efficacitate, & perfectione fertur ad divinam bonitatem, ut impossibile sit, amorem viatoris etiam summè intensum eò efficacitatis & perfectionis devenire. Probatur, quia licèt cognitio, qua voluntati obijcitur divina bonitas, non sit ratio formalis amandi, nihilominùs valde conducit ad excitandum amorem, quò enim clariùs, & meliùs obijcit voluntati aliquã pulchritudinem, eò magis illam ad amorem inclinat; sed visio beata obijcit volũtati beatorum divinam, atque adeò infinitam omnino bonitatem, & pulchritudinem, ut est in se, fides verò, aut quævis alia cognitio possibilis viatori non obijcit illam, nisi imperfectè, & per cõnotationé, seu analogiã ad creaturas; ergo illa prior cognitio inclinat volũtaté ad nobilioré, & strictiorem amorem; quod quidé non potest consistere in pluribus gradibus intensionis, nam maior intensio consistit in additione partium habentium eundé affectus modum, & pendet ex maiori inténsione habitus, aut cõcursus divini, qui potest in beatis esse inæqualis, & interdum valde exiguus; consistit ergo in intrinseca illius amoris natura, eo enim ipso, quòd ad Deum clarè visum feratur voluntas, quantumcumque divinus concursus exiguus, sed tamen sufficiens sit, non potest nõ uniri striciori, & firmiori affectus vinculo, quàm si ad Deum ut est in se cognitum non tenderet. Confirmatur, & declaratur hoc ampliùs, quia eo ipso, quòd videatur Deus ut est in se, non potest voluntas illum non amare, quantùmvis habitus remissus sit, quia summum illud bonum optimo modo obiectũ, summè voluntatem inclinat ad amorem: in via verò licèt amor intensissimus sit, hanc necessitaté nõ habet, quia nõ videtur Deus ut est in se, ergo similiter clarã tantæ pulchritudinis cognitionem nõ potest nõ sequi specialis amandi modus, qué nullus alius in via etiam intensissimus adæquet. Et sanè si intimiùs dignosceremus, quàm alius (ut sic loquar) appareat Deus beato, atq; appareat viatori, licèt uterq; easdé veritates, & perfectiones divinas agnoscat, plenissimo ore cum S. Augustino suprà diceremus, *Nimis insipienter dici, &c.*

13. Declaratur etiam discrimen inter utrúque amorem ex eo, quod amor patriæ excludit affectum cuiuscumque culpæ etiã venialis, ita ut impossibile sit, ab eo, qui ita Deum amat, committi culpam, vel levissimam; amor autem viæ quantumcumque efficax, & intẽsus nõ excludit affectũ peccati venialis, saltẽ levissimi. Nec obstat huic differentiæ identitas specifica utriusque amoris; nam complacentia, & amor efficax sunt eiusdẽ speciei, & tamen hic incompatibilis est culpæ lethali, illa verò non.

14. Quintò ex dictis infertur, nõ posse esse eundẽ numero amorẽ actualẽ viæ, & patriæ; tum quia ille liber est, hic necessarius, & in Libris de Anima ostẽdimus, libertatem esse differentiã intrinsecã actui libero, qui proinde in necessarium mutari nõ potest, sicùt nec necessarius in liberũ: tũ etiã quia amor patriæ habet differentiã intrinsecã hactenùs explicatã, quæ in amorẽ viatoris convenire non potest.

15. Vtrùm autem iste duplex amor esse possit æqualis intensionis in uno, eodemque subiecto, ita ut amor, quem iustus elicuit in via, habeat tot gradus intensionis, quòt habet ille, quem elicit in patria, quæstionem habet; videtur autem id accidere nõ posse, quia in patria semper elicitur actus amoris tã intensus, quã est habitus; in via autẽ semper est minùs intẽsus actus; licèt enim interdũ operetur iustus viator actũ amoris iuxta intensionem habitus, quem præhabebat, cæterũ medio hoc actu meretur novũ augmentũ habitus, quod, vel in hac vita, vel in patria infundetur; & sic redderur habitus ipse intẽsior, ac proinde effectivus actus intẽsioris in patria, in qua amor respõdebit toti intẽsioni ipsius habitus charitatis, quæ superaddita est.

16. Dices, accidere posse, ut actus charitatis sit multó intẽsior in hac vita, quã habitus; & tũc licèt habitus augeatur, non erit tantũ augmentũ, ut excedat, sed solùm ut adæquet intensianẽ actus. Sed hoc refelli potest, quia ille actus saltẽ per aliquod tẽpus cõtinuabitur, & in eo merebitur novã partẽ habitus, iuxta infrà dicenda, illique maiori intensioni habitus respondebit alius actus intensior in patria. Quòd si fingatur casus metaphysicus, in quo ille actus ante mortem non continuetur ita liberè, ut mereatur novum augmentum, dicendum erit, tunc posse actum amoris viæ esse eiusdem intensionis cum amore patriæ.

DISPVTATIO V.

Vtrùm charitas in patria habeat terminum intensionis?

1. Es est omnino facilis, positis ijs, quę in superioribus disputationibus dicta sunt. Primùm ergò cùm charitas vię, & patriæ sit unius infimę speciei, sicùt illa, non solùm ex absoluta potentia, sed etiam suaptè natura non habet terminũ intensionis, sed in infinitum augeri potest, iuxta suprà dicta, ita etiã potest charitas patrię. Deinde, si legem divinæ providẽtię attendamus, certum est præfixum esse terminũ intẽsionis versùs maximũ charitati patrię, quia nullus intensiorem habre potest, quàm sit charitas Christi Domini, imò & B. Virginis, versùs minimum, etiam in eo sensu est termin', quod in cælo erit aliquis beatus, vel aliqua multitudo beatorum, cuius charitas sit minima inter charitates omnũ beatorũ. Denique sicùt nullius beati gratia augetur, sed in ea intensione, quam in via sibi comparavit, perseverat; ita etiã non augetur habitus charitatis, & consequenter neque actus, qui ab initio beatitudinis necessariò elicitur secundùm totam virtutem habitus, & in eodem statu immutabilis perseverat.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm habitus, & actus charitatis ex absoluta potentia ita augeri possit, ut evadat simpliciter infinitus?

1. Oc ipsum de gratia habituali disputari solet, est enim omnino eadem difficultas in ipsa, & cæteris habitibus infusis, sed

ſed præſertim in charitate, quæ gratiam comitatur; quarè quod ex Doctoribus,& rationibus ad gratiam ſpectans protulerimus, adductum putetur pro charitate, & è contrà. Partem ergò affirmantem in hac diſputatione amplectũtur Gregorius in 1.diſt.44.q.4.conc.3. Maior in 3.diſt. 13.q.3. & nonnulli recentiores,qui etiam in qualitatibus ſupernaturalibus infinitũ eſſe poſsibile docuerũt. Argumenta huius opinionis ſunt ea,quibus in generali probatur,infinitũ eſſe poſsibile, ſed ea retulimus,& ſolvimus ad 3.Phyſicorũ, & ideò hic repetenda non ſunt,ſed veritas breviter explicanda,& confirmanda.

Gregor. *Maior.*

2\. Communis ergò,& vera Theologorũ ſententia eſt,gratiam, aut charitatem nullo modo eſſe poſſe actu, & ſimpliciter infinitam. Sic S.Thomas 1.p.q.7.ubi in generali nihil creatum putavit, eſſe poſſe infinitum. S.Bonaventura in 3.diſt,13. art. 1.q.2.Richardus ibidem. Durandus q. 1. Scotus Carthuſianus,cum Hẽrico & Aegidio, & Caietanus adducti diſp. 2. initio,Gabriel in 3. diſt.13.q.unica art,1.Argentinas art.3. Paludanus q.1.art.2. Suarez 3.p.tom.1. diſp. 22. ſect. 1. Vaſquez diſp. 46. cap. 2. Valencia tom.3.diſp.3. q.2.p 3. ante aſſertionem tertiam. Zumel t. 2. tom.2. q.112.art.4.diſp.2. conc. 7.& alij.

S.Thom. *S.Bonav.* *Richard.* *Durand.* *Scotus.* *Carthuſ.* *Henriq.* *Aegid.* *Caietan.* *Gabriel.* *Argent.* *Palud.* *Suarez.* *Vaſquez.* *Valenc.* *Zumel.*

3\. Probari poteſt imprimis iſta ſententia ijs rationibus, quibus ad 3. Phyſicorum probavi, impoſsibilem eſſe qualitatem actu infinitè intenſam, nimirùm quia limitatio creaturæ non compatitur actualem infinitudinem; & quia ſicùt de ratione quantitatis eſt ſuperficie terminari, ac proinde non eſſe infinitam, huic enim repugnat habere terminum extenſionis; ita de ratione qualitatis eſt terminari ultimò indiviſibili intenſionis, cum quo non eſt compatibilis infinitudo. Sed his omiſsis expendendum eſt, an ſit aliqua ratio Theologica, & propria præſentis inſtituti, ut veritas iſta roboretur.

4\. Gabriel Vaſquez ſuprà ſic probat iſtam aſſertionem. Nullus poteſt habere gratiam ita intenſam, ut medijs operibus bonis,nõ poſsit mereri intenſionem,ergo impoſsibile eſt infundi alicui à Deo gratiã actu infinitã. Antecedens patet, quia quantacumq; gratia infuſa ſit alicui, poteſt adhùc ſe in bonis operibus exercere, his autẽ efficitur iuſtus dignus maiori gratia,quia opera ſupernaturalia cuiuslibet iuſti condignitatẽ habẽt ad eiuſmodi augmentum,etiamſi valde remiſſa ſint,ut infrà patebit; & ſanè ſicùt iuſtus medio quolibet opere ſupernaturali bono ſe ſanctificat ampliùs,merendo novum gratiæ, ſeu charitatis augmentũ,ita ſe ſanctificare poſſet,imò &multò meliùs,ſi haberet gratiã infinitã, à qua provenirent, & maior perſonæ dignitas, & robuſtior virtus ad promerendum . Conſequentia verò probatur, quia ſicùt infinito quoàd extẽſionẽ,ſeu quantitatẽ nõ poteſt aliquid addi, ita nec infinito quoàd intenſionem. Confirmari poteſt,quia intẽſio qualitatis fit additione graduũ magis,ac magis perfectorũ intrà eandem ſpeciem,quiq; certum ordinem habent, quo ſecũdus ſupponit primũ, tertius ſecundum,cui immediatè connectitur,&c. Vnde ſi habẽti gratiam infinitè intẽſam alij gradus addi poſſent,hi ſanè ſupponerent ultimum, ſeu ſupremum in illa intenſione; nam ſemper gradus denuò additus connectitur immediatè ſoli poſtremo,ut conſtat ex 1.de Generat.diſp.de Alteratione: in infinita autem intenſione impoſsibile eſt requiri ultimum gradum; ergo impoſsibile eſt aliquid illi ſuperaddi.

Vaſquez.

Zumel ſuprà meminit huius rationis, nec illam reijcit; Suarez verò refert, & confutat: refelli autem poteſt primò, quia antecedens non bene probatur: diceret enim aliquis, dum iuſtus non haberet omnem intenſionem poſsibilem gratiæ, poſſe quidem bonis operibus mereri maius augmentum,eo tamen ipſo, quod Deus omnẽ illã gratiã infudiſſet, non deberi aliquid ampliùs gratiæ, quantumcũque bona opera multiplicaret; ſic enim in naturalibus,quamdiù homo non acquiſivit ſummam intenſionem habitus,poteſt exercitio actuum intendere illum, poſtquàm verò habitus attigit intenſionem ſummam ſibi connaturalem, quantumcũque actus multiplicentur,nõ intẽdetur habitus;& idẽ eſt de multiplicatione luminoſorũ,quę nõ cõducet ad maiorẽ intenſionẽ luminis,quãdo illud habuerit intẽſionẽ naturaliter poſsibilẽ. Secundò refelli poteſt,quia licèt daretur antecedẽs, negãda foret cõſequentia;&ad probationem 5.

Suarez. *Zumel.*

nem

nem respondendũ, licèt infinito quoàd intensioné non posset addi novus gradus supponens reliquos, ut in confirmatione rectè probatur, posse nihilominùs addi alios gradus eiusdem omnino rationis cũ præcedentibus, quique nullum ad illos ordiné præexistentię haberent; ut si gradus existẽtes in subiecto grato ut octo permitteret Deus illis gradibus infinitis, & deinde alios octo, & sic deinceps, hoc enim modo adderẽtur novi gradus gratiæ propter novos act⁹ meritorios; nec inferretur, in illa gratia infinita esse aliqué ultimum gradũ; sic enim quãtitati infinitę addi posset nova pars, quę nõ haberet ordiné situs cum reliquis, sed illas penetraret.

6. Suarez. Deinde Suarez in illa sectione prima disputationis 22. probat impossibilitaté gratiæ, & charitatis infinitæ, quia si possibilis esset, re ipsa infusa fuisset Christo Domino: cùm tamen communis Doctorum consensus sit, gratiam habitualem illius fuisse in entitate, & perfectione simpliciter finitam. Sed in Materia de Incarnatione tract.7.disp.4. ex professo ostendemus id, quod nunc optimo iure Vasquez citatus animadvertit, quãvis infinita foret possibilis, nõ propterea in Christo D. asserendã; gratia enim eius ab unione hypostatica profluebat; & hæc in entitate physica quidpiam finitum est, ac proinde nõ poterat illi deberi proprietas infinita.

7. Aragon. Tertiã rationé reddunt Durandus, Argentinas, Paludanus, Suarez, Zumel, Aragon hic, art.6.pag.561.col.1. § *Sed contra.* & alij docti recẽtiores, quæ mihi maximè probatur, & in hũc modum formari potest. Si possibilis esset gratia infinita, foret quoq; possibilis infinita visio, sed visio infinita involvit contradictioné; ergo & gratia infinita. Consecutio maioris probatur, quia visio proportionatur gratiæ; est enim hæreditas debita filijs, qui per gratiã constituũtur; unde crescẽte gratia, maior efficitur titulus, & comparatur ius ad maiorem hæreditaté, proptereaq; modo, qui maiorem gratiã habet, perfectiùs intuetur Deũ. Minor probatur, quia mediante visione infinita viderentur omnes creaturæ possibiles in Deo, sed videre omnes creaturas possibiles in Deo, est impossibile; ergo impossibilis est visio infinita. Consequẽtia est evidens: minoré latè probavi 1.p.controver.1.tract.6. ubi ostẽdi, ex vi beatę visionis conspici in Deo creaturas, & eo ipso quod viderentur in illo omnes, comprehendendũ fore Deũ simpliciter, & absolutè, quod nulli creaturæ competere potest, ut ibidem tract 5.disp. ultima, ratione, & authoritate probatũ est. Maior ergò probatur primò, quia ut visio sit infinita, non satis est videri infinitas creaturas in Deo, ut loco citato ostendimus; ergo necesse est videri omnes. Secundò, quia infinitudo visionis beatę etiã consistit in indivisibili tendentia ad Deũ, penetrando naturam eius, quantùm penetrari potest, ut statim ampliùs declarabitur: eo autem ipso quòd non viderẽtur omnes creaturæ possibiles in Deo, nõ penetraretur, quãtùm potest, ac proinde nõ esset visio infinita.

Dicet aliquis; visionem beatam posse magis, ac magis intendi, etiamsi virtute illius non possint plures, & plures creaturæ conspici; intensio enim solùm conducit ad videndum Deum maiori, ac maiori claritate ex parte actus, non autem ad meliùs penetrandam divinam essentiam; effici ergo posset visio infinita, qua non solùm non viderentur, aut videri possent omnes creaturæ possibiles, sed ne infinitæ quidem, sed una, vel altera tantùm; quarè ex eo quòd sit possibilis infinita visio, non infertur comprehensio. Sed hæc solutio facilè refellitur; licèt enim visio beata posset esse magis, ac magis intensa, etiamsi novæ creaturæ nõ conspicerentur, ut in tractatu quinto citato declaratum est, nos hic non agimus solùm de augmento, & infinitudine visionis quoàd intensionem, sed absolutè quoàd eius perfectionem, & quatenùs proportionatur gratiæ; etenim quò maiorem gratiam obtinet iustus, eò respondet illi non solùm visio magis intensa, seu magis clara ex parte actus, sed etiam magis perfecta quantùm ad meliorem penetrationem divinæ perfectionis, in utroque enim (cæteris paribus) excedit in patria iustior minùs iustum; unde habenti gratiam infinitam nõn solùm responderet visio habens infinitos gradus intensionis ad videndum infinita claritate divinam essentiam, sed etiam infinitè penetrans Deũ sua indivisibili tendẽtia, ita ut quilibet gradus illius penetraret infinitè: non potest autẽ intelligi visio infinitè 8.

 penetrans,

penetrans,si aliquid penetrandum superſit, eo enim ipſo foret poſsibilis alia viſio in eodem ordine perfectior, qua plús penetraretur,& conſequenter illa prior non foret infinita,ſicut nec angelus, intrà cuius gradum foret poſsibilis alius perfectior,infinitudinem haberet, de quo ad 3. Phyſicorum à nobis dictum eſt.

9. *Vaſquez.* Ex quibus patet,immeritò Gabrielem Vazquez ſuprà dixiſſe,rationem hãc nullius momenti eſſe,nam prçter quã quod à graviſsimis ſcholaſticis affertur,ſufficiẽter oſtenſa eſt illius efficacitas, nec ab ipſo bene confutatur; ſolùm enim obijcit duo, primum in ſententia S. Thomæ ad comprehenſionem requiri viſionem,quç ſit tam perfecta, quàm Deus; licèt autem viſio foret infinita, non haberet tantam perfectionem, ac proinde Deum nõ comprehenderet. Secundum eſt,ex vi viſionis beatæ non videri creaturas in Deo, ac proinde licét illa foret infinita, non videri illicò omnes poſsibiles. ¶ Sed neutrum urget; non primum, quia S. Thomas ut loco citato à nobis oſtenſum eſt, ex præciſa viſione omnium poſsibilium in Dæo infert comprehenſionẽ Dei,inde autẽ conſequenter infertur, viſionem illarum fore tam perfectã,quàm eſt Deus, quia ſola cognitio divina, quç eſt ipſe Deus,& tam perfecta, quàm ipſe, poteſt Deum comprehendere. Vnde iure optimo Durandus, & Paludanus ex eo, quod viſio Dei foret infinita, intulerunt loco citato, fore æqualem omnino divinç cognitioni, quia ſcilicèt foret comprehenſio Dei; quod ſoli cognitioni divinæ convenire poteſt. Nec ſecundum, quia in prædicto tractatu ſexto efficaciter oſtendimus, creaturas poſsibiles in Deo conſpici ex vi beatæ viſionis.

Durand. *Palud.*

SECVNDA PARS Tractatus,de ijs, quibus augetur habitus charitatis.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm charitas augeatur medijs actibus intenſioribus habitu: vbi an iſtud augmentum ſtatim conferatur?



Ommunis Doctorum ſententia eſt,habitum ſupernaturalem charitatis augeri, quoties iuſtus elicit actus charitatis ipſo habitu intenſiores, ita ut augmentum iſtud ſtatim conferatur à Deo. Probatur,quia imprimis eiuſmodi actus ſunt meritorij non ſolùm vitæ æternæ, ſeu gloriæ etiam eſſentialis, ſed augmenti gratiæ, ut ex Scriptura, Sanctis Patribus, & præſertim Concilio Tridentino maniſeſtum erit in diſputatione nona,cumque habitus charitatis, vel ſit idem quod gratia, ut opinatur Scotus,vel ſaltèm ab ea dimanet tamquàm affectio coniunctiſsima,ut probabilior opinio S.Thomæ fert, eo ipſo quód iuſtus augmentũ gratię mereatur,augmẽtũ quoque charitatis mereri neceſſe eſt. Deinde cùm gratię,& charitatis augmentum ſit proprium præmium viatorum, nõ eſt cur illud differatur, ſi adſit debita diſpoſitio ad illud conferendum;quæ autem melior diſpoſitio excogitari poteſt ad augendum habitum charitatis, quàm actus ab eo elicitus,& illius intenſionem ſuperans, quarè immeritò Valencia diſp.3. q. 2. p.3. aſſert. 8. negavit, ſufficere actum eſſe intenſiorem, ut charitas augeatur. *Valenc.* Imò rectè Vaſquez 1.2.tom.2.diſp. 220. cap.5.n.43.dixit nullum ſcriptorẽ hactenùs negaviſſe augeri ſtatim gratiã debitã operi intenſiori ſuo habitu. *Vaſquez.* Confirmatur, quia habitus naturalis ſtatim augetur ab actu naturali intenſiori, niſi adſit fortaſsè habitus contrarius ita intenſus, ut activitatem, ſeu efficacitatem ipſius actus, vel retardet, vel impediat; ergo habitus infuſus charitatis ſtatim augebitur medio actu charitatis intenſiore, cùm nullus ſit habitus contrarius, qui obſtare poſsit; quàmvis enim eſſe ſoleant in homine iuſto habitus vitioſi,hi, utpotè naturales,non ſunt contrarij habitui charitatis,& aliarum virtutum infu-

sarum, ut in Materia de Habitibus, seu 1. 2. controversia 4. probatum est.

2. Dubitari verò potest primò, an vera sit huius disputationis hypothesis, nimirùm actum charitatis solere esse intésiorem suo habitu; nam quamuis illis, quorũ gratia, & consequenter charitas remissa est, id facilè creditur accidere, difficultatem habet in alijs, qui magnam gratiæ, & virtutum intensionem bonorum operum exercitio, & Sacramentorum frequentia sibi compararunt; non enim in eiusmodi hominibus experimur ferventissimos actus, sed similem ferè operandi modum per longum tempus; imò sæpè quamdam animi segnitiem, ac veluti lãguorem; quæ omnia nõ evenirent, si valde intésos, atq; adeò habitibus intensiores actus elicerẽt. Respondetur tamen, licèt non semper iusti, etiam perfecti eliciant actus charitatis suo habitu intensiores, non esse id ita difficile, ut credi nõ debeat, à multis interdũ, aut sæpè elici solere. Sic imprimis sentire videntur S. Thomas, Durandus, & alij graves doctores locis referendis in sequẽtibus disputationibus, qui cùm negent, augeri habitum charitatis, nisi cum iustus elicit actum æqualis, aut maioris intensionis, quàm habitus, vel auxilium simul cum habitu, planè supponunt, hanc maiorem intésionem posse, & solere reperiri in actibus non solùm imperfecti, sed etiam provecti hominis; quis enim credat, eos putavisse, deterioris cõditionis esse in hac parte sanctos, quàm incipientes? Deinde Frãciscus Victoria in sua relectione de augmento charitatis, in prima conclusione id semel, & iterum affirmat; & Suarez 3. p. to. 2. disp. 18. sect. 2. conc. 2. non solùm B. Virginis, & Apostolorum, sed etiam B. Frãcisci, & similium virorum dixit fuisse privilegium, ut semper saltèm pro aliquo vitæ tempore actus elicerent habitibus intensiores.

Victoria. *Suarez.*

3. Ratione etiam id ipsum persuadetur; quia quò habitus charitatis est intensior, eò inclinat ad actum magis intensum, & consequenter Deus offert maiorem concursum, qui quodammodo habitui debitus est; quamuis autem præter habitum, & concursum requiratur ad eliciendos actus charitatis gratia actualis excitans voluntatem iusti, non est credendum eam denegari semper iustis, & viris perfectis, quæ sufficit, & requiritur, ut eliciant actus tantæ intensionis, quantæ est habitus: cur enim credetur Deus non ita agere cum familiarissimis, cùm id ipsum præstet incipientibus? Multi ergò sunt, qui saltèm aliquoties elicere possunt, & eliciunt actus non minùs intensos, quàm habitus, quo concesso, facile est etiam elicere alios aliquantò intensiores, præsertim cùm liberalissimus Deus ijs, qui præcedenti gratiæ respondent, conferre soleat vberiorem, ut ferventiùs agant.

Nec obstat, quod in ratione dubitandi obijciebatur; nam licèt interdum eam animi segnitiem viri probi experiãtur, interdum etiam experiuntur fervorem; & prætereà maior, aut minor intensio actuum spiritualium, & præsertim supernaturaliũ non ita facilè sentitur, ut iudicari statim possit, quando actus sit valde intensus, maximè si contingat, ut sæpè accidit, deesse cõsolationem sensibilem, seu alacritatem illam partis sentientis: hęc enim est, quam facilè sentiunt iusti, quãdo adest; & ea deficiente videntur sibi remissè, & segniter agere, etiam si fortasse tunc sit maior conatus voluntatis. 4.

Secundò dubitatur, an habitus charitatis augeatur medijs actibus intensioribus, quoàd eùm solum gradum, in quo est excessus, an potiùs quoàd totam actuum latitudinem v.g. an siquis iustus habens charitatem ut octo eliciat actum charitatis ut decem, addantur habitui charitatis duo tantùm gradus, in quibus ipse actus excedebat, an verò decem gradus, qui toti intensioni actus respondeant. Dominicus Bañez locis infrà referendis existimat solùm augeri habitum charitatis quoàd gradus, in quibus ipse actus excedit: Victoria verò suprà distinguit; fatetur enim, gratiam augeri quoàd totam latitudinem actui respondentem; charitatem verò, nõ nisi quoàd excessum: Idẽ tribuitur Soto in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. qui quidem licèt post primam conclusionem §. *nihilominus*, ita sentire videatur, in fine tamẽ illius paragraphi addit, fortasse ipsam qualitatem gratię, quæ iustis inhęret, non augeri, nisi cùm habitus charitatis intendatur. 5.

Bañez. *Victoria.* *Soto.*

Suaderi potest hęc sentẽtia primò, quia habitus supernaturales augentur ea proportione, qua habitus naturales; Deus enim in ordine gratię, quoàd potest, pręstat 6.

stat idem, quod in ordine naturæ; sed habitus naturales non augentur medijs actibus intensioribus, nisi quoàd gradum, in quo ab illis exceduntur, ergò etiam habitus supernaturales. Minor probatur, quia actus naturalis, cuius intensio adæquatur habitui, produxit totum, quod potuit; est enim causa naturalis, & necessaria; & tamen non potuit producere habitum intensioré, sed æqualé sibi; ergo actus intensior nõ poterit addere intensioni habitus plùs quã eos gradus, in quibus actũ minùs intensum superat. Confirmatur, & declaratur ampliùs; quia actus naturalis ut octo non potest efficere nisi habitum ut octo; ergo actus ut decem solùm producere potest habitum ut decem, cùm sit eadé omnino proportio; ergo si iam sint octo gradus habitus producti, solùm poterit actus ut decem efficere duos gradus, videlicèt nonum, & decimum; ergo solùm potest habitum augere quoàd gradus, quibus excedit, eo modo quo calor ut quinque solùm potest efficere calorem ut quinque; quód si iam sint quatuor gradus producti, solùm efficere poterit quintum gradum.

7. Secundò suaderi potest, quia si habitus augeretur quoàd totam actus latitudinem, foret augmentum maius, quàm credi potest, si enim habens charitatem ut octo, & eliciés actum ut novem acquirat novem gradus habitus, evadet charitas ut septemdecim, & rursus si eliciatur media hac charitate act⁹, ut decé & octo, addentur decem & octo gradus habitui, qui proinde trigesimum quintum gradũ attinget; & eadem proportione in tempore brevissimo augmentum erit suprà omnem fidem, cùm tamen non id experientia doceat, sed oppositum, post multos enim annos remissa adhùc, & incipiés videtur charitas nostra.

8. Tertio gradus habituum etiam supernaturaliũ sunt inæqualis perfectionis, ita ut secundus sit excellentior primo; tertius secundo; & sic de reliquis superioribus; ergò actus intensus ut octo elicitus ab habente charitatem ut sex; solùm augebit illam quoàd duos gradus, ut ita octavum gradum attingat. Antecedens patet ex lib. 1. de Generatione, disputatione de Alteratione. Consequentia probatur, quia perfectio octavi gradus non potest attingere perfectionem graduum superiorum; si autem actus ut octo adderet habitui ut sex alios octo gradus, evaderet intensus ut quatuordecim, ac proinde octavus gradus actus attingere posset, seu cõparare decimum quartum gradum, quod sanè virtutem eius excedit. Confirmatur, quia si actus intensus ut octo eliceretur ab eo, qui nullum gradum charitatis haberet, solúm disponeret ad octo gradus, ergo si iam sit in subiecto charitas ut sex, solùm disponet ad duos gradus, ut ita attingat octavum gradum. Patet consequentia, quia eadem est perfectio, & efficacitas actus utrobique.

Dicendum tamen est, habitum charitatis augeri statim medijs actibus intensioribus quoàd universam eorum latitudinem. Sic sentiunt omnes illi authores, qui existimant, iustorum gratiam, & charitatem augeri statim medijs actibus quantumcumque remissis, quos in disput. 9. & 10. referemus; & in speciali assertionem nostram amplectuntur Corduba lib. 1. quæstionum, quæst. 9. præsertim dub. 3. Vasquez 1. 2. to. 2. disp. 220. cap. 9. Aragon ad artic. 6. huius quæstionis, dub. ult. Suarez in relectione de reviviscétia meritorum, sect. 3. à n. 43. & al. j. Ante probationem veró sciendum est, duplicé esse posse sensum huius assertionis; prior est, charitaté augeri medijs intésioribus actibus quoàd eorum totam latitudinem in ratione meriti, id est, non solùm esse prędictos actus meritorios augmenti, ratione illorum graduum, in quibus excedunt ipsum charitatis habitum, sed ratione omnium, & proinde statim à Deo augeri habitum tantùm, quantùm tota actus intensio meretur, & non solùm quantùm meretur propter intensionis excessum: & hic sensus est, qué potissimùm contendũt Doctores citati, & qui efficaciter probari potest; nã imprimis quod ad meritũ attinet, patebit in disp. 9. certissimũ esse, quélibet actũ charitatis quantũvis remissũ, si ab homine iusto eliciatur, esse meritoriũ augmenti glorię essétialis, gratię, & charitatis; ac proinde cũ act⁹ est intésior, nõ solũ respondere peculiare, & novũ præmiũ essentiale maiori intésioni, sed etiã omnibus, & singulis gradibus perinde ac si divisim elicerétur. Deinde verò illud augmentum gratiæ, & charitatis sta-

9. (right margin) Corduba. Vasquez. Aragon. Suarez.

tim á Deo conferri, probatur; quia status viatorum accommodatus est, ut hoc augmentum recipiat, iuxtà illud, *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, Psal.83. ubi rectè Glossa, Hugo Cardinalis, & Lyra, *Gratiã* (inquiunt) *in hac vita, gloriã in futura*: aliunde vero, qui actum intensiorem elicit, non solùm illud augmentum meretur, ut dicebamus, sed etiã egregiè disponitur ad illud recipiendũ, utitur enim bene donis præcedentibus, scilicet charitate prius infusa, impendendo nimirùm totum conatum, quem media illa potest, imò maiorem, supplēte divino auxilio, ut sic eliciat actum ipsa charitate intensiorem: cur ergò liberalissimus Deus illud augmentum non statim conferet, & privabit iustum eo auctario, quo maximè iuvari poterit, tum ut animus eius pulchrior, & Deo gratior sit, tum ut deinceps ferventiores actus elicere possit? Certé non habent adversarij aliud effugium, quàm proportionem illam inter habitus naturales, & supernaturales, de qua in primo argumento, quod quàm exigui momenti sit, in eius solutione perspicuum erit; unde S. Thomas nunquam, quod ego sciam, meminit illius proportionis.

Psal. 83. Gloss. Hugo. Lyra.

10. Distinctio autem, qua Franciscus Victoria, difficultatem emollire conatus est, merito displicet doctis Theologis: nam gratia, & habitus charitatis sunt maximè connexi, vel enim sunt idem realiter, vel certè charitas à gratia dimanat nō solùm moraliter, sed etiam physicè, ut in 1.2. controversia 8. de Gratia tract.4. probatum est; quarè eo ipso, quod Deus augeat gratiam, augeri etiã necesse est habitum charitatis, nisi quis velit ad miracula sinè necessitate, & utilitate confugere.

Victoria.

11. Posterior sensus assertionis est, servari strictam proportionē inter gradus actus, & habitus charitatis; ita ut tot sint gradus qui denuò à Deo infunduntur, & adduntur habitui præexistenti, quot sunt in actu qui elicitur: & in hoc sensu, nec doctores citati, nec nos intelligimus propositam assertionem; tum quia id est valde occultum, nec inveniri poterit firmum fundamentum, cui ad id asseverandum innitamur; tum etiam quia nulla potest in hac re tradi regula generalis; interdum enim gradus augmēti habitus erunt multò plures, quàm gradus intensionis actus v.g. si habens habitum ut quatuor eliciat actum ut octo, quo superet ingētem aliquam difficultatem, & offerat Deo magnum aliquod obsequium, quale in sua professione exhibent religiosi, non dubito, quin charitas augeatur, non solùm quoàd universam illius actus latitudinem in gradibus, sed etiam multò magis, accipiatq; proinde nō solùm octo gradus suprà quatuor, quos habebat, sed etiam plures; est enim ille actus magni meriti apud Deum, qui non solùm intensionem actus, sed difficultatem, & excellentiam operis medio actu oblati attendit, ut ampliùs infrá declarabitur: interdum vero pauciores erũt gradus augmenti habitus, quàm ipsius actus: si enim iustus habens charitatem ut quatuor, eliceret absq; ulla difficultate inefficacem amorem Dei intensum ut octo, non existimo dignum esse, cui propterea octo gradus superaddantur habitui in prēmiũ tam imperfecti amoris; quod q; in magnis peccatoribus esse solet, ut in tract.1. dictum est. Concludo ergò in hoc augmento solùm attendendam esse latitudinem meriti, & illi omnino proportionandum præmium, ita ut, si in habente charitatem ut quatuor, actus sit intensus ut octo v.g. respondeant illi octo partes habitus charitatis, quæ in prēmium conferantur, & istas esse posse maiores, vel minores, quàm gradus ipsius habitus, prout fuerit actus magis, vel minús meritorius. Quod si nos aliquando partes, seu gradus habitus commensuravimus partibus actus, & in sequētibus commensuraverimus, id solùm contendimus, ut nimirùm intelligatur, non augeri solùm habitus ratione illorum graduum, in quibus ab actibus exceduntur, sed omnibus, & singulis partibus actus respondere aliquam partem habitus in præmiũ. Atq; hæc doctrina notetur prosequētibus disputationibus, inquibus cùm dixerimus aliquos actus esse meritorios novi augmenti gratiæ, charitatis, & gloriæ, intelligendum est mereri quoàd totam latitudinem actuum ingenere meriti; sive præmium statim conferatur, sive posteà.

Ad primum respondetur falsum esse, servari à Deo eiusmodi rigidam proportionem in omnibus; quàmvis enim soleat Deus in operibus gratiæ servare eam proportionem in multis tamen non omnino 12.

servat, quando nimirùm inde inferrentur incommoda contra ipsum etiam ordinem gratiæ, qui maioris momenti est, ut re vera inferrentur, si prædicta, quam contendit Bañez, proportio servaretur. Et sanè duo sunt, alijs omissis, quæ manifestè ostendunt, diversam esse habituum supernaturalium rationem quoàd augmẽtum; primum quod in Materia de Habitibus, seu 1.2. controversia 4. latè ostendimus cum communi Doctorum, scilicèt habitum naturalem effici, & augeri à suis actibus; inde enim rectè infertur, non posse augeri ab actu intensiori, nisi quoàd gradum, in quo exceditur, ut benè probat obiectio; habitum verò supernaturalem non ita; sed infundi à Deo; qui potẽs est eum augere magis, ac magis, non attenta maiori intensione actus, nisi pro ratione meriti, & dispositionis; ostendimus autẽ, in utroque genere actui intenso respondere augmentũ habitus charitatis quoàd totam latitudinem: secundum est, esse alia multa, in quibus Deus non servat proportionem inter naturalem, & supernaturalem habitum; etenim habitus naturales non augentur, nisi medijs actibus; at verò supernaturales intenduntur etiam medijs sacramentis; prætereà solo actu charitatis elicito augetur non solùm charitas, sed etiam cæteræ virtutes; at nullus habitus naturalis augetur, nisi suis actibus, v.g. humilitas, actibus humilitatis; fortitudo, actibus fortitudinis. Tertiò, habitus naturales destruuntur medijs habitibus contrarijs; infusi non ita, sed solùm in pœnam peccati; cur ergò dicemus, servari à Deo in augmento proportionem inter istos habitus, quam in sexcentis alijs non servat? infirmum ergò omnino est argumentum ab hac proportione petitum.

13. Ad secundum respondetur, imprimis non semper elici illos actus intensiores, excepta B. Virgine, cuius gratia, & charitas immensa fuit. Deinde quando eliciuntur actus intensiores, non semper efficitur augmentum habitus charitatis ea rigorosa proportione, quam argumentans obijcit nobis, ut supra visum est; nõ enim augetur charitas quoàd universam latitudinem graduum, sed meriti; quarè non ita facilè credendum est maximum augmentum. Deniquè quàmvis illud daretur, mirum non est, si manifesta experientia non deprehendatur, imò interdum segnes, & remissi videantur iusti, nam habitus super naturales non tã facilè sentiuntur, & cùm non sint contrarij habitibus vitiosis, nec directè moderentur passiones, & affectiones inordinatas, licèt magnæ cuiusdam intensionis sint, poterit operatio evadere remissa, & fervor tepere.

Ad tertium concesso antecedente respondetur negando consequentiam; ad probationem verò, si actus charitatis efficienter augeret habitum, haberet id maiorem difficultatem, dictum autem est, nõ augere nisi meritoriè; & ad id satis est quicumque gradus actus charitatis eliciti ab homine iusto, qui dignus est nova mercede, ut patebit ampliùs disp.9. & hęc merces conferenda est statim, cùm actus evadit intensior, quia nihil est, quod impediat. Itaque licèt in genere entis octavus gradus non attingat perfectionem noni, potest attingere in genere meriti, sicùt attingit gloriam, quæ longè nobilior est. 14.
Ad cõfirmationẽ concesso etiã antecedẽte respondetur negando consequentiam; ratio verò discriminis manifesta est, imprimis quia, qui nullum gradum charitatis habet, non potest propriè mereri medio actu, sed solùm disponi ad gradus, qui proportionati sint ipsi actui, at qui iam iustus est, & charitatem habet, meretur ex condigno mercedem, & ideo conferenda est ratione totius actus, quem denuò elicit, cùm totus sit meritorius, & nõ solùm ratione graduum in quibus excedit. Deinde quia actus ut octo elicitus ab homine iusto dignitatem moralem accipit à dignitate personæ; & hęc dignitas magni momenti est, ut augeatur valor, & meritum operis, ac proinde præmium, ut in Materia de Gratia dictum est. Deniquè hæc est natura cuiuslibet actus meritorij, ut ratione totius suæ entitatis conferat ius ad novum præmium; unde si actus ut octo eliciatur à subiecto habente iam charitatem ut sex, totus conferet ius ad maiorem charitatem, ac proinde non solùm quoàd duos gradus, sed quoàd omnes, qui responderint valori totius actus.

(∵)

DISP.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm charitas statim augeatur medijs actibus charitatis, quorũ intẽsio est æqualis intensioni habitus: ubi an cõtinuatio actus mereatur etiam eiusmodi augmentum.

SECTIO I.

Partis negantis argumenta referuntur.

1. *Victoria. Bañez.*

ictoria, Bañez, & alij, de quibus in disputationibus sequentibus, negant augeri statim habitum charitatis, nisi quis eliciat actum intensiorem; imò Bañez re vera negat, mereri novum præmium essentiale distinctũ ab eo, quod respondet actibus intensioribus. Suaderi potest hæc doctrina primò, quia qui non elicit actum suo habitu intensiorem, non conatur progredi in via Dei; Sancti autem Patres eiusmodi homines negligentiæ, & tepiditatis damnant; dicunt enim, in via Dei non progredi regredi esse; qui verò regreditur, malè utitur donis divinis antea concessis, ac proinde indignus est cui maiora conferantur, non ergo meretur novum charitatis augmentum, aut certè si illud mereatur, non statim accipiet, sed cúm actum ferventiorem elicuerit. Cõfirmatur, quia interdum, & sæpè excitat Deus hominem medijs illustrationibus, & inspirationibus, ut eliciat actum intẽsiorem habitu, ergo saltèm si tunc non respondeat vocationi divinæ, non erit dignus, cui statim charitas augeatur, etiam si actum eliciat, cuius intensio sit æqualis intensioni habitus.

2. Secundò suadetur idem, quia si actus æqualis habitui quoàd intensionem mereatur augmentum charitatis statim conferendum, etiam continuatio eiusdem actus per aliquod tempus mereretur novũ augmentum, consequens est falsum, ergo & antecedens. Consecutio maioris probatur, quia cõtinuatio nihil aliud est, quàm idem actus perseverans; si ergo in principio meruit ille aliquod charitatis augmẽtum statim conferendum, merebitur etiã in continuatione. Falsitas verò consequẽtis ostenditur, quia inde inferretur in aliquo etiam brevissimo tempore mereri iustum infinitam charitatẽ, habereq; proinde infinitè maiorem Charitate Christi D. & omnium sanctorum. Etenim in quolibet tempore sunt infinitæ partes, & infinita instantia; ergo actui continuato per illud respondent infinitæ partes præmij. Confirmatur primò, quia continuationi per unum instans respondet aliquod præmium, ergo continuationi per infinita respondet infinitum præmium æquale primo. Confirmatur secundò quia eadem virtus requiritur ad conservandum, quæ ad primò producendum; sed actui in prima productione respondet determinatũ præmium, ergo aliud æquale respondebit in conservatione; sed in quovis instanti post primum, in quo elicitus est, conservatur; ergo respondet æquale præmium; ergo cũ conservetur in infinitis instantibus, debentur illi infinitæ partes præmij omnino æquales; ex quibus proinde coalescat infinitum præmium, seu charitas infinita simpliciter. Confirmatur tertiò quia non minùs præmij respondet uni actui continuato per horam, quàm pluribus omnino similibus, qui in eadem hora elicerentur, imò maioris æstimationis esse videtur unus, idemq; actus perseverans: propterea enim viri spirituales utiliorem, & Deo magis gratam esse dicunt orationem continuatam, quàm interruptam; sed infinitis actibus responderet in una hora præmium infinitum, si præmium debeatur actibus charitatis, non excedentibus intensionem sui habitus; ergo & uni actui continuato per horam.

SECTIO II.

Explicata veritate respõdetur ad primum argumentum.

In hac disputatione dicẽdum est, actus charitatis licèt non excedat, sed solùm adæquent intensionem sui habitus, mereri non solùm gloriam essentialem, sed 3.

etiam augmentum ipsius gratiæ, & habitus charitatis, illudque augmétum statim conferri. Sic sentiunt omnes Doctores adducendi disp. 10. qui existimant augmentum debitum actibus remissioribus illicò infundi iustis à Deo. Præter hos autem Richardus in 1. dist. 17. art. 2. q. 3. ad 1. disserté testatur, singulos actus charitatis mereri præmium essentiale; & in corpore quæstionis ait, statim augeri charitatem, si eliciatur actus, quo intésiorem non poterat voluntas medio illo habitu elicere; hic autem actus nõ est alius, quã ille, qui adæquat intensionem habitus, nã qui magis intensus est, non efficitur ab habitu quoàd gradum excessus, sed Deus suo concursu supplet defectum habitus intensioris. Durandus etiam in eadem distinctione q. 8. §. *de tertio*; *Non omnis* (inquit) *actus ex charitate procedens meretur augmentum charitatis informantis, sed solum illi, qui sunt secundùm proportionem charitatis informantis voluntatẽ, vel excellentiores; puta ex toto conatu voluntatis*: Idem docet Conradus 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. prætereà Sotus in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. §. *Hanc igitur ob rem*, valde favet huic opinioni, agens enim de eo, qui peccando amiserat gratiam, & habitum charitatis, & iterum ad iustificationem disponitur. *Ille* (inquit) *qui summo conatu, quem per auxilium Dei habere potest, resurget, præter gradum gratiæ respõdentem contritioni, recuperat omnem gratiam, à qua ceciderat, sive magna fuerat, sivè parva*. Quibus verbis planè indicat, eum, qui totum sui habitus conatum impendit in eliciendo actum charitatis, dignum esse, cui premium cõferatur, & statim charitas augeatur; qui autem elicit actum æqualem habitui quoàd intensionem, saltem si ad alium intensiorem actum novo aliquo auxilio non excitetur, facit totum, quod potest.

Richard.

Durand.

Conradus.

Sotus.

4. Denique hæc eadem est S. Thomæ doctrina, nam in 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. & hic art. 6. ad 1. planè docet, *Quolibet actu charitatis mereri iustum gratiæ, & charitatis augmentum, quod confertur, quando homo est sufficienter ad illud dispositus, seu quando conatur ad huiusmodi augmentum*; qua phrasi non significat Sanctus Doctor conferri solùm, quando actus est intensior habitu, nunquàm enim id affirmavit, sed conferri quando facit totum, quod potest, attenta gratia, qua prævenitur. Vnde in 2. dist. 27. q. 1. art. 5. ad 2. *Non* (inquit) *in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu consequitur augmentum charitatis, sed solùm in illo actu, quo quis utitur accepta gratia, secundùm proportiones suarum virium, ut in nullo gratiæ Dei desit per negligentiam, ut in 1. lib. dist. 17. dictum est.* Dixerat autem in ea dist. 17. q. 2. art. 3. ad 4. *Ad hoc, quod sit in anima ultima dispositio ad recipiendum charitatem, requiritur actus, qui sit secundùm totam virtutem suam, & iste sufficit, quantùm in nobis est.* Planè ergò sensit, cum elicitur actus æqualis virtuti agendi, nempè habitui charitatis, statim augeri charitatem.

S. Thom.

5. Et quidem prædictis actibus, quorum intésio æqualis est habitui charitatis, deberi novum præmium essentiale gloriæ, ac proinde novum gratiæ, & charitatis augmentum, patebit ex dicendis in sequente disputatione. Quòd verò hoc augmentum statim conferatur, probo; quia tempus huius vitæ est accommodatum huic augmento, & aliunde iustus nõ solùm illud meretur, sed etiam habet dispositionem optimam, ut illud recipiat. Cur ergò differetur eius collatio? Confirmatur hoc ipsum, & declaratur ampliùs; quia iustus non potest elicere in quocumque instanti actum charitatis quantumcumque intésum, sed potiùs determinatæ intensionis iuxta mensuram habitus, & gratiæ prævenientis, ut in disp. 3. dictum est. Et quidem quamdiù actus non adæquat intensionem, ad quam suus habitus inclinat, potest sinè dubio iustus actum magis intendere, quia in se ipso habet vim intrinsecam, & proportionatam huic maiori intensioni, nempè habitum; proptereaque si illum non intendat, non omnino respondet gratiæ divinæ, nec facit totum, quod attentis viribus gratiæ posset, & tunc magis dubium est, an conferatur illi statim augmentum aliquod charitatis, ut patebit disp. 10. Si verò eliciatur actus adæquans intensionem, & virtutem sui habitus, tunc sanè respondet homo divinæ gratiæ, & bene omnino utitur donis acceptis, mereturque proptereà, statim affici præmio, quod in hac via respondet illi labori; unde Christus

Dominus

Dominus Matthęi 25. servum, qui acceperat quinque talenta,& alia quinque superlucratus fuerat,appellat bonum, & fidelem, meritoque posse, ac debere lætari; fecit enim,quod attẽtis viribus à Deo datis facere poterat. Vnde sumitur altera confirmatio; quia nulla ratione credibile est, non augeri charitatem, & gratiam illius iusti,qui facit quidquid potest attento auxilio,quo prævenitur, sed qui elicit actum respondentem toti intensioni sui habitus, facit totum quod potest; ergo incredibile est, non conferri statim augmentum charitatis:ipse enim ad illud recipiendum se disponit optimo,quo potest, modo attentis viribus gratiæ divinitiis acceptis, cuius argumentationis vim sapienter sanè,& graviter urget Suarez in simili ad 3. p. tom.2. disp. 18. sect. 2.assert.2. Matth.25.

6. Sed dicet aliquis, iustum non solùm evehi ad eliciendũ actum charitatis ab habitu, sed simul ab actuali gratia excitante, unde licét attenta sola virtute habitus efficiat totum quod potest, qui actum elicit habitui æqualem quoád intensioné, non tamen attenta vi gratiæ actualis, & ideò, nisi actum intensiorem habitu eliciat, non sufficienter respondet divinæ gratiæ, nec proinde dignus est, cui novum augmentum statim conferatur. Respondetur tamen,certum videri, gratiam excitantem saltèm sæpissimè esse talis conditionis, ut non excitet actum intensiorem habitu,præsertim quando iam est valde intensus, sed solùm æqualem vel minùs intensum, & in his saltem eventibus accipienda est nostræ assertionis doctrina; sed licèt accideret, gratiam illam esse ita perfectam,ut non sufficienter responderet iustus, nisi actum intensiorem habitu eliceret, dicendum est statim augeri,quia re vera facit totum, quod ex vi habitus potest, & dignus est augmento talenti, qui illo lucratus est, quantùm potuit,gratia verò actualis excitans concurrit in alio genere, scilicèt non efficiéter, sed quasi formaliter, & ideò illi, qui eiusmodi gratiæ non respondet, non debetur alia ulterior gratia excitans maior, & efficacior.

7. Ex quibus patet ad confirmationé primi argumenti: ad quod etiã respondetur, negãdo nõ progredi in via Dei eum, qui elicit actus æquales habitui, præsertim quãdo ad intensiores non vocatur nova alia gratia actuali, omnibus enim bonis actibus progressus fit in virtutis via, quæ nõ potest esse semper æqualis, sicùt enim interdum iustus tentatur, interdum pace potitur, ita interdum ferventiores actus elicit,interdum minùs servẽtes, & omnes meritum augent, suntque novi lapides pretiosi, quibus spiritale perfectionis ædificium excrescit.

SECTIO III.

Cõtinuationi actus charitatis hactenùs explicati respondere augmẽtum gloriæ, gratiæ, atque charitatis. Vbi quomodo alij solvant secundum argumentum suprà relatum.

Ante solutionem secundi argumenti suppono tanquàm certissimè verũ id,quod tanquã incommodũ nobis objiciunt adversarij, scilicét, cùm quis liberè continuat actum charitatis intensiorem, vel tam intensum,quàm habitum, mereri novum augmentum gloriæ, charitatis, & gratiæ; est enim novum obsequiũ, quod exhibetur Deo,qui sicùt culpæ, quæ magis durat,maius suppliciũ infligit,ita & opus bonũ maioris durationis afficit præmio maiori,præsertim cũ liberalior sit in præmiando, quàm severus in puniendo. Quod quidẽ ampliùs roborabitur in disputatione sequẽte,cũ ostenderimus actus quantumcunq; remissos esse meritorios novi augmẽti glorię,& charitatis; inde enim manifestè colligetur,cõtinuationem operis boni esse similiter meritoriã, cùm hæc sæpissimè sit maioris æstimationis, quã unus,vel alter actus remissus. Solùm hic prętereũda nõ sunt elegãtissima verba S.Cypriani in epist.16.aliàs lib.2.epist. 4.quibus Moysen,& maximùm presbyteros aliosque confessores Romæ vinctos exhortatur. *Ad fastigia* (inquit) *celsiora mora ipsa passionis ascenditis; longoque temporũ ductu glorias vestras non trahitis, sed augetis: tot vestræ laudes, quot dies: quot mensium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit,qui statim patitur: at qui manens semper in pænis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidiè coronatur:* & infrà, *quo longior vestra* 8. S.Cypr.

pugna, hoc corona sublimior: agon unus,
sed multiplici præliorum numerositate cõ-
gestus.

Porrò augmentum gloriæ debitũ eius-
modi actibus, in altera vita confertur;
9. gratiæ verò, & charitatis statim tribue-
retur, si semper actus, dum continuatur,
esset intensior, vel tam intensus, quàm
habitus; tunc enim iustus efficit totum
quod potest in continuatione, sicùt & in
prima productione fecisse dictũ est. Sed
quãdo in cõtinuatione permanet invaria-
tus actus, qui in prima productione fuit
tã intẽsus, quã habitus, eo ipso nõ adequat
latitudinẽ sui habitus, nã habitus auctus
est ex vi primę productionis act⁹, & ideò
quoàd tale augmentum excedit iam intẽ-
sionem actus continuati; undè sicùt aug-
mentum debitum actui remissiori nõ con
fertur statim, ut dicetur disp. 10. ita nec cõ
feretur huic actui ratione cõtinuationis.

Nunc accedamus oportet ad expen-
dendas varias solutiones, quibus nonnulli
10. vitare conantur incõmodum secũdi argu-
menti, scilicet ex merito continuationis
inferri infinitum gratiæ, & charitatis aug-
mentum. Imprimis ergò Gregorius in 2.
Gregor. dist. 3. q. 1. art. 2. ad 4. respondet nullum
actum charitatis, aut alterius virtutis eli-
ci posse, qui suaptè natura non exigat
durare per aliquod tempus determinatũ,
ita ut ex hypothesi quod eliciatur, neces-
se sit per se loquendo, illum cõservari ad
aliquod tempus absque nova libertate,
nisi fortè ob aliquam circũnstantiam ex-
trinsecam divertatur mens ad alia obie-
cta. Ex quo infertur, in toto illo tem-
pore, seu morula durationis non plùs me-
reri iustũ, quã in primo instanti, in quo a-
ctum elicuit; quia ubi nõ est nova liber-
tas, nõ potest esse meritum novũ, ut ergò
continuatio actus sit meritoria, oportet
durare actum per aliquod tempus, vel a-
lia instantia, ac proinde non respondebit
singulis partibus, aut instantibus tẽporis
novum præmiũ, & ita non erit meritũ in-
Vasquez. finitum: eandem solutionem exhibet Vas
quez 1.2. to. 1. disp. 54. cap. 3. in fine, post-
quam alias confutavit.

Ego quidem verũ esse existimo, quod
11. isti Doctores, & alij affirmaverunt, nem-
pe singulis actibus immanentibus homi-
nis, vel angeli præfixum esse à natura cer-
tam durationis metam, intrà quam non
potest voluntas per se loquendo cohibe-
re actum ex hypothesi, quod semel eli
ciatur: sed nihilominùs id nullo modo
sufficere ad solutionem propositæ diffi-
cultatis. Priorem huius assertionis par-
tem probat Vasquez primo, quia actus
immanens petit suapte natura incipere
per primum esse, & desinere per primum
non esse, inter quæ duo instantia necesse
est tempus aliquod intercedere, sicùt &
inter quælibet alia, quia instans non est
immediatum instanti. Sed hæc ratio in-
efficax est, tum quia bene possunt aliqui
actus immanentes, sicut & aliæ res per-
manentes incipere per ultimum non esse,
& desinere per ultimum esse, quamvis
non ita frequenter eveniat, de quo di-
ximus ad 8. Physicorum; tum etiam,
quia esto necesse esset, actum incipere
per primum esse, & desinere per primum
non esse, inde solùm infertur, actum nõ
posse non durare per aliquod tempus, nõ
autem per determinatam aliquam du-
rationem, ita ut per minorem non posset;
ex quo fit in quolibet instanti post primũ
verissimè dici illum actum potuisse desi-
nere in infinitis instantibus, quæ ante il-
lud, & post primum, in quo elicitus est,
extiterunt inter infinitas partes temporis
intermedij, liberè ergo in illis omnibus
conservatur actus, ac proinde perit hæc dif-
ficultas, qua scilicet ratione non debea-
tur infinitum præmium durationi liberæ
illius per infinita instãtia. Et sanè nõ pos-
sum nõ mirari, quomodo vir doctissimus
illo suo principio dicat reddi manifestam
rationẽ, ob quã cõtinuationi actus nõ de-
beatur præmiũ infinitũ, de quo in simili
dicam infrà plura contra Gregorium.

Secundò ergò & longè meliùs proba- 12.
tur morula actuum; quia facultas limitata
non potest elicere infinitos actus imma-
nentes in tempore simpliciter finito; ergo
singulis actibus præfixa est determinata
quædam duratio. Antecedens probatur,
tum à posteriori, quia nimirùm foret in-
finitum simpliciter possibile attento or-
dine naturæ, quod nemo concedit; &
prætereà mereri posset homo, vel angelus
infinitum præmium, aut infinitum suppli-
cium in centesima parte quadrantis ho-
ræ, quia id deberetur sinè dubio acti-
bus infinitis, quod planè sinè absurdi-
tate concedi non potest. Tum etiam

a priori

à priori, quia cùm actus immanentes exigant attentionem, & peculiarem conatum, non videtur possibile facultati limitatę in brevissimo tempore infinities attentionem mutare, & diversum conatum impendere. Consequentia verò probatur, quia si quilibet actus per unum tantùm instans, vel per quodcumq; tempus, quantumcumque breve, retineri posset, & statim omitti, posset eadem facilitate alius in eius locum substitui, præsertim ab angelo, qui rectè novit infinita obiecta, quorum singula singulis actibus amare potest; cùm ergò in quovis tempore sint infinita instantia, & infinitæ partes minores, & minores, elici possent intrà illud infiniti actus, quibus infinitum pręmium responderet.

13. Sed obijciet aliquis, peccator in quocumque instanti potest ad Deum converti, ergo actus peccati, & consequenter reliqui actus, etiam boni, nõ necessariò durant per aliquod tempus determinatum. Patet consequentia, quia si durarent, eo ipso quòd in hoc instanti cõmitteret homo aliquod grave peccatũ, nõ posset ab illo cessare, donec morula tẽporis elaberetur, ac proinde in omnibus partibus, & instãtibus illius morulę nõ posset elicere actũ contrariũ, quo adDeũ converteretur. Antecedẽs verò est omnino certum, quia alioqui tunc esset homo extrà statũ salutis. Confirmatur primò, quia ad eliciendam contritionem non requiritur mora temporis, sed in instanti haberi potest, ut probatur in Materia de Pœnitentia; ergo falsum est singulis actibus præfixam esse morã aliquã, ita ut minùs durare suaptè naturâ nõ possint. Confirmatur secũdò, quia peccator immediatè postquã in gravem culpã lapsus est, potest facere quidquid in ipso est, ut à peccato resurgat; sed Deus facienti quod in se est, non denegat gratiam; ergo immediatè post culpã potest ab illa resurgere, & converti ad Deũ, ac proinde cessare ab actu peccati; non ergo eiusmodi actibus ulla determinata temporis mora, in qua necessariò permaneant, præfixa est.

14. Respondetur ad obiectionem distinguendo antecedens, semper enim potest peccator ad Deum converti, quia Deus semper potest eum sua excitante gratia vocare ad pœnitentiam, & auferre omnia impedimenta conversionis, sed non semper est in potestate peccatoris converti. Primò, quia ad conversionem requiritur interna gratia illustrationis, & inspirationis divinæ; hanc autem non cõfert Deus in singulis momentis, sed statis temporibus, iuxta suum beneplacitum; nec semper est in hominis potestate eam habere, quia hęc gratia pręvenit nostrã libertatẽ, & cooperationem, cúm fiat in nobis sinè nobis, & media illa præbeat Deus initium nostrę iustificationis, de quo in Materia de Gratia, seu in 1. 2. controvers. 8. tract. 6. disput. 1. Secundò, quia sæpè homo naturaliter oblitus est suæ conversionis, & omnino intentus alijs negotijs; interdũ dormit: tunc autem sicùt non est in eius potestate vigilare, aut recordari conversionis, ita nec converti, Sic igitur dicendũ est, ex hypothesi, quòd homo pro sua libertate eliciat actũ peccati, nõ esse in eius potestate converti ante elapsam morulã actui præfixam; poterit tamen converti, quia potest Deus immittere illustrationẽ, qua ad cor redeat, & cesset ab actu malo, & tunc cessare poterit, ratione nimirũ gratiæ exteriùs advenientis: nos enim solùm dicimus, hominem nõ posse ab actu cessare intrà morulam, ratione suæ volũtatis, seu libertatis.

Ad primam confirmationem; actus cõtritionis elici potest in instanti, & id tantúm contendunt Doctores in Materia de Pœnitentia, ex hypothesi verò quod eliciatur, necesse est per se loquendo durare per aliquod tempus. Ad secundam cõfirmationem, non potest homo facere sinè gratia præveniente, quidquid in ipso est, ut ad Deum redeat, & ex hypothesi quòd hęc gratia detur, potent cessare ab actu peccati, etiamsi elapsa non fuerit mora temporis, quam actus exigebat; secùs verò esset, si Deus prævenientẽ gratiã tùnc non conferret. 15.

Ex dictis patet immeritò, & absque firmo fundamento Zumelem 1. 2. q. 113. art. 7. conc. 2. putavisse sibi esse certissimum, non dari eiusmodi morulas; & Medinam 1. 2. q. 10. art. 4. pag. 153. §. *vltimò aio*, dixisse, non posse doctrinam Gregorij prædictas morulas asserentis defendi sinè errore; est enim opinio omnino tuta, valde probabilis, & vera. 16. *Zumel. Medina.*

Posterior asserti pars, scilicèt asser- 17.

tionem harum morularum non sufficere ad expediendam difficultatem secundi argumenti, quod in prima sectione propositum est. Probatur; quia licèt in ea morula durationis non debeatur actui aliud præmium præter illud, quod in primo instanti debebatur, illa nihilominùs elapsa perstat idem argumentum; si enim actus charitatis necessariò duret per octavam partem temporis, in quo recitatur angelica salutatio, ea elapsa, potest iustus pro sua libertate statim ab eo actu cessare; ergo si illum continuet per aliquã octavam partem, merebitur præmiũ infinitũ. Probatur consequentia, quia in eo tempore sunt infinitæ partes, & infinita instantia, in quibus liberè conservat eundemmet actum, quem initio elicuit.

18. Dices, ut iustus liberè cõtinuet actum charitatis elapsa morula, necessariam esse novam advertentiam intellectus; & quoniam hæc non potest infinities haberi in tempore simpliciter finito, non posse actui respondere meritum, seu præmiũ infinitum. Sed hæc solutio refellitur primò, quia falsum est, eam novam advertentiam requiri; satis enim est ab initio propositum esse ab intellectu obiectum voluntati, ut hęc eliciat actum, quo liberè illud amplectatur per duas octavas partes salutationis angelicæ; ita tamen ut in prima parte necessariò cõservetur, ex hypothesi quòd liberè elicitus sit, in secũda veró omnino liberé retineatur, ac proinde in quovis momẽto relinqui possit. Secundò, quia licèt nova advertẽtia requireretur post primã morulam, ea sufficeret, ut deinceps liberé continuaretur per aliam æqualem temporis partẽ, in cuius proinde singulis instantibus cessare posset ab illo voluntas, perstat ergò eadem difficultatis ratio; nam in aliquo instanti secundæ morulæ, quod designetur, verum est, posse voluntatem cessare ab actu, & si tunc non cesset, potest cessare in alio, & sic de singulis; ergo semper verum est actum liberé conservari; ergo in qualibet parte, & puncto illius temporis meretur novum præmium, ac proinde in integra morula infinitum.

19. Deinde docti recentiores aliam solutionem exhibuerunt; dicunt enim substãtiæ actus charitatis, qui elicitur ab homine iusto, respondere præmium aliquod determinatum, cùm autem posteà continuatur, non esse reddendum novũ præmium intuitu actus, sed solũ intuitu novæ circũstantiæ, scilicèt cõtinuationis, ita ut si actus duret liberè per quartam horæ partem, circumstantiæ durationis debeatur novum præmium, quod respondeat partibus illius temporis, & sicùt in hoc non sunt partes infinitæ simpliciter, seu æquales, sed tantùm proportionales, quæ durationem simpliciter finitam cõstituunt, ita in præmio non sunt nisi infinitæ partes proportionales, ex quibus pręmium simpliciter finitum coalescat. Quod verò attinet ad instantia, existimant, nihil præmij respondere actui, eò quòd per instans continuetur. Probant, quoniam instans ratione sui non efficit durationem maiorem, sed solùm ratione partium temporis; ergo actus continuatus per quartam partem horę non magis meritorius est, si duret per instans terminans durationem huius temporis, quàm si per illud non duraret. Confirmatur, quia omnia instantia in unum collecta non efficerent maiorem durationem, quàm unum instans solum, eò quod indivisibile additum indivisibili non efficiat aliquid maius, ut docent Philosophi; ergo duratio instantanea nullius momenti est, ut propter illam aliquid præmij debeatur.

Et quidem primum, quod hi recentiores affirmant, verum est, ut declarabitur ampliùs in sectione sequente. Quòd verò attinet ad præmium durationis instantaneæ, mihi probari non potest; quia instans sinè dubio addit durationem partibus temporis non minùs, quàm mutatum esse, partibus motus; & punctus, partibus lineæ: his enim extensio divisibilis redditur absolutè maior; ergo qui continuat actum per partes temporis, & per instans, quod eas partes terminat, magis perseverat in opere bono, ac proinde maius obsequium præstat Deo, maiorique præmio dignus est. Antecedens probo, quia instans non durat duratione partium, hæc enim divisibilis est, illud verò indivisibile, & quando existit instans, iam non sunt partes, ergo post existentiam, & perseverantiam partium, dicitur verisimè existere, & indivisibiliter perseverare instãs: sicùt etiã post existẽ- 20.

tiam

tiam partium motus existit mutatum esse, virtute cuius producitur aliqua nova realitas termini; & post lineam divisibilem existit punctus in loco diverso ab eo, quẽ partes lineæ occupant, ac proinde plùs protenditur linea addito puncto, quàm si illum non haberet. Nec obstat, quòd si omnia indivisibilia in unum colligerentur, non efficerent ullam extensionem, aut maiorem durationem; id enim ex eo proveniret, quod indivisibile additum indivisibili, veluti penetratur, & fit intimè præsens illi; at verò quando sunt partibus inserta, verè singula habent proprium locum, propriamque durationem, ac proinde in illis offerri potest Deo distinctum obsequium. Confirmatur, quia si ponantur duo iusti, quorum unus amet liberè Deum per omnes partes quartæ partis horæ, & non per instans ultimum illius, alter verò amet etiam per instans, verè dicetur hic dilexisse Deum, quamdiù ille diligebat; & insuper quando ille iam non diligeret, verè iste haberet amorem Dei; ergo hic Deo præstabat obsequium, quando ille iam non exhibebat. Confirmatur secundo, quia si duo homines vixissent per annum, & unus obiret per primum non esse in instanti terminativo anni, alter verò per ultimum esse, hic verè viveret, & haberet operationes, quando ille prior non habebat; ergò alicuius momenti est perseverantia per unum instans, præsertim apud Deum liberalissimum.

SECTIO IIII.

Vera solutio propositæ difficultatis.

21. *Suarez.* Mihi in re perobscura valde placet solutio, quam dilucide explicuit Franciscus Suarez in relectione de revivifcentia meritorum sect.3. à n.36. ad 42. nimirùm in actu charitatis continuato per horam, v. g. oportere distingui substantiam operis, & illius circunstantiam; substantia est ipsemet actus liberè elicitus à voluntate in obsequium Dei; & quoniam actus non potest elici, nisi in instanti, vel tempore, & per se loquendo exigit determinatã durationis morulam, in qua necessariò duret, ex hypothesi quòd liberè eliciatur, hæc ipsa morulæ duratio cum ipsa actus substantia computanda est; & ita actui charitatis liberè elicito in primo instanti, & necessariò cõservato per millesimam horæ partem, v. g. respondet determinatum præmium, nimirùm, exẽpli causa, quatuor gradus gratiæ, & totidem charitatis, qui statim infunduntur iusto, si actus adæquaverit intensionem habitus modo explicato in sect. 2 & quatuor gradus gloriæ, qui in àlteram vitam tribuendi reservantur.

Circunstantia verò prædicti actus est libera illius continuatio per cæteras partes, & instantia horæ, in quibus quoniam idem omnino actus est, qui offertur, & nihil novi obsequij impenditur Deo præter continuationem respondentem tempori successivo, solũ meretur iustus augmentum præmij huic circunstantiæ commensuratum, ac proinde in parte temporis partem gratię, & charitatis; in indivisibili autem temporis terminante partem præcedentem, indivisibile gratię, & charitatis, quod terminet partem intensionis, quæ in parte temporis collata fuerat; cùm ergò in hora, sicùt & in quavis alia duratione finita non sint infinitæ partes æquales, sed proportionales, quæ constituunt unum tempus finitum, in gratia etiam, & charitate, quæ illis proportionantur, solùm sunt infinitæ partes proportionales, quæ finitam intensionem efficiunt; & eodem modo indivisibilia gratiæ, quæ in infinitis instantibus meretur iustus, non efficiunt gratiam absolutè infinitã, sicùt nec infinita instantia durationem infinitam. 22.

Ex quibus patet ad secundum argumentum in sectione prima propositum, & similiter ad primam confirmationem; ad secundam verò concessis maiori, & minori respondetur negando consequentiam; quia in primo instanti offertur Deo ipsa actus substantia denuo; in continuatione verò iam censetur oblata, & solùm additur indivisibilis cõtinuatio, ac proinde maius premium respondet primo instanti, quàm alijs in quibus continuatur; quàmvis enim in genere physico idem præstet, qui conservat, quod qui producit, quatenùs eundem influxum utrobiq; impendit; nihilominus quoniã in cõservatione non offert Deo novum opus, sed illud idẽ, quod iã præmio affectũ est, non 23.

mereretur quidquam ratione illius, sed solùm ratione continuationis denuò superadditę, alioqui idem omnino bis, & infinities præmio afficeretur, quod non est rationi consentaneum: sic enim qui offerret Principi aliquod munus, dignus esset aliqua mercede; sed si in actu offerédi diù perseueraret, non propterea pro munere ipso novam mercedem mereretur, sed solú quod illius perseverantię denuò deberetur, quàmvis revera idem omnino munus, & eodem conatu offerret semper.

24. Ad tertiam confirmationem responde tur negando maiorem, si cætera paria sint, quia eliciendo plures actus offerret iustus Deo plura obsequia quoàd substantiam ipsam diversa, continuando verò unum, offert solum novam circunstantiam, quę minoris momenti est. Dixi, si cætera paria sint, quia accidere potest, tantam esse moram inter unum, & alterum actum, ut magna pars horę elaberetur sine bono opere, & proinde continuatio diuturna eiusdem actus adæquaret, imò excederet multiplicationem. ¶ Quòd verò de oratione continuata spiritualium virorum consensu affertur, nullius, nisi fallor, efficacitatis est; nam ut omittam brevium orationum, quas iaculatorias vocant, utilitatem, & laudes eximias, cùm viri spirituales valde laudant orationem continuatàm, non loquuntur de uno eodemq; numero actu, qui per longum tempus conservetur; id enim eorum instituto parum, aut nihil intererat, & alioqui occultissima & difficillima est ista rigorosa continuatio; sed agunt de oratione, in qua quis multum perseverat, non divertendo mētem ad alia cogitanda, nec interrumpendo colloquijs humanis, & rerum interiorum exercitijs; hæc enim devotioné imminuunt, & valde obstant attentioni, quę maximè necessaria est, ut voluntas rebus divinis affectum præstet, & rore cęlestis dulcedinis veluti liquefiat; propterea que continuationem orationis anteponere solent orationi non continuatæ; at verò si quis totus intentus sit rebus divinis per horam, etiamsi singulis momentis bonos actus specificè aut numericè variaret, revera cótinuatæ orationi incumbit; & quis obsecro ex Patribus, prætulit huić orationis generi illã; in qua unus tantū numero actus perseveraret? maximé cùm ut dicebam, id valde difficile sit, ne dicam, moraliter impossibile plerisque.

SECTIO V.

Adversùs doctrinam praecedentis sectionis nonnulla obijciuntur.

VT solutio hactenùs explicata evadat dilucidior, obijcies primò; indivisibile terminans gratiam præexistētem daretur homini iusto, etiamsi continuaret actum meritorium usque ad instans; ergo vel continuationi instantaneæ nihil præmij respondet, vel illud non potest esse solùm indivisibile. Antecedens patet, quia cuicumque intensioni, aut extensioni debetur indivisibile terminans tanquàm cōplementum, sine quo existere non potest spectato ordine naturæ; ergo eo ipso, quod quis continuando actum charitatis per omnes partes horæ, v. g. meruerit, & obtinuerit aliquos gradus intensionis gratię, habebit indivisibile terminans illos, etiamsi actus non perseveret in ultimo instanti horæ. Respondetur distinguendo antecedens; daretur enim illud indivisibile propter connexionem naturalem partium ad illud, non autem tanquam præmium alicuius boni operis; unde actui cōtinuato usque ad instans non confertur aliquid, quod alioqui non conferretur, sed illud ipsum, quod propter physicam connexionem partium, & indivisibilis dandum erat, datur tanquam merces, & corona. Nec id est ullum incommodum; nam eadem gloria, quę titulo hęreditatis debetur homini in primo instāti, quo per contritionem disponitur ad gratiam, & illam obtinet, datur tanquàm præmium eidem contritioni, proùt est iam informata ab ipsa gratia, ut 1.2.q.114. seu in octava controversia, tractatu ultimo dicebamus: & cum alioqui continuatio per instans sit modicissima, quę potest excogitari, mirum non est, si illi etiam respōdeat minimum præmium, quod potest excogitari.

26. Obijcies secundò, nunquàm iustus amittit præmium, quod meruit, nisi ob suã culpam; sed indivisibile terminans gratiã sæpissimè amittit iustus absque culpa, ergo indivisibile terminans nó est præmiū.

Minor patet, nam quando augetur gratia præexistens, advenit novus gradus, qui unitur præexistenti, non ergo perseverat indivisibile terminans; hoc enim solùm existit, quando partes non uniuntur alijs ulterioribus; sic enim quando quantitati unius palmi unitur alter palmus, destruitur indivisibile, quod extensionem palmi terminabat. Respondetur, maiorem non esse veram in omni præmio, sed in illo solùm, quod est præcipuum, & in quo absolutè sita est sanctitas & beatitudo; alia verò præmia minutiora conferri solent ad tempus, quo elapso sinè culpa possunt amitti, vel auferri, præsertim quando id cedit in maius bonum ipsius merentis; sic enim iustus sæpe meretur bona temporalia, quę non semper durant, imò sæpè auferuntur, Deo misericorditer nobiscum agente; plures etiam gratias excitantes meretur iustus, quæ non semper durant, sed auferuntur, aut destruuntur sinè culpa, & interdum ob maiorem utilitatem: simili ergò ratione indivisibilia terminantia gratiam præexistentem, licèt sub meritum cadant, amittuntur ob aliud maius bonum, nempè quia additur nova gratia, quæ præexistenti continuetur.

27. Objicies tertiò, indivisibilia continuãtia gradus gratię, vel charitatis cadũt sub idem omnino meritum, sub quod cadunt ipsi gradus, idem enim actus eo ipso, quòd mereatur augmẽtum aliquod gratię, meretur etiam unionem illius ad gratiã præexistentem; ergo idem dicendum est de indivisibilibus terminãtibus; ergo nõ sunt illa peculiare præmium continuationis actuum per instantia. Respondetur, dupliciter solere iustum mereri augmentum gratię; uno modo simultaneè, ut cùm elicit in instanti actum meritorium, cui determinata quantitas gratiæ respondet; altero modo successivè, ut cùm continuat actum per tẽpus successivum; priori modo verum est, indivisibilia terminantia cadere sub idem omnino meritũ, sub quod cadunt partes gratię, quia totum illud præmium datur per modum unius. Posteriori modo non ita; quia pręmium datur divisum, & proportionatum successioni durationis, in qua sunt suę partes, & indivisibilia, & his non possunt respondere, nisi indivisibilia gratiæ terminativa: continuativa verò gratię non possunt respondere continuationibus temporis, quia illa non dantur, nec dari possunt nisi in tempore, in quo cõfertur gradus gratię unićdus præexistenti, ne alioqui existat continuativum sinè utraque parte, quam unit permanenter, id enim est impossibile: de quo in Philosophia dicebamus.

Objicies quartò, si indivisibilia gratię forent pręmium continuationis instãtaneę, sequeretur idem omnino pręmium deberi continuationi actus quantumcumque remissi, & actus quantumcumque intensi, aut perfecti; consequens est falsum, ergo & antecedẽs. Minor patet, quia sicùt actui perfectiori debetur maius pręmium, si cætera sint paria, ita & cõtinuationi actus perfectioris: minoris vero cõsecutio probatur, quia continuationi instantaneę cuiuscumque actus solùm debentur indivisibilia gratiæ, inter quæ non est inæqualitas. Respõdetur negando cõsecutionẽ; & ad probationẽ dicitur, sicut gradus gratię, & aliarum qualitatum, utpote heterogenei, eo sunt intra eandẽ speciem perfectiores, quò sunt superiores; ita indivisibile terminans gradum superiorẽ perfectius est eo, quod terminat gradum inferiorem. Cum ergó actui perfectiori continuato per partes temporis debeatur maior gratia, ac proinde superior gradus, quàm qui debetur actui imperfectiori per illud tempus etiam continuato, consequenter indivisibile terminans, quod respondet actui perfectiori duranti per instans terminans prędictas partes temporis, est perfectius illo, quod respondet actui imperfectiori in eodem instanti. 28.

Sed urgebis, aliquando actui imperfectiori respondere potest idem gradus gratiæ, qui debetur perfectiori, ergo & terminativum omnino æquale. Antecedens patet, si ponamus ab homine habẽte gratiam ut viginti elici actum remissum, scilicèt ut quatuor; ab alio verò habente gratiam, ut quatuor elici actum intensum ut viginti; certè primo illi actui respondebunt quatuor gradus gratię supra viginti, & huic secundo respondebunt viginti suprà quatuor, manebit ergo utriusque gratia æqualis, & consequenter indivisibile terminans, quod utrique responderit, æqualis perfectionis erit. Respondetur data hac proportione, in qua non immoramur, concedendo totum, nec id 29.

esse incommodum, quia fuit quidpiam accidentarium, eò quòd non sint cætera paria; accidit enim, illum, qui remissè operatur, aliunde habuisse viginti gradus, per se autem loquendo, maior & perfectior gratia, & indivisibilia perfectiora responsura erant actui perfectiori. Sic enim actus perfectior, est per se loquendo maioris meriti, quàm imperfectior, & tamen accidere potest contrarium; si ponamus hominem, qui elicit actū imperfectiorem, habere magnam intensionem gratiæ sanctificantis, quæ dat magnū valorem operibus, illum verò, qui elicit perfectiorem, habere modicum gratiæ.

30. Obijcies quintò, in rebus humanis quando aliquid emitur pretio, non emūtur partes rei partibus pretij, & indivisibilia rei indivisibilibus pretij, ergo corona gloriæ non ita datur pro meritis, ut partes respondeant partibus meriti, & indivisibilia indivisibilibus. Respondetur, quando gloria, vel gratia respondet uni operi simul elicito, verum est consequens; & id est, quod accidit in rebus humanis, homo enim rem vendit per modum unius; at verò quando respondet gloria operi successivè continuato, debet illa dari iuxta proportionem cōtinuationis, id quod ab adversarijs etiam asserendum est, nam pro diversitate partium temporis successivi, in quo durat actus, dicunt infundi à Deo diversas partes gratię, cùm tamen in rerum humanarum emptione non soleat ea proportio inter partes rei emptæ, & prætij servari; nec proprium est imbecillitatis humanæ eam proportionem in suis contractibus attendere.

31. Obijcies ultimò, indivisibile gratiæ, aut charitatis, & visionis Dei, nec est gratia, nec charitas, nec visio; ergo non potest esse pręmium meriti iustorum. Respondetur, licèt absolutè non sint gratia, charitas, aut visio, esse tamen aliquid pertinens ad intrinsecum complementum illarum, & propterea rectè appellari præmium, non quidem integri operis iustorum, sed indivisibilis continuationis illius, quod est aliquid ipsius meriti.

(∴)

DISPVTATIO IX.

Vtrùm iustus mereatur augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ medijs actibus charitatis, qui sunt habitu remissiores?

SECTIO I.

Quid in proposita difficultate senserit Dominicus Bañez, & quibus fundamentis innixus.



DOminicus Bañez ad articulum sextum huius quęstionis dub. 2. latè contendit, actibus charitatis, qui sunt minùs intensi, quam habitus, non mereri iustos novum aliquod augmentum ipsius habitus, & gratiæ sanctificantis, aut gloriæ essentialis, quasi illis præcise respondeat eiusmodi augmētum; sed in eo tantùm sensu prædictos actus esse meritorios gratiæ, & gloriæ, quòd si quis posteà in hac vita eliciat actum intensiorem habitu charitatis, conferatur illi gratia, & gloria, quæ huic maiori intentioni proportionatur, non solùm intuitu actus intensioris, sed etiam actuum remissiorum; ac proinde pluribus titulis eādem omnino quantitatem præmij promeritus sit: si verò contingat, post elicitos plures actus charitatis remissos, nullum alium ferventiorem elici à iusto in hac vita, non conferri illi ullum gratiæ, aut gloriæ essentialis augmentum, sed solùm habiturum in cęlo maius præmium accidentale, scilicèt gaudium ex illis bonis operibus conceptum. 1. Bañez.

Eandem doctrinam latiùs scripsit in relectione de merito, & augmento charitatis q.3. ubi inter alia à pag.106. secutus doctum Theologum Magistrum Matthiam de Paz, quem refert à pag. 79. statuit, visionē beatā cōsiderari posse, ut est actus vitalis elicitus ab intellectu illustrato lumine gloriæ, & ut est prēmium debi- 2.

tum bonis operibus iustorum:& hęc duo esse valde diversa; nam in anima Christi Domini, imó & in infantibus, qui cum solo Baptismo discesserunt, est visio beata,& tamen non est præmium,quia illam non meruerunt:cõtrà verò aureolę Martyrum, Virginum,& Doctorum sunt pręmium,nimirùm accidentale,& tamé non sunt ipsa visio Dei. Ex quo infert duo, primum est, visionem beatam, quatenus præmium, esse correlativum meriti; & quò crescunt merita, eò augeri visionem in ratione pręmij, licèt in ratione actus, & visionis eadem omnino sit. Secundum est,illum, qui pluribus actibus remissis, veluti diversis titulis meruit eandé beatitudinem essentialem habere maius præmium,quàm illum, qui paucioribus actibus eandem visionem meruit; quia licèt hæc in genere actus eliciti sit ęqualis in utroque,in ratione præmij est inæqualis; & maior in habente plura merita; maior (inquam) extensivè,id est,debita ob plura merita, licét in intensione non sit inæqualitas; & eodem modo gratiam,& charitatem collatam ob plura merita appellat maiorem extensivé, licèt quoad intensionem, & in genere qualitatis eadem sit: cuius distinctionis meminit etiam Marsilius in 4. q. 20. Marsil.

3. Durand. Pro hac Dominici Bañez sententia faciunt Durandus in 1.dist.17.q 8. ad finé; quatenùs absolutè negat medijs actibus remissioribus mereri iustos augmentum charitatis: Carthusianus ibidem q. 7. ad 3. dicens; *Communem positionem esse,quòd non per omnem actum charitatis meretur homo fælicitatis augmentum*, *licèt vitam æternam mereatur:* affertur etiam S. Bonaventura in 2.dist.40.q ultima, ubi distinguit duplex præmium respondens bonis operibus, unum essentiale,seu substãtiale; & hoc ait deberi maiori charitati; vel meliori voluntati; alterum accidentale,& hoc deberi alijs bonis operibus. Sed sanè,si quęstio illa, & duę pręcedentes attentè legantur,patebit SanctumDoctorem non agere de actibus charitatis remissioribus, sed solùm distinguere internos actus ab externis;& illis docet respõdere pręmium essentiale, externis verò non deberi novum præmium substantiale distinctum ab eo, quòd debetur internis,licèt respondeat gloria accidẽtalis; (Carthus. S. Bonav.)

quæ doctrina verissima est, & à nobis in Materia de Actibus Humanis, seu in 1.2. controversia 2. tractatu penultimo confirmata; hic verò agitur de actibus internis charitatis: & eadem est sententia Alexandri 2.p.q 96.mem.3.artic.2.cui aliud tribuitur immeritò. Alexand.

4. Primum fundamentum, cui Bañez innititur,est authoritas S.Thomæ,qui solis actibus maioris charitatis respõdere pręmium essentiale novum, & gratiæ, atquè charitatis augmentum docere planè videtur in 1.dist.17.q.2.art.3.ad 2. & 5. & in 2.dist.27. q.1.art.5. ad 2. & in 3. dist. 18.q 1 art.2.ad 4. & in 4.dist.49.q 1.ar. 4 q.4. & 1.p q.12.art.6.q.95.art.4. & 1. Corinth.3.lect.2.in illa verba, *Vnusquisque propriam mercedem accipiat secundũ suum laborem*: Et in cap. 8. Epistolæ ad Romanos,lect.5. in illa verba, *Primitias spiritus habentes*. (S. Thom. 1.Cor. 3. Roman.8.)

5. Secundum fundamentum est, confutatio opinionis Nominalium, & opinionis Scoti,sed argumenta, quæ ad hoc caput pertinent,vel adducta,& soluta à nobis sunt in duabus præcedentibus disputationibus,vel pertinent ad difficultatem in sequente disputatione expediendam, quo scilicet tempore conferatur iustis augmentum gratiæ, & charitatis; quod merentur.

6. Tertium fundamentum complectitur varia Scripturæ, & Patrum testimonia, Matth.25. *Habenti dabitur,& abũdabit; ab eo autem,qui non habet, & quod videtur habere,auferetur ab eo;* cuius loci,declarante Sancto Augustino; sensus est,habenti dabitur,id est gratijs,& donis habitis bene utenti, non autem utitur bene, qui elicit actum remissiorem habitu,non ergò aliquid accipiet. Deinde Apocal.2. reprehenditur Episcopus Ephesinus, quòd primam charitatem,id est, antiquũ fervorem reliquerit, non ergò solùm non est meritorius: novi præmij actus remissus,sed etiam, qui eum elicit, dignus est reprehensione,& subiacet periculo. Et c. 3. eiusdem libri reprehenditur Episcopus Sardicensis, *cuius opera non inveniebantur plena coram Deo*: de quo S. Gregorius in Pastorali admonit. 35. ubi inter alia contra tepidos, *Si quod videtur* (inquit) *gerendum, solicita intentione non crescit,etiam quod fuerat bene gestum decrescit:* (Matth. 25 S. August. Apoc.2. & 3. S. Gregor.)

crescit: Si ergò inchoata bona fortis operātis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. Et S. Thomas infrà q. 62.art.4.ad.3.& q.78.art.1.ad 1.ait, Deū exigere, ut in bonis semper proficiamus, & fructum proferamus suorum donorū, ne scilicèt alioqui auferantur, iuxta illud Matth.25 *Auferte ab illo talentum, & date ei, qui habet decem.* Denique Ecclesiast.19. *Qui spernit modica, paulatim decidet,* quod adversus negligentes, & tepidos, seu remissos actus elicientes dictum videtur.

S.Thom. Matth.25. Eccles.19

7. Quartum fundamentum est, si actus remissi novum essentiale præmium mererentur, præberetur imbecillitati humanæ ansa plùs nimio confidendi multitudine bonorum operum, & extinguendi fervorem charitatis, seu non conandi elicere actus ferventiores, quòd nemo est, qui nō videat, esse perniciosum: unde concludit Bañez, si fortè sententia suæ contraria vera sit, nihil ei nociturum, quòd docuent solis actibus remissis non deberi novum præmium essentiale, quippè qui conabitur elicere actus intensiores, quod sinè dubio melius est; at qui oppositum sentiunt, occasionem tepiditatis sibi, & alijs præbēt parùm curantes exercitium bonorum operum ferventiorum, quia sine illis præmium essentiale gratię, & gloriæ augeri putant.

SECTIO II.

Vera sententia probatur authoritate Scripturæ, Tridentini, & Patrum.

8. DIcendum tamen est, iustos mereri augmentum novum gratiæ, Charitatis, & gloriæ essentialis medijs actibus charitatis supernaturalis, quantumcùmq; remissis, licèt posteà nulli alij eliciantur: sic sentiunt S.Thomas 1.2.q. 114.art.8.a 13; & 2. 2.q.24.art.6.ad primū, cuius verba referam, & cum alijs locis conferam commodiùs sect. 4. in disputatione sequente. Scotus in 4.dist.21.q.1.§. *Istud est probabile.* & dist.22.q.un.art.2. §. *ad 2.dico* Richardus in 1.dist.17.art.2.q.3.corp. & ad primum. Gabriel in 4.dist. 14.q.3.art.3. dub.3. Maior in 4.dist.21.q. 1.§.ult. Capreolus dist.14.q 2.art.3.ad primum Scoti contra secundam conclusionem. Victoria in relectione de augmento charitatis p.1. Corduba 1.quæstionum q.9. dub.2. Henrriquez lib.1.de Sacramento Pœni.tentię cap.27.§.6.littera. Z. & cap.33. §.4. Sotus libr. 2.de natura & gratia, cap.17.sine, agens de augmento gratię, & gloriæ essentialis. Ledesma 1.4.q.28.art.2. Suarez in Opusculo de reviviscentia meritorum, disp.2. sect.3. à n.29. Vazquez 1.2. to.2. disp.220. Aragon hic art.6. Valencia q. 2.p.3. Lorca disp.16.de Charitate, Torres disp.68.dub.2 & communis.

S.Thom. Scotus. Richard. Gabriel. Maior. Capreo. Victoria. Corduba. Henriq. Soto. Ledesma. Suarez Vasquez. Aragon. Valenc. Lorca. Torres.

Probatur primò testimonijs Scripturæ, in qua semel, & iterum, ac sæpè sępiùs promittitur æternum prēmium, & verus fructus bonis operibus, etiam sub distributione, quæ complectatur omnia, nulla omnino addita, vel indicata limitatione ad ea, quę fuerint magis intensa, vel ad præmium accidentale, quod manifestum signum videtur, non requiri maiorem intensionem, ut mereatur iustus substantiale prēmium: Ecclesiasti.16. *Omnis misericordia faciet locum unicuiq; secundùm meritum operum suorum.* Ad Colossen.3. *Quodcumq; facitis, ex animo operamini, sicut domino, & non hominibus, scientes quod à domino accipiatis retributionem hæreditatis.* 1. ad Corinth.3. *Unusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Matthęi 16. *Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundùm opera eius.* Et cap.19. *Vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo,* & infrà. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres &c. cētū plum accipiet, & vitam æternam possidebit.* & cap. 10. *Quicumq; potū dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis nō perdet mercedem suam:* Ubi sermo est de minimo opere bono facto cuicumq; quia discipulus Christi est. 9.

Eccles.16. ad Colo.3. 1.ad Cor.3 Math.16. 19. & 10.

10. Secundò probatur authoritate Concilij Tridentini Sess. 6. in qua cùm ex professo traddat doctrinam circà meritum bonorum operum, quę à iustis efficiuntur censendum est, & in universali loqui, cum in materia doctrinali indefinita propositio ęquivaleat universali, & prætereà posuisse omnes conditiones ad meritum requisitas, ne alioqui diminutè egerit de tanti momenti. In cap. ergò 10. sic ait, *Iusti*

Trident.

ficati

ficati per observationem mādatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa iustitia per Christum acceptā, cooperante fide bonis operibus crescunt, atq; magis iustificantur. Et cap.16. *bene operantibus usq; in finem proponenda est vita æterna, & tāquàm gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tamquàm merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda; cùm enim ille ipse Christus Iesus tamquàm caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur, & subsequitur, & sinè qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent; nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam suo etiam tempore (si tamē in gratia decesserint) consequendam, verè promeruisse censeantur.* Et can.24. *Si quis dixerit iustitiam acceptam non augeri coram Deo per bona opera, anathema sit.* Et can. 32. *si quis dixerit ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) cōsecutionem, atq; etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Ecce in omnibus his testimonijs nullam omnino de actibus intensioribus mentionem facit; signum ergò est id non requiri ad augmentum gratiæ, & gloriæ promerendum.

11. Respondet Bañez in illo dubio secundo conc. 2. Concilium contendisse id solùm definire, quod negabatur à Lutheranis; horum autem error erat, omnes iustos æqualem iustitiam habere, quia nimirùm per extrinsecam Christi D. iustitiam ipsis reputatam iustificari putabāt, & nulla bona opera iustorum esse meritoria augmēti iustitiæ; & gloriæ. Solùm ergó docet Tridentinum iustos habere intrinsecam iustitiam, cuius augmentum, sicút & gloriæ mereantur aliquibus saltem bonis operibus, abstinuit vero à difficultate Theologis controversa, an scilicét id de operibus etiam remissioribus intelligendum esset, nec ne: sicùt etiam non definiuit opera bona moralia, sed omnino naturalia procedentia ab homine iusto esse meritoria; imò nec omnia bona opera supernaturalia, cùm valde probabile sit, ea non esse meritoria gratiæ, & gloriæ essentialis, si non sint actus charitatis, vel certè à charitate formaliter, aut virtualiter imperata.

Sed hæc solutio refellitur primò, quia non semper Concilia definiunt id, quod præcisè opponitur errori hæreticorum, sæpè enim occasione desumpta ab errore confutando, declarant etiam alias veritates: & sane prædictis in locis tā universaliter loquitur Synodus, ut nulla limitatio adhiberi possit, quid enim clariùs, quàm quod in cap.16. post enumeratas aliquas conditiones bonorum addidit scilicèt. *Nihil ampliùs deesse credendum est, quominus illis operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam verè promeruisse censeātur.* 12.

Secundo refellitur, quia si Tridentinum solùm definit, aliqua opera esse meritoria & non omnia, etiam definijsse dicetur aliquorum iustorum, & non omnium opera mereri augmētum gratiæ, & gloriæ; sed absurdum esset, à Cōcilio non censeri definitum, quod attinet ad omnes iustos, ergo & quod attinet ad omnia opera; patet consequentia, nam modus loquendi similis omnino est cùm de personis, & cùm de operibus agit. Tertio non obstant exēpla, quæ Bañez adducit; nam Tridentinū plane explicuit in cap.16. de quibus nam operibus bonis ageret, scilicèt de illis, quæ per Iesu Christi gratiam fiunt, eo ipso excludens opera prout facta viribus naturæ, quantumcùmq; bona essent. Quòd vero attinet ad opera supernaturalia aliarum virtutum præter charitatem, ego quidem existimo, efficaciter colligi ex verbis Concilij illa esse in homine iusto meritoria gloriæ, & augmenti gratiæ, licet á charitate non imperentur, quia Tridentinum in generali loquitur; sed tamen id minùs certum est, quàm quod modò disputamus de actibus remissis; nam pro merito actuum remissiorum sunt firmiora, & urgentiora argumenta, & testimonia.

Non possum hoc loco obiter non advertere, immerito Gabrielem Vazquez in illa disputatione 220.cap.7.dixisse, cùm Tridentinum affirmat iustos suis bonis operibus mereri augmentum gratiæ, & iustificationis, non agere de augmento gratiæ, & charitatis habitualis, sed solúm definire iustos medijs ipsis operibus, tāquàm ratione formali magis, ac magis in dies iustificari. Etenim ut in Materia de Gratia 13. *Vasquez.*

tract 8. probavimus secundùm Tridentinum sess.6.cap. 7. iustificatio formaliter fit habitibus gratiæ,& virtutum infusarum,fidei,spei,& charitatis; actus veró solùm sunt, vel dispositio, si præcedant gratiam,vel effectus, & exercitium iustificationis,si gratiam subsequantur; unde quando eadem synodus addit,iustos bonis operibus mereri iustitiæ, & gratiæ incrementum,de hac ipsa gratia habituali agere cēsendum est: id quod satis expressit in can.32.dicens, *Iustos bonis operibus mereri augmentum gratiæ*: non enim hęc gratia sunt ipsamet opera,quasi mereatur iustus iustificationem formaliter ab ipsis provenientem,ut Vasquez declarat, nam expositio violenta est; quis enim dicet, actum elicitum mereri id,quod formalissimè provenit ab illo,cùm nihil se ipsum mereatur,sermo ergo est in Concilio de gratia habituali.

Tertiò probatur nostra assertio testi-
14. monijs Patrum,qui non minùs absolutè, quàm Tridentinum affirmant,bonis operibus iustorum debere præmium æternũ.
S. Iustinus. S. Iustinus in Apologia 2.ante medium. *Homines* (ait) *qui dignos se Dei volũtate,& consilio operibus præstiterint, eum eo victuros esse meritis suis sumpsimus, ac regnaturos.*
Origenes. Origenes lib.2. in epistolam ad Romanos explicans caput secundum, *Aedificentur* (ait) *fideles, sciant iustum iudicium Dei unicuique reddere secundùm opera sua.*
S.Basilius. S.Basilius oratione in initium Prov. *Omnes* (inquit) *qui vitā evangelicā incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cælestium comparantes.*
S.Bernar. S. Bernardus serm. 81. in Cantica, *Omne* (inquit) *quod feceris bonũ, malumve, quod quidem non facere liberũ sit, meritò ad meritum deputatur.* Vide
Bellarm. hos Patres apud Bellarminum tom.3.lib. 5. de Iustificatione cap.4.

SECTIO III.

Eadem veritas efficacibus rationibus comprobatur.

15. Veniamus ad rationes, quæ ex ipsis etiam sacris litteris & doctrina Patrum ferè depromi possunt. Prima sit, si actibus remissioribus non mereretur iustus novum,ac peculiare prēmium essentiale gloriæ, & gratiæ, sequeretur eum, qui omnia bona sua, etiam integrum, & opulentissimum regnum relinqueret propter Deum medio actu charitatis ut decem,nihil præmij essentialis meriturum, si fortè ipse habebat iam charitatis habitum intensum ut undecim; consequens est planè absurdum, ergo antecedens omnino falsum. Consecutio nō indiget probatione,cùm ea ipsa sit assertio Dominici Bañez. Minor verò probatur primò, quia Christus Dominus in Evangelio disertè promittit vitam æternam ei, qui renuntiaverit omnibus, quæ possidet, qua ergò ratione Catholicus limitare potest dicendo,id non esse verum, nisi intensio actus, quo renuntiat, sit ut duodecim, & non ut undecim? Secundò, quia actus ille ut decem, si eliceretur ab habente habitum ut unum, mereretur saltem novem gradus gratiæ,& gloriæ,sed non minoris, imò maioris æstimationis est in habente charitatem,& gratiam ut undecim; ergo erit magis meritorius. Maior est certa, minor patet, quia opus utrobique idem omnino est,& in eo, qui habet maiorem charitatem,est maior dignitas personæ, quæ ut diximus in Materia de Gratia,seu 1.2.controversia 8. tract.11.multùm confert ad valorem meritorum. Tertiò,quia Rex, qui habens habitum ut undecim, eliceret actum intensum ut duodecim,sed inefficacem,qualem descripsimus tract.1. disput. 5. aut efficacem quidem, sed quo solùm vellet dare unum obolum propter Deum,multo sinè dubio minus obsequiũ præstaret Deo, quàm si regno toti opulentissimo renuntiaret, & pauperem vitā agere vellet in religione medio actu charitatis intenso ut octo; sed ille prior actus meretur novum augmentum præmij essentialis,ergo & hic posterior. Maior ita certa certa est, tam apud fideles lumine fidei præditos,quàm apud ethnicum, cui hoc ipsum proponeretur, ut nova probatione non indigeat: Minor verò, & consequentia perspicuæ sunt etiam adversarijs.

Ex quibus patet,quàm insufficiens sit 16.
solutio,quæ confugit ad maius præmium accidentale; nam discursus hic probat, concedendum esse essentiale, illud nimirúm,quod respondet operi, quando intēsius est. Quod verò additur,scilicèt eius-

modi

modi actibus remissis mereri iustos præmium essentiale, non tamen novum, sed idem met pluribus titulis, quod proinde extensivè, seu in ratione premij maius sit. refellitur manifestis rationibus; prima, quia vel hoc præmiũ est illud, quod quis meruerat medijs actibus præcedentibus, vel quod merebitur actibus subsequentibus; neutrum autem dici potest, non primum, quia fieri potest, ut qui habens gratiam ut sex elicit modò actum charitatis ut quinque, nunquám habuerit priùs alium actum meritorium, sed solùm receperit Sacramenta, virtute quorũ hęc gratia collata sit. Nec secundum, tum quia prĕmium essentiale respondens operibus subsequẽtib' est solũ in eo gradu, in quo excesserint gratiã, & habitũ charitatis, ut disertè testatur Bañez, ut nimirùm si habẽs gratiã ut sex, eliciat actũ ut septem, mereatur unum novũ gradum glorię; ergo qui priùs solũ elicuerat actus ut quinque, non potest pluribus titulis illũ unum gradum mereri; tum etiam, quia accidere potest, ut post elicitos plures actus remissiores habitu nullus posteà intensior eliciatur, nihil ergo erit præmij essentialis, quod pluribus titulis mereatur.

17. Secundò refellitur eadem solutio, quia multiplicatio titulorũ præmiũ non auget absolutè; ergo verbis ludit, vel illudit potiùs veritati, qui rem gravissimã revocat ad multiplicitatem istam titulorum, quã alio nomine appellant maius præmium extensivum. Antecedens patet, quia prĕmium conferri ob multas causas non est aliud, quàm idem omnino conferri propter multas rationes, perinde ac si quis daret tibi centũ aureos, quia laborasti in tali negotio, quia in bello strenuè te gessisti, quia innocentem liberasti, re enim vera aurei adhùc sunt solùm centum.

18. Sed addit Bañez, hoc modo meruisse Christum Dominũ, quippè cuius singula opera, utpotè infiniti valoris meruerunt quidquid Deus dat, & dabit intuitu illorum; unde omnia simul sumpta non novum præmiũ, sed idem novis titulis obtinuerũt. Solutio sanè verisimilis, si opera nostra remissa forent infiniti valoris, & singulis deberetur totum, quod in decursu vitæ iustus promereri posset, sed non ita res habet; imò proptereà Bañez negat mereri novum præmium, quia exigui valoris sunt, & suo habitui non commensurantur; cùm ergò singula nostra opera limitata sint, & non omne, sed potiùs limitatum prĕmium illis respondeat, oportet distinctum esse præmium singulis designatum, ne alioqui perexiguum sit, quod in longæ vitæ decursu iustus mereatur.

Secũda ratio principalis, peccator novis peccatis meretur novam pœnam, & non solùm eandem novis titulis, licèt peccata subsequentia sint remissiora præcedẽtibus, ergo & iustus actibus meritorijs merebitur novũ prĕmium essentiale, licèt opera sint remissiora. Antecedẽs est omnino certum: consequentia probatur, quia non minùs liberalis est Deus in retributione bonorum operum, quàm æquus iudex in infligendo supplicio. Respondet Bañez dupliciter, primò negando consequentiam, quia bonum ex integra causa, malũ ex quocumque defectu; unde quodvis peccatum sufficit ad augmentum pœnæ, non quodvis meritum ad augmentum præmij; illud enim malum, hoc bonum est. Secundò respondet, duplicem etiam pœnã deberi peccatis; unam essentialem, quæ cõsistit in separatione à Deo, & dolore inde proveniente, & hæc quatenùs est privatio divinæ visionis, & pura pœna damni, ęqualiter infligitur damnatis pro quocũque peccato lęthali; alteram accidentalem, qui est dolor conceptus ex consideratione aliorum obiectorum, & eiusmodi pœna est afflictio ab igne inferni proveniẽs, & tristitia de mala societate reproborũ, estque maior, aut minor pro maiori, aut minori multitudine peccatorũ, quæcumque illa sint: unde potiùs servatur optima proportio inter duplex præmium, essentiale scilicet & accidentale respondens meritis, & duplex supplicium debitum peccatis. 19.

Sed prior solutio facilè refellitur; quia infligere suppliciũ non est propriè loquẽdo malũ, sed actus bonus, qui pertinet ad virtutẽ iustitiæ; quis autẽ non videat, iustitiæ bonum esse maximum, illamque minùs exactè servari, si iudex acerbior sit in puniendo, quàm æquus in præmiando: præsertim cùm Deus præmijs afficiat ultrà condignum, supplicijs verò citrà condignum, ut docent Theologi. Posterior solutio etiam est insufficiens, 20.

quia pœna damni, prout in privatione beatitudinis consistit, in omnibus damnatis est æqualis, sive peccata fuerint plura, sive pauciora, sive intensiora, aut remissiora, ut in 1. 2. controversia 6. tract. ultimo dictum est. Preter hanc autem pœnam in igitur sinè dubio alia, quæ rectè potest appellari essentialis, nempè maior, & acerbior dolor ex apprehensione plurium, aut graviorum peccatorum; & hæc inæqualis est pro inæqualitate peccatorum, tam quoàd gravitatem, quàm quoàd numerum; quarè eodem modo præmium essentiale futurum est inæquale pro inæqualitate meritorum, etiam si hęc sint æqualis intensionis, aut minoris quàm habitus.

21. Petet fortassè quispiam, quanta sit certitudo assertionis, quam in hac, & præcedente sectione comprobavimus. Respondetur, Doctores variè in hac parte sentire, & loqui; Suarez suprà ait, oppositum esse improbabile, incredibile, & nulla authoritate, aut ratione fulcitum. Valencia, esse absurdissimum, & maximè pugnans cum Scriptura, Aragon §. *hoc non obstante*, ait, esse plùsquam temerarium. Magister Peña, & Magister Sotomaior apud Henriquez suprà in littera Z. dicunt esse errorem. Victoria denique hanc nostram assertionem esse ipsiusmet Sacrę Scripturę sententiam. Et sanè non miror acerbitatem, qua ab illis Doctoribus sententia in prima sectione relata notatur, licèt alioqui catholicissimus æquè, ac doctissimus fuerit, qui illā propugnavit.

Suarez. *Valenc.* *Aragon.* *Henriq.* *Victoria.*

SECTIO IIII.

Fundamenta sectionis primæ diruuntur.

22. AD primum argumentum respōdetur, quando nullā aliam explicationē testimoniorū S. Thomę in libris Sententiarum haberemus, meritò dici posset, & deberet cū Capreolo, Sanctū Doctorē mutavisse sentētiā, quia in partibus sinè dubio docuit nostrā assertionē; in prima enim secundę q. 114. art. 8. cū quæreret, an homo gratię, vel charitatis augmētū mereri posset, & in tertio argumēto obiecisset ex parte affirmāte inferri, medijs actibus non multùm ferventibus mereri hominem eiusmodi augmentum, sic respondet. *Dicendum, quod quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicùt & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna.* & in art. 6. huius quæstionis 24. ad primum, *Quilibet* (inquit) *actus charitatis meretur charitatis augmētum.* Quod vero Bañez respondet, mereri quidem iustos charitatis augmentum, sed illud non conferri quousque eliciant actum intensiorem, planè est contrarium menti Sancti Doctoris, non solùm, quia Caietanus, Capreolus, Victoria, Sotus, alij sapientes Thomistę nostram assertionem ex his locis eliciunt, sed etiam quia S. Thomas in prędictis locis affirmat, illud augmētum charitatis, & glorię, quod iustus meretur actibus remissioribus, cōferendum esse suo tempore, quando scilicèt quis conatus fuerit ad eiusmodi augmentum. At verò Bañez hoc ipsum re vera negat, nam in hoc art. 6. dub. 4. disertè testatur, quando iustus posteà elicit actum intensiorem habitu, solùm dari illi eum gradum charitatis, in quo actus superat habitum; unde cùm actus præcedentes non fuerint intensiores habitu, nihil illis posteà respondet, nihil intuitu illorum datur charitatis, aut gloriæ essentialis; quod planè est contra verba S. Thomæ. *Bañez.*

S. Thom. *Capreol.*

Sed nihilominùs addo, Caietani explicationem, qua testimonia ex libris Sententiarum cum ijs, quæ ex partibus retuli, conciliantur; ait enim, S. Thomam in Sententijs solùm contendere, iustos medijs actibus remissioribus nō mereri præmium essentiale, quod statim conferatur, & comitetur ipsos actus; in partibus verò concedere prēmiū, quod posteà suo tēpore cōferetur; & hoc secundū nullibi negari. Vnde in primo testimonio adducto sectione prima ex 1. Sententiarū, *Quilibet* (inquit) *actus charitatis non ordinatur ad augmentū charitatis secūdùm quod charitas remanet principium merendi*: (quasi diceret, secundùm quod statim cō fertur, ut sit principium actus meritorij) *sed solùm secundùm quod augmentum charitatis pertinet ad perfectionem præmij* (quod scilicèt dabitur suo tempore:) & eadē explicatio aptè quadrat in reliqua testimonia ex 1. 2. & 3. Sententiarum: in 23.

loco

loco verò ex lib.4. & alijs locis, & 1.p.& commentarijs in Paulum solùm contendit, gloriam essentialem respondere charitati, non loquitur autem de actu tantum, sed de habitu, vel actu; quasi diceret non maiorem gloriam concedendam, quàm fuerit debita habitui charitatis; & insuper tantò aliquod opus esse maioris meriti, quantò (cæteris paribus) ortum habuerit ex maiori charitate actuali, vel habituali; quæ omnia verissima sunt, sed non probant actui charitatis remisso non deberi premium essentiale.

In secundo fundamento nihil est, quod modò diruatur. Ad tertium respondetur, hunc esse sensum legitimum 24. loci ex cap. 25. Matthæi *habenti dabitur*, id est, ei qui respondet divinæ vocationi, & non permittit, gratiam Dei in se vacuam esse, dabitur maior gratia, aut novum præmium; ille autem, qui non respondet, sed talentum abscondit, perinde se gerit, ac si illud non haberet; & ideo dignus, qui puniatur, auferendo ab illo gratiam divinam: ex quo non potest probabiliter inferri, non deberi præmium actibus remissioribus, cum medijs illis respondeatur divinæ gratiæ, licèt nõ tam perfectè, quàm iustus posset. Et sanè si testimonium hoc acciperetur in eo sensu, quem Bañez contendit, auferenda essent dona gratiæ ab eo, qui remissè operatur, cùm Christus Dominus dicat, *Ei, autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Constat autem, absurdissimum esse dicere propter solam remissam operationem privari iustos gratia sanctificante.

Testimonium Apocalyp. 2. dupliciter explicatur; uno modo, ut Episcopus 25. ille Ephesinus dicatur primam charitatem reliquisse, quia peccavit læthaliter: altero, & multò melius, ut solùm significetur, illum intermisisse opera bona, quæ facere consueverat, & debebat, ut frequentiores conciones eleemosynas, vel quid simile, & neutro modo est contra nos. Sed licèt daremus, reprehendi, quia remissiùs quàm antea operabatur, non ideò opera remissiora non merebantur novum præmium essentiale, cùm adhùc essent opera bona, & secundùm Bañez digna aliquo præmio, non autem reprehensione; sed solùm damnatur in eo omissio maioris fervoris, seu maioris intensionis, quæ quidem poterat esse culpabilis, licèt ipsum opus remissum esset alioqui, ut re vera est, bonum, & dignum corona. Alterum verò testimonium capitis tertij intelligitur de Episcopo læthali culpa infecto; ei enim dicitur ibidem, *Nomẽ habes, quod vivas, & mortuus es.* Vide Ribera. Viegam, & Riberam in cap. 2. & 3. Apocalyp. Viegas.

Sanctus Gregorius, & alij Patres meritò reprehendunt eos, qui in via virtutis progredi non conantur, non quia ipse 26. remissus actus malus sit, & indignus præmio; cùm certissimum sit, esse actum bonum, & supernaturalem, & à Deo ut à principali agente nobiscum efficiatur; & ipse Bañez fateatur, mereri novum præmium accidentale, & idem essentiale novo titulo; reprehendunt itaque tepidos, tum propter novas culpas veniales, quas committunt, & non corrigunt, sed permittunt, passiones dominari voluntati, & in dies assumere maiores vires; tum etiam propter omissionem non eliciendi actum ferventiorem, quæ quidem potest esse culpabilis. Et quoniam in hæc duo mala prolabuntur, qui non conantur ulteriùs progredi, ideo Sancti dicunt, in via Dei non progredi, regredi esse. Præter quam quod ipsis actibus remissis, inquit S. Thomas artic. 6. ad 3. progreditur iustus in S. Thom. via Dei, quatenùs illi disponunt ad augmentum habitus charitatis modo explicando in disputatione sequente.

Quartum fundamentum facilè convellitur, quia cùm iustus non sciat, se esse 27. iustum, & opera sua habere omnes conditiones ad meritum requisitas, aliunde verò sæpè peccet, non habet magnam occasionem præsumendi de se, quantumcumque sciat operibus remissis deberi præmium essentiale novum. Contraria vero opinio maximè deterret ab exercitio bonorum operum, quia difficillimum est, imò moraliter impossibile, sciri à nobis, quando actus evadet intensior habitu; & ita ex hac parte deesset nobis probabilis coniectura nostri meriti, quando operamur, quæ esset occasio cadendi animo, & deficiendi.


(.:.)

DISPVTATIO X.

Vtrùm præmiũ, quod iustus meretur medijs actibus remissis, statim à Deo conferatur.

SECTIO I.

Vera S.Thomæ sententia declaratur, & probatur.

1. Ertum est, vitam æternã, seu beatitudinem patriæ, quæ est potissimũ præmiũ bonorum operum, nõ cõferri statim, cùm quis meretur, sed post mortẽ, quando scilicèt animus corporis vinculis solutus, & (si fortè indigeat) purgatorio igne probatus, liber evolat ad Deũ. Difficultas ergò posita solũ est in explicãdo tẽpore, quo augmentũ gratię, & charitatis confertur iustis propter actus charitatis remissiores habitu; nã hoc augmẽtum esse illis debitum, satis constat ex disputatione pręcedente.

2. Ego quidẽ in re incerta, & de qua diversi Theologi diversa sentiunt, ut in sequentibus patebit, probabiliorem existimo sententiam S. Thomæ, qui in 1. 2. q.114. artic.8. ad 3. *Quolibet* (inquit) *actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicùt & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna; sed sicùt vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicèt aliquis sufficienter fuerit dispositus ad augmentum gratiæ*: explicans autem in hac quæstione 24. art. 5. ad primum, quando censendus sit iustus dispositus ad recipiendum gratiæ, aut charitatis augmentum, *Augetur* (inquit) *charitas, quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum*: quando verò conetur, explicuerat ampliùs in corpore articuli dicens, *multiplicatis actibus charitatis reddi hominẽ promptiorẽ ad iterum eliciendum actum charitatis, & habilitate, seu facilitate crescente, elici tandem aliquem actum ferventiorem dilectionis, & tunc augeri charitatem.* Quibus verbis non contendit Sanctus Doctor, actum, quo augetur charitas, debere esse ipso habitu intensiorem, nusquàm enim id docuit, nec illa particula *ferventiorem*, comparat actum cum habitu, quia habitus non appellatur fervẽs, sed solùm comparat actum, qui modo elicitur, cum ijs, qui eliciti fuerant, quando charitas non augebatur; & ideo ait, actum, qui necessario requiritur, ut charitatis habitus statim augeatur, debere esse præcedentibus ferventiorem, talem scilicèt, qualis sufficiat, ut iustus dicatur conari ad charitatis profectum. In libris verò Sentẽtiarum addit disertissimè, quãtus futurus sit iste fervor, ut charitas augeatur, nam in 1. dist. 17. q.2. art. 3. ad 4. & in 2. dist.27. q.1. art.5. ad secundum, dixit, debere actum esse æqualis saltem intensionis cum habitu, ut ita respõdeat omninò divinæ gratiæ, & exerceat omnes vires supernaturales, quæ medio habitu tribuuntur. Vide in disputatione octava sectione 2. ad primum verba S.Thomæ, ne iterùm ea hoc loco repetantur.

Concludo ergò, hanc esse S. Thomæ doctrinam, nimirùm augmentum gratiæ, & charitatis, quod iustus meretur bonis operibus remissioribus suo habitu charitatis, non statim cõferri à Deo, sed cùm elicitur alius actus, qui vel excedat, vel adæquet sui habitus intẽsionem; & tunc etiam conferetur augmentum debitum continuationi actus, qui minùs intensus erat in ipsa continuatione, quàm suus habitus, ut in disput. 8. sectione 3. supponebamus. Quod verò Zumel infrà referendus in sect. 2. dixit, S. Thomam solùm contendere, habitum charitatis non augeri statim medijs actibus remissis, tanquàm dispositione, licèt augeatur tanquàm merito, planè est contra textũ; ait enim Sanctus Thomas, *non conferri augmentum statim, sed suo tempore, scilicèt quando quis conatus fuerit ad eiusmodi augmentum.* Cum Sancto Thoma sentiunt Caietanus 1. 2. quæst. 114. artic. 8. ad 3. sed multò magis claré Conradus, Durandus etiam in 1. distinct. 17. quæst. 8. §. de tertio. Richardus ibidem art. 2. q. 3. ad primũ, licèt 3.

Margin: S.Thom. — Zumel. — Caietan. Conrad. Durand. Richard.

in eo

in eo á nobis dissentiat. At quòd non requirat ad augmentum charitatis, elici actum æquè intensum atque habitū, sed dicat id quidem sufficere, & similiter satis esse tot actus remissos, quot æquivaleant uni tam intenso, quàm sit habitus. Valencia etiam p. 3. ex parte consentit, quatenus fatetur, non statim atque elicitur quicumque actus charitatis remissus, augeri habitum: idem deniq; sentiunt Scotus, & alij quatenùs non in hac, sed in altera vita existimant conferri augmentum debitum actibus remissioribus, quàmvis in eo non placeant nobis, quod semper differant usque ad statum alterius vitæ collationē huius augmenti, quod S. Thomas nunquàm docuit, nec rationi consentaneum est, ut postea patebit.

Valent. *Scotus.*

4. Probatur primò ratione, quæ desumitur ex doctrina S. Thomæ in locis adductis ex primo, & secundo sententiarum, ut habitus gratiæ, & charitatis augeātur, requiritur sufficiens & proportionata dispositio, sed quamdiu non elicitur actus adæquans, vel excedens habitum charitatis, non adest sufficiens, & proportionata dispositio, ergo non augentur habitus gratiæ, & charitatis. Consequentia legitima est, & maior patet, tum quia eiusdem naturæ est augmentum gratiæ, seu charitatis, & ipsa gratia, seu charitas, hæc autem, ut infundatur, requirit sufficientem, & proportionatam dispositionem. Vnde Tridentinum sessione 6. cap. 6. dixit, ***Disponi adultos ad iustificationem medijs actibus fidei, spei, detestationis peccatorum***, qui sunt supernaturales, & proportionati ipsi gratiæ, & charitati, quæ est forma iustificans: tum etiam quia proprium est formarum, exigere dispositiones, sic enim forma substantialis, imò & nonnullæ accidentales ob suam perfectionem requirunt accidentia, quibus disponatur subiectum ad illarum receptionem; gratia autem, & charitas sunt formæ accidentales nobilissimæ, & quæ in ordine supernaturali constituunt hominem non minùs, quàm anima constituit in ordine naturali: tum denique quia habitus fidei, & spei in peccatore augentur medijs actibus fidei, & spei supernaturalibus tanquàm dispositione; in homine autem iusto non amittunt rationem dispositionis, licet etiam habeant simul rationem meriti.

Trident.

Minor probatur, quia quamdiù actus non adæquat intensionem habitus, restat aliqua virtus, & efficacitas in ipso habitu, quæ nondum exercita est, & aliquod habituale auxilium infusum homini à Deo, cui nondum respondit, ergo non est adhuc sufficienter dispositus, ut habitus augeatur. Antecedens probo, quia habitus infusus est supernaturalis virtus collata iusto, ut operetur, & quò intentior est habitus, eò est maior virtus, ac proinde ordinata ad maiorem effectum; unde si non efficiat actum suæ efficacitati adæquatum, restat adhuc aliquid exercendū, & aliqua gratia divinitus concessa veluti ad actum reducenda. Consequentia verò probatur, quia qui nōdum præstat totum, quod potest ex vi gratiæ sibi collatæ, non potest recta ratione, & æquo iure petere illius augmentū, & in promptu esse potest responsio, cùm petierit, ut nimirùm negotietur talentis sibi iam tributis, & statim nova talenta tribuentur. 5.

Confirmatur primò, quia si Rex, vel mercator contulisset amico, vel subdito quantitatem pecuniæ, ut eam lucro, & negotiationi exponeret, non posset æquo iure amicus, vel subditus petere novam pecuniam sibi tribui, quamdiu priùs collatam nollet exponere lucro, & consequi finem, ob quem collata est alia quantitas prior: sed Deus confert iustis augmentum gratiæ, & habituum supernaturalium in hac vita, ut medijs illis operentur, & indies ferventiùs agant; ergo quamdiù medijs illis non operantur, quod possunt, sed potiùs aliquos gradus ipsorum habituum veluti reservant otiosos, non possunt æquo iure postulare illorum augmentum, ergo non censebuntur satis dispositi, ut statim cōferatur augmentum. 6.

Confirmatur secundò, quia in Evāgelio Matthæi 25. reprehenditur servus, qui otiosum talentum reservavit, nullum ex eo lucrum reportans; ergo qui habitū intensū habet, & actū illi minimè adęquatū elicit, reprehēsione dignus est, quatenùs otiosum cōservat donum divinū, quoàd eum gradum, in quo superat intēsionem sui actus, illum enim nō exercet, perinde 7. *Matth. 25*

ac si minus intensum haberet; ergo mirũ non est, si saltèm iudicetur à Deo minimè dispositus, ut statim accipiat augmẽtum huius doni.

8. Confirmatur tertiò, quia viri spirituales maximè commendant, ut respondeamus inspirationibus divinis, & iure optimo privantur multis eiusmodi auxilijs, qui desides sunt non respondendo; sed habitus infusus tota intẽsione sua est veluti quædam habitualis inspiratio ad actũ ipsi adæquatum excitans iustum, ergo iure optimo privabitur augmento statim conferendo, qui actum adæquatum habitui non elicuerit.

9. Secundò probatur eadem assertio ratione S. Thomæ, in art. 6 huius quæstionis, quia augmentum spirituale habituum supernaturalium proportionem aliquam, & similitudinem habet ad augmentum corporale, Deus enim in operibus gratiæ, quoàd sinè incommodo potest fieri, solet imitari opera naturæ, seu potiùs se ipsum ut naturæ authorem, sed augmentum corporale non solet esse ita continuum, ut qua proportione subiectum incipit disponi, incipiat augeri, potiùs enim experimur, paulatim decoqui alimentũ, & disponi, donec adveniente dispositione perfecta convertatur totum in substantiam aliti, & vivens augeatur; ergo similiter non statim ac quis elicit quemlibet actum charitatis, quo disponitur, recipit augmentum habitus, sed paulatim actibus remissis disponitur, ut adveniente tandem actu ferventi, & adæquato habitui, conferatur augmentum.

10. Ex quo obiter intelligetur, cùm quis habens habitum charitatis ut sex, elicuit varios actus intensos ut duo, quibus meruit novos gradus gratiæ, charitatis, & gloriæ, & tandem elicuit alium adæquatum habitui, non solùm conferri statim illud augmentũ gratiæ, & charitatis, quod ultimo actui debebatur, sed etiam quidquid meruerant actus præcedentes: actus enim adæquatus habitui est dispositio proportionata ad totum id, quod priùs meruerat iustus; solùm enim deerat, quod omnino exerceret gratiam, & virtutem sibi tributam, quo exercitio posito, nihil aliud desiderabatur: & id est, quod S. Thomas planè affirmat dicens, singulis actibus mereri iustos augmentum gratię, quod confertur, quando homo fuerit sufficienter dispositus eliciendo actum ferventiorem, quo censeatur iam in nullo deesse gratiæ divinæ, ut loquitur in secundo sententiarum, & id probat similitudo ex corporali augmento petita; verè enim in instanti, quo additur ultima dispositio, non solùm augetur animal, vel planta additione ultimæ partis alimenti, sed etiam aliarum omnium, quæ in tempore precedente paulatim disponebantur, & veluti expectabant ultimum complementum cæterarum partium. Scio interdum augmentum animalis, & aliarum rerum effici successivo, seu continuo motu, quamvis interdum aliter contingat, ut recte hic S. Thomas, & nos diximus ad Primum de Generatione; nam id ipsum verum est in augmento charitatis, quæ successivè & continuè augebitur, si continuè etiã augeatur dispositio, ita ut semper actus adæquet sui habitus virtutem, & efficacitatem. S. Thom.

SECTIO II.

Probatur eadem assertio confutando sententias aliorum.

Multi in ea sententia sunt, ut existiment augmentum gratiæ, & charitatis debitum operibus remissioribus, statim ac illa eliciuntur, conferri, sic sentiunt Gabriel in 4. dist. 14. q. 3. ar. 3. dub. 3. Maior dist. 22. q. 1. versùs finem, Corduba lib. 1. quæst. q. 9. dub. 2. Suarez in Opusculo de reviviscentia meritorũ disp. 2. sect. 3. Vasquez 1. 2. to. 2. disp. 220. Zumel 1. 2. q. 114. art. 8. disp. 3. proposit. 2. Aragon ad art. 6. huius quæstionis, Lorca adductus disputatione præcedente, & Ludovicus Torres dub. 4. & alij. Et quidem Bañez in hoc art. 6. prædictam doctrinam appellat improbabilem, immeritò tamen; est enim valde probabilis opinio, & quæ facilè defendi potest, nobisque aliquando verà videbatur, nunc autem minùs probanda videtur, tum propter authoritatem S. Thomæ, tum propter rationes in sectione præcedente propositas, tum deniquè, quia si augmentum gratiæ, & charitatis debitum cuicumque actui meritorio statim conferretur, brevissimo tempore redderentur isti habitus in- 11. Gabriel. Maior. Corduba. Suarez. Vasquez. Zumel. Aragon. Lorca. Torres. Bañez.

tensissimi, nam multi iusti sunt, qui quàm plurima boni opera efficiunt quotidiè, & vix elabitur quarta, imò & decupa pars horæ, in qua semel, & iterum non eliciāt actus bonos, & supernaturales, quibus non solùm debetur augmentum gratiæ propter excellentiam operis, sed etiā propter dignitatem ipsius iusti, qui ipsomet augmento fit gratior, ac proinde dignior, cuius opera magis, ac magis æstimētur, & maiori præmio afficiantur, ut in Materia de Gratia, seu 1. 2. controversia 8. tract. 11. probatum est. Hoc autē penè immensum gratiæ, & virtutum augmētum afferi non potest, nisi contra experientiam, quæ suadet, in longo etiā tempore vix magis expeditos se sentire, quā plures iustos ad bene agendum, & vincendas difficultates; si autem virtutes, ita in immensum augerentur, certè non posset frequenter non indicari, aut experimento deprehendi maior ista facilitas: nam quàmvis habitus supernaturales nō auferant passiones, aut habitus vitiosos, à quibus provenit difficultas bene agendi, nihilominùs inclināt ad actus virtutum, præstantque efficaciores vires ad operādum contra passiones, & vitia.

12. Sed obijcies virtute Sacramentorum, quæ iusti frequentant, augeri statim gratiam, & virtutes: & nihilominùs in longo tempore non sentiri maiorem facilitatē, ergo ex eo quod iusti prædictam facilitatem non experiantur, inferri nō potest, non statim conferri augmentum debitū actibus remissioribus. Ego quidem fateor, hac obiectione omnino ferè elevari vim argumenti propositi; negari enim nō potest, cùm recipiuntur Sacramenta, & obex non apponitur, conferri statim eiusmodi gratiæ, & virtutum augmentum, licèt nostra dispositio sit valde remissa, quia tunc non infunditur gratia intuitu nostrorum actuum, sed intuitu actuū meritoriorum Christi Domini, qui longè sunt intensiores nostra, & omnium iustorum gratia, & medijs Sacramentis applicantur. Dixi omnino ferè elevari vim, quia eatenus ratio proposita potest videri alicuius momenti, quatenus si non solū ob Sacramenta, (ut necessariò concedendum est) sed etiam ob alia opera quantùmvis remissa statim augeretur charitas, foret sanè longè maius augmentum, & consequenter difficiliùs redderetur ratio, ob quam non experiamur in nobis maiorem multò agilitatem in operibus supernaturalibus, cùm tantum sit augmentum habituum.

Scotus in 4. dist. 21. q. 1. §. *Istud est probabile*. existimavit, augmentum gratiæ, & charitatis debitum actibus remissioribus non conferri in hac vita, sed in instanti mortis: quod tamen si in universum accipiatur, reijci potest, & debet; quia in instanti mortis nihil potest habere iustus, quo ad recipiendum illud augmentum disponatur, nisi actum æquè, aut magis intensum, quàm sit ipse habitus, cū quo mortuus est, hunc autem in via elicere potest, ergo tunc recipiet prædictum augmentum. Confirmatur, quia status viatoris est accommodatus ad recipiendā gratiam, & habitus virtutum, quibus in via Dei iustus progreditur, & non ob aliam rationem debet differri horum habituū collatio, quam ob defectum dispositionis; sed qui actum elicit æquè saltem intensum, ac habitum, sufficienter disponitur ad augmentum, ut suprà dictum est; ergo si in hac vita actus æquè intensus eliciatur, statim habitus augentur. Ex quo infero, in aliquibus eventibus accidere posse, augmentum istud non conferri, usque ad instans mortis, quando nimirùm post elicitos actus remissiores, nunquàm in vita elicuisset iustus actum, qui habitus intensionem adæquaret; tunc enim cùm primùm animus à corpore seiungitur, & corporea mole, passionumque impedimentis liberatur, sciens augmentum gratiæ, & charitatis sibi debitum nondum esse collatum, defectu actus æquè intensi, elicit actum, qui adæquet habitum, & illico augmentum confertur à Deo. 13. *Scotus.*

Aliud multò difficilius addere videtur idem Scotus dist. 22. q. unica, art. 2. §. *ad secundum dico*, scilicet accidere posse, alicui iusto conferri magnam gloriam intuitu prædictorum operum, licet nec in hac, nec in altera vita conferatur maior gratia, quod omnino reijciendum est; nam gratia, & gloria secundùm communem Doctorum consensum proportionantur, & illa est formaliter ius ad gloriam; quarè qui maiorem gloriam meretur, necesse est maiorem quoque gratiam mereatur, quę si in hac vita collata 14.

non fuerit, in altera saltèm simul cū gloria erit conferenda.

15. Richard. Richardus suprà adductus cōtendit, statim augeri charitatem, quando eliciti fuerint tot actus remissi, qui adæquent unum tam intensum, quàm habitū. Quod facilè refellitur, quia quantumcumque multiplicentur actus remissi, non adæquant vim, & efficacitatem habitus intēsioris, ac proinde adhùc superest aliquid habitus veluti otiosum, & non expositū lucro; & consequenter non est iustus dispositus sufficienter, ut ampliùs augeatur.

Valenc. Et eodem modo reijcitur, quod Valēcia suprà affirmavit, scilicét augeri habitum, quando medijs actibus etiam remissis voluntas se sufficienter exercuit: contendimus enim, nunquàm ad eum finem sufficienter exerceri, nisi actum eliciat, quo homo plenè respondeat gratiæ divinæ, ut docet S. Thomas, reducendo ad actum secundum universam habitus efficacitatem.

SECTIO III.

Obiectiones adversùs S. Thomæ sententiam proponuntur, & diluuntur.

16. Tridcnt. PRima obiectio petitur ex authoritate Concilij Tridentini, quod in sess. 6. cap. 10. indefinitè docet, *Iustos crescere in ipsa iustitia medijs bonis operibus.* & Can. 24. *Iustitiam acceptam augeri corā Deo per bona opera.* Quæ testimonia in disputatione præcedente expendebantur ad probandam quodlibet opus, etiam remissum esse meritorium augmenti gratiæ, eadem autem efficacitate persuadere videntur, statim conferri hoc augmentū intuitu cuiuscumque operis; nam alioqui nō cresceret iustus in ipsa iustitia, nec ista augeretur coram Deo, sicùt non dicitur crescere in gloria, quia hæc non statim confertur, sed in patria. Respondetur verisimè dici à Tridentino, iustos quovis opere crescere in gratia, & iustitiam augere, non quia illam in actu secundo statim recipiant, sed quia statim comparant ius ad illam, & reservatam habent apud Deum fidelissimum suo tempore reddendam, cùm scilicet voluerint se disponere: sic enim verissimè dicitur crescere in divitijs, & augere propria bona, qui ea lucratus est, & ius habet acquirendi possessionem illorum, quando voluerit, licèt modò ea nō habeat in domo propria, sed apud fidelissimos creditores. Quòd verò attinet ad gloriam, fateor non dici iustos crescere in gloria, sed in iure ad gloriam; non quia gloriæ augmentum statim non recipiunt, sed quia primam gloriam nondum habent, & quod nondum habetur, sed in alteram vitam conferendum omnino reservatur, non dicitur propriè augeri: at verò iustus iam habet gratiam primam, & in potestate eius est in hac vita recipere augmentum, quod meretur, si se disponere velit, & ideò dicitur in gratia crescere.

Secunda obiectio, Deus ex communi, & ordinaria lege neminem potest acceptare ad gloriam, nisi mediante gratia inhærente, quæ est ius ad hæreditatē æternam; sed cùm primùm iustus elicit opus bonum, quantumcumque remissum, acceptatur ad maiorem gloriam; ergo statim recipit maiorem gratiam. Confirmatur, quia nemo iustificatur sola extrinseca acceptatione Dei, & sinè infusione gratiæ sanctificantis, ut definitur à Tridētino in sess. 6. sed quoties iustus efficit bonum opus, toties magis iustificatur, fit enim Deo charior, & sanctior, impletq; quod à Domino dictum est Apocal. ult. *Qui iustus est iustificetur adhùc*, ergo non solùm crescit extrinseca Dei acceptatio, sed etiam infunditur nova pars gratiæ inhęrentis. Respondetur concessis maiori, & minori, negando consequentiam; solū enim infertur acceptationem ad maiorem gloriam includere etiam infusionem maioris gratiæ, sive statim conferendæ, sive postea; & hoc modo Deus neminem acceptat ad gloriam sinè gratia; in prima verò iustificatione semper confertur statim gratia, cùm homo acceptatur ad gloriam, quia datur sufficiens dispositio, nempè contritio, quæ cùm non supponat habitum, non dicitur esse minùs intensa, quàm ille; & quod iustis obstat, quominus augmentum statim conferatur, est minor intensio actus, quæ non exercet totā virtutem habitus. Ad confirmationem similiter concessis maiori, & minori, negatur consequentia; sed solùm infertur deberi eiusmodi iusto novam partē gratiæ inhęrentis, qua mediāte magis posteà

17. (beside "Secunda obiectio") · Apoc. ult. (beside "Qui iustus est iustificetur adhùc")

iustificetur in re ipsa, quàmvis in spe, & iure statim sit charior,& iustior.

18. Sed urgebis,gratia inhærens est causa formalis iustificationis, ergo augmentum gratię inhęrentis est causa formalis augmenti iustificationis; sed statim ac iustus elicit opus bonum remissum, habet augmentum iustificationis,ergo statim habet augmentum gratiæ inhęrentis. Respondetur concesso primo antecedente,& prima consequentia, distinguendo verò secundum consequens; iustus statim habet re ipsa,& in actu secundo hoc augmentũ, nego,habet in potentia,& iure proximo, concedo; & eodem modo habet augmentum gratiæ inhærentis.

19. Tertia obiectio, debitum solvendum est creditori statim,nisi implicito,aut explicito pacto cõveniat inter ipsum,& debitorem de dilatione; sed augmentũ gratiæ debetur iusto pro operibus remissis, & nullo pacto convenit ipse cum Deo de dilatione,ergo statim solvendum est.Cõfirmatur primò, quia Deus in Scriptura præcipit statim dari mercedem pauperi mercenario; ergo incredibile est, hominibus differri à Deo ipso collationẽ mercedis,pręsertim cùm *Deus non tardet promissionem suam*. 2. Petri 3. Confirmatur secundò,quia Deus amantissimus est nostri lucri; ergo statim confert iusto augmentum gratię debitum bonis operibus remissis, quia mediante illo fiet persona iusti magis digna,& consequenter opera, quæ postea fecerit, erunt maioris valoris,utpotè profecta à digniori supposito. Responditur negando minorem,quia licèt expressum pactum initum non sit, ipsa ratio recta supponit pactum implicitum; ut nimirùm non possit iustè cõqueri si non augeantur dona illi, qui non bene utitur acceptis,nec exercet habitum, qui ad operandum illi tributus est. Præterquam quòd,cùm Deus sit,qui pro suâ liberalitate promittit mercedem operibus iustorum,potuit pro sua sapientia ut Dominus omnium differre tempus solutionis,quando ipse iudicaret ob aliquos fines expedire; ostendimus autem sect. 1. id fuisse expediens : inter homines verò, licèt sępè sint iustæ causæ differendi solutionem,sæpè non occurrunt, & particulares creditores non ita facilè obtendere possunt iustas causas dilationis, ac Deus omnium Dominus, & generalis Gubernator. Ad primam confirmationem patet ex dictis,nec locus Petri est cõtra nos; ibi enim de die iudicij agitur, & prętereà nõ tardat Deus promissionem, quando mercedem confert suo tempore; tempus autem augmenti gratiæ est, cùm adfuerit sufficiens dispositio. Ad secundam:amat quidem Deus lucra nostra,sed non propterea facit,quidquid quomodolibet ad hęc lucra conduceret,sed quę secundùm rectam suæ sapientiæ dispositionem oportet fieri.

Quarta obiectio: ille qui habet gratiã ut quatuor,si eliciat actum ut quinque,accipit statim augmentum gratiæ; ergo ille etiam,qui habens gratiam ut decem, elicuerit actum ut quinque. Patet consequentia, quia non debet esse deterioris conditionis ille,qui magis iustus est.Respondetur negando consequentiam, cuius probatio non urget; quia ille, qui habet gratiam ut decem, non est deterioris sed felicioris conditionis; habet enim in re collatam gratiam ut decem, quam vix, aut ne vix quidem attinget, qui habens gratiam ut quatuor elicit actum ut quinque,& insuper acquirit ius ad novos gradus gratiæ,qui suo tempore illi conferẽtur. Quòd verò statim non conferantur, ipse in causa est, quia non reddit rectam rationem donorum, quę acceperat,exercendo nimirùm totam habitus virtutem, sicut illam exercet,qui minorem gratiam habebat. 20.

Quinta obiectio : tempus huius vitæ est accommodatum infusioni gratię, sicut tempus alterius collationi glorię;sed gloria solùm confertur in altera vita; ergò gratia solùm in ista. Respondetur cõcessa maiori per se loquendo; si enim adsit debita dispositio, in hac vita conferẽtur,per accidens verò conferri aliquando poterit in altera,quia hic non adfuit dispositio,in quo casu,iam diximus, conferri gratiam in primo instanti mortis,quod ferè cum hac via computatur. 21.

Sexta,omnis gratia,quam iustus priùs acquisierat, & peccando amittit, statim restituitur illi,cùm primùm à peccato resurgit,& disponitur ad iustificationẽ medio actu contritionis quantumcumque remisso; ergo omnis gratia, quam iustus meretur operibus remissis, confertur illi 22.

2. Pet. 3.

statim. Respondetur, difficultatem hanc esse gravissimam, sed propriam Materiæ de Pœnitentia, in qua Deo iuvante, veritatem ex mente S. Thomæ laté conabimur explicare, & quod ibi dicemus, doctrinam in hac disputatione stabilitá potiùs confirmabit.

DISPVTATIO II.

De alijs, quæ ad augmentum charitatis conducunt: ubi an ista solùm augeatur medijs actibus charitatis.

1. Dupliciter augetur habitus charitatis, uno modo ex opere operato, altero ex opere operantis; prior augmenti modus habetur medijs Sacramentis, quæ si dignè, ut par est, ab homine iusto recipiantur, gratiam, & charitatem augent, & eò magis, quó maior est dispositio recipientium: atque ad hunc augmenti modum revocatur ille, qui provenit à martyrio, quod, si ab homine iusto subeatur, charitatem auget quasi ex operato, ut in Materia de Baptismo dicendum est. ¶ Altero modo augetur habitus charitatis ex opere operátis, scilicet medijs actibus meritorijs ex condigno; & ita eædē conditiones, quas in Materia de Gratia, seu in 1.2. controversia 8. tract. 11. diximus, requiri ad meritum ex condigno, requiruntur etiá ad charitatis augmentum; & quidquid conducit ad maius meritum ex cōdigno, maximè iuvat, ut habitus charitatis augeatur.

2. Imprimis ergò in loco citato dicebamus, ad meritum ex condigno requiri sanctitatem personæ merentis, id est, ipsam esse gratam Deo; & quò magis intensam gratiam habuerit, eò cæteris paribus esse actus illius magis meritorios: eadem ergò gratia requiritur ad augmentum, & quo maior fuerit gratia, eo debebitur operi maius augmentū charitatis. ¶ Deinde opus non potest esse meritorium, nisi sit liberum, ut ibidem probatum est, idem ergò requiritur, ut mediante illo charitas augeatur. Addendum vero est cæteris paribus, quò opus fuerit magis liberum, id est, effectum ab homine iusto cum maiori notitia obiecti, & volūtate magis expedita, eò esse meritorium maioris augmenti charitatis, quia est obsequium magis perfectum, & minus habens necessitatis, quæ propria est naturę irrationalis. Dixi autem cæteris paribus, quia interdū minor libertas, & indifferentia proveniūt ex magis plena cognitione bonitatis obiecti, ex abundantior gratia, & similibus circunstantijs, quæ afferre solent voluntati moralem necessitatem bene operandi, quo pacto operabatur sæpè B. Virgo Maria, & operantur Sancti, præsertim in rebus maximi momenti, & quæ ex specialissimo Dei auxilio proficiscūtur: & hic defectus libertatis non minuit, sed auget potiùs meritum, quia provenit ex maiori affectu erga bonum virtutis, & perfectiori principio operandi.

3. Tertiò in prędicto tractatu disput. 4. efficaciter probatum est, nullum actum bonum omnino naturalem esse meritoriū ex condigno augmenti gratię, & gloriæ, nisi saltèm virtualiter referretur ad finem supernaturalem medio aliquo actu libero ordinis supernaturalis, & id ipsum dicendum est requiri ad charitatis augmentū. Hæc autem relatio virtualis, non est necessariò facienda medio actu charitatis, sed sat est, si fiat medio actu libero cuiuscumque virtutis infusę, unde, ut ibidē authoritate Scripturæ, Tridentini, & ratione contra nonnullos Scholasticos probatum est, non solùm meretur iustus medijs actibus imperatis à charitate, sed etiam medijs actibus cuiuslibet virtutis infusæ, dummodo ipse, qui illos elicit, charitatis habitum habeat, sicut re vera habet quicumque iustus. Et propterea Cōcilium Lateranense, ut habetur in cap. *firmiter. de summa Trinitate, & fide Catholica. Non solùm* (inquit) *virgines, & continentes, verùm etiam cōiugata per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Lateran.

4. Quartò ex dictis suprà constat, maiorē intensionem actus, diuturnioremque conservationem valde conducere ad maius augmentum charitatis. Quibus addo pri-

mò maiorem excellentiam obiecti, cæteris paribus, conducere ad maius augmentum, quia eo ipso actus illud amplectens est melior, ac proinde maius obsequium impendit Deo, qui illum elicit. Dixi autē cæteris paribus, quia aliunde potest actus amplectens minus excellens obiectū esse ita intensus, & efficax, ut adæquet, imò superet actum, cuius obiectum est nobilius; & propterea fieri potest actus humilitatis ita intensus, & efficax ut etiā actum charitatis ualde remissum, & inefficacem superet, non quidem quoàd perfectionem physicam, sed quoàd valorem moralem in genere meriti.

5. Advertendum autem est, hanc maiorem excellentiam obiecti non semper cō sistere in ipsa quantitate perfectionis illius absolutè, sed in maiori quantitate cōparatione operantis. Cuius rei probatio, & declaratio sunt verba Christi Domini *Marc. 12* Marci 12. cūm enim turba iactaret æs in gazophylatium, & multi divites iactarent multa, cùm venisset vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, convocansque Dominus discipulos suos ait illis, ***Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plùs omnibus misit, qui miserunt in gazophylatium: omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt; hæc verò de penuria sua omnia, quæ habuit misit, totum victum suum.*** In quem locum Beda *Beda.* adductus a S. Thoma in Catena, *Deus* (inquit) ***non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat: nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.***

6. Adde secundò, difficultatē boni operis etiam conducere ad augmentum meriti gratiæ, charitatis, & gloriæ essentialis: propterea enim Christus Dominus Matthei 5. *Matth. 5.* gaudere, & exultare iubet discipulos, cùm persecutionem acerbissimā passi fuerint, *Quia merces* (inquit) *vestra copiosa est in cælis.* Et S. Augustinus tom. *S. August.* 5. lib. 14. de Civitate cap. 15. dixit, obedientiæ laudem crescere ex difficultate, ***Abraha*** (inquit) ***non immeritò magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima est imperata.*** Sancti etiam innitentes promissioni Christi Domini valde commendant statum religiosum, & magnitudinem præmij, quod illi respondet in cælis, eò quod illa perfecta rerum omnium abdicatio sit opus difficillimum. Denique probatur ratione, quia quò bonum opus est difficiliùs, eo maiorem conatum adhibet voluntas, magisque se ipsum superat iustus, ut illud exequatur; hoc autem dignum est maiori laude, & præmio apud Deum, & homines. Confirmatur, quia lōgè maioris momenti est aggredi propter Deum opus valdè difficile, v.g. subire mortem, quam elicere actum valde intensum, quo quis velit elargiri unum nummum propter Deum, sed huic maiori intensioni debetur maius præmium essentiale; ergo & illi difficultati.

Advertendum autem imprimis est, nō agi à nobis de difficultate, quæ provenit ex aliqua culpa, aut libera imperfectione, quā hic, & nunc posset iustus evitare; hæc enim omnino extrinseca est, & non arguit maiorem affectum obsequendi Deo, sed maiorem segnitiem in operante. Agitur ergò de difficultate, quam hic, & nunc non potest homo vitare, & nihilominùs se ipsum excitat, ut illam vincat. 7.

Sed obiiciet aliquis, inde inferri, maioris meriti esse ieiunium hominis denuò iustificati, qui propter intensum habitum antiquæ intemperantiæ maximam difficultatem in ieiunando patitur, quàm ieiunium viri sancti, qui diuturna ieiunandi consuetudine maximam facilitatem consecutus est. Respōdetur negando absolutè consecutionem; quia illud meriti augmentum, quod ex difficultate accrescit homini denuo iustificato, compensatur aliunde in viro Sancto, tum quia multo intensiùs operatur, tum quia ieiunium illius, utpotè personæ sanctioris valet magis apud Deū; nam, ut suprà dicebamus, maior sanctitas personæ conducit ad augmentum meriti; tum denique quia animus viri Sancti ex modo, quo nunc vult ieiunare, paratus est superare quamcumque difficultatem, quæ in observatione huius præcepti occurrere posset. Fateor tamen aliquando accidere posse, ut ieiunium hominis imperfecti sit maioris meriti, eò quòd non concurrant omnes istæ circumstantiæ in homine Sancto. 8.

Deinde notandum est, maiorem hanc difficultatem, quę ad meritum essentiale conducit, non esse desumendam ex solo opere extrinseco, sed maximè ex actu in- 9.

terno voluntatis, in quo eliciendo impéditur maior conatus, & attentio; nam fieri poteſt, ut quis ſubeat mortem pro Chriſto Domino ex voluntate minùs intenſa, quàm alter, qui aliud opus faciliùs aggreditur, ſed intenſiſſimo Dei amore inflammatus, quo medio millies oppeteret mortem, ſi occaſio daretur; & tunc ſinè dubio hic magis mereretur, quàmvis non haberet aureolam martyrij, quæ pertinet ad præmium accidentale: & ſic accipiendum eſt, quod Sanctus Thomas, & alij fortaſſe Doctores S. Thom. affirmant, ſcilicèt difficultatem operis non conducere ad maius præmium eſſentiale, ſed accidentale.

10. Adde tertiò, & ultimo, ſi cætera paria ſit, illud bonum opus, quod fit ratione præcepti, aut voti eſſe meritorium maioris augmenti gratiæ, charitatis, & gloriæ eſſentialis. Probatur, quia eo ipſo eſt opus magis honeſtum, ieiunium enim precisè acceptum pertinet ſolùm ad virtutem temperantiæ, ſi autem cadat ſub votum, pertinet iam ad temperantiam, & ſimul ad virtutem religionis; & ſi cadat ſub præceptum ſpectat ad virtutem obedientiæ; habet ergo maiorem laudē. Dixi, ſi cætera ſint paria, quia aliunde opus, quod non eſt præceptum, poteſt eſſe magis meritorium, ſi nimirùm, qui illud exequitur, habeat promptiſsimam voluntatem efficiendi illud in honorem Dei, non quia præceptum, ſed quia eſt magis gratum Deo; & ideò à viris ſpiritualibus commendatur maximè ille ſubditus, qui non ſpectato præcepto, ſed cognita ſolùm voluntate ſuperioris aliquid facit; hoc enim ipſo oſtendit promptiſſimam voluntatem exequendi præceptum, cùm etiam ſinè obligatione impleat voluntatem ſuperioris; & ideò eiuſmodi executio eſt etiam obedientia, & perfectiſsima.

11. S. Thom. Doctrinam huius diſputationis ferè totam brevibus verbis complexus eſt Sāctus Thomas in 2. diſtinct. 29. quæſtione unica artic. 4. corpore, & ea conſentanea eſt communi modo ſentiendi Theologorum, & virorum ſpiritualium.

(?)

TERTIA TRACTATUS pars de ijs, quæ ſimul cum habitu infuſo charitatis augentur.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm aucta charitate augeantur gratia, & cæteræ virtutes infuſæ, & qua proportione.



EX dictis in ſeptima diſputatione conſtat, quoties augetur gratia, augeri etiam habitum charitatis, quia á gratia dimanat, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè: & cùm eadem ratio ſit cæterarum virtutum infuſarum, utpotè etiam à gratia phyſicè profluentium, eodem modo dicendum eſt, aucta gratia, augeri omnes virtutes infuſas. Quod quidem planè colligitur ex S. Thoma 3. p. q. 89. art. 2. in fine corporis, ubi cùm dixiſſet gratiam, quæ per peccatum læthale amiſſa eſt, interdùm recuperari in magna, interdùm in exigua intenſione, addidit, *& eadem ratio eſt de virtutibus, quæ ex gratia conſequuntur;* planè ergo ſentire videtur, infuſionem, vel augmentum virtutum infuſarum eſſe omnino connexum infuſioni, vel augmento gratiæ. Et idem docet Caietanus, nec videtur de eo dubitari poſſe. 1. S. Thom. Caietan.

2. Illud autem non immeritò deſiderabit aliquis noſſe, qua ſcilicèt proportione gratia, & virtutes augeantur; an nimirùm ſemper ſint omnes iſti habitus æquales, an potiùs interdum ſit inæqualitas, & quāta. Difficultatem ex parte attigit, ſed expedire voluit Caietanus loco citato, & videtur quidem aliqua inæqualitas aſſerenda. Primò, quia habitus fidei, & ſpei augeri poſſunt, & ſolent in peccatore, ubi non eſt gratia habitualis; ponamus ergò eiuſmodi augmentum valde excreviſſe, & cùm á peccato reſurgit, accipere gratiam, & alias virtutes in gradu remiſſo, eò

quód

quòd dispositio, nempè actus cõtritionis, fuerit remissus, & gratia infundatur ad mensurã dispositionis; tunc sanè certum videtur, habitus esse inęquales, & fidem, ac spem esse intensiores gratia. Secundò, quia actus unius virtutis, v.g. humilitatis maiorem proportionẽ habet ad augmentũ habitus humilitatis, quã aliarũ virtutũ; ergo si ponamus existere modò ęquales omnes habitus infusos, & elici ab aliquo iusto actũ humilitatis, licèt gratia, & cæteri habitus augeantur, magis augebitur habitus humilitatis; ergo augmentũ virtutum omniũ non est æquale. Tertiò, quia in ente naturali, præsertim mixto viventi, licèt omnes qualitates dimanent ab una forma substantiali, præsertim ab anima, non sunt æqualis intensionis, sed vel calor est intensior, vel siccitas, vel facultates vitales; ergo licèt virtutes infusę dimanent à gratia, non omnes erunt æqualis intensionis. Confirmatur, quia consentaneum est, eas virtutes, quæ nobiliores sunt, & magis coniunctę ipsi gratię, esse magis intensas, quã alias, v.g. charitatem, & religionem magis quàm temperantiam, & sic de alijs.

3. In hac re, quę occulta est, vix aliquid certi definiri potest; probabilior tamen assertio est, inter prędictos habitus esse aliquam inæqualitatem, non autem ita in generali, & absolutè, ut rationes dubitãdi propositæ exigere videntur. Declarabitur hoc expẽdendo prędictas rationes: & prima quidem rectè probat, interdùm existere posse habitus fidei, & spei magis intensos, quàm gratiam, & cæteras virtutes: addendum tamen est, quando postea ille iustus elicuerit novos actus meritorios, quibus gratia, & virtutes eã comitãtes augeãtur, nihil augmẽti recepturos habitus fidei, & spei, donec gratia perveniat ad eã intẽsionẽ, quæ adęquetur, seu proportionetur illi gradui, in quo fides, & spes priùs excedebant; in homine enim iusto non augẽtur virtutes, nisi aucta gratia, à qua profluunt; si autem fides, & spes quoàd intensionẽ longè superent gratiã, non potest ab ista ille excessus dimanare; donec ipsa etiam intendatur, alioqui ageret suprà suam virtutem.

4. Ex quo patet ad secundam rationem; humilitas enim, & cæterę virtutes morales infusæ nunquã existunt quoàd habitum, nisi simul cum gratia sanctificante; & ideò illarum augmentũ semper fit mediante augmento gratiæ, à qua profluũt; unde sive eliciatur actus humilitatis, sive cuiuslibet alterius virtutis, perinde augebitur virtus humilitatis; solùm enim hic attenditur meritum augmenti gratię, & dispositio ad illud statim recipiendũ; hoc enim posito augentur cæteræ virtutes ad mensuram, & proportionem, qua gratia ipsa fuerit aucta.

Denique, quod in tertia ratione dubitandi affertur, vix definiri potest; quis enim sciat, num omnes habitus (pręter fidẽ, & spẽ) ęqualẽ intensionẽ habeant, an potiùs inęqualem? Illud solùm asserimus, gratię sanctificanti, quò intensior est, eò deberi virtutes magis intẽsas; & qua proportione crescit gratia, eadẽ crescere virtutes. Vtrùm autẽ ea proportio sit æqualitas arithmetica, ita ut à gratia ut unum profluant omnes vrtutes intensionis omnino eiusdem, scilicèt ut unum, an potiùs geometrica, ita ut determinata gratię intensio exigat etiam determinatam in singulis virtutibus intensionem, in una tamẽ maiorem, in altera minorem pro cuiusq; virtutis nobilitate, & propinquitate ad ipsam gratiam, occultum est, & in utramq; partem disputabile. 5.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm aucta charitate, & cæteris virtutibus infusis augeantur etiam divina auxilia actualia.



Præmittendum est ex Materia de Gratia, seu ex 1. 2. controversia 8. tract. 5. ut iustus eliciat actus supernaturales charitatis, & aliarum virtutum, non sufficere ipsos habitus, sed requiri gratiam actualem, id est divinam illustrationem, & inspirationẽ, qua ad bene agendum excitetur, & concursum ordinis supernaturalis, qui appellatur auxilium concomitans, quo Deus simul cum intellectu nostro, & volũtate efficiat actum supernaturalem. Et quidem iste cõcursus nõ impẽditur, nisi cũ iustus 1.

operatur,& eó est ille maior, aut frequétior, quò maiori intensione, aut frequentia iustus bene operatur. Solùm ergò dubitatur, an gratia excitans, seu illustrationes,& inspirationes eò frequentiores, & intensiores immittantur a Deo, quo iustus magis intensum habitum charitatis, & aliarum virtutum habet.

2. Pro parte affirmante facit, quod qui magis intensam gratiam,& habitus virtutũ habet, magis diligitur à Deo; tum quia animus eius pulchrior est ea pulchritudine, quę ab istis donis provenit; tum quia habet maius pignus hęreditatis æternæ, & ius ad maiorem gloriam; sed qui magis diligitur à Deo, uberioribus auxilijs prævenitur, ergo qui magis intensam gratiam habet, frequentioribus,& intensioribus inspirationibus excitatur à Deo. Minor probatur, quia dilectio divina, utpote efficax, operatur aliquid in eo, quem diligit; sed nihil est, quod maioris momẽti sit ad ostensionẽ huius dilectionis, quàm auxilium, quo iustus præveniatur, & roboretur; ergo qui magis diligitur, maiori auxiliorum copia ditatur. Confirmatur primò, quia iustus non potest elicere actus supernaturales sinè gratia actuali prę veniente; sed qui habet intensiores habitus virtutum, accepit à Deo vim efficiendi actus supernaturales intensiores, ergo accipit etiam intensiorem gratiam excitantem, seu prævenientem. Confirmatur secundo, quia Deus ægrè fert dona sua esse otiosa, ac proinde peculiari titulo exigit à iustis, ut exerceant habitus infusos,& illi magis,& frequentius, quibus habitus infusi sunt in maiori intensione, & perfectione, ergo ipse etiam confert frequentiores, & intensiores inspirationes ad eos habitus exercendos. Patet consequentia, quia actus magis intensus non potest elici sinè intẽsiori gratia præveniente, nec potest esse maior frequentia actuum, quàm inspirationum,& illustrationum, quibus ad eos eliciendos iustus excitetur.

3. Dicendum tamen est, maiorem, & intensiorem gratiæ excitantis copiam, aut frequentiam non esse adstrictam maiori intensioni gratiæ sanctificantis, & aliorum habituum infusorum. Probatur, quia negotium prædestinationis divinæ maximè pendet ab hac multitudine, frequentia, intẽsione, & efficacitate gratiarum actualium quibus prævenimur ad prosecutionem boni,& fugam mali; sicùt enim teste Tridentino sess.6.c. p.5. *ipsius iustificationis exordiũ in adultis a Deo per Christum Iesum præveniente gratia sumendum est*, ita huius iustificationis cõsecutio,& ad finẽ usque vitæ conservatio ad eandẽ gratiam maximè referri debent: ut enim eleganter Marcus Papa Sancti Sylvestri successor in epistola ad Anastasiũ, quę legitur to.1.Con.il.& lib.3.Concilij Nyceni, *Omnia incrementa probabilium studiorum,& in eis usque ad finem perseverantia, atque bonæ voluntatis incrementa ad Christi gratiam semper sunt referenda*: & hæc inspirationum copia est, *illud quotidianum adiutorium, quo indigemus ad vincendas carnis concupiscentias, & perseverandum in bona conversatione*, ut loquitur Cælestinus Papa in epist. 1. ad Episcopos Gallię cap.6.to.1. Concil. Tridẽnt. Marcus Papa. Cælestinus Papa.

4. Ex quo infertur, cùm perseverantia in bono usque ad finem vitę,& consequẽter donum prædestinationis divinę non sit adstrictũ maiori intensioni habituũ, sed electioni gratuitę Dei, qui ut ostenderet divitias gratię suæ, elegit vasa misericordiæ, quę pręparavit in gloriam, efficacitatem etiam intensiorem, & multitudinẽ gratiarum excitantium non esse adstrictã maiori gratię intensioni, sed divino beneplacito.

5. Confirmatur, & declaratur hoc ampliùs exemplis ex Scriptura desumptis; etenim Saulus non solum, cũ nõ esset iustus, sed cũ spiraret minas,& cædẽ in discipulos Domini, mira gratiæ excitantis luce perfusus est,& ita efficaciter vocat', ut ex persecutore Christi Domini repente redderetur amicus,& defensor fidelissimus; multi autẽ iusti sunt, quibus tã intẽsa,& efficax illustratio, aut inspiratio nũquàm immittetur; & id ipsum perspicuè cernitur in Magdalenę, Latronis,& aliorum conversione: sunt prætereà nonnulli iusti, qui ita frequenter, & intensè à Deo vocantur ad bonum, ipsis quodammodo etiam renitentibus, ut de illis verissimé dici possit, quod Regius Psaltes in Psal.22. cecinit, *Misericordia tua subsequetur me*, sive ut alia lectio habet, *persequetur me omnibus diebus vitæ meæ*; cùm tamen alij non ita frequenter à Deo Psal.22.

vocentur:

vocentur: atque hùc spectat parabola Domini Matthæi 20. in qua Paterfamilias non minorem mercedem retribuit ijs, qui undecima hora venerant ad excolendam vineam, quàm ijs, qui portaverant pondus diei, & æstus, quia nimirùm sunt nonnulli iusti, quibus Deus minùs gratiæ actualis confert, & ita in longo tempore non multum laborant, id est, non multa, & magna merita sibi comparant; alij verò, quos Deus prævenit benedictionibus dulcedinis suæ, ita ut brevissimo tempore multum lucrentur, nec propterea ulli irrogatur iniuria, quia in ijs, quæ omnino gratuita sunt, potest princeps absque vitio acceptionis personarum dona conferre pro libito, prætérquam quod hæc inæqualis gratiarum excitantium divisio non sinè magno consilio, licèt nobis occulto, facta est, & illius rationes in cælo beati conspicient. Vide dicta in Materia de Prædestinatione, seu 1. part. controvers. 4. tract. 9.

Matt. 20.

6. Declarabitur, & roborabitur assertio respondendo ad rationem dubitandi: cõcessa ergò maiori, distinguenda est minor; dupliciter enim diligitur aliquis à Deo, uno modo dilectione, quæ est amor amicitiæ, & qui sic diligitur, accipit à Deo gratiam, ius ad gloriam, & auxilia ad hanc gratiam conservandam sufficientia; & præterea, qui hoc modo magis amatur, maiorem gratiam sanctificantem, & ius ad maiorem gloriam recipit, sed non semper maiora auxilia, quia hæc non sunt ita connexa gratiæ sanctificanti, ut ea crescente crescant necessariò: altero modo diligitur aliquis à Deo dilectione specialis benevolentiæ, ut re ipsa gloriam consequatur, & à maioribus periculis præservetur; & effectus huius amoris sunt gratiæ excitantes tantò frequentiores, & efficaciores, quantò certiùs, & faciliùs vult Deus illum ad beatitudinem perducere, & à periculis liberare. Ex quo patet ad probationem minoris; non enim semper est effectus illius prioris dilectionis maior copia auxiliorum actualium, sed maior gratia habitualis, & ius ad maiorem gloriam.

7. Ad primam confirmationem negatur consequentia, quia qui intensiorem habitum habet, potest etiam cum minùs intensa gratia excitante elicere actum intensiorem eo, quem elicit, qui minùs intensum habitum accepit.

Ad secundam confirmationem respondetur; duplicem esse voluntatem in Deo, unam omnino efficacem, alteram antecedentem, quæ non est omnino efficax: prior quidem semper sortitur effectum, sed mediate illa non vult Deus, ab omni iusto habente habitum intensiorem elici actus frequentiores, & intensiores, alioqui semper ita accideret; quod esse falsum, satis constat ex dictis. Posterior autem voluntas non semper sortitur effectum, & mediante illa, eatenùs vult Deus plures, & intensiores actus elici ab homine iustiori, quatenùs infundit illi principium magis perfectum horum actuum, & si ipse non apponeret impedimenta peccatorum venialium, & sicùt oportet peteret à Deo, acciperet uberiora auxilia, quàm re ipsa habet, & quàm habeant saltèm multi alij iusti, quorum habitus non sunt ita intẽsi. Hoc tamen semper est intrà limites à divina providentia præstitutos; quia ut in disputatione tertia probatum est, singulis præfixit Deus certum numerum, & efficacitatem inspirationum, quem excedere non possunt; & si contingat, ut semel, & iterũ accidit, homini minùs iusto præstitutum esse à Deo maiorem numerum inspirationum, & magis intensarum, non poterit alius iustior illum obtinere. 8.

In fine disputationis adverte, licèt absolutè verum sit, numerum, & efficacitatem maiorem inspirationum, & illustrationum non esse adstrictum maiori gratiæ habituali, nihilominùs fortè esse certam quandam proportionem inter gratiam habitualem, & excitantem, ita ut maiori gratiæ debeantur quodammodo frequentiores, & intensiores inspirationes, nisi homo apponat peculiare impedimentum sua tepiditate: suprà hanc verò proportionem solet Deus addere sæpè multò plures inspirationes homini minùs gratiæ sanctificantis habẽti, quàm alteri magis Sancto; ita ut absolutè loquendo ille habeat plures, quàm iste; imò peccator plures, quàm amicus, ut dictum est. 9.

DISPVTATIO XIIII.

Vtrùm habitus fidei, & spei augeri possint, & soleant non aucta charitate, & quomodo.

1. Ræmittendũ est ex dictis in Materia de Fide, seu in 1. controv. tract 13. tanquã omnino certũ, fidẽ existere posse in peccatore, quãvis gratiã sanctificantẽ non habeat; quod nõ solùm de actu, sed etiã de ipso habitu infuso intelligendũ esse ibidẽ probabatur: & præterea cũ S. Thoma, Caietano, & alijs contra Vegam monstratũ est, ipsum habitũ fidei infundi posse, & solere hominibus, qui ad fidẽ convertuntur, licèt non habeant requisitã dispositionẽ, ut statim gratiam sanctificantem consequantur. Quod autem de fide dictum est, de habitu etiam spei dictum intelligatur: est enim eadem omnino ratio, de quo in Materia de Spe tract. 2. disp. 3.

2. Ex qua doctrina inferri planè videtur, habitus fidei, & spei augeri posse in peccatore, ac proinde sine augmento charitatis; est enim eadem ratio primæ infusionis, & augmenti, quarè si disponi potest homo, ut fidẽ, & spẽ accipiat, quamvis nõ disponatur ad gratiã, & charitatẽ, disponi etiã poterit ad augmentũ fidei, & spei, licèt non consequatur augmentum charitatis. Et sanè cùm peccator fidelis possit diù, & frequẽter se exercere in eliciendis actibus fidei, & spei, non videtur credibile, nullum harum virtutum augmentum ab eo recipiendum fore.

3. Superest ergò expendenda difficultas, quibusnã actib', & qua proportione prędicti habitus in peccatore augeatur, & an statim hoc augmentũ cõferatur. Aragon in hac q. art. 5. difficult. 3. post 4. conclus. §. *Advertendũ secundò est.* & Zumel 1. 2. q. 114. art. 8. disp. 3. obiect. 1. ex ijs, quas in fine affert, & disp. 4. conc. 4. existimant, fidẽ, & spẽ in peccatore solũ augeri medijs actibus intẽsioribus, & solũ quoad eũ gradũ, in quo actus excedit habitũ; itaq; si quis habeat habitũ fidei ut sex, & eliciat actũ ut septẽ, solùm unus gradus addetur habitui. Fundamentũ, cui prędicta opinio nititur est, in peccatore non posse augeri habitus meritoriè, sed solũ intuitu dispositionis; actus autem, qui non est intẽsior habitu, non est dispositio ad eius augmẽtum; non ergo augetur, nisi medio actu intẽsiori, & quoad eum gradum præcisè, in quo actus evadit intensior.

Aragon. *Zumel.*

4. Gabriel vero in 4. dist. 14. q. 3. art. 3. dub. 3. in universum affirmat, omnem habitũ, qui augetur medio actu intenso, augeri etiã medio actu remisso; unde cum fides, & spes iuxta dicta augeantur medijs aliquibus actibus saltem intensioribus, augebuntur etiam secundùm Gabrielem medijs remissioribus: & idem fortasse sentiunt nonnulli recentiores, qui suprà docuerunt, habitum charitatis statim augeri medio quocumque actu, quantumcumque remisso; & in eius rei confirmationẽ adduci potest, quod actus fidei, & spei nõ augent habitũ effectivè, sed solũ ex merito de cõgruo, sicut actus charitatis meretur augmentũ sui habitus ex condigno; sed quilibet actus charitatis meretur augmentum charitatis, ergo quilibet actus fidei, aut spei augmentum sui habitus, ergo cũ nihil sit, quod obstet quominùs hoc augmentum statim conferatur, dicendum est, statim augeri. *Gabriel.*

5. In hac difficultate dicendũ est, augmẽtum habituum fidei, & spei in peccatore fieri eadẽ proportione, qua augmentum charitatis in homine iusto, & solùm esse discrimẽ, quod charitas augetur ob meritũ cõdigni, fides verò & spes in peccatore ob meritũ cõgrui. Assertio cõplectitur varias partes, quę singillatim explicandę, & probandę sunt. Prima est, cùm elicitur actus fidei intẽsior habitu, ille meretur ex cõgruo augmentum habitus, quia posito quòd peccator sit capax huius augmẽti, ipse actus fidei est optima dispositio, quã congruũ est attendi à Deo, ut habitũ augeat, quod sufficit ad meritum congrui: rursùs hoc augmentum statim confertur, quia nullum est impedimentum, sed potiùs servata proportione non minùs congruum est augeri statim habitum fidei elicito actu fidei intẽsiori, quàm augeri habitũ charitatis medio actu intẽsiori, de quo in disp. 7. dictũ est: unde sicut ibidem

dicebamus, habitum charitatis augeri secundùm totam latitudiné meriti, quæ in actu reperitur, & non solùm secundú gradú, in quo habitum excedit, dicendú etiá est, habitum fidei augeri quoád totam latitudinem meriti ex congruo, quod in actu fidei intensiori reperitur.

6. Secunda pars assertionis est, etiamsi actus fidei non sit intensior habitu, eo ipso quod adæquet intensioné eius, augeri statim ipsum habitum. Probatur, quia ille actus est meritorius augmenti habitus ex congruo, & alioqui est optima dispositio, ut statim hoc augmentum conferatur; facit enim fidelis peccator, quidquid medio habitu potest exercédo omnes vires, & efficacitatem illius; congruú igitur est, ut eiusmodi augmentú nó differatur. Vide dicta in disp. 8. dum probaremus eo ipso quod iustus eliciat actum charitatis adæquatum suo habitui, statim recipere augmentum, applicari enim rei propositę omnino possunt. Quarè non est firmum fundamentú opinionis Zumelis, & Aragonis; nulla enim ratione probari potest, actú, qui non est intensior habitu fidei, non esse sufficienté dispositioné, ut habitus ipse augeatur; licèt enim habitus naturalis non nisi ab actu intensiori augeatur, id ex eo provenit, quod habitus efficiatur ab actu; habitus verò infusi, cùm non nisi à Deo infundantur, non exigunt actum intensioré, sed illum, qui adæquet efficacitatem illorum modo dicto in simili, in ea disput. 8.

7. Tertia assertionis pars est, si actus fidei sit remissior habitu, meretur quidem ex congruo novum gradum habitus; sed ille non confertur à Deo, donec fidelis sufficiéter disponatur eliciédo actú æquè, aut magis intensum. Vniversa hæc doctrina explicáda, & probanda est eo modo, quo in disp. 9. & 10. probavimus, iustos medijs actibus remissioribus mereri quidé novú augmentum gratię, & charitatis, sed illud nó conferri, donec eliciatur actus æquè, aut magis intensus; est enim eadé ratio cú eo solo discrimine, quod actus charitatis mereatur ex cōdigno, actus verò fidei in peccatore, non nisi ex congruo.

8. Dices, cótingere posse, ut eiusmodi fidelis, qui plures actus fidei remissiores habitu elicuit, nunquá in hac vita habeat actum æquè, aut magis intésum; ac proinde nunquá recipiat illud augmentum habitus, quod ex congruo meruit; nam in altera vita illud recipere non potest, cùm iam fidem non habeat. Respondetur, immediaté post mortem eliciendum esse ab anima illius, si iustus mortuus fuerit, actú valde intensum; & tunc illud augmentú recipiet, quia adhùc retinet habitus fidei, & spei, cum scilicèt in purgatorio detinetur. Quòd si ponas illum in altera vita nihil habere purgandum, ac proinde statim ad Dei cóspectum evolare, cum quo fides, & spes esse non possunt, concedendum erit nunquàm ab eo homine recipi tale augmentum; id tamen esse accidentarium, quia nimirùm nunquàm habuit sufficientem dispositionem in hac vita, & in altera accepit statim beatitudinem, quæ fidem excludit: & idem dicendum est, si eiusmodi peccator fidelis in peccato moreretur, cùm enim statim post mortem ad inferos detrudatur, non accipiet in altera vita illud augmentum habituum fidei, & spei; damnatus enim non habet fidem infusam, aut spem.

In fine huius disputatinnis obiter notandum est, cùm habitus spei supernaturalis non possit esse in peccatore sinè habitu fidei, bene tamé hic sinè illo, nunquá augeri posse habitum spei, quin augeatur habitus fidei; ac proinde illos actus, qui fuerint dispositio ad augendam spem, consequenter disponere ad augmentum fidei; non tamen quoties quis disponitur ad augmentum fidei, disponi ad augmétum spei; itaque actibus spei, quibus augetur eius habitus, augetur etiam fides; actibus verò fidei, quibus fides augetur, non accipit spes aliquod intrinsecú incrementum. 9.

DISPVTATIO VLTIMA.

Vtrùm charitas benè dividatur in incipientem, proficientem, atquè perfectam.



Ac brevi & facili disputatione concludimus difficilem, & longum tractatum de augmento charitatis. S. Thomas in art. 8. rectè distinguit 1. S. Thom.

ſtinguit duplicem modum, quo charitas poteſt eſſe perfecta, prior eſt, ex parte obiecti formalis diligibilis; & ſic ſola charitas, ſeu amor, quo Deus ſe ipſum diligit, perfectus eſt, quia ſolus Deus ſe ipſum diligit, quantùm diligibilis eſt: & in hac veluti adæquatione amoris ad Deum amatum conſiſtit prior modus perfectionis. Poſterior eſt, ex parte diligentis: & ſic illa charitas dicitur perfecta, ratione cuius aliquis amat Deum, quantùm poteſt attentis viribus gratiæ, quibus Deus voluntatem creatam roborare voluit.

2. Ex quo patet, ſaltèm charitatem beatorum eſſe perfectam, quia ſemper actu diligunt Deum, quantùm poſſunt attentis viribus gratiæ: unde Proverb. 4. dici-
Prov. 4. tur, *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem*, id eſt, uſquè ad viſionem clarã Dei in patria, ubi charitas perfectionem conſecuta eſt; ſic enim explicat S. Gregorius
S. Gregor. homil. 5. in Ezechielem, *Ad perfectum* (inquit) *diem tunc veniunt, quando ad regna cæleſtia perducti, in ea luce, quam deſiderant, iam minus aliquid non habebunt.*
Beda. & Beda lib. 1. in Proverb. tom. 4. *Iuſtorũ opera in luce ſcientiæ peraguntur, & æternam ducunt ad vitã, quæ eſt perfecta dies*, dubitabitur ergò, an etiam in via conſequi poſsint, & ſoleant iuſti perfectionem charitatis.

3. Pro parte negante facit primò, quod Apoſtolus Paulus perfectionem nõ fuerat conſecutus ad Philippenſes 3. *Non*
Thilipp. 3 *quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim.* Nullus ergò alius affirmare audebit ſe illam conſecutum fuiſſe, & 1. Ioan. 4.
1. Ioan. 4. *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem;* in hac autem vita omnes timent peccatum, & eorum pœnas, nullus ergo habet perfectam charitatem. Tertiò, charitas in hac vita ſemper poteſt magis, ac magis augeri, ut in prima parte huius tractatus dictũ eſt; ergo nunquàm attingit perfectionem; alioqui non progrederetur ulterius.

4. Pro parte verò affirmante non ſunt minùs efficacia argumenta; 1. Ioan. 4. *Si*
1. Ioan. 4. *diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt*; ſed plures ſunt in hac vita qui ſe invicem diligunt, ergo: deinde in alijs locis invitamur in hac vita ad perfectionem, Mat-
thæi 5. *Eſtote perfecti.* Geneſis 17. *Ambu*- Matth. 5.
la coram me, & eſto perfectus 2. Corinth. Gen. 17.
13. *Perfecti eſtote.* Deniquè aliquos iam 2. Cor. 13.
perfectos agnoſcit Apoſtolus ad Philip. Philip. 3.
3. *Quicumque ergò perfecti ſumus, hoc ſentiamus.*

Vt hæc teſtimonia concilientur, & ſimul veritas declaretur, diſtingui oportet 5.
duplicem perfectionem charitatis ex parte ipſius diligentis; unam, quæ in eo poſita eſt, quod iuſtus ſemper actu diligat Deum toto conatu ipſi poſsibili attentis viribus gratiæ, nihilque faciat, aut facere poſsit, quod charitatem deſtruat, aut certè fervorem diminuat: & hæc propria eſt ſolius beati, ac proinde nullus in hac vita charitatem perfectam habet iuxta hanc acceptionem. Alteram, quæ in eo conſiſtit, quod homo ſaltem anteponat Deum omni bono creato, nec violet ullam divinam legem in materia gravi; & hæc perfectio eſt intrinſeca, atque eſſentialis charitati, quam dum homo habet, nunquàm læthaliter peccat, ſed Deum rebus omnibus anteponit. Et iuxta hanc acceptionẽ charitas cuiuſcumque iuſti perfecta eſt; quamquam habere poteſt additamẽtum perfectionis accidentalis, prout mediante illa iuſtus magis adhæret Deo, & recedit ab amore creaturarum.

Attenta ergo hac accidentaria perfe- 6.
ctione rectè diſtinguit S. Thomas in art. S. Thom.
9. tres gradus habentium charitatem, quidam enim dicuntur incipientem charitatem habere, eò quòd potiſsimùm inſiſtant in evellendis pravarum inclinationum ſentibus, & vitandis peccatis læthalibus, & venialibus gravibus, præſertim ſi ex plena deliberatione committãtur. alij habent charitatem proficiẽtem, eò quòd potiſsimùm incumbant in ſtudium augẽdi virtutes: alij deniquè habent charitatem perfectam, eò quòd potiſsimùm ſtudeant adhærere Deo, & eius ſuaviſsima præſentia, atquè colloquio ſrui, quantùm patitur conditio noſtræ mortalitatis; & in idem redeunt illi tres ſtatus, quos viri ſpirituales diſtinguunt, ſcilicèt viam purgativam, quæ reſpondet charitati incipiẽti; illuminativam, quæ proficiẽti; & unitivã, quæ perfectæ charitatis propria eſt.

Ex dictis patet, quid convincatur teſtimonijs pro parte affirmante adductis. Primum perſuadet in hac vita obtineri à

iuſtis

iustis perfectionem essentialem charitati. Secundum, tertium, & quartum accipiēda sunt de ijs gradibus perfectionis accidentalis, præsertim de secundo, & tertio, quos diximus convenire posse charitati in via: quintum denique de ijs, qui charitatem habent, & in prædictis eius gradibus proficere student.

8\. Quod verò attinet ad ea, quæ pro parte negante adducta sunt, facile expediri potest; imprimis Apostolus fatetur, se nō habere, dum viator est, perfectionē charitatis patriæ: deinde testimonium Ioannis tripliciter explicatur, ut retuli in secunda controversia tract.3.disp.4. imprimis, ut sensus sit, charitatem, cum valde fervens est, excludere timorem servilem, non filialem. Sic S. Augustinus in Psal. 18. & in Psalm.127. deinde, ut solùm excludatur sollicitus, & mundanus timor pœnarū, quas pro Christi Domini amore contemnere, & libenter perpeti debent fideles Christi servi, sicut re vera multi contemnunt, & libenter sustinent. Sic S. Ambrosius, S. Augustinus, & Tertulianus apud Vegam 6. in Tridentinum cap. 25. Denique ut solùm significetur, ab hominibus insignis charitatis vix timeri diē iudicij, ut enim idem Apostolus ibidem ait, *in hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij.* Constat ergo non negari ab Apostolo Ioanne, charitatem in hac vita esse posse aliquo modo perfectam, sed disertis potiùs verbis affirmari, quamvis maneat cum ea timor filialis culpæ & pœnæ, nō quia pœna est, sed quia nos separat à Deo, & culpam supponit.

S. August.

Vega.

9\. Ad tertium denique argumentum respondetur charitatis perfectionem in altera vita in eo consistere, quod augeri nō possit, in hac vero via solum requiri ad eius perfectionem id, quod explicatum est.

COMMENTARIVS IN articulos decimum, undecimum, & duodecimum.

IN art.10. negat S.Thomas propriè, & directè diminui posse charitatem, affirmat verò posse impropriè diminui, quatenùs qui peccat veniàliter, vel ab exercitio charitatis cessat, disponitur ad eius corruptionem. In articulo undecimo docet, charitatem viæ amitti posse: non autē charitatem patriæ. In duodecimo, charitatem destrui quovis peccato lethali.

TRACTATVS IIII.

De causa diminuente, & destruente supernaturalem habitum charitatis.

DISPVTATIO I.

Vtrùm charitas amitti possit, & reipsa amittatur?



Calvinus, ut refert Cardinalis Bellarminus tom.3. li.3. de Iustificatione cap. 14. non solùm contra Catholicos, sed etiam contra plerosquè Lutheranos, & alios hæreticos existimavit, iustitiam, ac proinde charitatem, quæ nunquàm ab illa separatur, non posse amitti; & si aliqui interdum eam amitere videantur, credendum potiùs esse, nunquàm illam habuisse. Quem errorem multis retrò sæculis docuerant Iovinianus, & Pelagius, ut author est S. Augustinus to.6. lib.de Hæresibus, quatenus ille dicebat, hominem, accepto baptismate, non posse peccare; hic verò vitā iustorum in hoc sæculo nullum habere peccatum: constat autem gratiam, & charitatem amitti non posse nisi in pœnā peccati. 1. *Calvinus. Bellarm.* *Iovinian. Pelag. S August.*

Suaderi videtur hic error nonnullis testimonijs Scripturæ Cant.8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem:* cui consonat illud Apostoli ad Romanos 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, nec creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* 1.Corinth.13. *Charitas nūquàm excidit.* Ioan.4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum,* 2. *Cant. 8.* *Rom.8.* *1.Cor. 13. Ioan. 4.*

num sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: ubi sermo est de spiritali potu cœlestis gratiæ, & charitatis. 1. Ioan.
1. Ioan. 3. 3. *Qui natus est ex Deo* (scilicèt per gratiam, & charitatem) *non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*; ergo nec amittere gratiam, seu charitatem, quam solùm peccatum excludit: & ibidem cap. 2. *Si fuissent ex nobis* (scilicèt per gratiam) *mansissent utique nobiscum*, id est charitatem, qua nobis coniunguntur, non amisissent, ut Ioann. 10. scriptum est; *Oves*
Ioan. 10. *meæ vocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu Patris mei.*

Dico tamen primò: charitas viatorum
3. amitti potest, & re ipsa amitti solet. Assertio secundùm fidem certa est: eam am-
S. Thom. plectuntur S. Thomas, & illius interpretes in art. 11. atque omnes Catholici Do-
Magist. ctores cum Magistro in 3. dist. 31. & alibi. Probatur primò testimonijs Scriptu-
Ezec. 18. ræ Ezechielis 18. *Cùm averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis:* iustitia autem idem est, quod gratia cum fide, spe, & charitate; potest ergó secundùm Scripturam averti homo iustus à charitate, seu quod idem est, illã
Matth. 24 amittere. Matthæi 24. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, id est, extinguetur, aut amittetur; propterea enim subditur, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus e-
Galat. 5. rit. Ad Galatas 5. *Evacuati estis à Christo, à gratia excidistis.* & ad Hebreos 6.
Hebr. 6. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, &c.* labi ergo possunt iusti, & amittere gratiam priùs acceptam.

Secundò probatur exemplis ab ipsa
4. Scriptura petitis, in qua fit mentio de varijs iustis, qui aliquando prolapsi sunt, ac proinde divinam amicitiam, & charitatẽ amiserunt: nam Lucifer, & eius sectatores, cùm in gratia, & charitate conditi essent, ut 1. p. controversia 7. ostendi, ab illa exciderunt peccando. Nostri primi parentes, iustitiam, in qua à Deo constituti fuerant, perdiderunt, de quo in 1. 2. controver. 6. de Peccatis. David, Salomon, Iudas, Sanctus Petrus, & alij aliquando fuerunt iusti, quorum tamen lapsum, & consequenter amissionem charitatis Scriptura commemorat.

Tertiò, ut alia Patrum testimonia prætereamus, probatur authoritate Concilij **5.**
Tridentini, quod in sess. 6. cap. 14. *Qui ab* **Trident.**
accepta (inquit) *iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt:* & cap. 15. ait, *Quocumque peccato mortali amitti gratiam iustificationis:* idem supponitur cap. 16. & can. 23. *Si quis hominem semel iustificatum, dixerit, ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere, anathema sit.*

Quartò tandem in huius rei declarationem optimo discursu utitur S. Tho- **6.**
mas in art. 11. ex quo breviter desumitur **S. Thom.**
ratio: etenim licèt charitas secundùm suã inclinationem considerata non possit amitti, id est, nihil efficere possit, quo se ipsam destruat, ut patet, & similiter licèt attenta Spiritus Sancti motione, quæ ad amandum Deum inclinat, amitti charitas nequeat, quia eo ipso, quod Deus efficaciter inclinet ad amorem sui, non potest in sensu composito effici aliquid huic amori contrarium: attenta tamen natura subiecti, in quo recipitur charitas, nempè voluntatis creatæ, quæ defectibilis est, potest charitas amitti in hac vita, quia potest, qui illam habet, averti à bono divino, & efficere opus contrarium charitati. Cõfirmatur, quia viator potest, & solet peccare læthaliter, ergo potest, & solet amittere charitatem, quæ cum illo est incompatibilis, ut patebit disputatione sequente.

Dico secundò: Charitas patriæ, nec quoàd habitum, nec quoàd actum amitti **7.**
potest. Sic S. Thomas, & interpretes eius **S. Thom.**
suprà, reliquique Doctores. Et quidem habitus charitatis de lege cõmuni amitti non potest sinè culpa læthali; beatus autem non solúm læthaliter, sed nec venialiter peccare potest, ut probatur in Materia de Beatitudine; actus verò, cùm sequatur necessariò visionem Dei, non est in potestate beati illum cohibere; aliunde autem Deus non cohibet, sed potiùs vult, illúm amoré nunquàm cessare; quarè licèt ex absoluta potentia non repugnet destrui à Deo in patria habitum, aut actũ charitatis, certissimum est, id nunquàm esse facturum; & ita absolutè verum est, charitatem patriæ amitti non posse.

Oportet auté breviter explicare duas **8.**
rationes, quibus S. Thomas in artic. 11.

probat

probat istam assertioné, redditque simul discrimen inter charitatem viæ, & charitatem patriæ; prior est, illa forma, quæ explet totam sui subiecti capacitatem, nō potest amitti, bene tamen illa, quæ totam capacitatem non replet; sed charitas in patria replet totam capacitatem sui subiecti, nempè voluntatis, non autem in via; ergo charitas in patria amitti non potest, bene autem in via. Maior patet, quia eo ipso quod forma expleat totam capacitatem subiecti, non restat aliquid explendum ab alia forma, ac proinde cessat finis habendi aliam; & cùm forma præexistés nunquám amittatur, nisi ob inductioné alterius, fit planè, eam amitti non posse; & propterea forma cæli non potest corrumpi, quia omnino explet materiæ cælestis capacitatem. Minor probatur, quia eo ipso, quod beatus intueatur Deum ut eū in se, non potest eius voluntas nō ferri in tam excellens bonum toto conatu ipsi possibili iuxta quãtitatem habitus, & auxilij divini; undè perfectè possidetur ab amore divino, etiam actuali, perinde ac si alia forma illi incompatibilis existere non posset: in via autem non habet charitas tantam perfectionem, sed potiùs indifferens manet voluntas, ut erga bona sensibilia charitati contraria afficiatur, ac proinde ut eliciat actum peccati, quo charitatem amittat.

9. Posterior S. Thomæ ratio est; Charitas patriæ inclinat voluntatem in summū bonum, quod clarè videtur, non autem charitas viæ; ergo illa amitti non potest, hæc verò potest. Antecedens patet: consequentia probatur, quia habitus eatenùs inclinat aliquam potentiam ad agendum, quatenùs facit, ut obiectum talis actus appareat bonum; sed charitas in patria facit, ut Deus non appareat, nisi summè bonus, nec aliquid contrarium Deo videatur dignum absolutè aliquo amore, in via autem non ita proponitur bonitas Dei, ut sæpè non occurrant obiecta mala, quorum bonitas absolutè alliciat voluntatem; ergo charitas in patria amitti non potest, bene tamen in via. Patet consequentia, quia charitas non amittitur, nisi quia amatur aliquid contrarium summę bonitati.

10. Advertendum est, cúm Sanctus Doctor ait, habitum voluntatis, eatenùs inclinare ad operandum, quatenùs facit, obiectum videri bonum, non significare ipsum habitum esse, qui formaliter, aut effective præstat eiusmodi cognitioné, quia habitus voluntatis, nec est cognitio, nec efficit cognitionem obiecti: docet ergò, cùm voluntas mediante habitu, & actu valde propendet in aliquod obiectum, inclinare simul intellectum (ob naturalem harum facultatum connexionem) ut in obiecto ipso consideret rationes boni: sic enim recte dici solet, piam voluntatis affectionem esse magni momenti, ut intellectus iudicet bonum, & verum esse illud, erga quod affecti sumus; cùm ergò voluntas tanto affectu feratur in Deum medio actu charitatis in patria, id ipsum valde iuvat, ut intellectus nullius momenti æstimet esse bona sensibilia Deo contraria; unde fit, voluntatem non affici erga illa, ac proinde non amittere charitatem: secus vero accidit viatoribus, qui nō ita erga Deum affecti sunt.

Testimonia, quę pro hæreticorum errore adducta sunt, facilem explicationem habent: & primi quidem sensus est, tantam esse charitatis efficacitatem, ut nullæ tribulationes eam destruere possint, si iustus qui illam habet, nolit succumbere, sed cum divino adiutorio resistere; secùs vero si ipse pati velit, ignem divini amoris extingui aquis peccatorum: idem ferè est sensus secundi testimonij. In tertio contendit Paulus, charitatem, quantùm ex ipsa est, nec in hac, nec in futura vita defecturam; secùs si quis voluntate sua illam perdat. In quarto significat Dominus, gratiam, & charitatem in eo, qui voluntarie illam non perdat, sufficere ad extinguendam sitim æternæ damnationis, & ad tribuendam in hac vita spiritualem satietatem. Quintum testimonium significat, dum iustus in gratia, & charitate permanet, non posse peccare lethaliter, quia quodvis mortale excludit gratiam, & charitatem; non verò probat, impossibile esse iustum peccare, & peccando cadere ab amicitia, & charitate. In sexto, sermo est de hæreticis occultis, quorum hæresis tãdem manifestatur, & tunc à Catholicorū consortio proijciuntur; *Ex nobis* (inquit Ioannes) *prodierunt*, quia nobiscū convivebant, *sed non erant ex nobis*, quia veram fidem non habebant; si enim eam 11.

habuissent

habuissent firmam, & constantem, sicùt non deficerent ab ea, ita nec à nostro cõsortio separarentur. In ultimo, S. Augustinus ibi ait, sermonem esse de prædestinatis, qui non perseverabunt usque in finem in peccato, nec damnabuntur, quod certissimum est, sed non propterea non poterunt aliquando peccare, & charitatem amittere, quam posteà recuperabunt.

DISPVTATIO II.

Vtrùm quodlibet mortale peccatum destruat charitatem, nullum verò veniale.

1. *Lutherus. Valenc. Baius.* Lutherus, ut refert Valencia q. 2. p. 4 in fine existimavit, gratiam, seu charitatem solùm amitti propter illud peccatum, quo quis non certò credat se esse iustum. Et Michael Baius damnatus in Bulla Gre-
Greg. 13. gorij XIII. infrà referenda docuit, veram charitatem esse posse simul cum peccato læthali.

2. Certa tamen Catholicorum doctrina est, charitatis habitum destrui quocumque peccato læthali, nullo autem veniali: & quidem in 1. 2. controversia 6. seu in Materia de Peccatis, tract. 2, latè ostendimus, hoc esse discrimen inter peccatum veniale, & mortale; quod illud suaptè natura compatitur divinam amicitiam, ac proinde habitualem charitatem; hoc verò illam omnino excludat: nunc autem solùm breviter afferenda sunt nonnulla, quibus convincitur, charitatis habitum excludi à quolibet peccato mortali. Imprimis Iacobi 2. *Quicũq; totã legẽ*
Iacobi 2. *servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, id est, constituitur absolutè, & simpliciter transgressor legis, ac proinde inimicus Deo, & æterno dignus supplicio, qui in quavis materia, vel unam culpam gravem commiserit. Et 1. Co-
1. Cor. 6. rinth. 6. excluduntur à regno Dei, ac proinde à gratia divina non solùm, qui contra fidem peccãt, sed etiam multi alij ob alia crimina. Nec opus est hic disputare contra ridiculam illam Lutheri fidem, quia alibi tanquàm in proprio loco ex Scriptura revincitur, & manifestis Patrum testimonijs, ac rationum momentis. Vide dicta in 1. 2. controversia 8. tract. 7.

Secundò probatur eadem veritas authoritate Ecclesiæ, nam Tridentinum 3.
sess. 6. cap. 15. ait, *Quolibet peccato lethali destrui gratiam iustificationis*, ac proin *Trident.*
de charitatem; & can. 27. anathematis notam inurit asserentibus, nullo alio, quã infidelitatis peccato amitti charitatem. Gregorius etiam XIII. in Bulla quadam edita contra Michaelem Baium damnat *Gregor. 13*
errores illius, quorum unus erat, *Charitatem compati solere aliqua peccata lethalia;* refertur hæc Bulla ab alijs, quia ad manus meas non pervenit.

Tertiò probatur ratione S. Thomæ in 4.
art. 12. quia homo mediante charitate *S. Thom.*
subijcitur Deo omnino anteponendo illius amicitiam, & observantiam divinę legis in materia gravi cuicumque alteri rei; sed quicumque peccat læthaliter, amittit hanc subiectionem, & anteponit bonum commutabile divinæ amicitiæ, & observantiæ divinæ legis; ergo amittit habitũ charitatis. Probatur consequentia, quia licèt habitus naturalis non illico destruatur uno actu contrario, eò quòd per se pédeat à subiecto naturali, & Deus illum conservet ut causa universalis, habitus verò charitatis infusus, quoniam peculiarissimo titulo dependet à Deo, ut ab agẽte particulari illum infundente, & conservante, suaptè natura petit destrui, quoties ipsi Deo anteponitur bonum creatum. Confirmatur, quia id, quod reddit hominem absolutè inimicum Deo expellit habitũ charitatis; sed quolibet mortale reddit hominem absolutè inimicum Deo; ergo quodlibet mortale expellit habitum charitatis. Minor, & consequentia patét: maior probatur, quia habitus charitatis reddit hominem absolutè amicum Deo, iuxta dicta in tract. 1. disp. 3.; ergo incõpatibilis est cum quolibet mortali, quod reddit hominem absolutè inimicum; absoluta enim inimicitia excludit omnino absolutam amicitiam.

Ex quo patet, cur habitus fidei, & spei non destruantur quolibet peccato lethali, sicùt destruitur habitus charitatis; ra- 5.

tio nimirum est, quia charitas reddit hominem amicum, non autem fides, & spes: & hoc ferè est, quod dixit S. Thomas in solutione quinti, charitatem importare unionem quandam ad Deum, non autem fidem, & spem; hæc enim duo feruntur quidem ad Deum ut ad revelantem, vel promittentem aliquid; charitas verò ut ad amicum, connectendo arctissimè voluntatem divinam humanæ; & ideo omnis culpa læthalis, quippe quæ simpliciter est contraria divinæ voluntati, excludit charitatis habitum, & gratiam sanctificantem.

S. Thom.

6. Dubitabit aliquis non immeritò, an peccatum quodcumque læthale excludat etiam actum charitatis. Ad quam difficultatem respondetur imprimis, si actus charitatis sit inefficax, non excludi à peccato læthali, quia non unit perfectè voluntatē nostram divinæ; & commune est cuicumque actui inefficaci compati secum actū contrarium efficacem; sic enim mercator cùm navis tempestate iactatur, inefficacem complacentiam habet non projiciēdi merces in mare, cùm re vera illas efficaciter velit proijcere, & proijciat. Deinde si peccatum habituale mortale comparetur cū actu charitatis efficaci, fateor quidem suaptè natura non esse hæc duo incompatibilia; quia etiam si quis diligeret actu Deum super omnia, sicut non propterea condignam satisfactionem offerret Deo pro peccato læthali, quod commisit; ita nec haberet talis actus sufficientem vim illud excludendi; de quo diximus in Materia de Gratia, seu 1.2. controversia 8. tract.8. & dicemus 3.p. controversia 1. tract. 2. de Incarnatione: Ex lege autem divina incompatibilia sunt, quia posito actu supernaturali efficaci charitatis est homo sufficienter dispositus, ut ei infundatur habitus gratiæ, quæ formaliter excludit peccatū. ¶ Deniq; si actus efficax charitatis cōparetur cum peccato læthali actuali, dicendum est, hæc duo suaptè natura esse incompatibilia, & alterum formaliter ab altero excludi, quia actus efficax charitatis anteponit Deum, & legem eius omni bono creato; peccatum verò actuale mortale anteponit bonum creatū legi, & amicitiæ divinæ; oppositionem ergo habent in obiectis efficaciter volitis, & ideo datum est, ut actus efficaciter illa amplectentes opponantur, seq; mutuo excludant; contrarietas enim actuum efficacium voluntatis non aliunde, quàm ex cōtrarietate obiectorum desumenda est.

Atq; hinc ulteriùs infertur, ex absoluta etiam Dei potentia fieri non posse, ut peccatum mortale actuale simul cum charitate actuali permaneat; nam cùm ex natura rei opponantur, eo ipso, quod voluntas eliciat actum efficacem amoris Dei super omnia, non manet suaptè natura potens simul elicere peccatum mortale; ut ergò illud eliceret, oporteret à Deo roborari, & specialiter adiuvari; sed Deus non potest specialiter adiuvare voluntatem ad peccandum, alioqui foret ipse causa peccati, ergo non potest voluntas amātis Deum efficaciter, simul peccare mortaliter: quod verò attinet ad charitatem habitualem, existimo etiam, non posse peccatum læthale actuale, vel habituale simul cum illa reperiri, etiam de potentia absoluta, quia eadē omnino ratio est illius & gratiæ sanctificantis; ostendimus autē in Materia de Gratia, seu in 1.2. controversia 8. tract. 8. gratiam, & peccatum læthale esse omnino incompatibilia. 7.

Vna superest obiectio diluenda contra prædictam doctrinam; etenim licèt peccatum læthale, quod sciēter committitur, excludat suaptè natura actum efficacem amoris Dei super omnia, illud tamen, quod ex ignorantia, quàmvis culpabili, oritur, non videtur cum eo amore incompatibile; nam contingere potest, aliquem peccare læthaliter, existimando se obsequium præstare Deo, & non violare legem, aut amicitiam divinam, ergo cum eo peccato compatibilis est actus charitatis, quo efficaciter velit anteponere rebus omnibus legem, & amicitiam divinam. Confirmatur, quia ob ignorantiam, aut inadvertentiam potest intellectus assentiri propositionibus contradictorijs, ergo ob eandem poterit volūtas elicere actum efficacem amoris, & actum peccati læthalis, quamuìs ex se habeant obiecta contraria. 8.

Respondetur, imprimis certum esse, ex lege divina esse incompatibilia, ut dictum est; & proinde Deum non cōcurrere ad actum supernaturalis charitatis efficacem cum eo, qui læthaliter peccat etiā ex ignorantia, & malè credens se obse- 9.

quium præstare Deo. Deinde existimo, etiam ex natura rei esse incompatibilia, quia ut latè probavi in Materia de Peccatis, seu in 1.2. cōtrov. 6. tract. 5. quādo ignorantia est culpabilis, & præsertim si nō excuset à mortali, semper includit aliquā actualem cognitionem malitiæ obiecti, saltèm sub dubio, quamùis ea parum advertatur, & passio inordinata intellectum avertat ab ea consideratione; unde actus voluntatis, qui est peccatum mortale, sequens hanc ignorantiam, verè amplectitur obiectū, quod aliquomodo cognoscitur esse cōtra divinā legem; & propterea suaptè natura excludit actum amoris efficaciter amplectentis observantiam eiusdem legis. Ad confirmationem, dato antecedente negatur consequentia, quia assensus contradictoriorum potest esse omnino invincibiliter, & sinè cognitione contradictionis; at peccatum mortale nūquàm est sinè aliqua cognitione oppositionis eius ad obiectum charitatis, cum qua cognitione non stant peccatum, & amor, sicùt nec staret assensus contradictoriorum, si aliquomodo adverteretur contradictio.

DISPVTATIO III.

Vtrùm peccatum mortale expellat charitatē demeritoriè, & moraliter solùm, an potiùs etiam efficienter, & physicè.

1. Durand. Aragon. PRima sententia affirmat, charitatem solùm demeritoriè, & moraliter expelli à peccato. Sic Durandus in 3. dist. 31. q. 1. art. 1. Aragon hic art 10. circà quintam conclusionem *§. dico secundò*, & sequente, quatenùs ait charitatē corrūpi à peccato nō effectivè, physicè sed efficientia morali. Colligitur Gabriel. planè ex Gabriele in 1 dist. 17. q. 4. art. 3. dub. 3. propositione 3. & 4. quatenùs ait, nullum agens creatum posse effectivè diminuere charitatem, quia non potest annihilare, quæ ratio efficaciùs probat non S. Bonav. posse effectivè destruere: favet S. Bonavētura in 3. dist. 31. art. 1. q. 1. ad 2. quàmvis non omnino clarè loquatur.

Secunda sententia docet, efficienter etiam, & physicé expelli charitatem á peccato læthali. Sic S. Thomas in art. 10. licèt enim non usurpet hanc vocem *physicè*, ait tamen expelli meritoriè, & effectivè, quod planè significat, non solùm moraliter, sed physicè. Clariús loquūtur Caietanus ibi Bañez dub. 1. Valencia p. 4. Sotus 2. de natura, & gratia, cap. 18. licèt non ita clarè Zumel 1.2. q. 113. art. 2. disp. 4. & Medina ibidem ad finem articuli. Addit Valencia limitationem, ut nimirùm hæc sententia vera sit, quando peccatum est commissionis, non autem quando est puræ omissionis, quia tunc nihil est, quod possit effectivé destruere gratiam, aut charitatem: quod non displicet Dominico Bañez. 2. S. Thom. Caietan. Bañez. Valenc. Sotus. Zumel. Medina.

3. Difficultas huius disputationis facilè expediri potest, si varij sensus declarentur, qui in ea distingui possunt; & ex declaratione patebit absolutè, & simpliciter esse veram sententiam S. Thomæ, nihilq; pro contraria urgere. Primus igitur sensus est, actum peccati læthalis efficere in anima aliquid physicum, quod cōtrarium sit habitui charitatis supernaturalis, illumq; proinde expellat; & id omnino falsum est; primó, quia actus peccati læthalis non potest producere aliam entitatem physicam quàm habitum naturalem vitiosum; hic autem non potest expellere charitatem supernaturalem, quia habitibus supernaturalibus non contrariantur naturales, ut in Materia de Habitibus, seu in 1.2. controversia 4. dictum est. Secundò, quia sæpè peccatum læthale est pura omissio, à qua proinde nihil physicum produci potest.

4. Zumel. Secundò Zumel suprà post quartam conclusionem affert duos modos, quibus explicari potest sententia S. Thomæ, & unus illorum est, peccatum læthale ideò efficienter physicè expellere charitatem quia aufert ab anima dispositionem, quæ necessaria est ad infusionem, & conservationem illius; etenim charitas, seu gratia non infunditur animæ, nisi dispositę mediante conversione illius ad Deum; cùm autem quodlibet mortale sit aversio à Deo, destruit omnino præfatam conversionem, seu dispositionē, ac proinde cha-

ritatem

ritatem, quę ab illa dependebat; sic enim ignis, v. g. physicé expellit ab humano corpore animã rationalem, quia destruit dispositiones requisitas, ut animus in corpore existat. Sed hic explicandi modus refellitur, quia vel ista dispositio requisita ad conservationem charitatis est aliquid physicũ, vel aliquid morale; primũ dici non potest, quia actus, quo homo cõvertitur ad Deũ, nihil reale producit, nisi forte aliquẽ habitũ naturalẽ, qui nullius momenti est ad expulsionẽ charitatis, cũ ab illo charitas non dependeat; secundũ non est satis ad rem, de qua disputatur; tũ quia non semper ad infusionem gratiæ, & charitatis requiritur ista dispositio; infantes enim in Baptismo recipiunt hęc dona absque ulla dispositione, unde cùm post ætatem adultã peccando lætaliter amittunt charitatẽ, nulla existit ibi dispositio, quæ mediante peccato tollatur; tum etiã quia adultus, qui media attritione simul cum Sacramento disponitur ad iustificationem, non elicit actum, qui propriè loquendo sit conversio ad Deum; ergo ab illo nihil etiam morale resultat, quod postea destruatur per peccatum læthale. Tũ denique, quia actus contritionis, quo peccator convertitur ad Deum, & consequẽter disponitur ad infusionẽ gratiæ, & charitatis, nihil morale efficit propriè loquẽdo, quod eo elapso perseveret, quamvis enim post actum peccati dicatur manere aliquid morale, quod appellatur peccatũ habituale, id propterea accidit, quod nimirùm illa culpa non est remissa, sed moraliter cẽsetur manere, donec retractetur, & ratione illius est peccator dignus supplicio; at verò post elicitum actum bonũ manet habitus gratię, & charitatis ad quẽ disposuit, vel quem meruit, & quo mediante habet ius ad gloriam illi debitam; unde nõ est cur aliquid aliud morale permaneat, nec dicere solemus manere actũ quemlibet bonũ postquàm elapsus est, sicút dicimus manere peccatum, donec retractetur.

5. Tertió ergò oppositionem hanc physicam, & effectricem, ut ita loquar, triplici propositione declaro. Prima est, peccatũ læthale suapte natura meretur apud Deum destructionẽ gratię, & charitatis, quam fortassè haberet ille, qui peccat: & in hoc sensu verissimũ est, gratiã, seu charitatem expelli à peccato læthali meritoriè: in quo conveniunt duæ sententiæ suprà relatæ, nec indiget alia probatione præter illam, quæ in disputatione præcedente allata est.

Secunda propositio, peccatum læthale, si illius essentia attendatur, expellit charitatem formaliter, & physicè, sed nõ efficienter. Et quidem quòd expellat physicè, probatur; quia entitas ipsa peccati est incompatibilis charitati; ergo illam physicè expellit. Antecedens constat ex disputatione præcedente; si enim sermo sit de actu efficaci charitatis, cũ hic ex animo anteponat Deũ creaturæ, peccatum verò sua entitate anteponat creaturam Deo, non possunt non habere entitates oppositas & incompatibiles: si autem loquamur de habitu charitatis, cùm hic reddat sua entitate hominem amicum Deo, peccatum verò læthale reddat etiam sua entitate inimicum, non possunt non esse res incompatibiles. Consequentia verò probatur, quia expulsio physica est illa, quę provenit ab entitatibus physicis; sed incõpatibilitas charitatis, & peccati lętha lis provenit ab entitatibus physicis; ergo. Minor probatur, quia si peccatum mortale sit commissio, illa entitas physica, & privatio rectitudinis, quæ sequitur deformitatem actus, non compatitur charitatem; si verò sit omissio quàmvis hæc non sit entitas realis, est privatio realis actus, quem homo tenebatur elicere; privatio autem physicum aliquid est, id est, non quidpiam cõfictum ab intellectu, sed suo negativo modo existens ante omnem fictionẽ intellectus, & indepẽdenter à quolibet pacto, vel lege; & in hoc sensu asserimus, omne peccatũ læthale esse physicé contrarium charitati, quod nimirùm nõ contrariatur ob aliquam extrinsecam legem, aut congruentiam, sed ob naturam ipsius charitatis, & peccati; sivè hoc sit entitas realis positiva, sivè negatio entitatis non conficta. 6.

Deinde hãc expulsionem, non esse efficientem, sed formalem, probatur primò, quia ut suprà dicebamus, peccatum nihil efficit, quod charitatem expellat: secũdò, quia oppositio peccati ad charitatẽ funda tur in ipsa intrinseca peccati natura, nullo enim addito, sed solo posito actu, quo violetur graviter lex divina, avertitur 7.

homo à Deo, & efficitur eius inimicus, ergo oppositio eius ad charitatem est per ipsammet essentiam peccati; ergo est formalis, & non efficiens.

8. Tertia propositio: ille qui peccatum perpetrat, expellit charitatem, seu gratiã efficienter physicè. Assertionem hanc disertis verbis testatur Caietanus ad art. 10. huius quæstionis, & in hoc sensu intelligit S. Thomam, qui nõ aliter probat, charitatẽ effectivè expelli á peccato læthali, nisi quia illi contrariatur; cõtrarietas autẽ est oppositio formalis inter ea, quę contrariantur; effectivè verò nõ nisi comparatione agentis, quod producit illa contraria. Atq; hinc desumitur explicatio & probatio huius tertiæ propositionis; etenim qui physicè producit formã, quæ per suã intrinsecã naturã expellit aliã, dicitur illã expellere effectivè; sed qui lęthaliter peccat, producit formã, quæ per suã intrinsecam naturam expellit charitatem; ergo qui peccat læthaliter, expellit effectivè charitatem. Consequentia est evidens: & maior certa; quia ignis producẽs in aqua frigidissima calorẽ, physicè, & efficienter expellit frigiditatẽ, producit enim formã suaptè natura frigiditati contrariã, & sic de alijs. Minor probatur, quia peccatum mortale sua intrinseca natura expellit charitatem, ut dictum est; hoc autem si commissionis sit, cùm includat actum physicum voluntatis, nõ potest nõ produci physicè ab homine; si verò sit omissionis, affert negationem physicam, quæ eatenùs physicè procedit ab homine, quatenùs ipse absque ulla fictione, & denominatione rationis est causa illius; verè enim illi imputatur, quod omittat actum, ad quem tenetur.

9. Sed obijcies primò: peccatum habituale excludit etiam charitatem; sed illud est aliquid morale; ergo non potest physicè eam expellere. Patet consequentia, quia contrarietas, & oppositio physica nõ potest esse inter rem physicam, scilicèt charitatem, & rem moralem scilicèt peccatũ habituale. Confirmatur, quia contraria sunt sub eodẽ genere, sed charitas, & peccatum non sunt sub eodem genere; ergo non habent veram, ac proinde nec physicam contrarietatem. Respondetur concessis maiori, & minori, negandã esse cõsequentiã; & ad probationẽ dicitur, quãdo res vocatur moralis, quia pendet à beneplacito humano, aut lege extrinseca, nõ potest esse inter illã, & rem aliã verã oppositio physica; secus verò quando nõ pendet ex beneplacito, sed dicitur solùm aliquid morale, quia est denominatio à vero actu reali, qui prætenjt; & hoc modo peccatũ habituale est aliquid morale, quia nimirùm, qui actu peccavit, verè cẽsetur in peccato illo manere, donèc retractetur; & quoniam hoc suapte natura est incompatibile charitati, dicitur physicè illi opponi. Ad confirmationẽ, nõ asseritur a nobis ista contrarietas in ea acceptione tam stricta, sed solùm appellatur cõtrarietas physica illa incõpatibilitas, quæ fundatur in intrinseca natura rerum; quo pacto incõpatibilis est amor cum odio, quàmvis ille sit supernaturalis, & bonus, hic malus, & naturalis.

Obijcies secundò, charitas habitualis, nec efficitur, nec cõservatur ab homine; ergo non potest illam physicè destruere. Respondetur negando consequentiã quia quàmvis ignis non possit efficere frigiditatem, potest illam physicé destruere, eo quod possit producere calorem illi oppositũ, & homo potest physicè destruere lumen huius gymnasij, quia licèt nequeat illud producere, potest apponere impedimentum, claudendo fenestram; sic in proposito. 10.

Obijcies tertiò, idem numero actus odij Dei, quãdo non adest plena deliberatio, est peccatũ veniale, & non cõtrariatur charitati, & quãdo adest plena deliberatio, cõtrariatur; ergo cõtrarietas peccati mortalis ad charitatẽ non fundatur in physica entitate. Respondetur negãdo consequentiam; quia quando adest plena deliberatio est ille actus liberior, & consequenter (licèt daremus esse eundẽ numero) habet aliquid novum, sive intrinsecum, sive extrinsecum, & actus odij cũ ea denominatione reali nova est physicè contrarius charitati. 11.

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm habitus charitatis supernaturalis diminui possit.



1. EX absoluta potentia non dubium est, quin possit diminui; solùm ergò disputatur, an iuxta communem legem id sit possibile, & aliquando eveniat: cùm autem peccatũ lethale charitatẽ nõ diminuat, sed destruat; habitus verò vitiosi non habeant contrarietatẽ ad supernaturales, ut in 1. 2. cõtrovers. 4. dicebatur, nec Deus hęc dona auferat, nisi in pœnam peccati, solũ superest indagandum, an peccata venialia habitũ charitatis diminuant.

2. Partem affirmantem sequitur Dyonisius Carthusianus in 1. dist. 17. q. 9. in cuius fine refert verba Antisiodorensis, & Richardi, qui eam probabilem reputare videntur, Victoria etiam in relectione de augmento charitatis, parte 2. propositione prima ait, opinionem Antisiodorensis esse probabilem. Suaderique potest primò authoritate Scripturæ, quæ in generali docet, peccata separare nos à Deo, Isaiæ 59. *Iniquitates vestræ diviserũt intèr vos, & Deum vestrũ*: quod licèt absolutè, & simpliciter dicatur propter culpas mortales, suo etiã modo applicandũ est venialibus, quę absolutè etiã peccata nũcupãtur in Scriptura, 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniã peccatũ nõ habemus, ipsi nos seducimus*; cùm ergo culpa lethalis omnino separet à Deo destruendo charitatẽ, culpa venialis separabit secundùm quid, diminuendo charitatẽ. Secundò authoritate Patrũ, qui valde seriò cõmendãt fugam venialium peccatorũ, eò quòd illorũ multitudo tandem possit obruere animã, & eam reddere inimicam Deo; sentiunt ergò multiplicatione venialium diminui habitum charitatis, & gratiæ, donec tandem destruatur. Videantur hæc testimonia in 1. 2. controversia 6. de Peccatis tract. 2. disp. de divisione peccati in mortale, & veniale.

Carthus.
Victoria.
Isaiæ 59.
1. Ioan. 1.

3. Tertiò, peccata venialia dim nuũt amicitiam Dei erga homines, ergo & habitũ charitatis. Patet consequentia, quia eo ipso quòd Deus sit minùs amicus homini, etiã homo est minùs amic⁹ Deo, ac proinde amittit aliquid habitus charitatis, quo redditur formaliter ei amicus. Antecedẽs probatur, tum quia quantò plùs multiplicat iustus venialia, tantò Deus pauciora auxilia confert, minusque sollicitum illius curam habet, donec tandem sinat, eũ cadere à gratia, iuxta illud, *Qui spernit modica, paulatim decidet*: tum etiam, quia inter homines solent leves offensæ, imò & absentia, aut minùs frequens cõvictus amicitiam diminuere. Confirmatur, quia habitus naturales sola cessatione actuum diminuuntur, ergo habitus supernaturalis charitatis diminuetur in eo, qui non solùm omitteret actus bonos, sed etiam elicit plures malos, licèt non sint peccata mortalia.

Quartò, quia quilibet actus bonus supernaturalis auget habitum charitatis, vel saltèm meretur eius augmentum, quod suo tẽpore confertur à Deo, ut in tractatu præcedente disp. 9. & 10. dictum est; ergo quilibet actus malus, etiamsi sit venialis, diminuet habitũ charitatis, vel certè merebitur eius diminutionem: patet consequentia, quia contrariorum eadem est ratio. Confirmatur, quia aliquod peccatũ veniale potest esse tam demeritorium, quàm aliquis actus supernaturalis bonus sit meritorius; sed hic semper meretur in homine iusto augmentum charitatis, ergo illud aliquando dignum erit diminutione charitatis. 4.

Dicendum tamen est, habitum supernaturalem charitatis nulla quantacumque multitudine peccatorum venialium diminui posse. Sic S. Thomas in artic 10. ubi Caietanus, Bañez, Aragon, & Valencia p. 5. Antisiodorensis, Albertus Magnus, Petrus Richardus, Durandus, & Hẽricus, quos refert Carthusianus suprà. Alexãder 4. p. q. 15. memb. 3. art. 3. §. 4. ad ultimum. Gregorius in 1. dist. 17. q. 5. art. 2. dub. 2. Gabriel in 4. dist. 16. q. 5. art. 1 notab. 1. Victoria suprà proposit. 2. & est communis sententia Doctorũ, quã Valẽcia appellat verissimã; Bañez, *Cõtraria* (inquit) *falsissima est, nescio an temeraria, & periculosa*; alij simpliciter improbabilem, & temerariam vocaverunt. 5.

S. Thom.
Caietan.
Aragon.
Bañez.
Valenc.
Carthus.
Alexan.
Gregor.
Gabriel.
Victoria.

Probatur primò ratione S. Thomæ; peccatũ veniale nõ potest diminuere charitatẽ effectivè, aut demeritoriè, seu quod idem est, physicè, aut moraliter; ergo nullo modo diminuit. Antecedens probat, quia imprimis nõ potest diminuere effectivè, seu physicè, nã culpa venialis non attingit habitum charitatis, id est, nõ habet cõtrarietatem ad illum; habitus enim 6.

charitatis respicit ultimum finem, illique coniungit creatam voluntatem antepo nendo Deum,& amicitiā illius omnibus rebus,culpa verò venialis solùm versatur circá media,non quia non dentur aliqua peccata venialia contra Deum ultimum finem;plura enim,imò & omnia offendūt ipsum Deum;sed quia illęsam relinquunt coniunctionem voluntatis,& ultimi finis, non anteponendo ullam creaturā amicitiæ divinæ,quam charitas formaliter affert animæ: itaq; sensus verborū S.Thomæ est,substantialem, ut ita loquar, rationem charitatis in eo consistere, quod voluntas anteponat Deum, & eius amicitiam omnibus rebus; & quoniam nulla venialia sunt, aut esse possunt, quorum perpetratione anteponatur creatura Deo, vel eius amicitiæ, non contrariantur habitui charitatis,ac proinde illum physicè, seu efficiéter diminuere nō possūt. Deinde,nec moraliter, seu demeritoriè posse charitatis habitū diminui à peccatis venialibus; probat idem Sanctus Doctor,quia Deus non plùs avertitur ab homine, quā homo à Deo,sed dum homo solùm peccat venialiter,nō avertitur á Deo ut ultimo fine, id est nihil anteponit ipsi Deo, aut eius amicitię,ergo Deus nō aufert ab illo charitatē; probatur cōsequentia,quia munus charitatis potissimū est anteponere Deū omnibus rebus,& ad id inclinare voluntatem;unde si Deus ob culpam venialem auferret aliquid huius inclinationis, plùs averteretur ab homine, quàm homo se averterat ab illo; nam absque eò quòd homo se inclinaret ad anteponendam creaturam aliquam amicitię divinę, auferret ab illo saltèm ex parte charitatem,qua inclinatur ad anteponendā eius amicitiam omni creaturæ; non ergo meretur homo peccatis venialibus privationem,aut diminutionem charitatis.

7. Secūdò probatur,quia impossibile est, habitum charitatis simul augeri, & diminui;sed si peccata venialia illū minuerēt, simul augeretur,& diminueretur;ergo impossibile est à peccatis venialibus diminui. Maior patet, præsertim in opinione vera,quę affirmat gradus intensionis esse heterogeneos,& primū supponi à secundo,& non è cōtrà,sicque de reliquis; inde enim fit,cùm successivè infundūtur, priùs infundi primum, deinde secūdum; contrà verò, si destruerentur successivè, priùs destrui secundū,quàm primum;hac enim opinione posita, si habitus charitatis sit ut duo,v g.non potest simul augeri, & diminui; nā ut augeatur,addendus est, v.g.tertius gradus,qui non potest esse sine secundò; ut vero diminuatur,destruēdus est,v.g.secundus gradus, simul ergo secundus gradus esset, & non esset; esset quidem,quia tertius gradus denuò additus illum requirit;non esset verò, quia diminutione corruptus est. Minor verò probatur,quia licet idē numero actus internus non possit esse meritorius,& demeritorius,potest tamē volūtas simul elicere actum supernaturalem charitatis, cui debeatur augmentū habitus, & actū peccati venialis, quo habitus idem diminuatur secundùm oppositam sententiam; actus enim charitatis,& actus peccati venialis non sunt incōpatibiles,& aliunde necessariū est, duos actus elici posse simul à voluntate, imó & ab alijs interioribus facultatibus, ut suppono ex libris de Anima. Ex quo patet hanc rationem,qua usus est Victoria suprà optimam esse,& immeritò displicuisse Dominico Bañez in suis ad illam victoriæ relectionem notationibus ad finem. *Victoria.* *Bañez.*

8. Tertiò probatur argumento Gregorij, & Gabrielis suprà; quia si peccata venialia diminuerent habitum charitatis, tandem illum destruerent; sed id asseri non potest,ergo. Minor patet;quia si venialia omnino destruerent charitatē,consequēter destruerent gratiā,& omne ius ad glōriā,privareturque proinde homo æterna gloria,& dignus esset æterno supplicio ob sola venialia peccata;quod est error in fide. Maior probatur,quia habitus charitatis in quolibet iusto est finitę intensionis; si ergo paulatim imminueretur peccatis venialibus, his multiplicatis tandem omnino periret. Quod verò nonnulli respondent, cùm deveniretur ad peccatum, quo omnino destrueretur charitas, iam futurū esse illud mortale, licèt alioqui foret veniale,falsū est; primò,quia ponamus illud esse verbum otiosum, aut levissimum mendacium,quo igitur pacto illud reddetur mortale? præsertim cùm homo nesciat quando deveniatur ad illud peccatum,alioqui leve, quod tādem omnino destruat charitatem, & aliunde

materia prædictorum peccatorum nō sit capax tantæ gravitatis, & malitiæ.

9. Victoria, & alij varias solutiones exhibent huic argumento, sed planè sunt omnes insufficientes, & optimè confutantur à Gregorio de Valencia suprà citato.

Valenc.

10. Ad primum respondetur, illa testimonia, quatenùs significant separationem substantialem (ut sic loquar) qua Dei, & hominis amicitia rescinditur, vel minuitur, accipienda esse de peccatis mortalibus tantùm: prout verò denotant separationem accidentalem, seu diminutionem favoris divini, ut infrà explicabitur, accipi posse de venialibus. Ad secundum, Sancti Patres id meritò commendant, quia venialia disponunt ad mortale, & qui in eis evitandis est valde negligens, labitur in mortale, quo charitas amittitur; non vero quia venialia diminuant habitum charitatis, aut quia illa quantumcumque multiplicentur efficiant unum mortale, ut in eo loco Materiæ de Peccatis explicatum est.

11. Ad tertium respondetur negando antecedens absolutè; & ad priorem probationem, amicitia non consistit in eo peculiari favore, aut numero auxiliorum, quibus Sanctos, aut perfectos prosequitur Deus, sed in eo, quod homini velit bonum gratiæ sanctificantis, & conferat ius ad gloriam, ac proinde omnia absolutè necessaria ad conservationem gratiæ, & iuris ad gloriam; hæc autem omnia illæsa manent, quamdiù non committitur peccatum mortale; & ideo venialia nihil diminuunt amicitiæ simpliciter loquendo; dicuntur verò minuere fervorem charitatis; primo, quia multiplicatione venialium generantur habitus vitiosi, qui retardant iustos á frequenti exercitio actuum charitatis Secundò, quia Deus in pœnam horum peccatorum denegare solet peculiaria aliqua auxilia, & spiritualem dulcedinem, quibus iustus ferventer operatur, & in Deum accenditur, retento tamen semper eo numero auxiliorum, qui ad gratiam, & ius ad gloriam conservandum sufficit. ¶ Ad posteriorem probationem respondetur; primó, licèt id apud homines cerneretur, non esse concedendum in amicitia divina, quæ strictior est, & habetur inter hominem, & Deum, qui culpis levibus non potest nisi leviter offendi; graviter autem offenderetur, si propterea partem substantialis amicitiæ auferret diminuendo habitum charitatis, in quo consistit. Secundò certum est, inter homines etiam aliquas leves iniurias tolerari, manente illæsa amicitia substantiali.

Ad confirmationem respondetur, habitus naturales eatenùs diminui cessatione actuum, quatenús elici solent actus contrarij, à quibus generatur habitus contrarius, qui dum paulatim intenditur, paulatim etiam suum contrarium diminuit: at verò habitui supernaturali nullus habitus contrariatur. Addit autem Sanctus Thomas in artic. 10. in fine corporis, dici posse charitatis diminutionem indirectè, & impropriè fieri, quando homo suis peccatis venialibus, & cessatione actuum charitatis disponitur ad charitatis corruptionem; certum enim est, paulatim tunc disponi ad amittendam omnino charitatem; & quoniam quando diminuitur habitus, dicitur esse proximus corruptioni, indirectè, & laté appellari potest diminutio ipsa dispositio ad corruptionem. 12.

Ad quartum concesso antecedente respondetur negando consequentiam, quia quodlibet opus à supernaturali charitate profectum est operatio iusti, & digna præmio gloriæ, ac proinde augmento gratiæ, & charitatis, quibus gloria proportionatur; at verò peccatum veniale, eo ipso quod veniale sit, non meretur carentiam ullius gloriæ, ac proinde nec diminutionem gratiæ, aut charitatis; nec verum est, bonum opus, & veniale peccatum esse contraria absolutè loquendo, cùm potiùs sint compatibilia. Ad confirmationem neganda est maior, quia semper culpa venialis est in ordine inferiori, & non est offensa Dei, nisi secundúm quid; opus verò à charitate profectum est absolutè obsequium Dei. 13.

(∴)

COMMENTARIVS in articulum primum quæstionis 25.

IN hac quæstione 25. differit S. Thomas de obiecto charitatis; & in art.1. explicat obiectum formale dicens, illud esse Deum, propter quem amatur proximus amore eiusdem speciei.

TRACTATVS V.

De causa finali, & formali habitus charitatis.

CVm habitus charitatis sit quædam forma accidentalis inhærens voluntati, nō habet causam formalem intrinsecam, quę ab ipso habitu distinguatur: sed quoniā id, quod specificat actum, vel habitum, appellari potest causa formalis extrinseca, inquiritur, quænam sit causa formalis extrinseca charitatis. Brevis autem responsio est; causam itaque formalem esse ipsum obiectum formale charitatis, ab eo enim desumitur specificatio illius; quodnam verò sit hoc obiectum formale, non potuit non declarari magna ex parte in tract. 1. dum de ipsius charitatis natura dissereremus; & ideò hoc loco solùm addenda sunt, quæ hùc remisimus ibidē, & his explicatis declaratus erit sufficienter finis charitatis, qui est idem, quod obiectum formale illius; licet etiā alij fines enumerari possint. Imprimis enim actus ipse supernaturalis charitatis est immediatus, & proximus finis habitus charitatis, ad illum enim eliciendum infunditur habitus à Deo: deinde finis etiam charitatis est, evehere hominem ad divinam amicitiam, & tribuere gratiæ sanctificanti hanc præcellentissimam virtutem, ut mediante illa sicut, & medijs alijs habitibus operetur. Denique proximus ipse est aliquo modo finis, quatenus etiam ad ipsum amandum illum infunditur iste habitus, sed potissimum ad quod ordinatur, est gloria divina.

DISPVTATIO I.

Vtrùm obiectum formale habitus charitatis supernaturalis sit bonitas Dei, tam supernaturalis, quàm naturalis.

DOcti recentiores existimant, obiectum formale charitatis esse Deum non solùm quatenùs habet eam bonitatem, quæ supernaturali lumine cognoscitur, sed etiā quatenùs habet bonitatē naturalē, quæ sine fide, à Philosophis cognita est. Favet huic sententię Caietanus ad art.4 quæst.25 quatenùs in generali docet, omnē bonitatem divinā esse obiectum charitatis, & nō aliquā particularem, sed non ita clarè loquitur: magis favet Valencia to. 3. disp 3. q. 1. p. 1. paulò ante finem, quatenùs ait, infusam fuisse charitatē, ut diligamus Deū, nō solùm ut authorē naturæ, sed ut bonū supernaturale. Verū quidem est, in probatione suæ tertiæ assertionis absolutè dixisse, Deum esse obiectū charitatis, quatenùs est bonum supernaturale. 1. Caietan. Valenc.

Suadetur hæc sententia primò, quia charitas est amor perfectissimus, & peculiarissimo modo participatio illius amoris, quo Deus diligit se ipsum; ergo obiectū formale charitatis nō est sola bonitas supernaturalis, sed etiā naturalis. Patet cōsequētia, quia obiectum formale amoris, quo Deus se ipsum diligit, est omnis bonitas divina etiam naturalis, & ad perfectissimum amorē spectat esse adæquatū bonitati, seu amabilitati divinę, ut nihil in ea sit, quod non alliciat voluntatem. 2.

Secundò, illud bonū est obiectū formale charitatis, quod expressè cognoscit, & possidet visio beata; sed visio expressè cognoscit, & possidet bonitatē Dei etiam naturalem; ergo. Consequētia est evidēs, & minor omnino certa: maior probatur, tū quia S. Thomas disertè affirmat, obiectū formale charitatis esse bonū beatificū 3.

ut postea

ut posteà declarabitur; tum etiam quia charitas infunditur, ut in via diligamus illud bonum, quod visuri sumus, & in patria illud, quod videtur, & possidetur. Cõfirmatur, quia charitas in patria illud bonum diligit, quod visio repræsentat; sed hæc repræsentat bonitatem divinam etiã ut naturalem; ergo charitas diligit illam etiam ut naturalem.

4. Tertiò, gratia sanctificans reddit hominem gratum Deo, ut authori supernaturali, & naturali, deletq; culpas cõmissas contra ipsum, etiam ut authorem naturalem; ergo habitus charitatis à gratia dimanans respicit Deum, etiam ut authorẽ naturalem. Patet consequentia, quia charitas infunditur, ut diligatur Deus sub ea ratione, sub qua illi sumus grati; & ut deleatur culpa contra illum commissa. Antecedens verò probatur; quia non potest homo esse gratus Deo ut authori supernaturali, nisi sit gratus eidem ut naturali; supernaturalis enim ordo supponit naturalem.

5. Quartò, quia bonitas Dei naturalis constituit unum attributum cum supernaturali ut 1. p. controversia prima tract. 5. disp. 8. in fine dictum est; ergo utraq; est obiectum formale eiusdem virtutis charitatis. Confirmatur primò, quia coniunctum ex bonitate supernaturali, & naturali diligi potest aliquo amore supernaturali; sed hic non est alius, quàm amor charitatis, ergo. Confirmatur secundò, quia bonitas Dei, sicùt & cæteræ perfectiones illius sunt simpliciter aliquid supernaturale, ut loco proximè citato dicebamus, & solùm appellatur aliqua perfectio Dei naturalis, quatenùs lumine naturali cognosci potest; ergo in obiecto formali charitatis assignando non est cur distinguatur bonitas Dei naturalis à supernaturali, sed simpliciter asseratur, bonitatem Dei esse obiectum formale charitatis.

6. Dicendum tamen est, solam bonitatẽ supernaturalem Dei esse obiectum formale charitatis: Sic S. Thomas multis in locis, nam 1. p. q. 60. art. 5. ad 4. *Deus* (ait) *secundùm quod est universale bonum, à quo dependet omne bonum naturale diligitur naturali dilectione; in quantùm verò est bonum beatificans supernaturali beatitudine, sic diligitur dilectione charitatis.* & 1. 2. q. 109. art. 3. ad 1. dicens, *Natura diligit Deum super omnia, prout est principium, & finis naturalis boni: charitas autem secundùm quod est obiectum beatitudinis, secundum quod homo habet quandam societatem spiritualem cum Deo:* & q. 62. art. 1. planè docet, virtutes Theologicas infusas esse propter beatitudinem supernaturalẽ: & art 2. corp. *Obiectum* (inquit) *Theologicarum virtutum est ipse Deus, prout nostræ rationis cognitionem excedit, obiectum autem virtutum intellectualium & moralium est aliquid, quod humana ratione cõprehẽdi potest.* & ad 2. *Theologica* (inquit) *virtus est circa divina, secundum quod rationem humanam excedũt.* Bañez 2. 2. q. 23. art 4. §. *adverte secundò. Bonum* (inquit) *divinum in quantum beatificans, hoc est prout distinguitur à bonò divino, in quantum cognoscitur lumine naturali, est speciale bonum, in quod tendit charitas:* & Aragon ibidem § *propter hæc argumẽta. Deus* (inquit) *dupliciter potest considerari; uno modo, ut cognoscitur lumine naturæ, alio modo, ut cognoscitur lumine fidei: secundum priorem cõsiderationem non est obiectum charitatis, sed secundum posteriorem.*

S. Thom. — Bañez. — Aragon.

7. Probatur primò ratione generali; quia obiectum formale cuiuscumq; virtutis supernaturalis est aliquod bonum supernaturale, præcisè ut supernaturale; ergo obiectũ formale charitatis solùm est aliquid supernaturale, ac proinde sola bonitas divina supernaturalis, quia nihil aliud à bonitate divina distinctum potest pertinere ad formale obiectum illius, ut præsertim constabit in disput. 3. Antecedens probatur primò, quia virtus supernaturalis infusa est à Deo, ut naturam nostram eveheret ad finem supernaturalem; iam enim circa naturalia habebamus actus, & habitus, quibus ea attingeremus; & ita quod supernaturaliter infusum est, solùm deservire debet ad attingendum supernaturalia, ut supernaturalia sunt. Secundò, quia inductione id ipsum cõstat; obiectum enim formale fidei est divina authoritas obscurè revelans, quæ quidem ut sic, supernaturalis est, nam intra ordinem naturæ Deus nihil revelat, sed solùm producit creaturas, quibus manuducamur ad illum cognoscendum; quare cùm verbis internis, aut externis aliquid manifestat, & authoritatẽ suam interponit, se gerit ut author

supernaturalis. Deinde obiectum formale spei est ipse Deus, ut finis noster obtinendus media visione beata, sub qua ratione est omninò supernaturalis, sicùt & ipsa visio. Denique virtutes morales infusæ non respiciunt eam honestatem, quam natura agnoscit, sed eam, quæ cōducit ad finem supernaturalem, ut suppono ex Materia de Virtutibus, & constat ex doctrina S. Thomæ 1.2.q.63.art.3. charitas ergò, quæ principem locum obtinet inter virtutes infusas, solùm habebit obiectū formale supernaturale, ac proinde solam bonitatem divinam supernaturalem. *S. Thom.*

8. Secundò probatur, expendendo rationes prioris opinionis, quæ tantū abest ut nostram expugnent, ut potiùs ex illis desumatur efficax confirmatio. Et quidē quòd ad primū attinet, cùm divinus amor ob sui infinitam eminentiam amet essentiam divinam, ut bonum naturale, & etiā supernaturale; oportuit potiùs in creatura duplicem amorem reperiri, qui illius simplicissimi participatio sit; unum naturalem, qui feratur ad bonitatem divinā, ut naturalem: alterum supernaturalē, qui feratur ad supernaturalem; quaré neuter amor est per se adæquatus divinæ amabilitati, & illius participatio adæquata, sed uterque simùl.

9. Secunda ratio potiús est pro nobis, nā licét visio beata expressé agnoscat, & veluti possideat omnem bonitatem Dei, sicùt & omnia alia attributa divina, obiectum tamen formale illius est sola essentia divina ut supernaturalis; ergo similiter licet charitas amet omnia, quæ in Deo sunt, quod libenter concedimus tanquàm certum, adhùc sola bonitas supernaturalis erit obiectum formale. Consequentiam, & meritò quidē concedere tenentur adversarij: antecedens probo, quia essentia divina secundùm eam rationem est obiectum formale visionis beatæ, secundùm quam repræsentatur nostro intellectui ab ipsāmet essentia, proùt est species intelligibilis, sed essentia divina ut species intelligibilis, repręsentat se intellectui creato ut supernaturalē, ergo obiectum formale visionis beatæ est essentia Dei ut supernaturalis. Maior patet, quia illud est obiectum formale alicuius cognitionis, quod primò repręsentatur ab specie intelligibili ad eam concurrente. Minor probatur, quia essentia divina non potest secundū ordinem naturæ esse species intelligibilis, quæ uniatur nostro intellectui; id enim est omnino suprà vires naturæ, sicùt & quod Deus nobis repræsentetur, ut est in se, & nō solùm abstractivè per creaturas; solùm ergo unitur nostro intellectui ut supernaturalis species, ac proinde ut repræsentans essentiam divinam, quatenùs supernaturalem; & licét etiam repræsentet quidquid naturale habet, id tamen nō tanquàm obiectum formale. Confirmatur, quia Deus est obiectum formale visionis beatæ, ut supernaturaliter cognoscibilis, ac proinde secundùm veritatem supernaturalem; ergo similiter est obiectum charitatis ut supernaturaliter amabilis, ac proinde secundùm bonitatem supernaturalem.

Tertia etiam ratio à nobis est; quia licèt gratia reddat hominem acceptū Deo authori naturali, non tamen ut naturali, sed ut supernaturali; & similiter licét deleat culpas contra Deum authorem naturalem, id non respicit nisi ut quippiā materiale; & tanquam fundamentum; sinè quo consistere non potest structura supernaturalis; semper enim ratio formalis est ipse Deus ut author supernaturalis, seu ut principiū beatitudinis supernaturalis, ad quam omnia alia dona referuntur. 10.

Quarta ratio nihil probat; quia bene potest esse obiectum formale adæquatū alicuius actus, vel habitus id, quod est veluti pars alicuius entitatis, sic enim bonitas naturalis Dei est adæquatum obiectū formale amoris naturalis. Ad primā confirmationem omissa maiori, & minori, si loquamur ex absoluta potentia; negatur consequentia, quia Deus nō infudit unū habitum ad amandam illam duplicē bonitatem, ut unum obiectū formale, quia id non erat necessarium, nec conveniens propter dicta; satis ergo fuit amor naturalis, qui à bonitate naturali specificaretur, & supernaturalis à supernaturali. Ad secundam confirmationem respondetur; si ea obiectio aliquid probaret, convinceret obiectum etiam amoris naturalis esse bonitatem supernaturalem, quód absolutè loquendo concedēdum non est. Dico ergò obiectum formale charitatis non solùm esse bonitatem supernaturalem, quatenùs bonitas supernaturalis est idē, 11.

quod

quod increata, seu divina, sed etiam quatenùs lumine supernaturali cognosci solùm potest, & quatenùs radix est amabilitatis supernaturalis. Itaquè sicut essentia divina est obiectum formale visionis beatæ, quatenùs supernaturalis, id est, quatenùs est radix cognoscibilitatis, & veritatis supernaturalis, ita bonitas divina est obiectum formale charitatis quatenùs supernaturalis, id est quatenùs radix est amabilitatis supernaturalis; quam quidē amabilitatem ex eo habet Deus, quia nimirùm sit summè conveniens sibi ipsi, ut est unus in essentia communicabili tribus personis, & ut est perfectissimum quoddam principium omniū entium supernaturalium, & in quo tanquàm in primo exemplari elucet omnis perfectio rerum supernaturalium; sed præsertim beatitudinis supernaturalis; propterea enim S. Thom. dixit S. Thomas in quæstione 23. art. 4. corp. *Bonum divinum in quantùm est obiectum beatitudinis, habere specialem rationem boni, & hanc esse obiectum charitatis.*

DISPVTATIO II.

Quænam bonitas supernaturalis divina sit formale obiectum charitatis?

1. N lib. 2. Metaphysicæ disputatione de Bonitate dicebamus, bonū idem omnino esse, quod convenies; unde secundùm diversas rationes convenientiæ distingui possunt in Deo plures formalitates bonitatis supernaturalis. Imprimis enim essentia divina, & eius attributa quatenùs supernaturalia, sunt sibi ipsis convenientissima, nihilque est in Deo, quod non se habeat optimé comparatione ipsius perfectionis divinæ; & hoc est Deum in se ipso esse summum bonum, seu summam bonitaté. Deinde huius essentiæ personalitates, seu relationes, tam sibi, quàm essentiæ sunt convenientissimæ; & hæc est bonitas relativa, ratione cuius omnes, & singule sunt in suis explicitis conceptibus, & in se ipsis bonæ. Tertiò, tam essentia, & attributa, quàm personalitates sunt homini, & angelo convenientissimæ, quatenùs Deus est ultimus finis illos perficiés mediante beatitudine supernaturali, ad quam conditi sunt, & decorati gratia, atque alijs donis, quibus illam consequantur; & hoc modo Deus est summum bonum nostrum, habetque infinitam bonitatem, quæ intrinsecè respicit nos. Quartò, actus divini habent summam convenientiam cum recta ratione, & propterea volitio divina est summè bona in genere moris, id est, summè conveniens rectæ rationi, sicùt in homine, vel angelo ille actus appellatur bonus moraliter, qui consentaneus est rectæ rationi. Disputatur ergò an omnes istæ bonitates, proùt supernaturales, sint obiectum formale charitatis, an non, sed aliqua illarum.

Dico primó; obiectum formale charitatis non est illa bonitas, qua Deus est bonus nobis, sed qua est in se, & sibi ipsi bonus: sic sentiunt gravissimi Doctores in eo distinguentes charitatem ab spe, quod hęc respiciat Deum ut bonum nobis, illa verò ut bonum in se. Vide S. Thomam suprà q. 17. art. 6. corp. & ad 3. Caietanum ibi ad art. 5. & 7. Scotum in 3. dist. 26. q. unica. Gabrielem ibidem, art. 1. Medinam 1. 2. q. 62. art. 3. & Suarez 3. p. tom. 1. in commentario articuli, ante decimam nonam disputationem, qui id disertis verbis testantur. 2. S. Thom. Caietan. Scotus. Gabriel. Medina. Suarez.

Probatur primò authoritate Scripturæ, & Patrum, qua in tractatu 1. disput. 3. probavimus, inter Deum, & iustos esse veram amicitiam, eamque non distingui à charitate; cùm enim amicitia exigat, ut amicus amet amicum propter intrinsecam eius honestatem, & non propter commodum illud, quod solet esse obiectum amoris concupiscentiæ, fit planè, charitatem non tendere ad Deum, quia commodus est nobis, sed quia in se ipso bonus est. Et quidem S. Ambrosius lib. 3. Officiorum, cap. 16. optimè ostendit, hanc esse veræ amicitiæ proprietatem, ut nimirùm propriam commoditatem non quærat: & eleganter S. Bernardus in epist. 11. non lōge ab initio dixit, *Illum, qui in amando proximum, quærit propriam utilitatem, nō posse obedire Prophetæ, qui ait, confitemini Domino, quoniam bonus; confitetur quidem quia fortasse bonus est sibi, non autem* 3. S. Ambr. S. Bernar.

quoniam bonus est in se. Et paulò post. *Est* (inquit) *qui confitetur Domino, quoniã potens est; & est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est; & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est: primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius, & defert patri: sola, quæ in filio est charitas, non quærit quæ sua sunt:* & in tractatu de diligendo Deũ post mediũ, *Qui Domino* (inquit) *confitetur, nõ quoniam sibi bonus est, sed quoniam bonus est, hic verè diligit Deum propter Deum, & non propter se ipsum.*

4. Secundò probatur ratione, quæ in hactenùs allatis cõtinetur; illud enim est obiectum formale charitatis, quod ab homine, vel angelo amari potest, quando Deũ amat ut amicum; sed amando Deum, ut est bonus in se, amatur ut amicus, amando autem ut bonum nobis, diligitur amore concupiscentiæ; ergo obiectum formale charitatis est Deus ut in se bonus, & non ut bonus nobis. Confirmatur primò, quia charitas, & spes non aliter distingui possunt, nisi quia hæc respicit Deum ut bonũ nostrum, illa verò ut bonum in se, iuxta ea, quę latè prosecuti sumus in Materia de Spe tract.1. Confirmatur secũdò, quia bonitas, qua Deus est in se bonus, & illa, qua est bonus nobis, distinguuntur tanquàm duo attributa, ut in 1.p. controversia 1.tract.3. dicebamus; ergo ab illis specificantur duo habitus, nullus autem est, qui speciem desumere possit à bonitate Dei, ut est in se, nisi charitas; ergo.

5. Dico secundò, ad obiectum formale charitatis pertinet illa bonitas moralis, quam habet actus divinus, eò quòd sit summè consentaneus rectæ rationi. Probatur, quia hæc etiam est bonitas essentialis Dei, ut est in se, quia ipsemet est sua recta ratio; ac proinde dũ actus huic rationi conformatur, maximè consentaneus est ipsi Deo, unde pertinet ad formale obiectum charitatis, quę complectitur bonitatem omnem essentialem Deo, qua in se ipso bonus est: loquor autem de actu divino quoad perfectionem intrinsecam ipsi Deo; nam actus liber Dei, quatenùs liber est, connotat aliquid creatum, quod non est intrinsecum Deo, & hoc non pertinet ad obiectum formale charitatis.

6. Dico tertiò, peculiares bonitates relativæ, quas habent divinæ personalitates, & relationes, iuxta, dicta in Materia de Trinitate, seu 1.p. controversia 4. non sũt ipsum obiectum formale charitatis, sed pertinent ad complementum ipsius obiecti. Probatur, quia cùm habitus charitatis sit nobis infusus, ut Deum, quatenùs in se ipso bonus est, diligamus, eodem modo censendum est, se habere bonitatem istam comparatione obiecti formalis charitatis, quo se habet comparatione Dei; cùm ergò bonitas naturæ divinæ sit Deo essentialis, bonitas verò relativa personalitatum non sit essentialis naturæ divinæ, sed solùm pertineat, quasi ad complemẽtum, seu perfectionem constitutionis illius, sicùt etiam ipsæ personalitates ut 1. p. super q.28. seu controversia 4. probavi; dicẽdum est, bonitatem relativam solùm pertinere ad complementum obiecti formalis. Confirmatur, quia relationes divinæ non sunt obiectum formale visionis beatæ, sed complementum illius; ergo relationes divinæ, seu bonitas relativa illarum propria, & peculiaris non erit obiectum formale charitatis, sed complementum: patet consequentia, quia charitas proportionatur visioni.

Ex dictis patet, Deum Trinum, & Vnum absolutè appellari posse, & debere obiectum formale charitatis; proprium enim est omnium virtutum Theologicarum tendere in Deum ut in obiectum formale, Deus autem Trinus, & Vnus est; non verò dicitur Deus obiectum formale, quasi ratio explicita, quę movet, & specificat actum virtutis Theologicæ, sit deitas; nam obiectum formale fidei est divina authoritas; spei verò, bonitas Dei ut nostra; charitatis deniquè bonitas, qua Deus est bonus in se. Dicitur ergò Deus obiectum formale, quia omnes istę perfectiones sunt essentialiter ipse Deus, & quoniam ad deitatis veluti complementum pertinẽt personalitates, quibus Deus cõstituitur trinus, ipse etiam trinus, & simul unus appellatur obiectum formale. 7.

(*)

DIS-

DISPVTATIO III.

Vtrùm aliquid creatum pertineat ad formale obiectũ charitatis.

1. 
Vplex est dubitãdi ratio, prior desumpta ex paritate; obiectum enim formale fidei non est sola divina authoritas, sed etiam revelatio, quæ appellatur passiva, & est aliquid creatum, ut in hac 2.2. controversia 1.tract.1.dictum est, & obiectum formale Spei non solùm est bonitas increata, qua Deus est nobis bonus, sed ad eius complementum pertinet etiam visio beata, ut in controversia 2.tract. 1.probatum est; ergo obiectum formale charitatis non est sola bonitas increata Dei, sed aliquid creatum pertinebit saltém ad complementum huius obiecti.

2. S. Thom. Posterior ratio desumitur ex doctrina S.Thomæ, qui in 1.2.q.109.art.3. ad primum ait, *Obiectum charitatis esse Deum, quatenùs habemus spiritualem societatem cum illo*; hæc autem per gratiam, & visionem beatam habetur, ac proinde hæc dona pertinere videntur ad obiectum formale charitatis: & hic q.23.art.1.corp.ait, *Amicitiam hominis ad Deum fundari super communicationem beatitudinis*: & in art.4. *Obiectum charitatis esse bonum divinum, inquantùm est beatitudinis obiectum*; pertinet ergò ad obiectum formale charitatis beatitudo nostra, quæ est aliquid creatũ, præsertim cùm hęc ipsa beatitudo pertineat ad obiectum formale spei, & S.Thomas q.23.art.5.ad 3.dicat, idem bonum esse obiectum charitatis, & spei.

3. Nihilominùs dicendum est, nihil creatum pertinere ad obiectum formale charitatis, vel ad illius complementum; ac proinde adæquatum obiectum formalę esse bonitatem increatam, & supernaturalem, qua Deus est in se bonus. Desumitur hæc assertio ex communi sententia Doctorum, qui cùm dicant obiectum charitatis esse Deum ut bonum in se, plané excludere videntur, quidquid ab hoc bono distinctum est, atq; ex hoc principio petenda est ratio à priori; Deus, in quantùm est bonus in se, non exigit, vel respicit aliquod bonum creatum, ergo charitas, quæ specificatur à Deo; ut est in se bonus, non respicit aliquid creatum ut complementum talis obiecti. Confirmatur primò, ostendendo discrimen inter charitatem ex una parte, & fidem, ac spem ex altera, ut ostendit optimè S. Thomas q. 23.art.6.corp.& ibidem Caietanus: etenim fides, & spes respiciunt Deum, proùt nobis ab ipso aliquid provenit; fides quidem, ut ab ipso provenit cognitio veritatis mediante revelatione; & spes ut à Deo nobis provenit adeptio summi boni mediante visione beata; & quoniam revelatio ista, & visio sunt aliquid creatum, rectè asserit probabilior opinio, ad complementum obiecti formalis fidei, & spei pertinere aliquid creatum. At verò charitas respicit Deum, ut est bonus in se, non habita ratione alicuius commodi, vel doni creati inde provenientis; & propętereà sola bonitas divina est formale obiectum charitatis. S. Thom. Caietan.

4. Confirmatur secundò, quia testimonia, quæ in posteriori ratione dubitandi proferuntur ex S. Thomæ doctrina, non ita accipiẽda sũt, quasi beatitudo ipsa formalis, & cætera dona, quæ Deus amicis impertit, sint motivum amoris, ac proinde pertineant ad formale obiectum, eo enim ipso non foret charitas amicitia, sed concupiscentia contra doctrinam eiusdẽ Sancti Doctoris, & omnino certam, de qua in tract. 1.disp.3. sensus ergò est, obiectum formale charitatis esse illam bonitatem divinam, cuius participes efficiuntur iusti in hac vita medijs donis creatis, & quam in patria visuri, & amaturi sunt; & insuper requiri ad amicitiam, quam Deus nobiscum inire dignatus est media charitate, ut ipse nos ad suam societatem, & beatitudinem evexerit, sicùt inter alios amicos requiritur convictus, & communicatio, licet hæc non sint obiectum formale amicitiæ.

5. Deniq; cùm S.Thomas ait, idem bonum esse obiectũ charitatis, & spei, solùm agit de identitate reali, & essentiali, non autem de explicito motivo: nam ut ex suprà dictis constat, ipse etiam nos docuit, obiectum charitatis esseDeum ut bonum in se, spei verò ut bonum nostrum.

COMMENTARIVS in reliquos articulos quæstionis.25.

IN art. 2. & sequentibus vsq; ad 12. & ultimum agit S.Thomas de obiectis materialibus virtutis charitatis, seu de illis, quæ propter Deum diligi possunt, & debent; & quoniam eorum doctrina in discursu tractatus sequentis declaranda est,ut brevitati studeamus,prætermittenda erit summa articulorum.

TRACTATVS VI. de obiecto materiali habitus charitatis supernaturalis.

DISPVTATIO I.

Quid & quotuplex sit obiectum materiale charitatis.

1. OBiectum materiale alicuius potentiæ,vel habitus appellatur illud,quod non attingitur à potentia, vel habitu ratione sui,sed propter obiectum formale,quod specificat,& determinat; cùm ergò solus Deus sit, qui attingitur ab habitu charitatis ratione sui, ut in tractatu præcedente declaravimus,ille solus est obiectum formale,cætera verò omnia, quæ sub charitatem cadere possunt, pertinent ad obiectum materiale. Hæc autem sunt,ut uno verbo dicamus,omnia quæ aliquomodo ad Deum pertinent,vel ad Deum referuntur, aut in quibus eius bonitas,aut gloria elucet.

2. Porrò S. Thomas in art. 2. distinguit duo genera obiectorum materialium charitatis, unum est, quod amatur tanquàm suppositum,cui volumus aliquod bonum ex amicitia, aut benevolentia; & ad hoc genus solùm pertinent naturæ intellectuales, quia illæ propriè loquendo, & non aliæ sunt capaces amoris benevolentiæ, & amicitiæ. Alterũ est,quod amatur tãquàm bonum,quod alicui supposito optamus, vel in quo quomodolibet propter bonum amici complacemus; & ad hoc genus revocãtur cætera omnia,quæ ex charitate diliguntur,aut diligi possunt.

Postremò dubitabit aliquis, an & quatenús bona sit ea divisio obiectorum charitatis, quam exhibuit S.Augustinus to.3. lib.1. de Doctrina Christiana cap 23. dicens, *Quatuor sunt diligenda; unum, quod suprà nos est*(Deus); *alterum,quod nos sumus* (præsertim animus noster); *tertium, quod iuxta nos est*, (proximus); *quartum, quod infrà nos est* (proprium corpus).S. Thomas hic art.12.Magister in 3.dist.28 cap.1. & Albertus Magnus apud Carthusianum ibi q.1. prædictam divisionem referunt, & approbant, sed ea non est ita accipienda, quasi complectatur omnia, quæ mediante charitate diligi possunt,re enim vera non complectitur damnatos, nec creaturas irrationales, & alia dona creata,quæ, ut ex parte diximus, & infrà dicemus, sunt obiectum materiale charitatis: solùm ergò comprehendit personas intellectuales,quibus velle possumus, & solemus æternã fælicitatem, in cuius communicatione fundamentum habet amor amicitiæ, seu benevolentiæ, qui est proprius virtutis charitatis: & hoc modo divisio est adæquata, quia amorem amicitiæ supernaturalis non possumus habere ad creaturas irrationales, aut alia dona creata,sed solùm ad Deum, hominem,& angelum,imò nec ad damnatos, quia illis velle non licet beatitudinem, quam iam nullatenùs obtinere possunt:& licèt ad se ipsum nemo habeat amicitiam, habet tamen amorem benevolentiæ, quo sibi, & corpori suo vult beatitudinem æternam. Solùm igitur erga quatuor haberi potest prędictus amor amicitiæ,aut benevolentiæ,scilicèt erga Deum, nos ipsos, proximum, qui est homo, vel angelus, & proprium corpus. 3. *S. August. S.Thom. Magister. Albert. Carthus.*

4. Petes, cur nostrum corpus positum est in divisione tanquàm quidpiam à nobis ipsis distinctum,in nostro autem proximo,non ita. Respõdetur; rationem fuisse, quia in proximo tam animum, quam corpus accipimus, ut aliquid nobis coniunctum,seu quod iuxta nos est per unio

nem

neq; affectus; in nobis verò ipsis considerarmus corpus tanquàm aliquid inferius, & subditum animo.

DISPVTATIO II.

Vtrùm homo debeat se ipsum ex charitate diligere quoàd animam, & corpus, & quomodo?

SECTIO I.

Statuitur non solùm licitum, sed etiam præceptum esse amorem sui quoàd animam, & corpus.

1. S.Gregor.  Vanquàm iuxta doctrinam S. Gregorij Homilia 17. in Evangelia amor, quo quis diligit se ipsum, nec propriè charitas, nec amicitia appellari possit, certum tamen est, non solùm esse licitum, & honestū, imò elicitum à virtute charitatis amorem, quo quis animam suam, & corpus prosequatur, sed etiam cadere sub præceptum. Videantur S. Thomas, & eius interpretes in art. 4. necnon, & Magister in 3. dist. 28. cum alijs Scholasticis. S.Thom. Magister.

2. Probatur primò authoritate Scripturæ, in qua sæpè sæpiùs præcipiuntur nobis multa, quæ nobis ipsis valde utilia sunt ad salutem æternam animi, & corporis; imò & ad temporalem; tenemur ergò nobis ipsis prospicere, ac proinde nos diligere, nam dilectionis effectus, est procurare bona rei dilectæ. Sed in speciali dum iubemur diligere proximos, sicut nos ipsos, planè supponitur esse præceptum diligendi nos; imò inde sumendam esse mensuram dilectionis proximorum. Vnde S. Augustinus tom. 3. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 26. *Cùm dictum* (inquit) *est, diliges proximum tuum sicut te ipsum, simul & tui abs te dilectio non prætermissa est.* Quòd si in cap. 23. dixit, *Non fore danda præcepta de diligendo se ipsum, aut corpus suum,* solùm significat, non oportuisse dari in speciali, & divisim præceptum huius rei, quia & illud, & executio eius in promptu erant unicuique, *quantumlibet enim* (inquit) *homo excidat à veritate, manet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui:* & in cap. 25. *Modus* (inquit) *diligendi præcipiendus est homini, id est quomodo se diligat, ut prosit sibi, quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare dementis est.* S.August.

3. Secundò probatur, quia charitatis habitus inclinat in amorem proximi, non solùm licitum, sed etiam preceptum; ut notum est, & patebit ex dicendis; ergo etiam inclinabit in amorem sui subiecti, non solùm licitum, sed etiam preceptum. Patet consequentia primò, quia unusquisque habitus magis inclinat in bonū proprij subiecti, quàm in bonū alterius æqualis, aut similis. Secundò, quia non minùs, sed magis tenetur homo prospicere suæ æterne saluti, quàm saluti aliorum, sed in procuranda hac salute ob Dei gloriā maximé ostenditur charitas, ergo nō solùm proximum, sed etiā se ipsum tenetur quis ex charitate diligere. Tertiò, quia charitas inclinat in omnia illa, quę quomodolibet ordinantur ad Deum, & cedunt in eius gloriam; sed ipse homo ordinatur ad Deum, & illius bonum spirituale animę, & corporis; imò & temporale, quod est iuxta rectam rationem, cedit in Dei gloriam; ergò ipse homo est obiectum materiale charitatis, & ob divinam bonitatem diligi potest, & debet.

SECTIO II.

Cum prædicto amore optimè cohærere sanctum odium sui ipsius.

4. Contra doctrinam precedentis sectionis obijciet fortasse quispiā id, quod semel, & iterum Christus Dominus docet in Evangelio, Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit animam suā, non potest meus esse discipulus.* & Ioānis 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quibus verbis planè laudat, & præcipit Assertor noster odium hominis erga se ipsum, quod quidem contrarium videtur amori, quem, & honestum, & præceptum esse docuimus. Lucæ 14. Ioan. 12.

5. Verùm Ecclesia, & Sanctorum Patrum consensus explicuit, quodnam sit illud odium, & quā bene cū amore charitatis concilietur. Eleganter S. Augusti- S. Aug.

nus to. 9. tract. 51. in Ioannem explicans prædicta verba cap. 12. *Magna* (inquit) *& mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat, odium ne pereat; si malè amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti; fælices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando:* & infrà hoc ipsum declarans, *Cùm causa* (inquit) *articulus venerit, ut hæc cõditio proponatur, aut faciendũ esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere; ibi oderit in hoc mundo animã suam, ut in vitam æternam custodiat eam.*

6. *S. Chrys.* Nec minùs pulchré S. Chrysostomus to. 3. Homil. 66. in Ioan. *Quomodo* (inquit) *qui amat animam suã, perdet eam? Qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget: quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam, hoc est qui non paret ei, cùm aliquid perperam iubet.* *S. Gregor.* S. Gregorius Hom. l. 37. in Evangelia, *Odisse* (inquit) *præcipimur animam nostram, tunc bene nostram animã odimus, cùm eius carnalibus desiderijs non acquiescimus, cùm eius appetitum frangimus, is qui animam suam perfectè oderat, quid dicebat? ego non solùm alligari, sed & mori in Ierusalẽ paratus sum pro nomine Domini Iesu Christi. Ecce quomodo animam suam amando oderat, imò odiens amabat, quam cupiebat pro Iesu morti tradere, ut hanc ad vitam de peccati morte suscitaret.*

7. Concludo ergò, amorem, de quo in præcedente sectione dictum est, esse debere honestum, imò & supernaturalem, & cuius obiectum formale sit ipse Deus; quaré non potest homo mediate illo diligere se ipsum, nisi iuxta regulas rationis, & legis divinæ. Et quoniam prava inclinatio appetitus nostri allicit nos ad ea, quæ huic rationi, & legi cõtraria sunt, ipsamet charitas requirit etiã odium, quo huic inclinationi reluctemur, illamq; vincamus; & in hoc consistit odium sanctum sui ipsius, quod re vera pertinet etiam ad charitatẽ. Sed quoniã hæc reluctatio, & victoria gradus multos habet, interdum enim propterea amitti potest vita, interdũ procurari, aut desiderari mors, sæpè mortificanda corporis membra ieiunijs, alijsque macerationum generibus, oportet in sequentibus expendamus, an, & quatenus sanctum sui odium ad hæc extendi possit.

SECTIO III.

An, & quatenùs ex charitate licitum sit sibi mortem inferre, aut saltèm vitæ tempus abbreuiare.

Communis, & certa Doctorũ sententia est, nunquã esse licitũ sibi mortẽ directè inferre, seu se ipsum occidere. 8.
Quod latè, & optimè confirmãt S. Aug. *S. August.*
to. 5. lib. 1. de Civit Dei, á cap. 17. ad 27. *S. Thom.*
S. Thomas infrà q. 64. art. 5. Sotus lib. 5. *Sotus.*
de Iustitia q. 1. art. 5. Victoria relectione *Victoria.*
de homicidio. Molina tom. 4. de Iustitia *Valenc.*
tract. 3. disp 8. Valencia to. 3. disp. 5. q. 8. *Navarra.*
p. 5. Navarra lib. 2. de Restitutione cap. 3. p. 1. & alij. Probatur breviter; quia homo non est absolutè dominus suæ vitæ, ut optimè ostendit Molina in disput. 1. illius tractatus, sed solùm habet ius utendi illa, & veluti eam dispensandi, ac administrandi; hoc autẽ ius non eò pervenit, ut directé possit homo vitam sibi adimere; nec enim in ullo casu id erit necessarium, nec consentaneum est naturali inclinationi hominis in sui conservationẽ. Sapienterque Sanctus Augustinus in illo cap. 27. ait, *Si ob aliquam rationẽ* *S. August.* *sibi quisque posset mortem inferre, certè ut peccata devitaret; unde cùm insanus sit, qui propterea se occiderit, manifestum est, id nunquàm licere.*

Advertendum tamen imprimis est, ex 9. speciali iussu, aut instinctu Dei licitũ esse occidere semetipsum, quia Deus, qui perfectum dominium habet nostræ vitæ, potest nobis tribuere potestatẽ auferẽdi illam: & propterea licitũ, & sanctum fuit, quod Sanson Iudic. 16. semetipsum cum *Iudic. 16.* Philisteis occiderit, quod S. Apollonia se in rogum ignis proiecerit; & eadẽ ratione excusandum, & laudandum videtur, quod Sãctus Ignatius Martyr in epistola *S. Ignat.* ad Romanos, *Vtinam* (ait) *fruar bestijs, quæ mihi paratæ sunt, quas opto allici, ut celeriùs me comedant, & si ipsæ noluerint, ego ipsis vim ingeram, ego urgebo. Ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat:* nisi forte dicat aliquis, hæc ex qua-

dam spiritualis affectus redundantia, hyperbolicè dicta fuisse, & ab ignito divinis flammis corde profecta.

10. Deinde advertendum est, indirectè interdum esse licitum sibi mortem inferre, seu potiùs permittere in se mortem, non quidem efficiendo actionem, quæ mortem ipsam afferat, ut infligendo sibi vulnus læthale; id enim est directè se occidere, quod est intrinsecè malum, sed omittendo actiones, quibus vita conservaretur: sic sanctum esset non comedere, quando non offerretur nisi cibus, cuius manducatio grave scandalum generaret; etiamsi propterea quis præ fame moreretur; similiter licet Carthusiano ob bonum suæ communitatis, & exemplum Ecclesiæ non comedere carnes, licèt propterea certò moriturus crederetur; imò ad id præstandum obligaretur, ut 1. 2. controversia 7. tract. 3. dictum est, &c. Solùm servanda est regula generalis, ut nimirùm hæc indirecta occisio, seu mortis permissio non nisi gravi de causa fiat, causa (inquam) in qua dictet prudentia, non esse hominem vitæ suæ prodigum, sed fidelem administratorem.

11. Tertiò de casibus, in quibus liceat, vel teneamur abscindere membrum v. g. manum, pedem, aut similia, legendi sunt Sotus suprà quæst. 2. Molina in illa prima disputatione, Valencia quæst. 9. Navarra suprà difficult. 6. solum adverte cum Soto, & Valencia, neminem teneri prospicere vitę suæ cum tanto dolore, aut detrimento, sed posse permittere mortem potiùs quā mutilationem; quod idem docet Molina, quando dolor maximus in se proventurus esset.

Sotus. Molina. Valenc. Navar.

12. Quartò magis proprium huius loci est indagare, an & quando cōtra charitatem sit vitam ipsam abbreviare laboribus, vigilijs, pœnitentijs, aut etiam alijs exercitijs. Qua in re nihil certius affirmari potest, quam id arbitrio prudētis definiendum esse; cùm enim homo ex una parte non sit dominus suæ vitæ, peccare graviter potest nimis eam abbreviando, cùm id perinde sit, ac partem vitę sibi auferre; ex altera verò cum sit veluti administrator, potest eam exercere, & veluti atterere, præsertim cùm cōditus sit ad promerendam gloriam, qui finis multa exigit non ita accommodata ad vitam protrahendam. Res sanè non est scrupulosè accipienda præsertim ab ijs, qui ob divinum obsequium, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis valde corpus affligunt, raro enim, aut potiùs nunquàm damnandus esset tanquàm culpę mortalis reus, qui propterea vitam valde abbreviaret. Et quidem Victoria suprà n. 34. ait, licèt medicus dicat, fore ut vita alicuius protrahatur ad decem annos, si vinum bibat, posse nihilominùs à vino abstinere: & alij dicunt non esse illicitum pœnitentijs affligi, licèt propterea vitę duodecim annos amissurus sit: & idē Victoria n. 35. ait licèt ægrotus, de cuius salute desperatur, posset aliquot dies pharmaco pretioso protrahere vitam, nō teneri illud emere: & n. 33. nullum teneri quærere civitatem salubriorem. *Victoria.*

13. Dices, si homo, cui una tantùm dies vitæ superest, se ipsum occideret, peccaret læthaliter; ergo potiori iure censebitur grave peccatum, ita affligere corpus, ut vita abbrevietur per aliquot annos: patet consequentia, quia plus temporis vitæ aufertur hoc modo. Respondetur, concesso antecedēte negando cōsequentiam; cuius probatio non urget; nam malitia occisionis non consistit in eo, quòd una, vel plures dies vitę auferantur, sed in modo auferendi; ille enim, qui iam proximus morti auferret diem vitæ, quæ illi supererat, foret absolutè occisor sui; ille autem, qui paulatim abbreviat vitam, nō est sui occisor, sed veluti administrator, & gubernator suę vitę; ad gubernationem autem pertinet ita se gerere, ut vel magis, vel minus vivat; prętereàque nō potest non esse laudabile in obsequio divino, quod sępè consistit in rebus vitę contrarijs, eam imminuere, aut coarctare: pro quo facit, quod cùm tempus vitæ nostrę incertum sit, & fortasse illi, qui nunc agit annos adolescentiæ, & robustissimus est, exiguum tempus supersit, non est censendus sibi inimicus, aut contra rationem agens, si ut carnem spiritui subijciat, se exerceat in operibus, quæ alioqui minus accommodata videntur vitæ conservationi.

(.?.)

SECTIO IIII.

Possit ne homo sibi mortem, & alia nocumenta desiderare.

14. NOn est sermo de morte spirituali, aut nocumentis animæ, quæ peccata sunt; certum enim est nunquàm licere homini eiusmodi mala desiderare, quia sicut nunquàm licitum est peccare; ita nec desiderare peccatú; hoc enim ipsum desiderium peccatum est: agitur ergò de morte, & nocumentis corporalibus.

15. Imprimis certú est, licitú, & sanctum esse desiderare mortem ut quis fruatur Deo. Quod quidé probat primò Sáctorú hominú consensus, quibus hoc desiderium veluti innatú est. Vnde Apostolus ad Philipp. 1. *Desiderium* (inquit) *habens dissolvi, & esse cum Christo*: ubi S. Chrysostomus Homil. 4. *Et si ob nullam* (inquit) *aliam causam, ob hanc certè liberationem desiderare oportebat: & si innumeris bonis reperta fuissent præsentia, propter Christum tamen dilectum, ac desideratum ab illis liberatum iri concupiscendum erat.* Vide illustria testimonia S. Cypriani, & S. Augustini, variaque exempla Sanctorum, quæ in huius veritatis confirmationem affert Franciscus Arias (qué honoris causa nomino) 1. p. de Imitatione Christi Domini, tract. 7. cap. 7. Secundò probat ratio: quia frui Deo lóge melius est, quàm vivere; ergo non facit cótra amorem, aut charitatem sibi debitã, qui bonum vitæ amittere vult, ut illud longe maius comparet. Aliunde vero nó facit contra iustitiam debitam reipublicæ, aut Deo, qui Dominus est vitæ; quia, ut supponimus, non desideratur mors iniuste inflicta, sed quæ proveniat à Deo, qui pro voluntate sua potest vitam auferre quando, & quomodo ipsi placuerit.

Thilip. 1. S.Chryf. Arias.

16. Ex quo infertur, quando propter magnum aliquod bonum Ecclesiæ, vel reipublicæ foret omnino necessaria vita alicuius, non esse licitum mortem desiderare, etiam propter finem fruendi Deo, quia finis iste posteà obtineri potest, & charitatis lege obligamur prospicere bono Ecclesiæ, vel reipublicæ: sic Abulensis 3. Reg. cap. 17. q. 4. initio: & notavit eleganter S. Augustinus tom. 8. enarratione in Psalmum 141. in ea verba: *Educ de custodia* (de carcere) *animam meam ad confitendum nomini tuo. Fortè* (inquit) *iustus dicit, iam moriar; educ de carcere isto corporis animam meam. Si nimis festinat, non habet charitatem: desiderare quidem hoc debet, & concupiscere sicut Apostolus ait, concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo, multo enim magis optimum. Sed ubi est charitas? Ergò sequitur manere in carne necessariú est propter vos:* & hoc est quod meritò Ecclesia laudando refert in festo B. Martini, *Si adhùc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua.*

Abulens. S.August. Psal. 141.

17. Secundò certum est, licitum, & laudabile esse desiderare mortem propter aliquod magnum bonum spirituale, quod in hac vita ex morte proveniat. Veritaté hanc omnino persuadet id, quod bene notarunt Navarra lib. 1. de restitut. p. 1. in dub. 2. ad ultimum, & Abulensis in cap. 24. lib. 2. Regum q. 41. scilicet laudabile esse desiderare martyrium; id enim passim legimus enixe desideravisse sanctos viros, & desiderant hodie viri pij, quibus videtur, & meritò quidem is esse ferventissimus charitatis actus. Probatur eadem ratione, qua præcedens notatio, quia subire morté pro Christo Domino est longe melius, quam vivere; unde in hoc genere mortis desiderando, nec facit homo contra amorem sibi debitum, cùm potius se ipsum in eo magis diligat, nec cótra ius debitum Deo, quia id potiùs cedit in eius gloriam; nec contra bonum Ecclesiæ quam potiùs, ut eleganter in epist. 6. li. 2. dixit S. Cyprianus: *Gloriosus Martyrum sanguis illustrat, & quæ erat in bonis operibus candida, fit in martyrum cruore purpurea, &c.*

Navarra. Abulens. S. Cypr.

18. Solùm obijciet aliquis, ut iustus subeat martyrium, necessarium est peccatú proximi, qui illum occidat; ergo qui desiderat martyrium, desiderat peccatum persecutoris, quod omnino est cótra charitaté; ergo nó licet desiderare martyrium. Respódetur, si obiectio foret alicuius momenti, damnandú esset accensum desideriú subeundæ mortis, quo flagrabat Christus D. quod est absurdissimum. Dupliciter ergo solvenda est, primò negando antecedens, quia in aliquo casu licèt rarò

evenire

evenire potest, ut quis martyrio coronetur sinè culpa persecutoris, si nimirùm iste invincibiliter ignoraret nostram fidē esse verā,& potiꝰ crederet oportere occidi eos,qui eam profitentur. Secundò,& meliùs,concesso antecedente, negatur consequentia; quia qui desiderat martyrium, supponit in persecutore voluntatem occidendi illum, & alios professores Christianæ religionis; ipse verò martyr solùm desiderat perpeti mortem, quia licèt persecutor peccet illam infligendo, iustus optimè facit illam subeūdo,& hoc(quod optimum est) desiderat, qui martyrij coronam exoptat, & petit à Deo, non autē culpam persecutoris.

19. Tertiò negari non potest sanctum esse optare mortem ad vitandum magnum malum spirituale; sic enim optimè facit, qui desiderat priùs mori, quàm committere culpam mortalem: imò qui desideraret mortem,ut à peccatis venialibus,sinè quibus nemo iustus vivit, omnino abstineret,laudandus esset. Sic sentit expressé Illefonsus Rodriguez tom.1.tract.8.& 20.pag. 554.& colligitur ex Navarra suprà,ubi ait, licitum esse desiderare mortem propter bonum finem, carere autem venialibus culpis bonum est,ex Abulensi suprà dicente, licére optare mortē propter causam convenientem, scilicèt propter laudē Dei,vitari autē omnia venialia esset maximè gloriosum Deo: & ex Francisco Arias suprà cap. 8.ubi ait, desideriū mortis esse quidpiā indifferens,ac proinde nō esse malū,quādo finis,& media bona sūt. Facit pro hac assertione testimoniū S. Cypriani in libro de mortalitate,quod affert Arias ubi suprà. Et ratio persuadet, quia desiderare mortē ob prædictū finem est magnū signum divini amoris,provenit enim ex tāta æstimatione divini beneplaciti,ut propter illud, & ne displiceat iustus Deo,libenter velit privari maximo bono naturali,quod est vita;& cū aliundè non petatur mors per mediū aliquod illicitū; sed à Deo ipso proveniēs,qui eā infligere potest,nō est cur eiusmodi desideriū non laudetur,sicùt & illud, quo quis optaret mortem,ut liberaretur à periculis graviter offendendi Deum.

Illefonsus Rodrig. Navar. Abulens. Arias.

20. Quartò ergò superest differendum,an ad vitanda mala temporalia, v. g. infamiam, molestiam, ægritudinem, vel internam afflictionem, liceat sibi mortem exoptare. Navarrus in Summa cap. 15. num.11. & Abulensis quæst. 4. in caput 19.libri 3. Regum,existimant id esse peccatum mortale: affert Navarrus S. Augustinum,& S.Thomam, qui tamèn solùm affirmant illicitam esse occisionem sui ipsius.Probat deindè ratione, quia homo non est dominus vitæ suæ;sed id nō urget, quia quòd homo nō habeat eiusmodi dominium,solùm suadet, non licère á se vitā auferre, non autem quòd non possit petere à Deo vero vitæ Domino, ut illam destruat. Aliam rationem addidit Abulensis,quia nimirùm timiditatis, aut pusillanimitatis vitium est velle carere magno bono temporali,quod est vita,& mori ob vitanda aliqua mala minoris momenti. Sed responderi potest, aliqua mala temporalia prudēter æstimari solere maioris momenti, quàm mortem, iuxta illud Ecclesiastici 30. *Melior est mors quàm vita amara:* & Iudas strenuissimus dux 1. Machab.3. *Melius* (inquit) *est nos mori in bello,quàm videre mala gentis nostræ & Sanctorum;* nō ergo est pusillanimitas in prædicto casu, aut similibus mortem desiderare.

Navarr. Abulens. Ecclesi. 30 1. Mach.3

21. Quarè dicendum est, absquè peccato posse quempiàm desiderare mortem, ut ab aliquo magno malo temporali liberetur. Sic Sotus in 4. dist. 50. q. unic. art. 5. post 5. conclus. Arias, & Illefonsus Rodriguez suprà,& alij recētiores. Probatur primó, quia viri Sancti mortē ob prædictū finē exoptarunt, ut Elias 3. Reg. 19. *Petivit animæ suæ ut moreretur*, pertesus nimirùm vitæ plenæ tantis calamitatibus; & Ionas cap.4. semel, & iterùm petivit mortem à Domino ob nimiam afflictionem. Nec satisfacit, quod Abulensis suprà dixit, Eliæ desideriū ex zelo divino ortū habuisse;cupiebat enim mori,ne videret peccata populorū; nam licèt hoc verum sit,pro nobis est, videre enim peccata nō erat culpa,sed materia magnæ afflictionis, & ut ab hac liberaretur mori volebat: & id ipsum asserimus in præsenti,maximū aliquē dolorē, aut damnū temporale esse causam sufficientem, ut licitè mors desideraretur.

Sotus. Illefonsus Rodrig. Arias. 3.Reg. 19 Iona 4.

22. Et hoc ipsum secundò probatur, quia prudenter censeri potest maius malū eiusmodi afflictio,quàm mors, præser-

tim in lege gratiæ, in qua statim post mortem patet aditus ad gloriam, si nihil superfit purgandum; non ergo est contra charitatem sibi debitam velle mori potiùs, quàm illud pati; & aliunde nulla iniustitia fit; quia mors petitur à Deo, qui potest illam iustè inferre, & respublica nō patitur damnum, quia suppono eiusmodi hominis vitam non esse tunc necessariam ad aliquem finem magni momenti. Extrà casum ergò magnę calamitatis, aut afflictionis non auderem excusare eiusmodi desiderium à culpa mortali, quia graviter lædit charitatem sibi debitam, qui privari vult maximo bono naturali, cuius non est dominus, absque ulla causa alicuius momenti; sic sanè qui sinè necessitate sufficienti desideraret gravem infirmitatem censeretur graviter agere contra naturalem inclinationem, & obligationem prospiciendi bono proprio, maius autem malum est mors. Quarè non est censendū desideriū mortis quidpiā indifferens, quod non habeat gravem malitiā, nisi malus finis apponatur, sed potiùs est hoc desiderium talis naturæ, ut nisi fine honesto, aut bono non levis momenti cohonestetur, graviter malum sit, sicùt est graviter malum occidere, vel infamare proximum, nisi adsint causæ iustissimæ, quas Doctores enumerare solent.

23. Ex dictis collige quando, & quomodo liceat alia nocuméta gravia sibi exoptare; ægritudinem enim, dolores, & similia corporis nocumenta licitum est desiderare, quando ad vitandum aliquod peccatum læthale, aut multa venialia necessarium foret, vel quando inde magna gloria divina proveniret, aut vitaretur aliquod aliud malum maioris momenti. Quod verò attinet ad nocumentum famæ, minus scrupulosum est; quia cùm homo sit dominus suæ famæ, non solùm licèt desiderare infamiam ad imitandum Christum Dominum, & ob alios honestos fines, sed etiam sinè causa se infamare non est ex genere suo peccatum mortale, nisi in uno, vel altero casu, de quo in suo loco dicetur. Vide Sotum de tegendo secreto m. 1. in appendice quæstionis 2. & præsertim Navarrum lib. 2. de restitut. cap. 4. part. 2. dub. 1.

Sotus. *Navar.*

DISPVTATIO III.

Vtrùm iusti, & sancti sint ex charitate diligendi. Vbi an, & quatenùs liceat aliquod malum illis optare, aut etiam procurare.



Communis, & certa conclusio est, omnes iustos & sanctos. tā viatores, quā comprehensores ex charitate diligendos esse. 1. Probatur, quia non solùm referuntur in Deū, & ad eius gloriā conducunt, quod sufficeret, ut essent obiectū materiale charitatis, sed etiā peculiari modo ad illam pertinent, quatenùs supernaturalis amicitiā, quæ est propria charitatis, erga omnes iustos homines, vel angelos haberi potest, ut in tract. 1. disp. 3. declaravimus, & sanè cùm generale sit pręceptum diligēdi proximum, nemo potiori iure proximus est quàm iustus, aut Sanctus: qua verò ratione pręceptum hoc implendum sit, patebit ex multis infrà dicendis.

Hic solùm quæret aliquis, an, & quomodo non lęsa charitate, ac proinde sinè ulla culpa possimus iustis viatoribus aliquod malum desiderare, aut etiā procurare, nā beati iam nō sunt in statu capaci alicuius mali etiam temporalis. Respondetur; aliqua esse in hac difficultate omnino certa; primum, non licère desiderare iusto lapsum in aliquam culpam, liceret tamen desiderare permissionem culpę etiam læthalis, quando id foret necessariū, ut præservaretur ab alijs maioribus, aut etiam ab æterna damnatione. Secundū, non licère iusto procurare mortem, aut illam ei inferre per se loquendo, quia occidere innocentem malum est; interdum verò per accidens licet occidere innocentem, ut explicabitur in tract. 13. & similiter authoritate publica interficere delinquentem, qui tempore infligendæ mortis sit iam iustus. Tertium, laudabile est desiderare alicui iusto mortē, si vivendo lapsurus sit in peccatū lethale, id enim quivis desiderare potest, & debet sibi. Quartū 2.

in casibus, in quibus diximus licére sibi desiderare mortem, licitum etiam videtur desiderare alteri, quando hic eodem desiderio flagraret, v. g. desiderat Petrus mortem, ut Deo perfruatur, vel ut ab ægritudine molestissima liberetur, licébit tunc mihi eandem mortem Petro desiderare ob eundem finem, quia obiectum huius desiderij honestum est, ut constat ex disputatione præcedente, & aliundè nullum damnum infertur Petro, quippè illud ipsum desiderat.

3. Solùm ergò superest differendum, an si quis, ut rectè potest, vellet vivere, nullumq; mortis desiderium admittere in casibus, in quibus potest, sed nō tenetur desiderare mortem, an (inquam) tunc lethaliter peccaret alter, qui illi mortem exoptaret propter bonum finem, fruendi Deo, vitādi culpas veniales &c. alicui videretur hoc esse peccatum, quia contra charitatem est desiderare alteri magnum damnum, quod ipse iustè recusat. Nihilominùs dicendum est id omninò licère. Sic Navarra, & Navarrus adducendi in fine disputationis sequētis; & suadetur primò, quia magis tenetur homo, cæteris paribus, prospicere vitæ suæ, quàm vitæ proximi, cùm charitas ordinata incipiat à se ipsa; sed homo potest propter bonos fines, suprà enumeratos, exoptare mortem sibi; ergò & proximo. Secundò, quia obiectū huius desiderij honestum est, desideratur enim malū mortis propter alia bona, quæ maioris momenti sunt, quàm ipsa vita; ergò desiderium honestum est. Patet consequētia; quia bonitas actuum humanorū; ex obiecto, aut fine desumitur. Nec proximus esse potest in hac re rationabiliter invitus, quia licèt desideretur illi magnum malum, id fit intuitu maioris boni, & ideò non est contra charitatem eiusmodi desiderium.

Navarrus. Navarra.

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm viatores Deo inimici sint diligendi ex charitate. vbi de odio adversùs peccatores, quod legitur in sacra Scriptura.



1. S. Thomas in art. 6. rectè affirmat, in peccatore odio habendum esse culpam, sed diligendam personam, id quod etiā docuit Magister in 3. dist. 28. & est universæ Ecclesiæ doctrina, quia sinè ulla limitatione præcipitur nobis dilectio proximi, quicumq; autem homo quantumcùmq; peccator, proximus noster est. Accedit quòd fundamētum amoris charitatis est communicatio eiusdem beatitudinis; quicumq; autem viator est capax beatitudinis, idest, habet statum, in quo accipit à Deo auxilia, saltèm sufficientia, ut à peccato resurgat, & beatitudinem consequatur; omnis ergo viator amari potest, & debet amore charitatis, solūq; odio haberi potest, quatenùs peccator est, idest, quoad culpam, quam habet, & Deus non fecit, sed detestatur, iuxtá illud Psalmi 138. *Nonne qui oderūt te Domine oderā, & super inimicos tuos tabescebam? perfectio odio oderam illos:* ubi eleganter S. Augustinus. *Quid est* (inquit) *perfecto odio? oderā in eis iniquitatem eorum, diligebam conditionem tuā, hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas: hoc in eis oderit, quòd iniqui sunt, hoc diligat, quòd homines sunt.*

S. Thom. *Magister.* *Psal. 138.*

2. Sed obijcies primò plura Scripturæ testimonia, in quibus sacri Scriptores maxima mala peccatoribus imprecantur; ergò nō eos amore charitatis, sed odio prosequuntur, & prosequendos esse verbis, factisq; testantur. Patet consequentia; quia nullus est certior effectus odij, quàm imprecatio magni mali. Antecedens verò probatur referendo varia testimonia. Psalmo 34. *Effunde frameam, & conclude adversùs eos, qui persequuntur me.* Psalmo 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* Psal. 98. *Diabolus stet à dextris eius, cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.* Threnorum 1. *Ingrediatur omne malum eorum coram te, & vindemia eos* &c. Apocal. 6. *Vsque quo Domine, non iudicas, & non vindicas sanguinē nostrum de ijs, qui habitant in terra.*

Psalm. 34. 97. & 98. *Thren. 1.* *Apoc. 6.*

3. Respondetur cum S. Thoma in solutione tertij; tripliciter accipienda esse testimonia, in quibus sancti viri imprecantur interitum, & alia mala peccatoribus;

primùm enim significăt, odium ergà peccatorem, ut peccator est, seu desiderium destructionis ipsius peccati. Pro qua explicatione Valenc. affert Valencia q. 3. p. 2. S. Hieronymum, & Originem. Sed prætereunda S. August. non sunt elegantissima verba S. Augustini Psal. 149. enarrat. in Psal. 149. super illum versiculum, *Gladij ancipites in manibus corũ ad faciendam vindictam in nationibus Videte* (inquit) *si non est vindicta in gentibus, bellant sancti, educunt frameas bis acutas, fiunt strages, fiunt occisiones, quomodò, inquies, pagani occiduntur? quomodò, nisi cùm christiani fiunt? quæro paganum, & nõ invenio; Christianus est, ergo mortuus est paganus; quæro Saulum persecutorem, & non invenio, occisus est.* Itaq; hæc sunt mala, quæ iusti peccatoribus exoptare, & inferre solent. Secũda explicatio est, ut accipiantur prædicta testimonia per modũ prædictionis, quasi diceret. *Effunde frameam*, id est, *effundes, diabolus stet*, id est, *stabit à dextris eius; obscurentur oculi eorum*; id est, *obscurabuntur.* Vndé Anacle. Anacletus Papa in Epist. 2. quæ refertur in tomo 1. Conciliorum, ait, hæc verba non optantis, sed prophetantis animo dicta fuisse. Tertiò deniqué significatur his testimonijs, iustos velle peccatoribus mala, quia sciunt Deum ea velle infligere, eò quòd ita expediat ad gloriam suam, & bonum Ecclesiæ; non est autèm malum, sed bonũ, velle quidquid Deus efficaciter vult, S. Bernar. sub ea nimirùm ratione, qua vult, ut in 1. 2. controversi 2. dictum est. Sic S. Bernardus serm. 8. in Psalmum. *Qui habitat*, non longé à fine, *Quid* (inquit) *in insipientium interitu sapientiæ creaimus placiturum, nisi iustissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? sanè quòd sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoq; placeat necesse est universis: non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur, oculis tuis considerabis, quando & videbis in eorum interitu; nõ quod velut quadam immanitate crudelitatis in ipsa tibi ultione complaceat, sed quòd modus ipse pulcherrimæ ordinationis, ultrà quam credi possit, iustitiæ delatorẽ, & amatorem æquitatis oblectet.*

4. Obijcies secũdò, iustus in amore, quo prosequitur proximum, imitari debet divinum amorem, sed Deus non amat, imò odio prosequitur peccatorem, quamdiù peccator est; ergo iustus non debet amare peccatoré. Confirmatur, quia nullũ peccatoré amat De' amore amicitiæ; ergo nec iustus amare debet, sed charitas est amor amicitiæ; ergo peccator nõ est diligendus ex charitate. Respõdetur cõcessa maiori, distinguẽdo minoré; Deus enim odio habet peccatorem, ut peccator est, sed diligit naturam, quam creavit, & illi plura bona confert; ita ergo iustus odio habere potest peccatum, dummodò personam diligat. Ad Cõfirmationem respondetur primò; licèt Deus nõ amet peccatorem amore amicitiæ, amat amore benevolentiæ, volendo illi plura bona naturalia, & auxilia supernaturalia; quarè licèt iustus non amaret peccatorem, ut amicum, amare posset, & deberet amore benevolentiæ, volendo illi bona, quę Deus vũlt; hic autem amor elicitus propter divinam bonitatem pertinet ad virtutem charitatis; nec enim necesse est omnem actum, quo ex charitate diligitur proximus, esse amicitiá comparatione illius, satis enim est, si comparatione Dei, propter quem amatur, sit amicitia. Secundo respondetur, peccatorem diligi à Deo amore amicitiæ, non pro statu peccati, sed pro alio, in quo gratiam, & charitatem habiturus est; & ita iustus potest diligere amore amicitiæ peccatorem, referẽdo suum amorem ad illud tempus, in quo gratiam habebit Sed notari oportet discrimen inter divinum amorem, & nostrum; licet enim iste illum imitetur, non est in omnibus paritas asserenda: etenim amor amicitiæ existens in Deo est absolutè efficax, fortiturq; effectum suum; & ideò si peccatorem absolutè prosequeretur hoc amore, eo ipso redderet illum amicum sibi, destrueretq; proindè peccatum; at vero amor amicitiæ iusti ergà peccatorem nõ est tantæ efficacitatis, quia non est potẽs illum reddere iustum, & destruere peccatum, licét ex animo velit hoc bonum ipsi peccatori; & ideò dici potest absolutè iustus prosequi peccatoré amore, qui quãtùm est ex parte amantis est amicitia, De' verò absolutè dicitur peccatorem non amare amore amicitiæ.

Sed urgebis primò: plures peccatores sunt, qui numquàm erunt iusti, nunquàm resurgent à peccatis; ergo istis non desiderat iustus ex animo iustitiam, & beatitudinem. Respondetur negando conse- 5.

quentiá

quentiam, quia iustus nescit quisnam proximorum pertineat ad hunc numerum peccatorum, & ideò unicuique desiderat ex animo iustitiam, seu gratiam; amor enim, aut desiderium efficax sæpè tendit in id, quod nũquàm evenit, saltèm si non sciatur non eventurum. ¶ Sed urgebis secundò, ergo saltèm iustus, qui Deo revelante sciret aliquem peccatorem nunquàm à peccato surrecturum, sed perpetuò damnandum, non posset illi velle efficaciter gratiam, & beatitudinẽ, ac proinde non amaret illum amore amicitiæ. Patet consequentia, quoàd priorem partem, tum quia voluntas efficax non potest tendere in id, quod scitur non futurũ: tũ etiam quia is amor esset malus, utpotè oppositus efficaci voluntati Dei, qui vult illum hominem dãnare propter sua peccata. Quoàd posteriorem verò partem probatur, quia amor amicitię esse debet efficax, ut omnes supponunt. Respondetur distinguendo consequens, non enim posset illum amare amore plenè efficaci, quo nimirùm absolutè, & attentis omnibus circumstantijs nobis notis vellet ex animo gratiam, & beatitudinẽ re ipsa conferri huic peccatori; posset tamen amare amore amicitię imperfectè efficaci, virtute cuius vellet adhibere aliqua media conducentia ad illius iustificationem, & gloriam, licèt tandẽ illam non esset consecuturus; hoc enim modo rectè potest desiderari, quod scitur non futurum; nec est contra voluntatem Dei, quia ipse, qui tandem decrevit aliquem obdurare, & damnare, simul vult à nobis adhiberi media, quibus emolliatur, & salvetur.

6. Et eâdem ratione liceret pro eiusmodi peccatoribus orare Deum, oratione nimirùm, quę efficaciter omnino postularet auxilia ad salutem sufficientia, & inefficaciter complaceret in æterna illorum salute: non autem licita foret oratio omnino, & undequaque efficax; quia quod omnino efficaciter non licet velle, non potest esse materia orationis omnino efficacis; oratio enim supponit voluntatem eius, quod petitur, & qua proportione crescit orationis efficacitas, eadem crescere supponitur desiderium: & sic accipiendum est, quod S. Augustinus dixit tom. 5. lib. 21. de Civit. cap 24. nimirùm, quod si Ecclesia certò sciret damnationem alicuius, non oraret pro illo.

Obijcies tertio, non magis tenetur iustus diligere peccatores, quàm peccatores amant se ipsos; sed peccatores non diligunt semetipsos; ergo nec iustus tenetur illos diligere. Minor probatur, quia volunt sibi maximum malum, nempè culpam, & æternam pœnam, quod est manifestum signum odij. S. Thomas in art. 7. latè explicat, an, & quatenùs verum sit, peccatores non diligi á semetipsis. Dico breviter, peccatores diligi à semetipsis quoàd aliquid, nempè quoàd bona naturalia, animi scilicèt, & corporis existentiam, sed prout peccant, odio habere semetipsos quoàd bona divina, quæ peccãdo amittunt. Qua doctrina posita, respõdetur concessa maiori, & distinguendo minorem, iuxta dicta; consequens verò non bene infertur ex præmissis, quia in casibus, in quibus iustus tenetur diligere peccatores; ipsi etiam tenentur se diligere, volendo scilicèt exire à peccato, quãdo urget præceptum; extrà hunc verò, & similes casus, nõ tenetur iustus amare in actu secundo peccatorem, sed tenetur nõ odio prosequi illum, volendo nimirùm positivé, quod ipse peccet, aut in peccato permaneat; & eodem modo ipse peccator ita volendo peccaret, & sicùt aliquando posset per aliquod breve tempus peccator non resurgere à peccato, sed velle differre in commodius tempus, ita & iustus id ipsum posset velle peccatori. 7. S.Thom.

In fine disputationis petet aliquis, an liceat aliquãdo exoptare peccatori mortem: & quidem quando ipse ante mortem resipisceret, & alioqui vita eius valde nociva esset reipublicę, bonum esset illi mortẽ exoptare. Solùm disputari potest, an si vita alicuius tyranni valde noceret Ecclesiæ, nec speraretur correctio, liceret illi mortem optare, & orationibus à Deo obtinere, licèt certò sciretur fore damnandus. Navarra lib. 2. de restitut. cap. 3. p. 2. difficult. 7. affirmat absolutè licitum esse desiderare mortem tyranno, quando aliter non posset occurri malis, quæ infert reipublicæ. Et Navarrus in Summa cap. 15. n. 10. id ipsum affirmat sinè limitatione, & optime Dionysius in 3. dist. 30. q. 1. fine. Probatur, quia ius habent fideles petendi, & exoptandi remedium communitatis; quòd autem ty- 8. Navarra. Navarrus. Dionysius.

rannus

rannus damnandus sit, provenit ex eius culpa, à qua non resurgit, cùm posset, & deberet; non tenetur autem pati grave damnum respublica, ut vitetur damnatio alterius, qui non vult corrigi, præsertim quia si non adsit spes correctionis, tandem ille creditur damnandus, & minùs acerbas pœnas patietur citò moriens, quàm si longiori vita multiplicaret peccata. Addit etiam Navarrus, & rectè quidem, licitum esse desiderare peccatori mortem, morbum, aut iacturam rei familiaris, ut ad Deum convertatur, vel ne tot facinora perpetret, quando ad prædictos fines id esset necessarium, quia peccator non potest esse rationabili er invitus, id enim deberet etiam ipse desiderare.

DISPVTATIO V.

Vtrum divino præcepto teneamur ex charitate diligere inimicos.

1. 
Ommunis, & certa Doctorum sententia est, in lege gratiæ præceptam esse à Domino dilectionem inimicorum: nam Christus
Matth. 5. Dominus Matthæi 5. *Ego* (inquit) *dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos:* quibus verbis non significari consilium, sed præceptum declarat consensus interpretum, & praxis Ecclesiæ. Vide Scholasticos in 3. dist. 30. & interpretes S. Thomæ ad art. 8. huius quæstionis. Confirmabitur, & explicabitur ista veritas ampliùs in sequentibus.

Superest enim expedienda gravis difficultas, utrùm hoc præceptum diligendi
2. inimicos obligaverit antiquum illum Dei populum, cùm lex scripta vigebat. Qua in re illud omnino certum est, obligasse quoad inimicos, qui ad ipsum Dei populum pertinebant, ac proinde erant Iudæi; hos enim omnes nomine proximi significavit Deus in præcepto Decalogi, *Diliges proximum tuum, seu amicum tuũ,* amicum (inquam) natione, & professione, cui proinde quantumcumque inimico ob iniurias, vel alias causas tenebatur Iudæus impendere dilectionem, & signa amicitiæ: ut de Dominus Exodi 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere,* *Exod. 23.*
non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Et Levitici 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, nec quæras ultionem, nec me-* *Levit. 19.*
mor eris iniuriæ civium tuorum. Et Ecclesiastici 28. *Qui vindicari vult, à Domi-* *Eccl. 28.*
no inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit, relinque proximo tuo nocenti te.

Solùm ergò dubitatur, an in lege scripta tenerentur homines diligere inimi- 3.
cos exterarum nationum, an potiùs licitum, vel certè permissum esset eos odisse. Salmeron tom. 5. tract. 42. & Maldonatus in cap. 5. Matthei versu 21. & 43. *Salmer.*
existimant lege veteri divina concessum, *Maldon.*
aut saltem permissum fuisse hoc odium inimicorum. Probatur primò, quia Christus Dominus stabiliturus in lege gratię præceptum diligendi inimicos Matth. 5.
præmittit, *Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicũ* *Matth. 5.*
tuum, ego autem, &c. ubi nomine proximi amicum significari perspicuum est ex antithesi propositionis, opponit enim proximum inimico, illud autem verbum *dictum est,* significat dictum esse ab ipso Deo, seu haberi in Scriptura, tum quia Ecclesię Patres magno consensu affirmãt in cap. 5. Matthæi voluisse Christum Dominum tradere doctrinam subliniorem ea, quę per Moysem lata erat; cùm ergo pręcipiat dilectionem inimicorum, planè supponit à Moyse non fuisse pręceptam, sed potiùs odium permissum; tum etiam quia cætera, quæ in hoc capite Christus Dominus enumerat tanquam antiquitùs dicta, scilicet, non occides, non mæchaberis, oculum pro oculo, & dentem pro dente, habentur in Scriptura; ergo & hoc quod addit de inimicorum odio in Scriptura etiam habebatur: tum deniq́ue, quia si a Pharisæis impudenter additũ fuisset legi, graviter propterea à Christo Domino reprehensi fuissent, quod tamen factum non est.

Secundò probatur authoritate Patrũ; 4.
nam S. Augustinus tom. 4. lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 41. in fine, *S. Aug.*
Nec quod in lege (inquit) *dictum est, oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo.* S. *S. Gregor.*
Gregorius Homil. 38. in Evangel. sub

initium, *Cum in lege* (inquit) *scriptum sit, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, accepta tunc iustis licentia fuerat, ut Dei inimicos, suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, &c. quod in novo proculdubio testamento compescitur.* Et Origenes relatus à Salmerone homil. in prædicta verba cap. 5. Matth. to. 2. *Ad odiendum inimicũ mandatum fuit, ut & amicum non odissent: concessa autem sunt ista populo illi veteri, adhùc rudi, & infirmo.*

Origenes.

5. Tertiò probatur, quia Deus hominibus illius populi præceperat, ut bella cruenta gererent adversùs nonnullas barbaras nationes, omninoque illas devitarent, ut constat ex cap. 23. & 34. Exodi. ex cap. 7. Deuteronomij. & 1. Regũ cap. 15. & quàmvis id sinè odio, quod in lege gratiæ prohibetur, fieri rectè posset, quia tamen populus ille rudis erat, nec ijs divinæ gratiæ præsidijs munitus, quibus in lege Evangelica Christiani, absolutè odium permissum est.

6. Secunda sententia absolutè negat eiusmodi odium cõcessum, aut absolutè permissum fuisse populo Iudæorum, sed illos etiam obligasse præceptum diligendi inimicos. Sic Magister in 3. dist. 30. dicens, *In præcepto legis, diliges proximum tuum, nomine proximi significari omnem hominem*; clariùs ibidem S. Thomas q. 1. art. 1. ad 2. S. Bonaventura q. 4. ad argumẽta: Durandus q. 1. ad 3. & in cap. 5. Matthæi. S. Thomas iterum, Glossa apud eundem in Catena, Abulensis q. 347. Lyra, Titelmanus, & Iansenius cap. 40. Concordiæ, qui omnes affirmant, illud quod Christus Dominus retulit, *Audistis, quia dictum est, odio habebis inimicum tuum,* non fuisse præceptum, aut permissionem legis Mosaycæ, sed falsam aliquorum interpretationem: Idem docent Bañez ad art. 8. in solutione secundi ante primum dubium, Valencia q. 3. p. 2. §. *maior.* Aragon (qui tamen falsò ait, esse ex fide certum) & alij Doctores.

Magister. S.Thom. S. Bonav. Glossa. Abulens. Lyra. Titelman. Iansen. Bañez. Valenc. Aragon.

7. Probatur primò, quia præceptum diligendi, & non odio habendi inimicos est naturale, & nullibi constat Deum cum Iudæis in illo dispensasse; ergo Iudaicum etiam populum obligabat. Consequentia est evidens; antecedens quoàd partem priorem declaratur, & probatur; etenim præceptum hoc dicitur imprimis naturale, quia licèt homo evectus non fuisset ad finem supernaturalem, nec ulla lege scripta obligatus, adhùc teneretur naturali amore, & comparatione bonorum naturalium diligere, & non odisse inimicum; deinde etiam appellatur naturale, quia eo ipso quòd homo sit evectus ad finem supernaturalem, absque ulla scripta lege teneretur non odisse inimicum, sed illum prosequi supernaturali amore, & comparatione bonorum supernaturalium. In utroque ergò sensu præceptum illud esse naturale, probatur; quia fundamentum amoris inter homines est similitudo in natura, vel in bonis gratiæ, participatio divinæ similitudinis, & communicatio in eodem fine, seu beatitudine naturali, aut supernaturali; sed inimicitia non evertit hoc fundamentum, ergo perstat naturalis inclinatio, & obligatio amandi; ergo naturale est præceptum amoris. Confirmatur primò, quia seclusa inimicitia est naturale præceptum diligendi, & non odio habendi, ergo etiamsi adsit inimicitia. Antecedens patet, quia naturale est dictamen rationis. *Quod tibi non vis, alteri non facias*; nemo autem est, qui velit odio haberi, & non diligi, quarè idem tenetur alteri prestare. Consequentia verò probatur, quia inimicitia nihil aufert eorum, quæ sunt fundamentum huius obligationis amandi, & non odio prosequendi. Confirmatur secundò, quia nulli licet propria, seu privata authoritate lædere inimicum, aut de illo vindictam sumere; alioqui foret in republica perversio intolerabilis; ergo saltèm quoàd externa effecta contra naturalem legem est odio habere inimicum. Ex eo autem ulteriùs infertur, contra naturam esse odium internum, quo prædicta externa mala inimico desiderarentur, nam malitia huius interni odij desumitur à malitia effectuũ externorum. Confirmatur tertiò, quia nemo est, qui in extrema, aut gravi necessitate non vellet sibi ab altero succurri; ergo insitum est unicuique homini ita diligere alterum, quantumcumque inimicum, ut in extrema, vel gravi necessitate illi succurrere velit; ergo naturale est præceptum dilectionis inimicorum.

Deinde posteriorem antecedentis partem probare nõ est difficile. Primò, quia 8.

Deus

nus to. 9. tract. 51. in Ioannem explicans prædicta verba cap. 12. *Magna* (inquit) *& mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat, odium ne pereat; si malè amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti; fælices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando:* & infrà hoc ipsum declarans, *Cùm causæ* (inquit) *articulus venerit, ut hæc cõditio proponatur, aut faciendũ esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere; ibi oderit in hoc mundo animã suam, ut in vitam æternam custodiat eam.*

6. S. Chrys. Nec minùs pulchré S. Chrysostomus to. 3. Homil. 66. in Ioan. *Quomodo* (inquit) *qui amat animam suã, perdet eam? Qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget: quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam, hoc est qui non paret ei, cùm aliquid perperam iubet.* S. Gregor. S. Gregorius Homil. 37. in Evangelia, *Odisse* (inquit) *præcipimur animam nostram, tunc bene nostram animã odimus, cùm eius carnalibus desiderijs non acquiescimus, cùm eius appetitum frangimus, is qui animam suam perfectè oderat, quid dicebat? ego non solùm alligari, sed & mori in Ierusalẽ paratus sum pro nomine Domini Iesu Christi. Ecce quomodo animam suam amando oderat, imò odiens amabat, quam cupiebat pro Iesu morti tradere, ut hanc ad vitam de peccati morte suscitaret.*

7. Concludo ergò, amorem, de quo in præcedente sectione dictum est, esse debere honestum, imò & supernaturalem, & cuius obiectum formale sit ipse Deus; quaré non potest homo mediate illo diligere se ipsum, nisi iuxta regulas rationis, & legis divinæ. Et quoniam prava inclinatio appetitus nostri allicit nos ad ea, quæ huic rationi, & legi cõtraria sunt, ipsamet charitas requirit etiã odium, quo huic inclinationi reluctemur, illamq; vincamus; & in hoc consistit odium sanctum sui ipsius, quod re vera pertinet etiam ad charitatẽ. Sed quoniã hæc reluctatio, & victoria gradus multos habet, interdum enim propterea amitti potest vita, interdũ procurari, aut desiderari mors, sæpè mortificanda corporis membra ieiunijs, alijsque macerationum generibus, oportet in sequentibus expendamus, an, & quatenus sanctum sui odium ad hæc extendi possit.

SECTIO III.

An, & quatenùs ex charitate licitum sit sibi mortem inferre, aut saltèm vitæ tempus abbreuiare.

Communis, & certa Doctorũ sentẽtia est, nunquã esse licitũ sibi mortẽ directè inferre, seu se ipsum occidere. 8. Quod latè, & optimè confirmāt S. Aug. to. 5. lib. 1. de Civit. Dei, à cap. 17. ad 27. S. August. S. Thomas infrà q. 64. art. 5. Sotus lib. 5. S. Thom. de Iustitia q. 1. art. 5. Victoria relectione Sotus. de homicidio. Molina tom. 4. de Iustitia Victoria. tract. 3. disp. 8. Valencia to. 3. disp. 5. q. 8. Valenc. p. 5. Navarra lib. 2. de Restitutione cap. Navarra. 3. p. 1. & alij. Probatur breviter; quia homo non est absolutè dominus suæ vitæ, ut optimè ostendit Molina in disput. 1. illius tractatus, sed solùm habet ius utendi illa, & veluti eam dispensandi, ac administrandi; hoc autẽ ius non eò pervenit, ut directè possit homo vitam sibi adimere; nec enim in ullo casu id erit necessarium, nec consentaneum est naturali inclinationi hominis in sui conservationẽ. Sapienterque Sanctus Augustinus in illo cap. 27. ait, *Si ob aliquam rationẽ sibi quisque posset mortem inferre, certè ut peccata devitaret; unde cùm insanus sit, qui propterea se occiderit, manifestum est, id nunquàm licere.* S. August.

Advertendum tamen imprimis est, ex speciali iussu, aut instinctu Dei licitũ esse occidere semetipsum, quia Deus, qui perfectum dominium habet nostræ vitæ, potest nobis tribuere potestatẽ auferẽdi illam: & propterea licitũ, & sanctum fuit, quod Sanson Iudic. 16. semetipsum cum Philistæis occiderit, quod S. Apollonia se in rogum ignis proiecerit; & eadẽ ratione excusandum, & laudandum videtur, quod Sãctus Ignatius Martyr in epistola ad Romanos, *Vtinam* (ait) *fruar bestijs, quæ mihi paratæ sunt, quas opto allici, ut celeriùs me comedant, & si ipsæ noluerint, ego ipsis vim ingeram, ego urgebo. Ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat:* nisi fortè dicat aliquis, hæc ex qua- 9. Iudic. 16. S. Ignat.

dam

dam spiritualis affectus redundantia, hyperbolicè dicta fuisse, & ab ignito divinis flammis corde profecta.

10. Deinde advertendum est, indirecté interdum esse licitum sibi mortem inferre, seu potiùs permittere in se mortem, non quidem efficiendo actionem, quæ mortem ipsam afferat, ut infligendo sibi vulnus læthale; id enim est directé se occidere, quod est intrinsecé malum, sed omittendo actiones, quibus vita conservaretur: sic sanctum esset non comedere, quando non offerretur nisi cibus, cuius manducatio grave scandalum generaret; etiamsi propterea quis præ fame moreretur; similiter licet Carthusiano ob bonum suæ communitatis, & exemplum Ecclesiæ non comedere carnes, licèt propterea certò moriturus crederetur; imò ad id præstandum obligaretur, ut 1. 2. controversia 7. tract. 3. dictum est, &c. Solùm servanda est regula generalis, ut nimirùm hæc indirecta occisio, seu mortis permissio non nisi gravi de causa fiat, causa (inquam) in qua dictet prudentia, non esse hominem vitæ suæ prodigum, sed fidelem administratorem.

11. Tertiò de casibus, in quibus liceat, vel teneamur abscindere membrum v. g. manum, pedem, aut similia, legendi sunt Sotus suprà quæst. 2. Molina in illa prima disputatione, Valencia quæst. 9. Navarra supra difficult. 6. solum adverte cum Soto, & Valencia, neminem teneri prospicere vitę suæ cum tanto dolore, aut detrimento, sed posse permittere mortem potiùs quã mutilationem; quod idem docet Molina, quando dolor maximus in se proventurus esset.

Sotus.
Molina.
Valenc.
Navar.

12. Quartó magis proprium huius loci est indagare, an & quando cõtra charitatem sit vitam ipsam abbreviare laboribus, vigilijs, pœnitentijs, aut etiam alijs exercitijs. Qua in re nihil certius affirmari potest, quam id arbitrio prudẽtis definiendum esse; cùm enim homo ex una parte non sit dominus suæ vitæ, peccare graviter potest nimis eam abbreviando, cúm id perinde sit, ac partem vitę sibi auferre; ex altera verò cùm sit veluti administrator, potest eam exercere, & veluti atterere, præsertim cùm cõditus sit ad promerendam gloriam, qui finis multa exigit non ita accommodata ad vitam protrahendam. Res sanè non est scrupulosè accipienda præsertim ab ijs, qui ob divinum obsequium, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis valde corpus affligunt. raro enim, aut potiùs nunquàm damnandus esset tanquàm culpę mortalis reus, qui propterea vitam valde abbreviaret. Et quidem Victoria suprà n. 34. ait, licèt medicus dicat, fore ut vita alicuius protrahatur ad decem annos, si vinum bibat, posse nihilominùs à vino abstinere: & alij dicunt non esse illicitum pœnitentijs affligi, licèt propterea vitę duodecim annos amissurus sis: & idẽ Victoria n. 35. ait licèt ægrotus, de cuius salute desperatur, posset aliquot dies pharmaco pretioso protrahere vitam, nõ teneri illud emere: & n. 33. nullum teneri quærere civitatem salubriorem. *Victoria.*

13. Dices, si homo, cui una tantúm dies vitæ superest, se ipsum occideret, peccaret læthaliter; ergo potiori iure censebitur grave peccatum, ita affligere corpus, ut vita abbrevietur per aliquot annos: patet consequentia, quia plus temporis vitæ aufertur hoc modo. Respondetur, concesso antecedẽte negando cõsequentiam; cuius probatio non urget; nam malitia occisionis non consistit in eo, quòd una, vel plures dies vitę auferantur, sed in modo auferendi; ille enim, qui iam proximus morti auferret diem vitæ, quæ illi supererat, foret absolutè occisor sui; ille autem, qui paulatim abbreviat vitam, nõ est sui occisor, sed veluti administrator, & gubernator suę vitę, ad gubernationem autem pertinet ita se gerere, ut vel magis, vel minus vivat; præterimque nõ potest non esse laudabile in obsequio divino, quod sępè consistit in rebus vitę contrarijs, eam imminuere, aut coarctare: pro quo facit, quod cùm tempus vitæ nostrę incertum sit, & fortasse illi, qui nunc agit annos adolescentiæ, & robustissimus est, exiguum tempus supersit, non est censendus sibi inimicus, aut contra rationem agens, si ut carnem spiritui subijciat, se exerceat in operibus, quæ alioqui minus accommodata videntur vitæ conservationi.

(·?·)

SECTIO IIII.

Possit ne homo sibi mortem, & alia nocumenta desiderare.

14. NOn est sermo de morte spirituali, aut nocumentis animæ, quæ peccata sunt; certum enim est nunquàm licere homini eiusmodi mala desiderare, quia sicút nunquàm licitum est peccare; ita nec desiderare peccatū, hoc enim ipsum desiderium peccatum est: agitur ergó de morte, & nocumentis corporalibus.

15. Imprimis certū est, licitū, & sanctum esse desiderare mortem ut quis fruatur Deo. Quod quidē probat primo Sāctorū hominū consensus, quibus hoc desiderium veluti innatū est. Vnde Apostolus ad Philipp. 1. *Desiderium* (inquit) *habens dissolvi, & esse cum Christo:* ubi S. Chrysostomus Homil. 4. *Et si ob nullam* (inquit) *aliam causam, ob hanc certe liberationem desiderare oportebat: & si innumeris bonis reperta fuissent præsentia, propter Christum tamen dictum, ac desideratum ab illis liberatum iri concupiscendum erat.* Vide illustria testimonia S. Cypriani, & S. Augustini, variaque exempla Sanctorum, quæ in huius veritatis confirmationem affert Franciscus Arias (quē honoris causa nomino) 1. p. de Imitatione Christi Domini, tract. 7. cap. 7. Secundò probat ratio: quia frui Deo lōge melius est, quàm vivere; ergo non facit cōtra amorem, aut charitatem sibi debitā, qui bonum vitæ amittere vult, ut illud longe maius comparet. Aliunde vero nō facit contra iustitiam debitam reipublicæ, aut Deo, qui Dominus est vitæ; quia, ut supponimus, non desideratur mors iniuste inflicta, sed quæ proveniat à Deo, qui pro voluntate sua potest vitam auferre quando, & quomodo ipsi placuerit.

Philip. 1. *S. Chrys.* *Arias.*

16. Ex quo infertur, quando propter magnum aliquod bonum Ecclesiæ, vel reipublicæ foret omnino necessaria vita alicuius, non esse licitum mortem desiderare, etiam propter finem fruendi Deo, quia finis iste posteà obtineri potest, & charitatis lege obligamur prospicere bono Ecclesiæ, vel reipublicæ: sic Abulensis 3. Reg. cap. 17. q. 4. initio: & notavit eleganter S. Augustinus tom. 8. enarratione in Psalmum 141. in ea verba: *Educ de custodia* (de carcere) *animam meam ad confitendum nomini tuo.* Fortè (inquit) *iustus dicit, iam moriar; educ de carcere isto corporis animam meam. Si nimis festinat, non habet charitatem: desiderare quidem hoc debet, & concupiscere sicút Apostolus ait, concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo, multo enim magis optimum. Sed ubi est charitas? Ergò sequitur manere in carne necessariū est propter vos:* & hoc est quod meritò Ecclesia laudando refert in festo B. Martini, *Si adhùc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua.*

Abulens. *S. August.* *Psal. 141.*

17. Secundò certum est, licitum, & laudabile esse desiderare mortem propter aliquod magnum bonum spirituale, quod in hac vita ex morte proveniat. Veritatē hanc omnino persuadet id, quod bene notarunt Navarra lib. 1. de restitut. p. 1. in dub. 2. ad ultimum, & Abulensis in cap. 24. lib. 2. Regum q. 41. scilicet laudabile esse desiderare martyrium; id enim passim legimus enixè desideravisse sanctos viros, & desiderant hodie viri pij, quibus videtur, & meritò quidem is esse ferventissimus charitatis actus. Probatur eadem ratione, qua præcedens notatio, quia subire mortē pro Christo Domino est longé melius, quàm vivere; unde in hoc genere mortis desiderando, nec facit homo contra amorem sibi debitum, cùm potius se ipsum in eo magis diligat, nec cōtra ius debitum Deo, quia id potiùs cedit in eius gloriam; nec contra bonum Ecclesiæ quam potiùs, ut eleganter in epist. 6. li. 2. dixit S. Cyprianus: *Gloriosus Martyrum sanguis illustrat, & quæ erat in bonis operibus candida, fit in martyrum cruore purpurea, &c.*

Navarra. *Abulens.* *S. Cypr.*

18. Solùm obijciet aliquis, ut iustus subeat martyrium, necessarium est peccatū proximi, qui illum occidat; ergo qui desiderat martyrium, desiderat peccatum persecutoris, quod omnino est cōtra charitatē, ergo nō licet desiderare martyrium. Respōdetur, si obiectio foret alicuius momenti, damnandū esset accensum desiderium subeundæ mortis, quo flagrabat Christus D. quod est absurdissimum. Dupliciter ergo solvenda est, primò negando antecedens, quia in aliquo casu licèt raro

evenire

evenire potest, ut quis martyrio coronetur sine culpa persecutoris, si nimirùm iste invincibiliter ignoraret nostram fidē esse verā,&potiꝰ crederet oportere occidi eos,qui eam profitentur. Secundò,& meliùs,concesso antecedente, negatur consequentia; quia qui desiderat martyrium, supponit in persecutore voluntatem occidendi illum, & alios professores Christianæ religionis; ipse verò martyr solùm desiderat perpeti mortem, quia licèt persecutor peccet illam infligendo, iustus optimè facit illam subeūdo,& hoc(quod optimum est) desiderat, qui martyrij coronam exoptat,& petit à Deo, non autē culpam persecutoris.

19. Tertiò negari non potest sanctum esse optare mortem ad vitandum magnum malum spirituale; sic enim optimè facit, qui desiderat priùs mori, quàm committere culpam mortalem: imò qui desideraret mortem,ut à peccatis venialibus,sinè quibus nemo uitus vivit, omnino abstineret,laudandus esset. Sic sentit expressè Illefonsus Rodriguez tom. 1.tract.8.& 20.pag. 554.& colligitur ex Navarra suprà,ubi ait, licitum esse desiderare mortem propter bonum finem, carere autem venialibus culpis bonum est,ex Abulensi suprà dicente, licère optare mortē propter causam convenientem, scilicèt propter laudē Dei,vitari autē omnia venialia esset maximè gloriosum Deo: & ex Francisco Arias suprà cap. 8.ubi ait, desideriū mortis esse quidpiā indifferens,ac proinde nō esse malū,quādo finis,& media bona sūt. Facit pro hac assertione testimoniū S. Cypriani in libro de mortalitate,quod affert Arias ubi suprà. Et ratio persuadet, quia desiderare mortē ob prædictū finem est magnū signum divini amoris,provenit enim ex tāta æstimatione divini beneplaciti,ut propter illud, & ne displiceat iustus Deo,libenter velit privari maximo bono naturali,quod est vita;& cū aliundè non petatur mors per mediū aliquod illicitū, sed à Deo ipso proveniēs,qui eā infligere potest,nō est cur eiusmodi desideriū non laudetur,sicut & illud, quo quis optaret mortem,ut liberaretur à periculis graviter offendendi Deum.

Illefonsus Rodrig.
Navar.
Abulens.
Arias.

20. Quartò ergò superest differendum an ad vitanda mala temporalia, v. g. infamiam, molestiam, ægritudinem, vel internam afflictionem, liceat sibi mortem exoptare. Navarrus in Summa cap. 15. num.11. & Abulensis quæst. 4. in caput 19. libri 3. Regum,existimant id esse peccatum mortale: affert Navarrus S. Augustinum,& S. Thomam, qui tamèn solùm affirmant illicitam esse occisionem sui ipsius. Probat deindè ratione, quia homo non est dominus vitę suę;sed id nō urget, quia quòd homo nō habeat eiusmodi dominium,solùm suadet, non licère á se vitā auferre, non autem quòd non possit petere à Deo vero vitæ Domino, ut illam destruat. Aliam rationem addidit Abulensis,quia nimirùm timiditatis, aut pusillanimitatis vitium est velle carere magno bono temporali,quod est vita,& mori ob vitanda aliqua mala minoris momenti. Sed responderi potest, aliqua mala temporalia prudēter æstimari solere maioris momenti, quàm mortem, iuxta illud Ecclesiastici 30. *Melior est mors quàm vita amara:* & Iudas strenuissimus dux 1. Machab.3. *Melius* (inquit) *est nos mori in bello,quàm videre mala gentis nostræ,& Sanctorum*;nō ergo est pusillanimitas in prædicto casu, aut similibus mortem desiderare.

Navarr.
Abulens.
Eccles. 30
1. Mach. 3

Quarè dicendum est, absquè peccato posse quempiam desiderare mortem, ut ab aliquo magno malo temporali liberetur. Sic Sotus in 4. dist. 50. q.unic. art. 5. post 5.conclus. Arias, & Illefonsus Rodriguez suprà,& alij recētiores. Probatur primò, quia viri Sancti mortē ob prædictū finē exoptarunt, ut Elias 3. Reg. 19. *Petivit animæ suæ ut moreretur*, pertæsus nimirùm vitæ plenæ tantis calamitatibus; & Ionas cap. 4. semel, & iterùm petivit mortem à Domino ob nimiam afflictionem. Nec satisfacit, quod Abulensis suprà dixit, Eliæ desideriū ex zelo divino ortū habuisse;cupiebat enim mori,ne videret peccata populorū; nam licèt hoc verum sit,pro nobis est, videre enim peccata nō erat culpa,sed materia magnę afflictionis, & ut ab hac liberaretur mori volebat : & id ipsum asserimus in præsenti,maximū aliquē dolorē, aut damnū tēporale esse causam sufficientem, ut licitè mors desideretur. 21.

Sotus.
Illefonsus Rodrig.
Arias.
3. Reg. 19
Iona 4.

Et hoc ipsum secundò probatur, quia prudenter censeri potest maius malū eiusmodi afflictio,quàm mors, præser- 22.

tum in lege gratiæ, in qua ſtatim poſt mortem patet aditus ad gloriam, ſi nihil ſuperſit purgandum; non ergo eſt contra charitatem ſibi debitam velle mori potiùs, quàm illud pati; & aliunde nulla iniuſtitia fit; quia mors petitur à Deo, qui poteſt illam iuſtè inferre, & reſpublica nõ patitur damnum, quia ſuppono eiuſmodi hominis vitam non eſſe tunc neceſſariam ad aliquem finem magni momenti. Extrà caſum ergò magnę calamitatis, aut afflictionis non auderem excuſare eiuſmodi deſiderium à culpa mortali, quia graviter lædit charitatem ſibi debitam, qui privari vult maximo bono naturali, cuius non eſt dominus, abſque ulla cauſa alicuius momenti; ſic ſanè qui ſinè neceſſitate ſufficienti deſideraret gravem infirmitatem cenſeretur graviter agere contra naturalem inclinationem, & obligationem proſpiciendi bono proprio, maius autem malum eſt mors. Quarè non eſt cenſendũ deſideriũ mortis quidpiã indifferens, quod non habeat gravem malitiã, niſi malus finis apponatur, ſed potiùs eſt hoc deſiderium talis naturæ, ut niſi fine honeſto, aut bono non levis momenti cohoneſtetur, graviter malum ſit, ſicùt eſt graviter malum occidere, vel infamare proximum, niſi adſint cauſæ iuſtiſsimæ, quas Doctores enumerare ſolent.

23. Ex dictis collige quando, & quomodo liceat alia nocuméta gravia ſibi exoptare; ægritudinem enim, dolores, & ſimilia corporis nocumenta licitum eſt deſiderare, quando ad vitandum aliquod peccatum læthale, aut multa venialia neceſſarium foret, vel quando inde magna gloria divina proveniret, aut vitaretur aliquod aliud malum maioris momenti. Quod verò attinet ad nocumentum famæ, minus ſcrupuloſum eſt; quia cùm homo ſit dominus ſuæ famæ, non ſolùm licèt deſiderare infamiam ad imitandum Chriſtum Dominum, & ob alios honeſtos fines, ſed etiam ſinè cauſa ſe infamare non eſt ex genere ſuo peccatum mortale, niſi in uno, vel altero caſu, de quo in ſuo loco dicetur. Vide Sotum de tegendo ſecreto m. 1. in appendice quæ-

Sotus. ſtionis 2. & præſertim Navarrum lib.
Navar. 2. de reſtitut. cap. 4. part. 2. dub. 1.

DISPVTATIO III.

Vtrùm iuſti, & ſancti ſint ex charitate diligendi. Vbi an, & quatenùs liceat aliquod malum illis optare, aut etiam procurare.



Ommunis, & certa concluſio eſt, omnes iuſtos & ſanctos. tã 1.
viatores, quã comprehenſores ex charitate diligendos eſſe. Probatur, quia non ſolùm referuntur in Deũ, & ad eius gloriã conducunt, quod ſufficeret, ut eſſent obiectũ materiale charitatis, ſed etiã peculiari modo ad illam pertinent, quatenùs ſupernaturalis amicitia, quæ eſt propria charitatis, erga omnes iuſtos homines, vel angelos haberi poteſt, ut in tract. 1. diſp. 3. declaravimus, & ſanè cùm generale ſit pręceptum diligẽdi proximum, nemo potiori iure proximus eſt quàm iuſtus, aut Sanctus: qua verò ratione pręceptum hoc implendum ſit, patebit, ex multis infrà dicendis.

Hic ſolùm quæret aliquis, an, & quomodo non lęſa charitate, ac proinde ſinè 2.
ulla culpa poſsimus iuſtis viatoribus aliquod malum deſiderare, aut etiã procurare, nã beati iam nõ ſunt in ſtatu capaci alicuius mali etiam temporalis. Reſpondetur, aliqua eſſe in hac difficultate omnino certa; primum, non licère deſiderare iuſto lapſum in aliquam culpam, liceret tamen deſiderare permiſsionem culpę etiam læthalis, quando id foret neceſſariũ, ut præſervaretur ab alijs maioribus, aut etiam ab æterna damnatione. Secundũ, non licère iuſto procurare mortem, aut illam ei inferre per ſe loquendo, quia occidere innocentem malum eſt; interdum verò per accidens licet occidere innocẽtem, ut explicabitur in tract. 13. & ſimiliter authoritate publica interficere delinquentem, qui tempore infligendæ mortis ſit iam iuſtus. Tertium, laudabile eſt deſiderare alicui iuſto mortẽ, ſi vivendo lapſur' ſit in peccatũ lęthale, id enim quivis deſiderare poteſt, & debet ſibi. Quartũ

in casibus, in quibus diximus licére sibi desiderare mortem, licitum etiam videtur desiderare alteri, quando hic eodem desiderio flagraret, v. g. desiderat Petrus mortem, ut Deo perfruatur, vel ut ab ægritudine molestissima liberetur, licébit tunc mihi eandem mortem Petro desiderare ob eundem finem, quia obiectum huius desiderij honestum est, ut constat ex disputatione præcedente, & aliundè nullum damnum infertur Petro, quippè illud ipsum desiderat.

3. Solùm ergò superest differendum, an si quis, ut rectè potest, vellet vivere, nullumq; mortis desiderium admittere in casibus, in quibus potest, sed nō tenetur desiderare mortem, an (inquam) tunc lethaliter peccaret alter, qui illi mortem exoptaret propter bonum finem, fruendi Deo, vitādi culpas veniales &c. alicui videretur hoc esse peccatum, quia contra charitatem est desiderare alteri magnum damnum, quod ipse iustè recusat. Nihilominùs dicendum est id omninò licère. Sic Navarra, & Navarrus adducendi in fine disputationis sequētis; & suadetur primò, quia magis tenetur homo, cæteris paribus, prospicere vitæ suæ, quàm vitæ proximi, cùm charitas ordinata incipiat à se ipsa; sed homo potest propter bonos fines, suprà enumeratos, exoptare mortem sibi; ergò & proximo. Secundò, quia obiectū huius desiderij honestum est, desideratur enim malū mortis propter alia bona, quæ maioris momenti sunt, quàm ipsa vita; ergò desiderium honestum est. Patet consequētia, quia bonitas actuum humanorū, ex obiecto, aut fine desumitur. Nec proximus esse potest in hac re rationabiliter invitus, quia licèt desideretur illi magnum malum, id fit intuitū maioris boni, & ideò non est contra charitatem eiusmodi desiderium.

Navarrus. Navarra.

DISPVTATIO IIII.

Vtrùm viatores Deo inimici sint diligendi ex charitate. vbi de odio adversùs peccatores, quod legitur in sacra Scriptura.



1\. S. Thomas in art. 6. rectè affirmat, in peccatore odio habendam esse culpam, sed diligendam personam, id quod etiā docuit Magister in 3. dist. 28. & est universæ Ecclesiæ doctrina, quia sinè ulla limitatione præcipitur nobis dilectio proximi, quicumq; autem homo, quantumcùmq; peccator, proximus noster est. Accedit quòd fundamētum amoris charitatis est communicatio eiusdem beatitudinis; quicumq; autem viator est capax beatitudinis, idest, habet statum, in quo accipit à Deo auxilia, saltèm sufficientia, ut à peccato resurgat, & beatitudinem consequatur; omnis ergo viator amari potest, & debet amore charitatis, solūq; odio haberi potest, quatenùs peccator est, idest, quoad culpam, quam habet, & Deus non fecit, sed detestatur, iuxtà illud Psalmi 138. *Nonne qui oderūt te Domine oderā, & super inimicos tuos tabescebam? perfectio odio oderam illos:* ubi eleganter S. Augustinus. *Quid est* (inquit) *perfecto odio? oderā in eis iniquitatem eorum, diligebam conditionem tuā, hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas: hoc in eis oderit, quòd iniqui sunt, hoc diligat, quòd homines sunt.*

S. Thom. Magister. Psal. 138.

2\. Sed obijcies primò plura Scripturæ testimonia, in quibus sacri Scriptores maxima mala peccatoribus imprecantur; ergò nō eos amore charitatis, sed odio prosequuntur, & prosequendos esse verbis, factisq; testantur. Patet consequentia: quia nullus est certior effectus odij, quàm imprecatio magni mali. Antecedens verò probatur referendo varia testimonia. Psalmo 34. *Effunde frameam, & conclude adversùs eos, qui persequuntur me.* Psalmo 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* Psal. 98. *Diabolus stet à dextris eius, cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.* Threnorum 1. *Ingrediatur omne malum eorum coram te, & vindemia eos* &c. Apocal. 6. *Vsque quo Domine, non iudicas, & non vindicas sanguinē nostrum de ijs, qui habitant in terra.*

Psalm. 34. 97. & 98. Thren. 1. Apoc. 6.

3\. Respondetur cum S. Thoma in solutione tertij; tripliciter accipienda esse testimonia, in quibus sancti viri imprecantur interitum, & alia mala peccatoribus;

primùm enim significat, odium erga peccatorem, ut peccator est, seu desiderium destructionis ipsius peccati. Pro qua explicatione affert Valencia q.3.p.2.S.Hieronymum, & Originem. Sed prætereunda non sunt elegantissima verba S. Augustini enarrat. in Psal.149. super illum versiculum, *Gladij ancipites in manibus corũ ad faciendam vindictam in nationibus Videte* (inquit) *si non est vindicta in gentibus, bellant sancti, educunt frameas bis acutas, fiunt strages, fiunt occisiones, quomodò, inquies, pagani occiduntur? quomodò, nisi cùm christiani fiunt? quæro paganum, & nõ invenio; Christianus est, ergo mortuus est paganus; quæro Saulum persecutorem, & non invenio, occisus est.* Itaq; hæc sunt mala, quæ iusti peccatoribus exoptare, & inferre solent. Secũda explicatio est, ut accipiantur prædicta testimonia per modũ prædictionis, quasi diceret. *Effunde frameam*, id est, *effundes, diabolus stet*, id est, *stabit à dextris eius; obscurentur oculi eorum*; id est, *obscurabuntur*. Vndé Anacletus Papa in Epist.2. quæ refertur in tomo 1. Conciliorum, ait, hæc verba non optantis, sed prophetantis animo dicta fuisse. Tertiò denique significatur his testimonijs, iustos velle peccatoribus mala, quia sciunt Deum ea velle infligere, eò quòd ita expediat ad gloriam suam, & bonum Ecclesiæ; non est autèm malum, sed bonũ, velle quidquid Deus efficaciter vult, sub ea nimirùm ratione, qua vult, ut in 1. 2. controversi 2. dictum est. Sic S. Bernardus serm.8. in Psalmum. *Qui habitat*, non longé à fine, *Quid* (inquit) *in insipientium interitu sapientiæ creatmus placiturum, nisi iustissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? sanè quòd sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoq; placeat necesse est universis: non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur, oculis tuis considerabis, quando & ridebis in eorum interitu; nõ quod velut quadam immanitate crudelitatis in ipsa tibi ultione complaceat, sed quòd modus ipse pulcherrimæ ordinationis, ultrà quam credi possit, iustitiæ delatorẽ, & amatorem æquitatis oblectet.*

Valenc.

S. August. Psal.149.

Anacle.

S. Bernar.

4. Obijcies secũdó, iustus in amore, quo prosequitur proximum, imitari debet divinum amorem, sed Deus non amat, imò odio prosequitur peccatorem, quamdiù peccator est; ergo iustus non debet amare peccatoré. Confirmatur, quia nullũ peccatoré amat De' amore amicitiæ; ergo nec iustus amare debet, sed charitas est amor amicitiæ; ergo peccator nõ est diligendus ex charitate. Respõdetur cõcessa maiori, distinguẽdo minoré; Deus enim odio habet peccatorem, ut peccator est, sed diligit naturam, quam creavit, & illi plura bona confert; ita ergo iustus odio habere potest peccatum, dummodò personam diligat. Ad cõfirmationem respondetur primò; licèt Deus nõ amet peccatorem amore amicitiæ, amat amore benevolentiæ, volendo illi plura bona naturalia, & auxilia supernaturalia; quarè licèt iustus non amaret peccatorem, ut amicum, amare posset, & deberet amore benevolentiæ, volendo illi bona, quę Deus vult; hic autem amor elicitus propter divinam bonitatem pertinet ad virtutem charitatis; nec enim necesse est omnem actum, quo ex charitate diligitur proximus, esse amicitiã comparatione illius, satis enim est, si comparatione Dei, propter quem amatur, sit amicitia. Secundo respondetur, peccatorem diligi à Deo amore amicitiæ, non pro statu peccati, sed pro alio, in quo gratiam, & charitatem habiturus est; & ita iustus potest diligere amore amicitiæ peccatorem, referẽdo suum amorem ad illud tempus, in quo gratiam habebit. Sed notari oportet discrimen inter divinum amorem, & nostrum; licet enim iste illum imitetur, non est in omnibus paritas asserenda: etenim amor amicitiæ existens in Deo est absolutè efficax, fortiturq; effectum suum; & ideò si peccatorem absolutè prosequeretur hoc amore, eo ipso redderet illum amicum sibi, destrueretq; proindè peccatum; at vero amor amicitiæ iusti ergà peccatorem nõ est tantæ efficacitatis, quia non est potẽs illum reddere iustum, & destruere peccatum, licét ex animo velit hoc bonum ipsi peccatori; & ideò dici potest absolutè iustus prosequi peccatoré amore, qui quãtùm est ex parte amantis est amicitia, De' verò absolutè dicitur peccatorem non amare amore amicitiæ.

Sed urgebis primó: plures peccatores sunt, qui numquàm erunt iusti, nunquàm resurgent à peccatis; ergo istis non desiderat iustus ex animo iustitiam, & beatitudinem. Respondetur negando conse- 5.

quentiam, quia iustus nescit quisnam proximorum pertineat ad hunc numerum peccatorum, & ideò unicuique desiderat ex animo iustitiam, seu gratiam; amor enim, aut desiderium efficax sæpé tendit in id, quod nũquàm evenit, saltém si non sciatur non eventurum. ¶ Sed urgebis secundò, ergo saltèm iustus, qui Deo revelante sciret aliquem peccatorem nunquàm à peccato surrecturum, sed perpetuò damnandum, non posset illi velle efficaciter gratiam, & beatitudiné, ac proinde non amaret illum amore amicitiæ. Patet consequentia, quoàd priorem partem, tum quia voluntas efficax non potest tendere in id, quod scitur non futurũ: tũ etiam quia is amor esset malus, utpotè oppositus efficaci voluntati Dei, qui vult illum hominem dánare propter sua peccata. Quoàd posteriorem verò partem probatur, quia amor amicitiç esse debet efficax, ut omnes supponunt. Respondetur distinguendo consequens, non enim posset illum amare amore plenè efficaci, quo nimirùm absolutè, & attentis omnibus circumstantijs nobis notis vellet ex animo gratiam, & beatitudiné re ipsa conferri huic peccatori; posset tamen amare amore amicitię imperfectè efficaci, virtute cuius vellet adhibere aliqua media conducentia ad illius iustificationem, & gloriam, licèt tandé illam non esset consecuturus; hoc enim modo rectè potest desiderari, quod scitur non futurum; nec est contra voluntatem Dei, quia ipse, qui tandem decrevit aliquem obdurare, & damnare, simul vult à nobis adhiberi media, quibus emolliatur, & salvetur.

6. Et eádem ratione liceret pro eiusmodi peccatoribus orare Deum, oratione nimirùm, quę efficaciter omnino postularet auxilia ad salutem sufficientia, & inefficaciter complaceret in æterna illorum salute: non autem licita foret oratio omnino, & undequaque efficax; quia quod omnino efficaciter non licet velle, non potest esse materia orationis omnino efficacis; oratio enim supponit voluntatem eius, quod petitur, & qua proportione crescit orationis efficacitas, eadem crescere supponitur desiderium: & sic accipiendum est, quod S. Augustinus dixit tom. 5. lib. 21. de Civit. cap 24. nimirùm, quod si Ecclesia certò sciret damnationem alicuius, non oraret pro illo.

Obijcies tertio, non magis tenetur iustus diligere peccatores, quàm peccatores amant se ipsos; sed peccatores non diligunt semetipsos; ergo nec iustus tenetur illos diligere. Minor probatur, quia volunt sibi maximum malum, nempè culpam, & æternam pœnam, quod est manifestum signum odij. S. Thomas in art. 7. latè explicat, an, & quatenùs verum sit, peccatores non diligi á semetipsis. Dico breviter, peccatores diligi à semetipsis quoàd aliquid, nempè quoàd bona naturalia, animi scilicèt, & corporis existentiam, sed prout peccant, odio habere semetipsos quoàd bona divina, quæ peccãdo amittunt. Qua doctrina posita, respõdetur concessa maiori, & distinguendo minorem, iuxta dicta; consequens verò non bene infertur ex premissis, quia in casibus, in quibus iustus tenetur diligere peccatores; ipsi etiam tenentur se diligere, volendo scilicèt exire à peccato, quãdo urget præceptum; extrà hunc verò, & similes casus, nõ tenetur iustus amare in actu secundo peccatorem, sed tenetur nõ odio prosequi illum, volendo nimirùm positivé, quod ipse peccet, aut in peccato permaneat; & eodem modo ipse peccator ita volendo peccaret, & sicùt aliquando posset per aliquod breve tempus peccator non resurgere à peccato, sed velle differre in commodius tempus, ita & iustus id ipsum posset velle peccatori. 7. *S.Thom.*

In fine disputationis petet aliquis, an liceat aliquãdo exoptare peccatori mortem: & quidem quando ipse ante mortem resipisceret, & alioqui vita eius valde nociva esset reipublicę, bonum esset illi morté exoptare. Solùm disputari potest, an si vita alicuius tyranni valde noceret Ecclesiæ, nec speraretur correctio, liceret illi mortem optare, & orationibus à Deo obtinere, licét certò sciretur fore damnandus. Navarra lib. 2. de restitut. cap. 3. p. 2. difficult. 7. affirmat absolutè licitum esse desiderare mortem tyranno, quando aliter non posset occurri malis, quæ infert reipublicæ. Et Navarrus in Summa cap. 15. n. 10. id ipsum affirmat sinè limitatione, & optime Dionysius in 3. dist. 30. q. 1. fine. Probatur, quia ius habent fideles petendi, & exoptandi remedium communitatis; quòd autem ty- 8. *Navarra.* *Navarrus.* *Dionysius.*

rannus damnandus sit, provenit ex eius culpa, à qua non resurgit, cùm posset, & deberet; non tenetur autem pati grave damnum respublica, ut vitetur damnatio alterius, qui non vult corrigi, præsertim quia si non adsit spes correctionis, tandem ille creditur damnandus, & minùs acerbas pœnas patietur citò moriens, quàm si longiori vita multiplicaret peccata. Addit etiam Navarrus, & rectè quidem; licitum esse desiderare peccatori mortem, morbum, aut iacturam rei familiaris, ut ad Deum convertatur, vel ne tot facinora perpetret, quando ad prædictos fines id esset necessarium, quia peccator non potest esse rationabiliter invitus, id enim deberet etiam ipse desiderare.

DISPVTATIO V.

Vtrùm divino præcepto teneamur ex charitate diligere inimicos.



1. Communis, & certa Doctorum sententia est, in lege gratiæ præceptam esse à Domino dilectionem inimicorum: nam Christus Dominus Matthæi 5. *Ego* (inquit) *dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos*: quibus verbis non significari consilium, sed præceptum declarat consensus interpretum, & praxis Ecclesiæ. Vide Scholasticos in 3. dist. 30. & interpretes S. Thomæ ad art. 8. huius quæstionis. Confirmabitur, & explicabitur ista veritas ampliùs in sequentibus. *Matth. 5.*

2. Superest enim expedienda gravis difficultas, utrùm hoc præceptum diligendi inimicos obligaverit antiquum illum Dei populum, cùm lex scripta vigebat. Qua in re illud omnino certum est, obligavisse quoad inimicos, qui ad ipsum Dei populum pertinebant, ac proinde erant Iudæi; hos enim omnes nomine proximi significavit Deus in præcepto Decalogi, *Diliges proximum tuum, seu amicum tuũ*, amicum (inquam) natione, & professione, cui proinde quantumcumque inimico ob iniurias, vel alias causas tenebatur Iudæus impendere dilectionem, & signa amicitiæ: unde Dominus Exodi 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* *Exod. 23.* Et Levitici 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum.* *Levit. 19.* Et Ecclesiastici 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit, relinque proximo tuo nocenti te.* *Eccles. 28.*

3. Solùm ergò dubitatur, an in lege scripta teneremur homines diligere inimicos exterarum nationum, an potiùs licitum, vel certè permissum esset eos odisse. Salmeron tom. 5. tract. 42. & Maldonatus in cap. 5. Matthæi versu 21. & 43. existimant lege veteri divina concessum, aut saltem permissum fuisse hoc odium inimicorum. *Salmer. Maldon.* Probatur primò, quia Christus Dominus stabiliturus in lege gratiæ præceptum diligendi inimicos Matth. 5. præmisit, *Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicũ tuum, ego autem, &c.* *Matth. 5.* ubi nomine proximi amicum significari perspicuum est ex antithesi propositionis, opponit enim proximum inimico, illud autem verbum *dictum est*, significat dictum esse ab ipso Deo, seu haberi in Scriptura, tum quia Ecclesiæ Patres magno consensu affirmant in cap. 5. Matthæi voluisse Christum Dominum tradere doctrinam sublimiorem ea, quæ per Moysem lata erat; cùm ergo præcipiat dilectionem inimicorum, planè supponit a Moyse non fuisse præceptam, sed potiùs odium permissum: tum etiam quia cætera, quæ in hoc capite Christus Dominus enumerat tanquam antiquitùs dicta, scilicet, non occides, non mœchaberis, oculum pro oculo, & dentem pro dente, habentur in Scriptura; ergo & hoc quod addit de inimicorum odio in Scriptura etiam habebatur: tum deniquè, quia si a Pharisæis impudenter additũ fuisset legi, graviter propterea à Christo Domino reprehensi fuissent, quod tamen factum non est.

4. Secundò probatur authoritate Patrũ; nam S. Augustinus tom. 4. lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 41. in fine, *Nec quod in lege* (inquit) *dictum est, oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo.* *S. Aug.* S. Gregorius Homil. 38. in Evangel. sub *S. Gregor.*

initium

initium, *Cum in lege* (inquit) *scriptum sit, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, accepta tunc iustis licentia fuerat, ut Dei inimicos, suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, &c. quod in novo proculdubio testamento compescitur.* Et Origenes relatus à Salmerone homil. in prædicta verba cap. 5. Matth. to. 2. *Ad odiendum inimicũ mandatum fuit, ut, & amicum non odissent: concessa autem sunt ista populo illi veteri, adhùc rudi, & infirmo.*

Origenes.

5. Tertiò probatur, quia Deus hominibus illius populi præceperat, ut bella cruenta gererent adversùs nonnullas barbaras nationes, omninoque illas devitarent, ut constat ex cap. 23. & 34. Exodi. ex cap. 7. Deuteronomij. & 1. Regũ cap. 15. & quàmvis id sine odio, quod in lege gratiæ prohibetur, fieri rectè posset, quia tamen populus ille rudis erat, nec ijs divinæ gratiæ præsidijs munitus, quibus in lege Evangelica Christiani, absolutè odium permissum est.

6. Secunda sententia absolutè negat eiusmodi odium cõcessum, aut absolute permissum fuisse populo Iudæorum, sed illos etiam obligasse præceptum diligendi inimicos. Sic Magister in 3. dist. 30. dicens, *In præcepto legis, diliges proximum tuum, nomine proximi significari omnem hominem*; clariùs ibidem S. Thomas q. 1. art. 1. ad 2. S. Bonaventura q. 4. ad argumẽta: Durandus q. 1. ad 3. & in cap. 5. Matthæi: S. Thomas iterum, Glossa apud eundem in Catena, Abulensis q. 347. Lyra, Titelmanus, & Iansenius cap. 40. Concordiæ, qui omnes affirmant, illud quod Christus Dominus retulit, *Audistis, quia dictum est, odio habebis inimicum tuum,* non fuisse præceptum, aut permissionem legis Mosaycæ, sed falsam aliquorum interpretationem: Idem docent Bañez ad art. 8. in solutione secundi ante primum dubium, Valencia q. 3. p. 2. §. *maior.* Aragon (qui tamen falsò ait, esse ex fide certum) & alij Doctores.

Magister. S. Thom. S. Bonav. Glossa. Abulens. Lyra. Titelman. Iansen. Bañez. Valenc. Aragon.

7. Probatur primò, quia præceptum diligendi, & non odio habendi inimicos est naturale, & nullibi constat Deum cum Iudæis in illo dispensasse; ergo Iudaicum etiam populum obligabat. Consequentia est evidens, antecedens quoàd partem priorem declaratur, & probatur; etenim præceptum hoc dicitur imprimis naturale, quia licèt homo evectus non fuisset ad finem supernaturalem, nec ulla lege scripta obligatus, adhùc teneretur naturali amore, & comparatione bonorum naturalium diligere, & non odisse inimicum; deinde etiam appellatur naturale, quia eo ipso quòd homo sit evectus ad finem supernaturalem, absque ulla scripta lege teneretur non odisse inimicum, sed illum prosequi supernaturali amore, & comparatione bonorum supernaturalium. In utroque ergò sensu præceptum illud esse naturale, probatur; quia fundamentum amoris inter homines est similitudo in natura, vel in bonis gratiæ, participatio divinæ similitudinis, & communicatio in eodem fine, seu beatitudine naturali, aut supernaturali; sed inimicitia non evertit hoc fundamentum, ergo perstat naturalis inclinatio, & obligatio amandi; ergo naturale est præceptum amoris. Confirmatur primò, quia seclusa inimicitia est naturale præceptum diligendi, & non odio habendi, ergo etiamsi adsit inimicitia. Antecedens patet, quia naturale est dictamen rationis. *Quod tibi non vis, alteri non facias*; nemo autem est, qui velit odio haberi, & non diligi, quarè idem tenetur alteri præstare. Consequentia verò probatur, quia inimicitia nihil aufert eorum, quæ sunt fundamentum huius obligationis amandi, & non odio prosequendi. Confirmatur secundò, quia nulli licet propria, seu privata authoritate lædere inimicum, aut de illo vindictam sumere; alioqui foret in republica perversio intolerabilis; ergo saltèm quoàd externa effecta contra naturalem legem est odio habere inimicum. Ex eo autem ulteriùs infertur, cõntra naturam esse odium internum, quo prædicta externa mala inimico desiderarentur, nam malitia huius interni odij desumitur à malitia effectuũ externorum. Confirmatur tertiò, quia nemo est, qui in extrema, aut gravi necessitate non vellet sibi ab altero succurri; ergo insitum est unicuique homini ita diligere alterum, quantumcumque inimicum, ut in extrema, vel gravi necessitate illi succurrere velit; ergo naturale est præceptum dilectionis inimicorum.

Deinde posteriorem antecedentis partem probare nõ est difficile. Primò, quia 8.

Deus

Deus non potest dispensare in præceptis naturalibus, ut probavi in 1.2. controversia 7. tract.2. disp. 6. Secundò quia licèt dispensare posset, nullibi legitur in hoc naturali præcepto cum Iudæis dispensasse. Etenim testimonia Scripturę, in quibus præcipitur populo Iudaico, ut nonnullas barbaras nationes infestetur, & funditùs evertat, ut ab illarum convictu omnino separetur, & similia, solùm probant, Iudeos accepisse à Deo potestatem inferendi eiusmodi nationibus mala, & denegandi aliqua, aut plura signa externæ benevolétię, ac proinde hæc illis licuisse; cum quibus tamen stare potest dilectio aliqua, qua, vel exoptaretur illis ęterna salus, aut certé quòd minùs graviter offenderent Deum, ut ita minùs acerbè punirentur in inferno; & similiter stare potest quòd odiū nō haberēt, odiū (inquam) contra personas, sed solùm cōtra peccata, in quorum pœnam infligebant, aut infligere desiderabant supplicia nomine, & authoritate Dei: sic enim iudex, & qui ab eo legitimam potestatem habet, etiam in lege gratię punit malefactores, quin propterea eos odio prosequatur; & Ecclesia iustè prohibet nobis convictum cum hæreticis, non ob odium personarum, sed peccati, & ad vitanda damna, quæ ex illorū conversatione provenire possent. Verum quidem est hęc, & similia appellari posse, & solere odium, non tamen odium prohibitum, sed perfectum, aut honestum; & in hoc sensu Ecclesiasticus cap. 50. *Duas* (inquit) *gentes odit anima mea, tertia autem non est gens, quam oderim, qui sedent in monte Seir, & Philistijm, & stultus populus, qui habitat in Sichimis.* Eccl. 50.

9. Non erit (ut opinor) difficile duas sententias, quę hactenùs relatæ sunt, conciliare; & quidem posterior rectè probat non fuisse dispensatum cum Iudæis in pręcepto dilectionis inimicorum, sed quoad aliqua obligatos fuisse, & ad diligendum, & ad non odio prosequendum, ut in illius explicatione declaratum est, & ampliùs declarabitur in sequentibus. Prior verò sententia bene persuadet, aliquod odij genus erga nonnullas exteras nationes fuisse permissum, imò & præceptum Iudæis, quod in lege Evangelica, nec pręceptum, nec permissum est; quod quidem dilucidiùs perspicietur in solutionibus.

Ad primum ergò prioris sententię respondetur, imprimis non paucos, nec exiguæ authoritatis interpretes esse, qui dicant, illam fuisse falsam Iudæorum interpretationem; cùm enim lex expresśè solùm diceret, *Diliges proximum tuum, seu amicum tuum*, inde malè intulerant, odio habendum esse inimicum. Et quàmvis cætera, quæ ibi referuntur, habeantur in Scriptura, nihil urget nos, quia potiús inde sumitur pro hac opinione argumentū; cúm enim nullibi in Scriptura asseratur absolutè odio habendos esse inimicos, meritò id creditur ex falsa intelligentia Iudæorum ortum habuisse. Quód si id in speciali Dominus non reprehendit, damnavit in generali, cúm dixit Matthæi 15. *Eos esse cæcos, & duces cæcorum*; nec enim omnia in speciali reprehendenda erant, aut certè scripta non permansit reprehensio, sicùt & alia multa. 10. Matth. 15.

Deinde respondetur, illa verba, *Odio habebis inimicum tuum*, eatenùs dici posse desumpta ex Scriptura, quatenùs Deus in locis adductis in tertio argumento fecerat Iudæis potestatem infestandi barbaras quasdam nationes, & singulis etiam personis concesserat potestatem occidēdi homines illarum, & sumendi vindictā, qualis indicatur Iudicum 16. ubi Sanson petijt, & accepit à Deo fortitudinem, qua vindictam sumpsit de inimicis; in lege autem gratiæ non est facta ista potestas, sed potiús incitamur omnes ad desiderandum infidelium salutem, & pleriq; magna cum laude incumbunt in eorum conversionem, &c. itaque promulgat Christus Dominus in Evangelio legem benigniùs agendi cum inimicis, quàm in lege veteri agebatur; & ideò dicit, *Ego autem dico, diligite inimicos vestros*, non quia illi antiqui homines non tenerentur diligere, sed quia in aliquo gradu licebat odium, seu persecutio inimicorum, in quo modò non est licitum. Vnde cùm Lucæ 9. dixissent nonnulli discipuli, scilicèt Iacobus, & Ioannes, *Vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos*, scilicét Samaritanos, eó quòd Dominum nō recepissent in sua civitate, increpavit illos Dominus dicens: *Nescitis cuius spiritus estis; filius hominis non venit ani-* 11. Luca 9.

mas perdere, sed salvare.

12. Ad secundum respondetur, illos Patres agere de odio, quod diximus licuisse populo Iudaico adversùs nonnullas nationes, non de omnimoda inimicitia, & pleno odio. Ad tertium, licèt ille populus rudis esset, adhùc plures erant sapientes, & nulli deerat gratia sufficiens ad diligendos inimicos, & si minùs perfectè, quàm in lege Evangelica; quapropter etiam illum obligabat istud præceptum.

13. Ad argumentum posterioris sententiæ nihil aliud respondendum est, quàm præceptum istud esse quidem naturale, & absolutè obligasse Iudæos, nec in eo fuisse dispensatum; factam tamen esse exceptionem, quæ in lege gratiæ non fit; nam Deus in pœnam peccatorum fecit Iudæis potestatem insectandi, & debellandi, ac prorsùs extinguendi nonnullas barbaras nationes, strictèque prohibuit convictum illarum, ne ille populus imbecillus deciperetur, & ad cultum Deorum traheretur; quo posito licitum Iudæis erat hoc genus odij, id est, quod vellent eas nationes omnino delere, & earum convictum omnino fugere; in lege verò Evangelica benigniùs multò agit Deus cum infidelibus non baptizatis, & non vult absolutè à nobis debellari, nec ita vitari eorum convictum, quia gratia est multò copiosior, & maior spes conversionis ad veram fidem. Atque tum propter hanc causam, tum etiam propter magis expressam voluntatem, qua in lege gratiæ debemus velle amicis, & inimicis æternam fœlicitatem, & familiariùs agere cum illis, appellat Christus Dominus mandatum novum ipsum dilectionis præceptum, Ioann. 13. dicens, *Mandatum novum do vobis.* Ioan. 13.

DISPVTATIO VI.

De modo, quo tenemur diligere, & non odisse inimicos.



1. SI de internis actibus, qui propriè amor, & odium appellantur, sermo sit, certum primò est, nunquàm licere odisse inimicum quoàd eius personam, quia illa est creatura Dei, imò eiusdem naturæ nobiscum, particepsque eorundem bonorum gratiæ, licèt culpam eius, aut iniuriam, quæ fuit inimicitiæ occasio, odio habere possimus. Et quidem odium propriè, & rigorosè est actus inefficax, quo voluntas displicet sibi in aliquo, & hoc præcisè raro, aut potiùs nunquàm erit peccatum læthale, quia nihil mali infertur inimico virtute illius, imò nec exoptatur. Odium vero efficax, quo quis inimico desiderat, seu efficaciter vult aliquod malum, tunc erit peccatum læthale, quando malum, quod desideratur, fuerit grave ut mors, notabilis infamia, iactura omnium bonorum; nisi forté illud desideretur ob aliquem bonum finem, ob illum scilicét, propter quem suprà diximus licere alteri mortem, aut alia gravia damna desiderare etiam amicis. Quàvis practicè oporteat omnino abstinere ab eiusmodi malis desiderandis inimico, ne fortè dum quis putat, se desiderare illa ob bonum finem, exoptet propter vindictam. Quando verò malum, quod exoptatur inimico, fuerit leve, non erit culpa gravis illud odium.

2. Secundò, quod ad internum actum amoris spectat, cùm illum elicere pertineat ad præcepta affirmativa; & hæc non obligent nisi in specialibus circunstantijs, non tenetur quis positivé amare semper inimicum, sed quando necessitas occurrerit, quæ prudentis arbitrio talis sit, ut obliget etiam comparatione inimici. Tenebitur itaque quis inimicum amare, quando sic, & non aliter crederetur deponendum esse odium, vel quando esset in extrema necessitate, aut etiam in gravi; tunc enim tenetur quis per se loquendo succurrere proximo, si possit, ac proinde habere voluntatem succurrendi, quæ quidem voluntas amor est.

3. Tertiò, quòd potissimè in hac disputatione expendendum occurrit, est an, & quatenùs signa dilectionis teneatur quis exhibere inimico, quàmvis enim ad maxi

mam charitatis perfectionem pertineat frequentia, & specialissima fraternæ dilectionis signa illi exhibere, exemplo Christi Domini,& Sanctorum, non omnia cadunt sub præceptum. S.Thomas in art.9. & communis sententia Doctorum affirmat præcepto charitatis teneri omnes ad exhibenda inimico cõmunia signa dilectionis,illa nimirùm,quæ omnibus exhibentur, non autem ad exhibenda particularia. Cuius veritatis ratio manifesta est,quia nullus tenetur magis familiariter agere cum eo, qui inimicus est, quàm cum eo, qui est amicus, aut certè non inimicus; ergo signa amoris, quę erga amicos, aut non inimicos prætermitti sinè culpa possunt, prætermitti etiam poterunt erga inimicos per se loquendo, nisi fortè occurreret casus, in quo prudenter timeret quispiam, se perseveraturum in odio, nisi peculiare aliquod benevolentiæ signum exhiberet; tunc enim per accidens teneretur, ut ita deponat odium inimici. Sed ut hæc generalis doctrina meliùs percipiatur, & revocetur ad praxim, nonnullæ difficultates expediendæ sunt.

S.Thom.

4. Prima est, utrùm quis teneatur etiam gravi præcepto orare pro inimicis. Et quidem speciales pro illis preces ad Deũ effundere nemo tenetur, nisi occurreret gravis necessitas,cui aliter, quàm per orationem succurri non posset. Quarè solùm dubitatur, an liceat in orationibus, quas in generali pro omnibus fundimus, excipere inimicos, alicui videretur, id licere; primò, quia Ecclesia in sacrificio Missę, & alijs publicis orationibus excipit excommunicatos, & infideles, ut ita puniat eorum delicta; ergo quivis in pœnam, seu compensationem iniuriæ irrogatæ ab inimico, potest licitè nolle orare pro illo. Secundò, quia liberum est homini, saltèm in plerisque eventibus, orare, vel non orare pro alijs; ergo ex hypothesi,quod oret,potest intentione sua excludere inimicum, sicùt & quemvis alium excludere poterat. Tertiò,quia saltèm non videtur ullum grave præceptum,quo quis teneatur inimicum non excludere ab oratione communi,ac proinde non erit peccatum læthale id facere,præsertim cùm hic nullum scandalũ occurrat, sed sola interna voluntas excludendi inimicum à communibus precibus.

5. Vera tamen sententia est, id esse contra præceptum charitatis. Sic S.Thomas in art.9. ubi Bañez,& Aragon,Sylvester verbo *Charitas*, quæst. 5. Colligitur ex Emanuele Rodriguez to. 1.Summæ cap. 17. conc. 2. & alijs. Probatur primò, quia id est genus quoddã vindictæ, quæ nulli licet privata authoritate; non enim solùm sumitur vindicta inferendo malum, sed etiam auferendo bonum. Secundò, quia iustè conquereretur amicus, si in communi oratione excluderetur ab amico, & petens veniam à Deo omnibus hominibus huius civitatis diceret,se nolle participem efficere amicum huius boni; ergo aliqua iniuria infertur illi,qui excluditur ab oratione cõmuni; ergo verè offendit etiam inimicum, qui illi denegat hoc commune suffragium; constat autem offensam istam esse contrariam charitati.

S.Thom. Bañez. Aragon. Sylvester. Rodriguez

6. Tertió probatur responsione primi argumenti, quod verè à nobis est; etenim sicút iudex in temporalibus ob publicam authoritatem potest occidere malefactorem, quod tamen privatæ personę omnino illicitum est, ita Ecclesia, quæ in spiritualibus habet iudiciariam potestatem, licitè privat excommunicatos communibus orationibus, ut ita puniat eorum delicta, & fideles suos contineat in officio, privata veró persona id efficere sua authoritate non potest. Ad secundum verò respondetur aliqua esse, quæ quis non tenetur facere, sed si faciat, tenetur servare modum, & conditiones, quæ ab eiusmodi rebus exiguntur; sic enim non tenetur clericus non initiatus sacris, aut non habens beneficium, recitare horas canonicas, sed si recitet,tenetur attendere: similiter hodiè non teneor celebrare Missam, sed si celebrem, teneor servare ritus Ecclesiæ;ita ergo licèt quis hodiè non teneatur generales preces ad Deum effundere,sed si effundat,non potest excludere inimicum ab illis.

7. Ad tertium respondetur, non semper esse culpam mortalem excludere inimicum ab oratione generali, si grave scandalum absit; non enim est cur in hoc non sit parvitas materiæ, sicùt & in alijs rebus prohibitis. Et quidẽ si sermo

tit de orationibus, quas nomine Ecclesiæ quis offert Deo, ut cùm sacerdos in missa orat pro omnibus fidelibus, aut pro universa Ecclesia; ego non auderem excusare à mortali eum, qui inimicum excluderet; quia oratio illa magni momenti est, ut poté profecta ab universa Ecclesia, Deo dilectissima, & per se videtur magna irati animi demonstratio in tam publico, & gravi negotio inimicum excludere; unde censetur satis gravis pœna, quæ excõmunicatis infligitur privando illos communibus Ecclesiæ suffragijs. Similiter qui apud se statueret, quoties privatim orat pro omnibus, excludere inimicum, graviter læderet charitatem; & quivis meritò reputaret eam non levem injuriam, & ideò censeo esse peccatum mortale. Quòd autem in oratione privata semel, aut iterum excluderetur inimicus, videtur materia levis, ac proinde non sufficiens ad mortale, nisi oriatur ex odio gravi, quo alia magna mala inimico suo quis imprecetur: colligitur ex Rodriguez suprà, & docent alij.

8. Secunda difficultas est, utrùm quis teneatur inimicum salutare, & ei caput aperire, alloqui, aliudvé simile reverentiæ, aut benevolentiæ signum exhibere. Caietanus ad art. 9. & Corduba lib. 1. quæst. q. 27. in secundo puncto, absolutè negant, nisi per accidens ratione scandali, aut alterius peculiaris circũstantiæ. Probat Caietanus, quia hęc sunt peculiaria signa benevolentiæ, & non communia beneficia; ergo nullo præcepto tenemur illa exhibere omnibus, etiam amicis, nedum inimicis. Corduba verò alias rationes reddit, quæ contra veritatem explicandam non habent aliquid roboris.

9. Dicendum ergò est, hæc & similia signa interdum esse generalia beneficia omnibus debita, aut certè personis talis status, aut qualitatis qualis est inimicus; & tunc charitatis lege teneri nos ea non denegare inimicis, nisi adsit specialis ratio, quæ excuset; interdum verò esse particularia; & tunc non est obligatio exhibendi ea inimicis, nisi occurrat scandalum, aut alia ratio obligationem inducens: generalem hanc assertionem declarabunt, & comprobabunt casus particulares. Imprimis si alicubi sint quatuor homines, quorum unus tantùm est inimicus, eo ipso, quòd tres salutem, aut eis caput aperiam, teneor id ipsum præstare inimico, ut bene Sylvester verbo *Charitas*, q. 6. Bañez, & Aragon hic, art. 9. quia in ea occasione illud censetur beneficium commune, & illius denegatio suaptè natura affert genus quoddam vindictæ, & iniuriæ, & non potest non generare aliquod scandalum ijs saltem, qui inimicitiam illorum antea non scivissent. Accidere tamen potest, quartum illum hominem esse ita abiectæ conditionis, ut sinè ulla nota, aut signo vindictæ prętermitteretur illius salutatio, & tunc non esset peccatum. Sylvester. Aragon. Bañez.

10. Deinde si inimicus sit meus Prælatus, Pater, aut similis persona, quam omnes mei status, aut conditionis salutare solent, & ei caput aperire, teneor hoc signum non prætermittere. Tertiò, si quis me salutet, teneor per se loquendo resalutare; nisi qui salutat foret servus, aut filius, quem propter culpam oporteret puniri, denegato per aliquod tempus eiusmodi benevolentiæ signo; ad eum modum, quo David 2. Regum 14. denegavit Absaloni conspectum sui; eò quòd fratrem suum Amon interfecisset, *Revertatur* (inquit) *in domum suam, & faciem meam non videat: mansitque Absalon in Hierusalem duobus annis, & faciẽ Regis non vidit*: priùs autem fuerat per triẽnium in Gessur post mortem Amon, ut constat ex cap. 13. itaque per quinquẽnium non vidit Regem. Oportet autem in eiusmodi signis denegandis suum esse limitem, quia non in perpetuum, & pro quacumque occasione licebit denegari. Sic enim David tandem placatus est, *Vocatusque est Absalon* (inquit Scriptura) *& intravit ad Regem, osculatusque est Rex Absalon*: unde Emanuel Rodriguez ubi suprà conc. 7. dixit, non esse absolvendum patrem, qui ad multos annos, aut in perpetuum denegat filio collocutionem, vel eum in magna aliqua calamitate, aut fœlicissimo eventu non invisit. Quod quidem optimè persequitur Antonius Cordubensis in illa quæst. 27. §. *tertium punctum*, & sequenti. 2. Reg. 14. Rodriguez Corduba.

11. Quartò solent inter aliquas personas esse mutua colloquia, & propter consanguinitatem in gradu valde proximo

solent se interdum invisere, quia ita fert consuetudo inter similes personas; tunc sanè collocutio, aut visitatio pretermitti non potest, quia & ex se generat scandalum, & est quoddam genus vindictæ, excluditur enim inimicitię causa ab illo beneficio, quod commune est personis illius status. Occurrere autẽ possunt circunstantiæ excusantes ab hac, & similibus obligationibus, quas Corduba, Rodriguez, & alij rectè notant: si enim colloquendo, sicut antea, aut invisendo, prudenter timetur rixæ, vel novę occasiones odij acerbioris, aut amittet aliquis suum ius ad rem non levis momenti, non tenetur ea signa præstare, dummodò conetur alijs satisfacere, ne scandalizentur, & inimicis alia signa benevolentiæ, proùt poterit, exhibere; quia hoc præceptum non obligat cum notabili detrimento.

12. Quimò si duo antea sibi invicem essent familiarissimi, & inimicitiam postea incurrerent, possent deposito odio, non conversari familiariter, curantes simul satisfacere ijs, qui fortè inde scandalum subirent, quia hoc pertinet ad beneficia particularia, quæ nemo tenetur alijs exhibere. Denique notandum est, in illis casibus, in quibus diximus esse obligationem salutandi, colloquendi, aut invisendi, non facilè damnandum esse ut reum culpæ mortalis, qui huic obligationi non omnino satisfaceret; nam in hac, sicut & in alijs rebus potest esse parvitas materię. Si enim quis semel, aut bis non salutaret inimicum, ubi nullus est, qui scandalum subeat, aut si fortè sit, parùm scandalizatur, aut non offenditur, non esset peccatum mortale, ut bene Rodriguez suprà conc. 2.

13. Tertia difficultas est, an, & quomodo teneatur benevolum se gerere erga inimicum ille, qui ab eo iniustè læsus est, cùm iste non læsisset. Respondetur imprimis, non teneri illum priùs alloqui, aut salutare; quia recta ratio non exigit, ut qui iniuria affectus est obligetur ad resarciendam amicitiam, nec iure poterit quis scandalum propterea subire, si sciat eiusmodi hominem esse paratum ad ignoscendum, & ostendenda signa benevolentiæ: ille ergò, qui iniuriam irrogavit, tenetur alteri satisfacere, & ab eo veniam postulare; illique petenti tenetur, qui iniuria affectus est, non solùm ex animo parcere, seu dimittere offensam, quatenùs offensa est, sed etiam signa benevolentiæ exhibere, inimicumque alloqui, & salutare; non verò tenetur remittere damnum, quod in honore, aut re familiari passus est; sed potest resarcita amicitia, & dimissa culpa, agere etiam coram iudice de resarciendis damnis ipsi illatis. Cavendum tamen diligenter est, ne id fiat ex odio; quia tunc sinè dubio peccatum esset, & propterea, si damnum illatum sit dignum morte, & damnificatus ex tali morte nullum magnum emolumentum in honore aut pecunia percipiat, difficillimum profectò est sinè odio, ac proinde sinè gravi peccato agere coram iudice, ut illud delictum puniat, & mortẽ inferat inimico tuo, quarè in praxi omnino remittere oportet eiusmodi satisfactionẽ petenti veniam præsertim.

Rogabit aliquis, an si inimicus non solùm petat à te veniam, sed etiam ęquivalentem satisfactionem tibi offerat, possit illam non acceptare, sed agere coram iudice, ut ipse delictum puniat. 14. *Sylvester.* Sylvester suprà q. 6. & clariùs aliqui recentiores affirmant, teneri sub mortali non agere coram iudice. Sed probabilius videtur oppositum, quod sequitur Valencia in fine quęst. 3. quia licèt culpam remittere quis teneatur, præsertim petenti veniam, & id tantùm probet Caput, *Si quis contristatus*, dist. 90. non tenetur acceptare quodlibet genus satisfactionis, ut ibi notavit Glossa; ergo potest petere illam, quam ius concedit, aut exigit. *Valent.* *C. Si quis contrist.* Confirmatur, quia bonum est, authoritate iudicis fieri satisfactionem à lege præscriptam; ergo non peccat, qui eam petit, non ad vindictam, seu ex odio, sed ne delicta maneant publicè impunita. Fateor tamen esse valde difficilè, id sinè odio præstari ab eo, qui læsus est, & ideò in praxi foret omnino consulendum, ut coram iudice nihil peteret, sed contentus esset æquivalenti satisfactione, quam alioqui offert ille, qui lęsit.

Quarta difficultas est, an quando uterque fuit causa inimicitiæ, & æqualis 15.

iniuriæ, teneatur alter alterum prævenire salutando, alloquendo, vel veniam petẽdo. Respondetur, licèt laudabile valde sit id facere, non videri esse obligatoriũ, dummodò vitetur scandalum, & sciatur utrumque esse paratum ad exhibenda signa benevolentiæ, quando alter voluerit. Etenim obligatio, si qua esset, in utroque reperitur; unde si alter non velit illam implere, non est alteri imponendum totum gravamen, nec alter potest rationabiliter esse invitus, si alter non faciat, quod ipse æquè tenetur facere, & non vult. Oportet autem in hoc eventu convenire religiosum aliquem, aut gravem personam, ut mediet, & partes conciliet. Quòd si neuter inimicus voluerit adire domum alterius, poterunt ambo ad Ecclesiam, vel amici domum accedere, ubi mutuo colloquio, & salutatione, alijsque benevolentiæ signis in pristinam amicitiam redeant, aut certè deponant inimicitiam.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm damnati sint ex charitate diligendi: ubi etiam de amore creaturarum irrationalium, & insensibilium.



Facilè ad propositam difficultatem responderi potest, si dicamus, creaturas, quæ rationis, & intelligentię capaces non sunt, non posse diligi amore charitatis, quasi ad illas amicitiam habeamus; quia hæc inter solas creaturas intelligentia præditas reperitur; bene tamen diligi posse, prout in eis elucet bonitas divina, quæ est obiectum formale charitatis; & sub hac etiam ratione diligi possunt damnati, nimirùm quatenùs sunt creaturæ Dei ad eius gloriam manifestandam conditæ, & conservatæ; amore veró amicitiæ, qui maximè proprius est charitatis, diligendi non sunt, quia amicitia ista præcipuè fundatur in communicatione eorundem bonorum supernaturalium, & maximè beatitudinis; horum autem iam non sunt capaces damnati. Vide S. Thomam in artic. 11. nihilominùs licitum esset ex charitate inefficaciter complacere in eo, quod beatitudinem consecuti fuissent.

COMMENTARIVS in quæst. 26.


IN hac quæstione, quæ tredecim articulos complectitur, laté differit S. Thomas de ordine charitatis, id est, de modo, quo obiecta cadunt sub hanc virtutem; quæque, quibus anteponéda sint, & quomodò; & quoniam quidquid observatione dignum fuerit in articulis, afferetur, aut explicabitur in disputationibus sequentis tractatus non erit necesse illorum summam dictare.

TRACTATVS VII.

De ordine, quo obiecta cadunt sub habitum charitatis supernaturalis.

DISPVTATIO I.

Vtrùm obiecta cadant sub charitatem aliquo ordine, qui sit præceptus: & quis, & quotuplex ille sit.



Communis, & certa Theologorum sententia cum S. Thoma in articulo primo, & cum Magistro in 3. dist. 29. affirmat reperiri aliquem huiusmodi ordinem, qui cadat sub præceptum, quod quidem I.

Scriptura semel, & iterum testatur; nam propterea Christus Dominus Matth.22.
Matth.22 *Primum, ac maximum mandatum appellavit illud, quo tenemur diligere Deum. Secundum, verò illud quo ad diligendum proximum, sicùt nos ipsos obligamur.* Et
Matth. 10 in cap.10. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, nō est me dignus*; & iterum, *Qui non odit patrem, & matrem, &c.* id est, qui hæc, & similia non postponit doctrinæ, legi, & voluntati. Varij etiam Ecclesiæ Patres hunc ordinem, & obligationem colligunt ex verbis illis Cantic.2.
Cantic. 2. *Ordinavit in me charitatem*: lege S. Bernardum serm. 5. in Cant. & S. Nyssenum Homil.4. qui sic vertit, *Subijcite me dilectioni*, sive cōstituite supra me dilectionē ipsam, & addit, *Fortassè doctrina quædam*
Nyßen. *elegantior nobis per vocem hanc traditur, qualis nimirùm Deo debeatur dilectio, & quo pacto erga cæteros affectus esse nos cōveniat; nam si in ordine decenterq; fieri debent omnia, multò magis in rebus huiusmodi suus est ordini locus*, & infrà, *quamobrem, qui in dilectione servandus sit ordo præscriptus in lege, sciri debet: quo nimirū modo diligendus Deus, quo proximus, quo uxor, quo inimicus ne præter ordinē amor, ac perturbatè præstetur.*

2. S. Thom. Sanctus Thomas suprà reddit rationem huius certæ veritatis dicens, ubicumque reperitur aliquod principium, ac veluti primum fundamentum, ibi quoque reperiri debere ordinem prioris, scilicèt & posterioris, cùm ergò charitas tendat in Deū, tanquàm in ultimum finem, & principium beatitudinis, in cuius communicatione fundatur amicitia proveniēs ab ipsa charitate, necesse est aliquem ordinem reperiri ratione cuius Deus sit primum, quod diligi oportet. Deinde alia eò magis, aut minùs, quò magis minùs ve propinqua sunt ipsi Deo, ut magis in sequentibus explicabitur.

3. Dices inter divinas personas esse ordinem, & tamen unam personam non esse priorē altera, quia, in divinis nihil prius,
Athanas. aut posterius, ut S. Athanasius in symbolo docet; ergo licèt inter obiecta charitatis reperiatur ordo, nō ideò erit unū obiectum prius diligendum, quàm alte-
Caietan. rum. Caietanus in hoc articulo primo satisfacit huic difficultati, facilis tamē solutio est, eo modo, quo inter aliqua reperitur ordo, reperiri etiam prioritatem; sed quoniam inter divinas personas non est ordo dignitatis, aut perfectionis, sed originis non est etiam prioritas absolutè loquendo, sed prioritas originis, quatenùs Pater est principium Filij, & uterque est unum principium Spiritus Sancti: inter obiecta verò charitatis est ordo æstimabilitatis, & dignitatis, quatenùs Deus est magis dignus æstimatione, & amore, & aliqui homines sunt alijs præponendi, & ideò asserenda est inter eadem obiecta prioritas, quæ in eo consistat, quòd unius dilectio præponenda sit dilectioni alterius, modo in sequentibus declarando.

Duo argumenta affert Sanctus Thomas contra hanc certam doctrinam de ordine charitatis; primum est, inter obiecta fidei nullus est ordo, sed omnia æqualiter creduntur; ergo inter obiecta charitatis nullus est ordo, sed omnia æqualiter diliguntur. Secundum est, aliæ virtutes, nimirùm morales infusæ nullum ordinem servant in amplectendis suis obiectis; ergo idem dicendū est de charitate. Tertiū denique addi potest; scilicèt virtus spei eodem modo, & ordine sperat omnia, quæ Deus promisit; ergo charitas eodem modo, & ordine amat omnia, quæ Deus amari vult. 4. S.Thom.

Ad primū respondetur, discrimen esse inter actum fidei, & actū charitatis, cùm enim ille pertineat ad intellectum, cuius propriū est trahere res ad se, hic verò ad voluntatem, qua ferimur in ipsas res, in quibus potissimùm reperitur ordo, inde provenit, potiori iure inter obiecta charitatis constitui ordinem, quàm inter obiecta fidei, licèt in his etiam suus ordo servetur, quatenùs fides primariò tendit in Deum, deinde in ea, quæ ad Deum referuntur. Huius solutionis explicatio nō est difficilis, docet enim Sanctus Thomas actus charitatis, utpotè spectantes ad voluntatem ordinari ad executionem, & veluti ad praxim: & quoniam in executione occurrunt occasiones anteponendi unum obiectum alteri, verbi gratia, succurrendi huic potiùs pauperi, quàm illi, curandi honorem Dei potiùs, quàm beneplacitum humanum, & similia; specialem rationem esse, qua cogamur asserere ordinem inter obiecta charitatis: actus verò fidei utpotè perti- 5.

nentes

nentes ad intellectum, non ita proprié ordinari ad executionem, sed ad cognoscendas veritates revelatas, in quo quoniã non occurrit necessitas credendi unum potiùs, quàm aliud, cùm omnia revelata credi possint, non est tam specialis ratio asserendi ordinem inter credibilia, & si negandum non sit aliquem ordinem reperiri, quatenus Deus, & eius mysteria sunt, quę potissimùm credere debemus, & propter quæ infusa fuit Divina fides, deinde alia minùs principalia.

6. Ad secundum respondetur, charitatẽ tendere immediaté in Deum ut in ultimum finem, & principium omnium; virtutes verò morales non ita: & ideò potiori iure asserendum esse ordinem inter obiecta charitatis, quia, ut dictum est, ex eo quod detur aliquid primum, seu quod sit principium, infertur reperiri ordinem prioris, & posterioris: itaque licèt Sanctus Doctor asserat ordinem obiectorũ potissimum reperiri in charitate, non negat aliquo etiam modo in obiectis aliarum virtutum reperiri; nam cùm ad obiectum virtutum moralium pertineant aliqua, quæ cadunt sub præceptum, alia quę sub consilium, alia quæ sunt magni momenti, alia quæ exigui, dubitari non potest, inter hęc suũ etiam ordinẽ servari oportere, & præcepta, atque alia maioris momenti anteponenda esse ijs, quę prę- cepta non sunt, vel minoris momenti.

7. Ad tertium respondetur, etiam inter obiecta spei suum ordinem esse servandũ; nam potissimùm inclinat hæc virtus ad sperandam beatitudinem, quam alia, quæ ad beatitudinem referuntur, priùs etiam inclinat ad speranda bona proprij subiecti, quàm proximi, plùs ad spiritualia quàm ad temporalia.

8. Dubitabit aliquis nõ immeritò, quis, & quotuplex sit ordo, quem inter obiecta charitatis diximus reperiri. Respondetur quadruplicẽ esse; primus est intensivus, qui in eo consistit, quod unum obiectum diligatur intensiori actu, quàm alterum: & hic nõ cadit sub præceptum, tum quia valde occultus est, tum etiam quia si cõparatione alicuius obiecti exercenda esset maior intensio, maximè comparatione Dei; ostendemus autem posteà, non esse obligationem in hac vita diligendi Deũm maiore intensione quàm proximũ, licèt id sit valde laudabile. Secundus ordo est appretiativus, qui consistit in modo affectus erga obiecta, virtute cuius anteponatur unum alteri, ita ut si occurrat occasio contemnendi unum, aut alterum, illud potiùs contemnatur, quod minore appretiatione diligitur, & hic ordo cadit sinè dubio sub præceptum; quis enim dubitabit, Deum anteponendum esse creaturis, & bonum commune bono privato. Tertius ordo est obiectivus, ratione cuius volumus uni obiecto maius bonum, alteri minus: & hic etiam prę- ceptus est saltèm quoad specificationem, nam licèt non semper teneamur positivè velle uni proximo maius bonum, quàm alteri, non licet velle illi minus bonum, nisi quando iuxta regulas rectę rationis, aut beneplacitum voluntatis Dei, expediens fore iudicabitur, de quo plura in sequentibus. Quartus denique ordo appellari potest formalis, sivè interioris affectus, & hic sinè dubio etiam sub præceptum cadit, quidquid nonnulli contrà senserint, nam cùm externa beneficia, vel opera proficiscantur ab interna voluntate, sicut charitas præcipit ordinem servari in externis, ita & in actibus internis, quaterùs ad hæc externa requiruntur.

Observandũ est in fine huius disputationis cũ ordo charitatis cadat sub pręceptũ, illudque divinũ, ex suo genere obligare sub mortali, contingere tamen posse ex levitate materiæ solum esse veniale, nam si contingat parum excessus reperiri in obligatione, qua quis tenetur uni potiùs quã alteri succurrere, & inverso ordine subveniatur huic alteri, pecatum erit veniale; v.g. tenetur filius subvenire potiùs Patri quàm Matri; sed non peccabit læthaliter si cùm non possit utrique, subveniat Matri, quia excessus illius obligationis exiguus est. 9.

DISPUTATIO II.

Vtrùm Deus plùs quàm cætera omnia diligendus sit.

1. Ndubitatum est, Deum plùs quàm cætera omnia diligendũ esse, cùm sit longè pręcellentius bonũ; cuique plùs quàm

nobis

nobis ipsis, & alijs debemus; sitque bonum universale, quod particularibus bonis omninò præferendum est: vide Sanctum Thomam in art. 2. & 3. nec obstant illa verba Ioannis Apostoli in 1. Can. c. 4. *Qui non diligit proximum suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Non enim est sensus illorum maiori dilectione diligi proximum, id enim non solùm non est verum, sed etiã impossibile, si amor sit veræ charitatis, ut infrá declarabitur; significat ergò Apostolus Sanctus, proximum esse nobis notiorem, & similiorem, ac proinde magis veluti pervium nostro amori, qui ad ea, quæ novimus, & propinquiora, ac similiora sunt ferri faciliùs solet: unde argumẽtatur Apostolus, si proximũ tibi notissimum non amas, quomodo potest credi à te amari Deum, qui à notitia tua remotior est, & tibi omnino dissimilis: adde quòd difficilius est amare Deum ex corde, quàm proximum, quia in amore Dei includitur omnium mandatorum observantia, & plures occasiones occurrunt violandi legem divinam, quàm amicitiam humanam; quaré qui preceptum facilius amoris proximi non implet, convincitur non implere præceptum divini amoris, quod difficilius est, licèt magis obliget, & ad dilectionem perfectiorem.

S. Thom.

1. Ioan. 4.

2. Superest modò difficultas in explicãdo modo, quo Deus suprà omnia diligendus est. Adrianus in 4. q. 2. de Penitentia existimavisse videtur ad implendum preceptum dilectionis Dei necessarium esse, illum diligere toto conatu nobis possibili, nam agens de contritione ad iustificationem requisita, ait, huiusmodi penitentiam futuram esse talem, ut quis omnem conatum adhibeat, & faciat quidquid potest ad placandum Deum; eadem autẽ ratio videtur esse amoris, præsertim cũ hic includatur in actu cõtritionis. Profert Adrianus varia Scripturę testimonia, Deut. 4. n. 29. & 30. *Cũ quæsieris Dominum Deum tuum invenies eum, si tamen toto corde quæsieris; & tota tribulatione animæ tuæ.* Ps. 118. *Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirũt eum.*

Adrianus.

Deut. 4.

Psal. 118.

3. Sed ad rem nostram illud est maxmè urgens, quod in cap. 6. Deuteronomij habetur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua;* quod refert Christus Dominus apud Matthęum c. 22. dicens, hoc esse primum, & maximum mandatum: tenemur ergo diligere Deum toto conatu possibili. Unde Sanctus Gregorius Nyssenus libro de hominis opificio cap. 8. referens eadem ferè verba, quæ Christus Dominus Marci 12. dixit cuidam Scribę, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua,* ita explicat, ut per cor, partem animæ nutrientem; per animam, partem sentientem; per mẽtem, partem rationalem intelligat; ut nimirũ denotet nihil futurum in nobis, quòd dilectioni divinæ impendere non teneamur. Sanctus Augustinus relatus à Sancto Thoma in Catena Matthęi 22. *Deum* (inquit) *ex toto corde diligere præciperis, ut omnes cogitationes tuas, ex tota anima, ut omnẽ vitam tuã, ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum, in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers:* nullam ergo vitæ nostræ partem reliquit, quę vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui. Origenes apud eundem illud verbum *ex toto corde* explicat, ut significet *secundùm totam recordationem, & operationem, & cogitationem.* Denique Theodoretus apud eundem Sanctũ Doctorem in Catena Marci 12. exhibet explicationem similem, aut eandem cum declaratione Sancti Nysseni suprà adducta.

Deuter. 6.

S. Nyssen.

S. Aug.

Origenes.

Theodor.

4. Qui prędicto modo putãt teneri nos diligere Deũ, cõsequenter existimabũt esse obligationẽ diligẽdi Deũ actu magis intenso, quã homines, vel angelos, aut alias creaturas, id quod in speciali tribuitur nõ nullis Doctoribus, nam Aragon infrà referendus ait, ita videri sensisse Scotum in 3. dist. 27. q. unica, & Durandum dist. 29. & 92. & fundamentum esse potest, tum testimonium Deuteronomij adductum cum expositione Patrum: tum summa bonitas divina, cui irrogaretur iniuria, si minùs intensè, quàm bonitas creata diligeretur.

5. Pro contraria parte adduci possunt Sanctus Bonaventura in 3. dist. 29. q. 2. ad 1. & q. 4. ad argumenta, & Gabriel ibidem, q. unica art. 1. n. 3. quatenús asserunt, licèt Deus plus quàm creaturæ omnes diligendus sit, hanc tamen incli-

S. Bonav.

Gabriel.

nationem

nationem in tam præcellentem amorem, esse solius charitatis supernaturalis, ita ut si attendatur inclinatio naturalis, propendeamus magis in amorem nostri, quàm Dei, quàmvis S. Bonavent. addat, id potiùs ad corruptionē, quàm ad perfectionē naturæ pertinere. Probatur, tum quia amicabilia, quæ sunt ad alterū proveniūt (teste Philosopho) ex amicabilibus, quæ sunt ad se; tum quia magis est homo cōiunctus sibi ipsi, quàm Deo: tum etiam quia facile est diligere se ipsum, & alioqui in dilectione Dei difficultatem experitur natura, nisi gratia divina evehamur ad illius amorem.

6. Dico primò; nulla determinata intēsio in actu amoris erga Deū præcepta est, sed licèt iustus non amet Deum tota intēsione sibi prosibili, implet dilectionis divinæ mandatum, sic sentiunt Gabriel suprà adduct.ᵒ notabili 1. sed multò clariùs in d. 27. q unica ar. 1. con. 7. ubi rectè declarat, quod in 6. dixerat, & videri poterat cōtrarium; refertquè pro se Petrum de Aliaco, Caiet. infrà ad arti. 4. q. 44. in fine. Bañez ibidem ad argumentum 5. & 8. Sotus in 4. d. 17. q. 2. a. 4. Aragon in hac quęstione 26. art. 2. Valē. q. 4. p. 1. Suar. in 3. p. t. 4. d. 4. sect. 4. & colligitur ex alijs gravissimis Doctoribus, qui solū appreciationem Dei super omnia dicunt cadere sub præceptū. Probatur primò, quia ille actus amoris sufficit, & requiritur ad impendū præceptū divinæ dilectionis, qui satis est ad implendam divinam legem; sed actus efficax amoris Dei etiam valde remissus satis est ad implendam divinam legem; ergo ille sufficit ad implendum præceptum divinæ dilectionis. Consequentia est evidens, maior patet: tum quia veram dilectionem erga Deum nemo melius tenetur ostendere, quàm nihil omittēdo, quod Deus ipse præcipiat, & nihil faciendo, quod prohibeat; tum etiam quia in Scriptura hoc tanquam certum dilectionis signum exhibetur: Ioannis 15. *Si præcepta mea servaveritis* (inquit Christus Dominus) *manebitis in dilectione mea* & 1. Ioā. 5. *hæc est charitas Dei, ut mandata eius custodiamus:* minor probatur, quia de ratione cuiuscumque actus amoris Dei efficacis est anteponere Deum, & eius amicitiam cuicumque alteri bono incōpatibili, ita ut si eiusmodi amor perseveret, nihil ocurrere possit quātùvis difficile, quod non superetur, ne divina amicitia lędatur, ergo virtute illius implebitur quodcumque divinū pręceptū: rursus efficacitas amoris nō cōsistit in intēsione, hæc enim est additio graduū similiū, & in actu inefficaci reperiri potest maxima, sed in modo tendendi ad obiectū, qui etiam si actus nō haberet intensionem in illo reperiretur, quęlibet ergo intensio sufficit, ut præceptum charitatis impleatur.

Gabriel. Caietan. Bañez. Sotus. Aragon. Suarez. Ioan 15. 1. Ioan. 5.

Dices, verum quidem esse sufficere actum amoris efficacis remissum, ut impleatur divina lex quoad præcepta gravia, quorum violatio lędit amicitiam divinam, non autem satis esse, ut evitentur peccata venialia, cùm ergò hęc sint etiam cōtra divinum præceptum, & teneamur illa vitare, tenemur etiam habere amorē Dei ita perfectum, ut virtute illius venialia evitentur, sed hæc perfectio non potest esse alia, quàm summa intensio nobis possibilis, ergo ad illam habendam obligamur lege charitatis. Sed hæc obiectio parum habet momenti; nàm primum in hac vita nō possumus omnia venialia vitare, quam tumvis diligamus Deum actu intensissimo, nisi adsit aliquod speciale privilegiū, quod soli Beatæ Virgini scimus esse cōcessum: unde ex hoc cap. non potest inferri obligatio diligendi Deum summa intensione: deinde siquis amor hanc excellentiam haberet, ut virtute illius vitarentur omnia venialia, id non proveniret ex intēsione maiori, sed ex indivisibili eaquè perfectissima appreciatione summæ bonitatis; hunc enim amoris modum habent omnes, & singuli beati, licèt actus sit valdè remissus, ut in tract. 1. declaratū est. Pręceptum ergo diligendi Deum etiam ita rigorosè aceptum non implebitur multiplicatis gradibus intensionis, sed elicito amore summè appreciativo: & quidem in hac vita non est impositum nobis eiusmodi præceptum absolutè loquendo, sed illud solum, quod obligat ad amorem ita efficacem, ut virtute illius nullum grave præceptum sit, quod nō impleatur interdū verò occurrere potest occasio in qua evitaretur peccatum aliquod veniale si iustus eliceret actum charitatis aliquanto efficaciorem, & tunc tenebitur sub veniali illum elicere, quando aliter non posset culpam illam venialem vitare; sed num- 7.

quam

quam ea maior efficacitas consistet in maiori intensione, sed in maiori appreciatione divini beneplaciti.

8. Ex dictis infertur accidere posse sinè culpa, ut quis intensius amet creaturam, quàm Deum, verbi gratia mater filium suum, quia hæc maior intensio non est cōtra præceptum charitatis, quod, ut vidimus, non latū est de intensione determinata; aliunde verò maior facilitas orta ex propensione etiam sensibili erga bonum aliquod creatum, potest, & solet esse causa, ob quam intensissimo actu illud amemus; adverto autem hoc non esse intelligendum, quando creatura amatur media ipsa charitate, tunc enim impossibile est intensius illam amari, quàm Deum; nam, cùm obiectum formale huius amoris sit ipse Deus, quoties creatura propter illum amatur, diligitur etiam Deus; ac proinde tota intensio, quæ erga creaturam impenditur, etiam impenditur erga Deum, in quo etiam notari potest discrimen, nam Deus amari potest media charitate, non amato ullo bono creato; & consequenter crescere intensio amoris erga Deum, licèt non crescat erga creaturam; hæc verò amari non potest media charitate, quin simul diligatur Deus ut obiectum formale, & ideo non potest esse intensior amor erga creaturam, quàm erga Deum, ut explicatum est.

9. Dico secūdò, appreciationis ordine preferendus est Deus omnibus alijs bonis; & in hoc sensu tenetur quisque sub gravi culpa diligere Deum magis, quā omnes creaturas: sic sentiunt Magister in 3. dist. 27. c. antepenultimo, ubi agens de impletione præcepti charitatis, ait, ab eo impleri in hac vita, *qui Deum ante omnia, & præ omnibus diligit*. Sanctus Bonaventura apud Carthusianum ibi q. 3. dicens, *in eo consistere obligationem præcepti charitatis in hac vita, ut excludat amor omnem culpam læthalē, nihilq; æquè, aut magis, quā Deus diligatur*. S. Thom. infrà q. 44. art. 4. ad 2. & art. 6. ad 2. dicens impleri præceptū charitatis, *si homo nihil velit charitati contrariū*, quod nimirùm sit culpa læthalis; & idem alij doctores antiqui, recentioresq; testantur. Probatur facilé, quia in hoc consistit potissimus ordo servandus inter obiecta charitatis, nihilq; magis debitum est summo bono, quàm quod cæteris bonis preferatur. Ex ipsisque terminis notum est gravē irrogari iniuriam Deo, si quidpiam aliud pluris æstimetur, quàm eius amicitia, & observātia suarum legum.

Magister. S. Bonav. S. Thom.

Dico tertiò, ordine obiectivo tenemur etiam diligere Deum suprà omnes creaturas. Assertio si declaretur, parum diversa á precedente videbitur, & á nemine negari poterit; etenim cùm Deus sit supremū ac perfectissimū ens, idque non casu, aut voluntate alicuius, sed suaptè essentia, nulli licitum est maiorem, aut equalem perfectionem velle, id enim esset velle alium Deum; sacrilegum quoque foret exoptare, ut Deo deficeret aliquid suæ perfectionis; obligat ergo charitas, ut in volenda perfectione, aut gloria Deum omnibus alijs anteponamus, nec nobis, nec alijs tantum bonum, quantum Deo desiderantes; ex quo obiter patet, non solis externis signis, sed interiori potiùs affectu hunc ordinem esse servandum. 10.

Dico quartò, non solùm charitas supernaturalis, sed etiam naturalis inclinatio creaturæ intellectualis exigit, ut in diligendo Deo servetur ordo hactenùs explicatus, præferendo scilicèt illum omnibus alijs rebus: sic Sāctus Thomas hic ar. 3. ubi Aragon & Bañez, Valenc. q. 4. p. 2. & alij, estque sinè dubio vera conclusio, quia naturæ lumen dictat summum bonum, quod est noster ultimus finis, primumque principium anteponendum esse omnibus alijs rebus multò magis, quàm commune bonum anteponitur bono privato, & bonum capitis, bono aliorū membrorum. Confirmatur, quia natura ipsa dictat esse multò maius malum cōmittere gravem culpā, quā subire quodcumque supplicium, aut aliarum rerum detrimentum, ergo dictat observantiam divinæ legis esse præferēdam omnibus alijs rebus, ergo & Deum diligendum esse super omnia ordine appreciationis, & id ipsum manifestè patet in ordine obiectivo, etiam interioris affectus, si dicta in 3. assertione recolantur. 11.

S. Thom. Aragon. Bañez. Valenc.

Ad testimonium Scripturę, cum Patrum expositione suprà adductum, respōdetur ex doctrina S. Thomę infrà q. 44. & aliorum Doctorum, aliud esse, quid spectet ad perfectissimè implendum illud præceptum; aliud, quid requiratur ad sa- 12.

tisfaciendum obligationi illius, dum sumus viatores; ad primum enim requiritur omnis illa perfectio conatus intensionis perpetuitatis, & puritatis, quam beati habent in patria, unde in hac vita non potest perfecté illa lex impleri: ad secundum verò satis est, si Deum anteponamus omni bono, sicut in assertionibus explicatum est, ita ut nec in voluntate, nequè in intellectu, nequè in ulla alia facultate, aut operatione nostra aliquid admittamus, quod lędat divinam amicitiam. Reliquum veró pertinebit in hac vita ad maiorem perfectionem, non autem ad obligationem etiam sub veniali culpa, nisi fortè in casu, quem in probatione primę assertionis notabamus; ad contritionem similiter dico, non requiri summum dolorem, sed illum, qui satis est ut excludat omnem affectum peccati lęthalis, & coniunctum habeat actum efficacé charitatis supernaturalis, de quo in Materia de Pœnitentia.

13. Lege Abulensem in cap. 22. Matthæi q. 288. & Salmeronem to. 8. tract. 62. & 63. ubi explicant vim illius pręcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. & egregium S. Augustini testimonium apud eũdem Salmeronem, quo declarat præceptum istud perfectè impleri non posse in hac vita, id quod etiam eleganter expressit S. Bernardus in tract. de diligendo Deo, Cap. *Fælix, qui meruit.*

Salmer. *Abulens.* *S. Bernar.*

14. Ad argumenta sententię quæ affirmabat esse solius charitatis supernaturalis inclinare in amorem Dei super omnia, respondetur ad primum, illud intelligendum esse de alijs proximis, non de Deo, qui nobis est maius bonum, quàm nos ipsi. Ad secundum, nos sumus per identitatem magis coniuncti nobis quá Deo, sed aliunde sunt rationes quę convincunt quoad dilectionis obligationem Deum esse multò coniunctiorem. Ad tertium, fateor id esse difficilius, imò non posse eiusmodi præceptum ad longum tempus, vel occurrente gravi difficultate impleri viribus naturæ, sed non ideò non erit obligatio naturalis diligendi Deum magis, quàm nos, cùm sępè maior sit obligatio efficiendi aliqua difficiliora, quam alia facilia, & naturalis lex obligat ad multa, quæ sine gratia impleri nequeunt ad longum tempus, & urgente gravi difficultate, ut ex Materia de Gratia constat.

DISPVTATIO III.

Vtrùm quisque debeat se ipsum diligere plus quàm cæteros homines, & Angelos.



Communis, & vera Theologorum sententia affirmat, post Deum nihil esse quod dilectioni propriæ præferendum sit absolutè, & simpliciter loquendo, ac proinde plus debere unumquéque diligi à se ipso, quá angelos & cæteros homines. Sic Magister in 3. d. 29. ubi S. Thomas, S. Bonaventura, Durandus, Gabriel. Argent. & Albertus, quem affert Carthusianus q. 1. citantem etiam testimonia S. Ambrosij, & S. August. & cum S. Thoma in art. 4. huius quæst. Valen. Bañez, & alij recétiores: & probatur primò ratione Sancti Thomæ, quia fundamẽtum amoris charitatis, est communicatio bonitatis divinæ, seu beatitudinis supernaturalis, & quoniam hęc provenit à Deo, ut à primo principio, ad illum diligendum potissimùm inclinat virtus charitatis. Deinde verò ad illum amandum, qui beatitudinis huius particeps est; & postremò ad illos qui societatem habent in huius fælicitatis participatione: quilibet auté homo respicit semetipsum, tanquam eum, qui à Deo beatitudinem participat; alios veró homines, & angelos tanquam socios huius participationis: ergo magis inclinat mediante charitate in sui amoré, quàm in dilectionem proximorum. 1.

Magister. *S. Thom.* *S. Bonav.* *Durand.* *Gabriel.* *Argent.* *Albert.* *Carthus.* *Valent.* *Bañez.*

Secundò probatur, quia virtutes infundũtur propter bonum ipsius subiecti, cui inhærent; ergo primario inclinant in bonum illius; ergo virtus charitatis existés in quolibet homine magis inclinat volũtatem ad amãdũm illum, quam ad amandos reliquos. Cõformatur, quia in divina lege proponitur homo ipse tanquá exemplar, ad cuius imitationem cæteros diligat, *Diliges* (inquit) *proximum, sicut te ipsum*, sed exéplar dilectionis debet esse 2.

potior

potior dilectionis materia,quam id, comparatione cuius est exemplar; ergo magis inclinamur in amorem nostri quam proximorũ: ideoque dixit Philosophus, amicabilia, quæ sunt ad alterũ, provenire ex amicabilibus, quę sunt ad se,hæc enim primò cadunt sub dilectionis materiam,& obligationem, deinde ea, quę ad alios similes,vel ęquales homines spectãt.

3. Tertiò probatur, ratione, quam dilucidé proponit S.Bonaventura in 3.d.29. q.3. his verbis, *Vnumquodque plus appetit perfectionem in se ipso,quam in suo simili,& quodlibet pondus plus trahit corpus in quo est ad situm sibi debitum,quam trahat corpus sibi annexum. Hinc est quod charitas perprius desideret Deum nobis uniri,& in nobis habitare,& nos in ipsum Deum tendere,& in ipso quiescere,quam appetat in aliquo alio qui nobiscum habeãt aliquam similitudinem.*

4. Sed obijcies primo, charitas inclinat magis ad amorem Dei quam ad amorem sui subiecti; ergo quò magis fuerit homo aliquis coniunctus Deo, eo magis inclinabit charitas in amorem illius: sed sæpè plures proximi sunt magis coniuncti Deo,quã nos ipsi; ergo, secũdò *charitas,* teste Apostolo 1.ad Cor.3.*nõ quærit quæ sua sunt,* ergo multò minus præferet amorem sui dilectioni, & bono proximorum.

5. Ad primum respondetur,distinguendo consequens, duplex enim coniunctio reperitur,una absolutè in ratione perfectionis, & alia in ratione proportionis ad amorem; prior quidem est inter Deum & hominem sanctum, & eò maior quò homo est sanctior,posterior inter Deum,& subiectum,cui inest talis amor,licét alioqui minus sanctum sit. Quia nihil æquè respicit charitas, seu amor, ac motivum formale à quo specificatur,& subiectum cui inhæret,& ad cuius perfectionem ordinatur. Quare post motivum formale nihil immediatius esse potest, quam subiectum amoris,& ideo in ordine ad illum hęc duo maximé coniuncta sunt. ¶ Ad secundum respondetur, charitatem non quærere commoditates proprij subiecti in his, quæ sunt contra legem Dei, vel bonum commune in eo gradu;quo iuxta infrà dicẽda præferẽdũ est bono privato; non autem negat Apostolus, proprium esse veræ charitatis habere curã propriæ salutis spiritualis, imò & temporalis,quatenus in Dei gloriam refertur.

Generalis doctrina hactenus stabilita limitatur; primò, ut non comprehendat Christum Dominum quatenus homo est,ac proinde eius humanitatem Divino Verbo copulatam;hanc enim quisque diligere debet magis,quã se ipsum, ut optimé notaverũt Magister in 3.d.28.in fine, S.Bonavẽtura in explicatione litterę,Albertus Magnus,& Petrus apud Carthusianum,quęst.unica, Valenc.hic q.4.p.3. in fine assert. 3. & Dominicus Bañez in art. 4. ad primum argumentum sui dubij. Etenim Christus Dominus etiã quatenus homo,est Filius naturalis Dei,Dominus omnium creaturarum magis absque ulla comparatione dilectus à Deo, quam omnes creaturę; & mediante eius humanitate omnia supernaturalia bona, tam in homines, quam in angelos derivantur. Est ergo longè dignior amore, quam reliqua, & recta ratio dictat pluris æstimandum à nobis esse bonum illius, & gloriam,quam omnium nostrum; & si oporteret, potius debere, nos optare carere propria gloria, quam ipse pateretur iacturam suæ. 6.

Magister. S. Bonav. Albertus. Petrus. Valenc. Bañez.

7. Secundò limitant alij, de quorum numero est Richar.apud Carthusianũ in 3. d.29.q.2.ad finem, ut Beatam Virginem Mariam plus,quàm nos ipsos amare debeamus,& placet mihi hęc limitatio, ob singularissimã eius suprá omnes creaturas excellentiam,& intimam coniunctionem cum Christo Domino, ex qua provenit ut omnium supernaturalium bonorũ sit etiàm suo modo principiũ plusque quam cæteræ creaturę diligatur à Deo: non est tamen res hæc ita explorata,nam Doctores citati absque ulla alia limitatione præter adductam in paragrapho præcedente existimant proprium subiectum esse id, in quod primò,& maximè inclinat charitas post Deum. Imò Bañez ubi supra, *Concedo* (inquit) *quod magis debeo velle mihi Deum ex charitate, quæ est in me, quam Beatæ Virgini, hoc enim est fundamentum volendi alijs ipsum Deum.*

8. Tertiò, limitanda videtur generalis doctrina, ut non fiat comparatio ad totam communitatem, nam cùm bonum commune præferendum sit bono privato,plus amare quisque debet bonum Ec-

clesiæ, aut Religionis, cuius nomen dedit, quam bonũ proprium. Sed hoc licet in aliquibus rebus verum sit, non est asserẽdum in omnibus, quia pro salute totius mundi non liceret alicui contemnere salutem propriam in æternum: quare in sequentibus disputationibus explicabitur, an & quatenus hæc limitatio veritatem habeat.

DISPVTATIO IIII.

An, & quatenus possit unusquisque sua bona temporalia anteponere bonis spiritualibus proximi.

1. S. August. S. Thom.



Anctus Augustinus tom. 3. lib. 1. de Doctrina Christiana c. 27. quem S. Thomas, & eius interpretes in art. 5. sequuntur, affirmat proximum esse diligendum á nobis magis, quàm corpus proprium; cuius assertionis sensus est, bona spiritualia proximi præferenda esse nostris bonis temporalibus. Probat S. Thomas, quia cùm amor charitatis fundamẽtum habeat in cõmunicatione, seu participatione eiusdẽ beatitudinis, & proximus verè participet beatitudinẽ essentialẽ, ad quã nos sumus vocati, nostrum verò corpus solùm sit particeps gloriæ accidentalis, quæ ab anima in illud derivatur, longè maior est ratio, qua obligamur diligere proximũ, seu bona spiritualia illius, præsertim beatitudinẽ, quã illa, quæ obligat ad exhibẽdam dilectionem proprio corpori, seu ad bona temporalia illius procuranda; quam rationem ex B. Augustino desumpsisse videtur: ait enim, *amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum, quia potest nobiscũ alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus.* Confirmatur, quia cũ charitas obliget ad curandũ bona spiritualia proximi, & tẽporalia nostra, & illa sint absque ulla cõparatione maioris momẽti, consequẽter obligat, ut hęc illis præferantur.

2. Sed quoniã hæc est maximé generalis doctrina, quę nisi declaretur, & limitetur, præbere aliquibus poterit ansam errandi, oportebit eam expẽdere, & varios sensus particulares, qui sub illa continentur. Tria ergò sunt temporalia bona, divitiæ, fama, vita, totidem spiritualia, nimirum æterna beatitudo; infusio, aut conservatio gratiæ sanctificantis, qua, vel delentur peccata læthalia, vel certé sinè illis perseveratur. Et denique huius gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium incrementum, quod iustus acquirere solet exercitio bonorum operum, quæ sub grave saltém pręceptum minimè cadunt. Denique triplex necessitas in huiusmodi bonis spiritualibus amittendis, aut acquirendis distingui solet, extrema, gravis, & communis. Extrema necessitas in negotio beatitudinis æternæ tunc reperitur, quando moraliter certum, aut ferè certum videtur hominem aliquem fore damnandum, nisi ei succurratur, v. g. infans iam iam moriturus sinè baptismo, nisi ego accedam ad illum baptizandum; & adultus, qui ob ignorantiam culpabilem perseverat in aliquo peccato læthali, quod non fugiet, etiam instante morte, nisi ego veritatem declarem. Necessitas gravis est, quando quis sinè magna difficultate non salvabitur, nisi alter ei consilijs, orationibus, aut alia ratione suadeat, vel succurrat, aut quando est valde probabile aliter fore damnandum, licèt probabilis spes adsit salutis illius. Necessitas communis complectitur ea damationis pericula, quę omnes, vel plerique subire solent attenta humana fragilitate. Et quidem triplex necessitatis modus hactenus explicatus potissimè locum habet, cùm agitur de extrema salute, ut constat ex authoribus. Extrà hunc verò casum latè accipiendo necessitatis nomen, tunc dicitur quis pati extremam necessitatem, quando vix, aut ne vix quidem vitabit certum aliquod peccatũ læthale, nisi ego illi succurrã correctione, aut alio remedio gravé verò, quando maxima cũ difficultate vitabit: communé deniq; necessitatẽ omnes, aut plerique patiuntur ob humanam imbecillitatem. Similiter in ijs, quæ non spectant ad culpas vitandas, sed ad gratiæ, & virtutum incrementum, largissimé loquẽdo, dici potest extremã necessitatẽ, qui vix aut ne vix quidem proficiet, in virtutibus, nisi ego illum adiuvem:

gravem, qui non proficiet sine maxima, & extraordinaria difficultate; communem denique omnes, aut plerique patiuntur. Hęc omnia distingui oportuit, ut pleniùs satisfiat difficultati propositę in titulo disputationis, an scilicet, & quatenus temporalia bona propria spiritualibus proximi præferri possint.

3. Dico igitur primò, si proximus sit in extrema necessitate salutis æternæ, tenetur quisquis poterit succurrere illi, etiam si propterea amissurus sit divitias, famā, imò & vitam corporalem: sic sentiunt recentiores, Bañez. & Aragon ad art. 5. Valenc. pun. 3. asser. 5. Navarrus in Summa c. 24. n. 9. & colligitur planè ex S. Thom. in art. 5. maximè ad 3. & ex cęteris Doctoribus, qui cum S. Augustino affirmāt, magis diligendum esse proximum, quàm corpus proprium, nec de tam certa veritate dubitari potest. Probatur, quia lege charitatis, tenetur unusquisque magis diligere bona spiritualia proximi, quàm temporalia propria; ergò in aliquo saltém casu tenebitur anteponere spirituale bonum proximi cuicumq; bono temporali proprio, sed nullus casus ita urgés evenire potest, quàm cum proximus est in extrema necessitate salutis ęternæ; ergo in eo eventu culpa lethalis erit ei nō succurrere, licét propterea mors corporis subeunda sit.

Bañez. Aragon. Valencia. Navarrus

4. Dico secundò, urgente gravi necessitate proximi in negotio salutis æternæ tenentur spirituales pastores illi succurrere etiam cum manifesto periculo vitæ corporalis, sic recentiores citati; Bañez con. 4. Valencia §. *Ex quo sequitur primò*, & Aragon q. 2. in fine. Probatur, quia multò maior est obligatio pastoris spiritualis, v. g. Episcopi, aut Parochi ergà suas oves quā alicuius extranei, sed hic tenetur succurrere proximo in extrema necessitate spirituali cū evidenti periculo vitæ; ergo Pastor tenebitur cū necessitas solùm est gravis. *Hic enim est bonus Pastor*, testante Christo Domino Ioan. 10. *qui animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem fugit, quia mercenarius est.* Vnde cùm tempore pestis sint multi in gravi necessitate spirituali recipiendi sacramenta saltèm Confessionis, & Eucharistiæ, quia hoc est generale & usitatum medium consequendæ salutis æternę, tenentur spirituales pastores non fugere, sed adesse suæ civitati, vel ecclesiæ, ut illa ministrent, nisi fortè alius vellet munus illorum obire.

Bañez. Valenc. Aragon.

Ioan. 10.

Ex quo infertur, rectè dixisse Dominicum Bañez con. 3. eos, qui pastores non sunt, non teneri huiusmodi gravibus necessitatibus succurrere cum detrimento, seu periculo evidenti suæ vitæ, aut amittendo omnes suas res familiares, quia minor est horū obligatio, quàm pastorum, sed citrà gravem necessitatem, non tenetur pastor subire mortem, ut succurrat ovi suæ; ergo qui non est pastor non tenebitur in gravi. Et quidem licét bona spiritualia proximi maioris momenti sint, quàm temporalia nostra, nihilominus inclinatio charitatis in commodum proprij subiecti est multò maior, quàm inclinatio in bonum alienum, & ideo ut obligemur ad contemnendā propriam utilitatem, oportet multùm præponderare bonū alienū; citrà extremam auté necessitaté non præponderat salus alterius vitæ propriæ, nisi quis sit Pastor; & aliunde obligationes ortę ex lege charitatis, nonnimis strictè accipiédæ sunt, sicut accipiuntur obligationes iustitiæ. Teneretur tamen quisq; succurrere gravi necessitati salutis æternę proximi, etiam cum non levi iactura temporaliū bonorū, si non foret alius, qui succurreret. 5.

Bañez.

Dico tertiò, in communi necessitate salutis æternę proximi tenentur pastores providere ovibus suis de generalibus medijs ad salutem spiritualem, ut nimirùm non desint concionatores, confessarij, templa, cultus divini frequentia, & alia quibus bonum Ecclesię conservatur. Et quando oporteret subire vitæ temporalis discrimé, ut hæc nō omnino deficerent, etiā ad cōmunes necessitates Ecclesię, & fidelium sublevandas, non dubito, quin gravi pręcepto tenerentur; alioqui Ecclesiæ splédor obscuraretur, & magnū detrimentum paterentur fideles: cæteri verò, quibus animarū cura nō incumbit, nullā specialé obligationé habét succurrendi communibus necessitatibus salutis æternæ proximorum, pręter illam, quæ oritur ex adimpletione aliorum pręceptorum, scilicèt eleemosynæ, correctionis, & cæterorum, de quibus tum infrà, tū in alijs locis dicendū est. Occurre- 6.

re verò

re verò possunt casus, in quibus ob incuriam prælatorum erit necessarium, ut alij succurrant communibus necessitatibus spiritualibus, & tunc qui sine detrimento alicuius momenti possent, tenerentur.

7. Dico quartò, qui sine notabili detrimento suorum bonorum temporaliũ potest vitare, seu impedire peccatũ læthale, quod proximus alioqui certò, aut ferè certò creditur commissurus, tenetur sub mortali, illud impedire, secùs verò non. Probatur, quia lex charitatis obligat ad prospiciendum bono proximi, præsertim in spiritualibus; ergo graviter violat hanc legem, qui facilè potest impedire peccatum lęthale proximi, & non impedit. Vbi verò damnum meum notabile est, cessat hæc obligatio, quia damnum spirituale proximi potest facilè postea reparari, & suavitas præcepti charitatis tanta est, ut in his, & similibus eventibus nõ obliget ad præferendũ bonum proximi in spiritualibus, magno damno tẽporali proprij subiecti, in cuius amorẽ maximẽ inclinat habitus charitatis; ex quo patet, quã minus obliget charitas, ad procuranda bona spiritualia proximi, quæ sunt supererogationis. Solùm nota, prælatis religionum magnã esse obligationẽ impositã, procurandi bonum spirituale subditorum, etiã in ijs, quæ ad perfectionẽ spectant; & posse in hoc cõmitti peccata læthalia, si desectu debitæ diligentiæ, & laboris, ac detrimenti temporalis, iacturam spiritus subditorum patiatur, quod quando, & quatenus obliget, non est huius loci, & arbitrio prudentum expendendum est.

8. Duo notanda sunt in fine huius disputationis, unum est in ea, solum fuisse sermonẽ de necessitate spirituali proximi comparata cũ vita, & bonis corporalibus proprijs pręcisè: nam si adsit detrimentum spirituale proprium, potest hoc esse tanti momenti, ut nemo teneatur illud subire, ut proximo succurrat: de quo in disp. sequẽte: alterũ est in multis casibus, in quibus, iuxta dicta, nõ obligat præceptũ charitatis ad succurrendũ necessitati, spirituali proximi cũ detrimẽto corporali proprio, posse esse valde laudabile succurrere, v. g. sacerdos non Parochus, qui cũ evidẽti periculo vitæ propriæ succurreret ægrotis, cũ pestis grassatur optimè faceret, licèt nõ teneatur, similiter propter vitãdũ peccatũ lęthale proximi subire dãnũ tẽporale gravissimũ, est opus magnæ perfectionis, & sic de alijs, in quibus quoniam bonum spirituale utpotè maioris momenti, præfertur bono temporali, nihil fit contra charitatem, sed potiùs consentaneè ad illam.

DISPVTATIO V.

An, & quatenus præferenda sint bona spiritualia proximorum bono spirituali proprio.



EX dictis in 3. disp. manifestũ est, si absolutè & in generali loquamur, posse & teneri unumquemque præferre suum spirituale bonum, bono spirituali proximorum, nã cùm homo magis se ipsum diligere debeat, quã proximum, in nullo certè ita elucere potest hæc maior dilectio, ut in procurando bono spirituali, quod inter omnia bona principem obtinet locum. Verum, quoniam hoc tã generale principiũ, & suas declarationes, & limitationes habet, expediamus oportet varias difficultates ad illud pertinentes. 1.

Prima ergò difficultas est, an sit intrinsecè malũ, ac proinde cõtra charitatẽ cõmittere aliquod peccatũ grave, aut leve, propter magnũ bonũ spirituale alicuius proximi, aut certè alicuius cõmunitatis. Respondeo, sinè dubio esse intrinsecè malũ; unde si detur alicui optio, aut cogatur unũ è duobus eligere, scilicèt velle peccatũ etiã leve, aut totius mũdi salutẽ, nec debet, nec potest velle potiùs peccatũ. Probatur, *quia non sunt facienda mala, ut veniant bona*, & qui oppositũ putabãt sentire Discipulos Christi D. ait Apostolus ad Rom. 3. imputare illis blasphemiã, quasi diceret, nullo modo tolerandũ esse, sed indignũ prorsus censendũ, velle facere malũ culpæ intuitu boni, quodcumq; illud sit. Confirmatur, quia velle peccare est essentialiter malum; ergo impossibile est licere huiusmodi voluntatem in aliquo casu. Ergo quàmvis penderet salus 2. Rom. 3.

mundi universa ab eo, quod ego vellem proferre verbum otiosum, malum nihilominus; & illicitum esset, sed nemo est qui non teneatur abstinere à malo; ergo propter nullum finem licet velle peccatum: neque obstant verba Micheæ c. 2. *Vtinā non eßem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer.* Nam primò sermo
Michea 2. esse videtur de ea ignorantia, & deceptione, quæ invincibiliter, & sine peccato accidere potest. Deinde, id dictū videtur exageratione quadam, ut denotaret Propheta, quantū desideraret, ne illæ calamitates evenirent, sic enim Hispanè dici sinè peccato solet, *ojala mintiera yo.*

3. Vbi diligēter adverte, aliud esse velle peccata, aut eligere peccatū ipsum, aliud autē velle illud in se ipso permittere. Primū enim nulla ratione licet, ut probatum est; secundum verò licitū esse potest, & interdū cadere sub præceptum. Et quidem permittere in se peccatū est efficere velle aliquod opus, quod in se non est malū, scitur tamen fore occasionē saltē per accidens prolabēdi in peccatū; & hoc non est ex genere suo malū, sed propter bonū propriū, aut alienū, præsertim spirituale honestè fieri potest, v. g. scit aliquis, si confessiones audiat, fore, ut aliquando in peccatū læthale labatur, potest nihilominus licitè audire cōfessiones, quia hoc est magnū spirituale bonū, & propter illud permitti potest culpa læthalis, cū etiā propter bona tēporalia permitti possit, sic enim nō dānamus eos, qui munus aliquod tēporale exercent, quod semel, aut iterum est illis occasio peccandi læthaliter.

4. Dices hoc esse remotū quoddā periculū peccati lethalis, meritò autē inquiri posse an idē dicendū sit quādo periculū foret proximum. Respondetur, si periculum proximum in sensu proprio accipiatur, nunquā esse licitū illud subire etiā propter salutē totius mundi. Quia periculum proximum est illud, quod ita parū distat à culpa læthali, ut meritò censeatur valde negligens suæ salutis, qui illud non evitat, unde periculū illud est peccatum læthale; & ita qui vellet illud subire, vellet peccare læthaliter, quod ex dictis patet nullo modo licere etiam pro salute totius mundi. Quando autem istud periculum censeatur proximum, arbitrio prudentis expendendum est, attentis omnibus circunstantijs, quarum una magni momenti est utilitas, vel commodum spirituale exiguum, vel magnum, quod provenire potest ex ea re, cui adiunctum videtur periculum, nam occupatio aliqua censeri meritò posset periculum proximum peccati læthalis, quādo ex illa non resultaret magnum aliquod obsequium Dei, secus verò si resultaret, unde in illo priori casu foret grave peccatū ea occupatio, in hoc verò posteriori esset honesta, nā recta ratio dictat maiora pericula subeunda esse pro re magni momēti, quā pro re exigua, & quod temerario ausu aggredi cēsetur aliquis, ubi nulla necessitas cogit, pertinere crederetur ad virtutē fortitudinis, si inde pēderet bonū regni, vel reipu.

Illud adderem ad complementū explicationis huius primæ difficultatis, nunquā obligandū esse aliquē ad succurrendum proximo, si propterea certò credatur lapsurus in peccatum læthale, licét periculū nō foret nisi remotū, ut colligitur ex Sancto Thoma in art. 4. in fine corporis, & ad secundum, imò si sæpé lapsurus esset, & præsertim, si prudenter timeretur diuturna perseverantia in eiusmodi culpis, teneretur non succurrere proximo etiam constituto in extrema necessitate spirituali, quia cum tanto detrimento spirituali proprio nullum bonum alienum anteponendum est. Si verò solum esset periculum, aut etiam certitudo lapsus in aliquas culpas veniales, aut tepiditatis alicuius, vel distractionis posset, & deberet in varijs casibus permitti hoc damnū propter magnū bonum spirituale proximorū, sicut permitti, imò eligi debēt dāna tēporalia propria, ut succurratur proximorū corporalibus necessitatibus. 6.

Secūda difficultas est, utrū liceat velle carere beatitudine sēpiterna propter bonum spirituale proximorū saltèm alicuius magnæ reipublicæ, aut nationis. Partē affirmantem perspicuis S. Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonijs probare non est difficilè, nam Moyses Exodi 32. alloquens Dominum, *Aut dimitte* (inquit) *populo tuo noxam hanc, aut dele me de libro vitæ*, id est, aut non adscribar electorum tuorum numero, nec tuo fruar conspectu felicissimo: sic enim interpretantur S. Bernardus serm. 12. in Cantica, & alij, & Apostolus ad Romanos

5. (margin, beside "nis, si inde pēderet bonū regni, vel reipu.")
S. Thom. (margin)
Exod. 32. (margin)
S. Bernar. (margin)

nono, *Optabam* (inquit) *anathema esse, à Christo pro fratribus meis*, quasi diceret, desiderabam non frui Christo Domino, seu gaudijs sempiternis pro salute spirituali Iudæorum: sic enim explicant Sanctus Chrysostomus, latè Hom. 16. in illam epist. Theophylactus, Aecumenius, Sanctus Thomas, Sotus, & Catharinus, quos affert Pererius disputatione secunda in præfatum locum Pauli: accedit etiam efficax ratio, quia laudabile est exoptare id, quod Deo magis gloriosum est; sed magis gloriosum est Deo magnam aliquam rempublicam adipisci salutem æternam, quàm unum, vel alterum hominem; ergo laudabile est pro reipublicæ salute velle separari à Christo Domino, quantùm ad privationem cælestium gaudiorum, & æternis addici cruciatibus.

S. Chryso. Theophyl. Aecum. S. Thom. Sotus. Cathar. Perer.

7. In hac re distinguendum est; potest enim esse disputatio de carentia sempiternę beatitudinis, & perfectione cruciatuum æternorum quantùm ad id, quod iuxta communem legem adiunctum habent, aut præcisé quantùm ad pænam damni, & sensus, quæ damnatis infligitur, aut infligi potest. Et quidem in priori sensu, nec laudabile, nec bonum esset exoptare carentiam beatitudinis, etiam pro salute totius mundi, id enim perspicuis disertisque verbis docuisse videtur Christus Dominus Matthæi 16. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*: itaque in negotio salutis æternæ monet Christus Dominus pronihilo ducendum esse interitum universi mundi, si inde interitus animæ proprię proveniret. Ratio verò est, quia æterna damnatio iuxta communem legem non solùm supponit lęthalem culpam, in qua quis moriatur, sed etiam innumera peccata, eaque gravissima, quæ damnatus per æternitatem committet, quod quidem malum tanti momenti est, ut valde sit censendus sibi, & Deo inimicus, qui propter salutem aliorum velit illud subire, & tot scelera contra Deum admittere, ut aliorum peccatis medeatur.

Matt. 16.

8. In posteriori autem sensu licitum est desiderare carentiam visionis beatæ, & pænas inferni absque omni culpa, quando id foret, quod nunquàm erit, necessarium ad salutem multorum; hic enim nulla intervenit culpa, sed gloria Dei, & utilitas proximorum, propter quę contemnere commoditatem propriam signũ videtur ferventissimæ charitatis, & meritò laudatur desiderium Sanctorum, qui sinè ulla culpa inferorum cruciatus libenter perpeterentur, si in Dei gloriam cederet.

Testimonia adducta, explicata in sensu, quē suprà retulimus, probant optimè hoc secundum assertum, nec sunt cõtra illud: 9. Primum, quia desiderium Pauli & Moysis cõditionatum erat, si nimirùm absque culpa propria accideret, carere beatitudine, & necessarium foret ad populi salutem; sed non est exploratum in predicto sensu illa esse accipienda, nam alię sunt explicationes valde probabiles, quas diligenter congessit Benedictus Pererius in capite nono Epistolę ad Romanos, ubi utrumque locum latè expendit. Quidam enim explicant, ut solùm optaverint Paulus, & Moyses corporalem mortem; alij, de quorum numero est Toletus in eum locum Pauli, sapienter volunt Apostolum agere de se ipso ante conversionem, significando intimum dolorem, quo afficiebatur postquàm Christum cognovit, eó quòd illũ tanto affectu persecutus sit, ut Iudæos suos tueretur, quasi diceret vehemẽter doleo, quòd pro salute fratrũ meorum procuranda optaverim separari omninò à Christo Patre, & Domino, ac Redẽptore meo; Moyses verò ex quadã filiali ad Deũ cõfidẽtia locutus est, quasi diceret, *estoy por dezir, &c.* securus nimirũ quod Deus nollet illum delere de libro vitę. Lege S. Augustinum tomo quarto quæst. 147. in Exodum.

Perer. Tolet. S. Aug.

10. Tertia difficultas est, an liceat desiderare carere gratia, & charitate, quando id cederet in salutem spiritualem multorũ. Et quidem secundum legem communẽ nullus privatur gratia, & charitate, nisi ob peccatum lęthale; quarè sicùt certum est, malum esse desiderare culpam mortalem, ita & velle privari gratia, seu charitate; solúm ergò dubitatur, an ex hypothesi quòd hæc dona auferrentur sinè peccato, liceret optare privationem illorum ob magnum aliquod bonum spiri-

tuale Ecclesiæ Christianę. Partè negantem sequitur Gregorius de Valencia q. 4. puncto 3. post secundam assertionem §. *Secundò sequitur*. Probat primò, testimonio Christi Domini, Matthæi 16. *Quid prodest homini, si universum mūdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Secundò, quia id foret contra ipsius charitatis inclinationem; nullus enim habitus inclinat in sui destructionem. Tertiò, quia gratia, aut charitas amittitur ob peccatum. Ergo, sicút nemo est, qui non teneatur abstinere à peccato, ita nemo est, qui non teneatur non amittere gratiam.

Valencia. Matth. 16

11. Vera tamen est contraria sententia, quam tuentur omnes illi Patres, qui locū Apostoli ad Romanos nono intellexerunt, sicút nos suprà retulimus, & prętereà docti recentiores; eamque tribuit Valencia Capreolo. Probatur, quia multò maius bonum est visio beata, quàm gratia, & charitas; ergo sicùt licitum esset velle sinè culpa carere visione beata, ita & gratia, seu charitate.

12. Nec urgēt, quæ pro se refert Valenc. nā ad primū respōdeo, Christū Dn̄m agere de eo, qui peccādo amittit gratiam, & in æternum privatur beatitudine, non verò in ea hypothesi, qua sinè peccato amitteretur. Ad secundum, non est contra charitatis inclinationem velle sui destructionem, quando id cederet in magnam Dei gloriam, quam magis exoptat charitas, quàm sui consistentiā; sic enim si Deus, ut potest, præciperet homini, ut suæ charitatis destructionem exoptaret, optimé faceret eam exoptando, quia id cederet in gloriam Dei, & requireretur ad observationem legis divinæ, quam charitas anteponit suæ consistentiæ. Ad tertiū respondeo, nos agere in eo eventu, quo sinè ulla culpa charitas destrueretur, vel auferretur à Deo; & tunc negamus fore præceptum procurandi conservationem charitatis in eo casu, quo eius destructio foret necessaria ad magnum aliquod Ecclesię bonum.

13. Quarta difficultas est, an in ijs eventibus, in quibus diximus, licitum esse desiderare carentiam beatitudinis, & gratiæ, foret etiam obligatorium. Respondeo, si tunc non adesset aliquod speciale præceptum, quod Deus imponeret, non videri obligandum hominem, ut perpetuó velit carere amicitia divina, & beatitudine: colligitur ex Sancto Thoma in articulo quarto, ubi ait in spiritualibus bonis præferendum esse proprium emolumentum alieno; quod saltèm verum erit in bonis potissimis, nempè gratia, & gloria: & Dominicus Bañez, ibidem dubio primo conclusione tertia, *Nunquàm* (inquit) *per se loquendo tenetur homo pati detrimentum in augmēto charitatis suæ propter bonum commune, etiam spiritnale totius mundi*: idem potiori iure sentiret Valencia suprà adductus, cum non solùm non agnoscat in hoc obligationem, sed dicat potiùs esse illicitum. Probatur ratione desumpta ex doctrina S. Thomæ in articulo citato; cùm enim charitatis amor fundamentum habeat in participatione beatitudinis æternæ, ut non semel in hac materia dictum est, multò magis inclinat in beatitudinem propriam, cuius nimirùm est verè particeps subiectum suum, quàm in utilitatem, & beatitudinem alienam, cuius nō est particeps, sed socius eorum, qui illam participant; non ergo dictat lex charitatis, præferendam esse beatitudinem proximorum fælicitati propriæ. Cōfirmatur primò, quia æterna beatitudo est maximum bonum creaturę rationalis, & finis ultimus, ad quem à Deo condita est; foret autem satis rigidum, obligari hominem, ut pro bono proximorum amittat tantum bonum, & non consequatur finem suum. Confirmatur secundò, quia amicitia hominis ad Deum est inæstimabilis pretij donum, ac proinde dignum, quòd nō amittatur propter ullum commodum alienum; sed gratia, & charitas sunt hæc amicitia, ergo.

S. Thom. Bañez.

Dixi *perpetuò*, quia circunstantię occurrere possent, in quibus teneretur iustus velle ad tempus aliquod, carere gratia, & differri consecutionem beatitudinis; hoc enim, ut suppono, eventurum erat sinè peccato, & si post paucos dies, aut annos gratia, & beatitudo consequēda erant, non videtur tantum detrimentum, ut magna populi Christiani utilitas, & regni ad fidem conversio non præponderaret, & induceret obligationem differēdi consecutionem gratiæ, & gloriæ, aut patiendi privationem illorum ad aliquod tempus, ut explicatum est. 14.

Quinta

Quinta difficultas est, an, & quatenùs obligandus sit aliquis ad succurrendum multis gravissimis necessitatibus spiritualibus proximorum, quas certò novimus; nam primò apud remotas nationes sunt multi infideles, qui ad Deum converterentur, & salutem æternam obtinerent, si eò se conferrent ministri, & sacerdotes catholici, à quibus edocerentur, & baptizarentur; nam etsi nonnulli inter eos degant, ij sunt paucissimi, si cum tam copiosa messe comparentur. Pereunt itaque multi defectu operariorum, qui inter catholicos otiosi sunt. Secundò, ex hæreticis multi reducerentur, si viri doctissimi, ubi viget Catholica Ecclesia, non sunt necessarij; eos adirent, & suis disputationibus, Deo simul iuvante, convincerent, & horum defectu multi pereunt. Tertiò in medio ipsius Ecclesiæ, & non longè ab urbibus nobilissimis Hispaniæ, sunt plurima oppida destituta doctrina; multi, qui præ fame spiritualis cibi pereunt, eò quòd nõ sit, qui porrigat illis panem cęlestis doctrinæ, cúm tamen in prædictis urbibus sint plures Sacerdotes otiosi, quibus tribuendum videtur culpæ, quòd illis non succurrant. Quartò, in ipsis etiam urbibus opulétissimis quot sunt homines rudes, qui non docentur mysteria fidei? quot iacent in xenodochijs, qui indigeant spirituali solatio, & doctrina fidei, Sacramentis, & alijs spiritualibus auxilijs? Multi ergo timere debent, ne graviter contra charitatem peccent non succurrendo tot, tamque gravibus necessitatibus spiritualibus proximorum.

16. Atque id ipsum confirmari potest doctrina, & verbis Christi Domini Matthæi 25. ubi referens sententiam, quam contra impios laturus est, non aliam rationem reddit, quam quòd infirmus esset in fratribus nimirùm suis, & proximis nostris, & nõ visitaverint eum, aliaq; opera misericordiæ omiserint. Vnde Salmer. to. 7. tract. 40. explicans prædictam parabolam, *Videmus* (inquit) *horrendum supplicium imminere hominibus, qui propterea se tutos, & securos existimant, quòd à peccatis, quæ proximum offendere possunt, abstineant, nihil cogitantes, an in proximos sint benefici, & charitatis opera exerceant; rectè profectò docuit Beatus, & Magnus Theologus Thomas, viros spirituales, & religioni arctiori mancipatos frequentiùs per omissionem, quàm per commissionem delinquere, ut propterea illis magnopere sit invigilandum, & in se ipsos descendendum, ut eiusmodi peccata in se ipsis & agnoscant, & emendent, & pro eorum remissione Deum deprecentur;* hactenùs ille: qui etiam in tractatu sequēti numero undecimo, *Si de neglectu* (inquit) *operum misericordiæ, quæ ad corpus spectant, tanto supplicio dāmati plectuntur, quo supplicio plectendi sunt, qui spiritualium exercitiū deserunt, quod sæpiùs maiori cum facilitate, & sinè sumptibus præstare possumus.*

Matth. 25

Salmer.

17. Respondeo, hęc omnia non immeritò solere aliquid timoris ingerere mentibus piorum virorum, sed non propterea facilè damnandos esse ad culpam, præsertim gravem, sicùt nec omnes indiscriminatim excusandos: qua in re illud generale principium meritò iudicari debet magni momenti, scilicèt, id quod ut in plurimum non faciunt homines docti, & pij, imò & perfectionis studiosi, non cadere sub aliquod preceptum, saltèm grave, ne alioqui damnare videamur maximam partem illorum hominum, qui doctrinæ, & virtutis laude florent in Ecclesia Catholica; cùm ergo innumeri sint homines sapientes timorati; & religiosi, qui non faciunt ea, quæ in obiectione proponuntur, signum optimum est, ea non cadere sub præceptum saltèm grave atteritis omnibus circunstantijs, sed nunc propter unam, nunc propter alterā causam excusari; quòd si causa excusans non sit, ut aliquando non erit, tunc sinè dubio est imponenda obligatio. Operæpretiū autem erit breviter indicare causas, quæ possunt sæpè auferre scrupulum, & deobligare in casibus, qui in hac quinta difficultate referuntur. Suppono autem me hic non agere de Prælatis, quia horum obligatio est multò strictior, & nõ solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia.

18. Et quod ad primum attinet, cùm nemo teneatur succurrere spiritualibus illis necessitatibus cum manifesto salutis suæ spiritualis periculo, qui prudenter crederet se illud periculum subiturum, si inter barbaras nationes degeret sinè comite, sinè teste, & occurrentibus varijs, quæ

magna

magna tentationis, & lapsus occasio esse possunt, non teneretur adire, ut infidelibus succurrat: prætereà sunt multi, qui profitentur in Ecclesia statū incōpatibilē cū itineribus eiusmodi, v.g. Carthusiani, & hi satis excusati censentur, nam magni refert ad fidelium ædificationem exacta observantia illius sanctissimi instituti, & cum huius utilitatis detrimento non tenentur ire ad succurrendum infidelibus.

19. Ad secundum respōderi potest idem, quod ad præcedentem: cui adde, cùm hæreticorum ingenium pertinax sit, quippé quod universæ Ecclesiæ non credit, non facilè sibi multos persuadere posse, fore alicuius momenti, quòd illos adeant, & dissuadere conentur, ubi autem non est spes fructus, cessat obligatio.

20. Circà tertium imprimis non semper constat determinatè de loco, in quo urget necessitas, & non sunt obligandi, qui non sunt proprij pastores, id indagare, & certò cognoscere: deinde non sunt eiusmodi necessitates extremę proprié loquendo, quia non constat certò, aut ferè certò homines illos morituros in statu peccati, habent enim Parochum, qui illorum confessiones audiat, & si fortassè non bene fungatur munere suo, illi excusabuntur ignorantia, vel elicient actum contritionis. Dogmata etiam fidei, & si non plenè sciant, fortè tamen sciunt essentialia, illa scilicèt sinè quorum notitia nemo adultus salvatur, ut mysterium Trinitatis, & Incarnationis, ut omittam doctos viros esse, qui sentiant, sufficere interdum posse implicitam horum fidem, dummodo explicité credatur unus Deus author supernaturalis, & Salvator: iam ergo si necessitates istæ extremę nō sint, faciliùs excusantur, qui non sunt Prælati, quia vel non sperant fructum, vel timent prudenter periculum suę salutis, vel occupantur in urbibus in rebus divini obsequij, quas omnino necessarium est ab aliquibus fieri, ut in concionibus, in lectionibus, in confessionibus, in succurrendo alijs necessitatibus.

21. Nec dissimili modo respōdeo ad quartum, nam primùm in xenodochijs sunt Parochi, quibus incumbit excipere confessiones, & docere mysteria fidei, nec certò constat hic, & nunc esse aliquos ægrotos, qui ignorent id, quod præcisè necessarium est, ut salutem æternam consequantur; & idem verum est in multis rudibus, qui, licèt cùm interrogantur, respondere nesciant, re tamen vera sciunt saltèm ea, quę sunt de necessitate medij, & si alia minùs necessaria vincibiliter ignorent, non constat certò, quinam sint isti; alij enim erunt, quorum ignorantia sit invincibilis: deinde nunquàm desunt aliqui, qui tum his necessitatibus, tum alijs in paragraphis præcedentibus declaratis succurrant, alij verò cùm alijs rebus pietatis intenti sint, non habent commoditatem ijs succurrendi; omnes verò obligare durum esset.

Concludo itaque non esse in praxi injiciendum facilè scrupulum privatis personis, sed maturè, & cum peculiares circunstantiæ secùs faciendum persuaderent: laudandos tamen eos, qui eiusmodi necessitatibus sublevandis occupantur; & hortandos alios data occasione, optimumque est saltèm aliquando ad xenodochia, ad carceres, ad compita, ad oppidula accedere ad docendū fidei rudiméta, & subveniendū alijs necessitatibus; sed super omnia maximé oportebit, ut singuli enixè postulent à Deo auxiliū, quo cognoscant, quando, & quatenùs his necessitatibus succurrere teneantur; & quo exequantur id, ad quod se teneri cognoverint: valde etiam iuverit orationibus procurare bonum proximorum, & impetrare à Domino, ut eiusmodi necessitatibus succurrat. Sic enim Christus Dominus Lucæ decimo, cùm dixisset, *Messis quidem multa, operarij autem pauci*, addidit, *Rogate ergo Dñm messis, ut mittat operarios in messem suam*: quem locum explicans Sanctus Gregorius Homilia decima septima in Evāgelia, *Ecce* (inquit) *mundus sacerdotibus plenus est; sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Sed pensate fratres charissimi, pensate, quod dicitur; rogate Dominum messis, &c. Vos pro nobis petite, ut digna vobis operari valeamus, &c.* & Sanctus Chrysostomus apud Sanctum Thomam in Catena Lucæ decimo, *Insinuat* (inquit) *quod magnum donum est, operarios mitti in messem divinam per hoc, quod dicit Dominū messis super hoc esse rogandum.* Sanè oratio est

22. [right margin, beside "Concludo itaque"]

Lucæ 10. [right margin, beside "nus Lucæ decimo"]

S. Gregor. [right margin, beside "explicans Sanctus Gregorius"]

S. Chrys. [right margin, beside "valeamus, &c. & Sanctus Chrysostomus"]

tio est una ex eleemosynis spiritualibus, & ea sæpè magis succurritur his necessitatibus, quàm si quis concionaretur, aut exciperet confessiones, & ideò valde iuverit ad satisfaciẽdum obligationi succurrendi proximis.

23. Ad confirmationem ex parabola Matthæi vigesimo quinto desumptam respõdeo, ea probari interdum cadere posse, & solere sub grave præceptum eiusmodi opera misericordiæ corporalia, & præsertim spiritualia, iustaque proinde damnationis supplicia infligenda illis, qui ea omiserint; imò propterea fortasse in ea supremi iudicis sententia factam fuisse mentionem de sola omissione huiusmodi operum, ut attendamus, quanti momẽti, & scrupuli sit hoc negotium, quod alioqui parum obligatorium apparet, & quãtò magis timeri oportet damnationem ob alia graviora, & manifestiora peccata, quandoquidem propter præfatam omissionem iure optimo timenda est. Sed his non obstantibus vera est doctrina, quam tradidimus, scilicèt quàm plurimos excusari ab implendis obligationibus, quas in quinta hac difficultate proposuimus, & privatis personis non esse inijciendum facilè scrupulum, nisi peculiares circunstantiæ aliud persuaderent in hoc, vel illo casu: re enim vera aliquando esse potest obligatio, eaque gravis, ut dictum est.

24. Et si petat aliquis in quo casu particulari censeri quis debeat sub mortali obligat'. R. quod attinet ad profectionẽ ad barbaras nationes, id pẽdere ex varijs circũstantijs, quæ cùm in aliquo reperiũtur, illum excitant ad iter capessendum, quin sit necessarium aliam obligationem imponere, aut declarare: circà alias verò necessitates de quibus in quinta difficultate, respondeo, varios casus occurrere posse, qui arbitrio docti, & viri pij expendendi sunt: unus autem inter alios erit, quando sacerdos alioqui sufficiens, & non occupatus sciverit, verbi gratia, esse aliquos, qui nesciant ad salutem necessaria, & ab alijs non edoceantur, vel qui indigeant confessione, & non habeant confessarium, ipseque possit succurrere sinè detrimento suæ salutis spiritualis, vel totius famæ, aut totius rei familiaris.

DISPVTATIO VI.

An, & quomodo teneatur, aut saltèm possit unusquisque anteponere bona temporalia proximi bono temporali proprio.



1. Præmittendum imprimis est, bona temporalia communitatis anteponenda esse bono temporali proprio, quia recta ratio dictat, bonum commune anteponendum esse bono privato: unde si ad defensionẽ Regni, vel Reipublicæ, aut personæ necessariæ ad eiusmodi bonum, oporteret amittere vitam propriam corporalem, nõ solùm posset, sed etiam teneretur privata persona hoc damnum pati, sicut è contrà teneretur aliquis non contemnere vitam propriam, sed illam conservare, quando esset valde necessaria ad bonum commune: nec inde inferat aliquis, vitam spiritualem amitti posse, & debere pro bono totius mundi, si id foret necessarium; nã in bonis spiritualibus est longè diversa ratio; sunt enim multò maioris momenti, & negotium extremæ salutis singulis omnino commendatum est, ita ut pro illo rectè agendo omnia contemnant, prę sertim quia in eiusmodi bonis grave detrimentum tunc subitur, quando committitur culpa læthalis, & hoc malum nunquàm faciendum est, ut inde bonum eveniat.

2. Deinde certum est, bonum proprium temporale inferioris ordinis postponendum esse bono temporali superioris ordinis cuiuslibet proximi, quando non adsunt circunstantiæ excusantes; verbi gratia, in extrema necessitate corporali succurrendum esse proximo cum detrimento rei familiaris, aut famę propriæ, quia vita proximi est maioris multò æstimationis; si verò detrimentum hoc in aliquibus casibus esset tanti momenti, ut prudenter censeretur æstimandum ęqué, aut magis, quàm vita proximi, non esset obligatio illud subeundi, ut proximus à

morte

morte liberaretur, tunc enim iste non esset rationabiliter invitus.

3. Tertiò, ergò difficultas disputationis in eo sita est, an scilicèt vita corporalis propria præferenda sit vitæ corporali alterius proximi æqualis, aut certé non multò magis, aut minus necessariæ ad bonum commune, ita ut malum sit, velle subire mortem pro tuenda vita amici, vel inimici particularis. Nonnulli Doctores existimarunt hoc esse illicitum; sic Durandus in quarto dist. 17. quæst. 6. ad secundum, neque contrarius est in 3. dist. 29. q. 2. versic. *Istud enim non est verum*, nam ibi solùm refert authoritatem Philosophi in libro 9. Ethicorum asserentis, moriendum etiam esse pro amicis, si oportuerit; & ipse explicat in eo sensu, ut nimirùm bonum sit exponere vitam periculo mortis, licét inde præter intentionem accidat mori; non tamen docet, licere re ipsa velle mortem subire: idem quod Durandus, existimat, & latè probat Navarra libro secundo de Restitut. cap. 3. parte 1. difficultate 3. ubi eam doctrinam tribuit S. Bonaventuræ in 3. dist. 29. quest. 3. sed immeritó; nam solùm ait, stultos reputari illos, qui salutem propriam negligunt, ut alienam procurent; quod de spirituali salute intelligendum, vel ipse loquendi modus satis indicat. Denique Aragon infrà referendus ait, hanc opinionem placere maiori ferè parti recentiorem, sed certè plerique, quos ego legerim, oppositum sentiunt.

Durand. *Navar.* *S. Bonav.* *Aragon.*

4. Probatur hæc sententia primò authoritate S. Augustini tom. 4. in libro de Mendacio ad Consentium, capite sexto, cuius hæc verba sunt. *Ipsa dilectio proximi ex sua cuiusque dilectione terminum accepit, quomodo ergò quisquis diliget tàquàm se ipsum, cui ut præstet vitam temporalem, ipse amittit æternam, quandoquidem si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est iam diligere sicùt se ipsum, sed plus quã se ipsum; quod sanè doctrinæ regulam excedit*: quibus ultimis verbis non significat id esse suprà præceptum, & pertinere ad consilium, sed verè esse contra præceptũ, alioqui non esset ad rem, de qua Sanctus Doctor agebat; contendit enim, esse malum amittere vitam spiritualem propriã pro aliena, quandoquidem etiam malùm est amittere temporalem pro temporali. Nec refert, quod in eodem tomo libro de Amicitia, capite decimo, *Nihil* (inquit) *est negandum amico; omnia pro eo sustinenda sunt, & vita capitis ponenda est pro amico, ut sanxit divina authoritas*; non, inquam, refert, tum quia liber iste non videtur Sancti Augustini, cùm nec in retractationibus, nec in indice Posidonij fiat de illo mentio, tum etiam quia rectè explicari potest, ut loquatur de salute spirituali amici, pro qua bonum est mortem corporalem, ut suprà explicatum est, subire.

S. August.

5. Secundò probatur, quia ordo charitatis cadit sub præceptum, ut ex disputatione prima constat; & quando iste invertitur in re magni momenti, committitur gravis culpa, sed post Deum nullus est, in cuius bonũ inclinet charitas æquè, atq; in proprium subiectum; ergo illius bonũ præferendum est bonis aliorum, nisi aliquid sit, quod præponderet, ut cùm bonũ spirituale proximi comparatur temporali proprio, quod est longè inferioris ordinis, iuxta supra dicta, sed vita corporalis propria, & vita etiã corporalis amici, aut alterius æqualis sunt eiusdẽ ordinis, & gradus; ergo ordo charitatis obligat ad præferendam vitam propriam alienæ; ergo contra charitatem ageret, qui vellet mortem subire pro tuenda vita temporali amici, vel alterius æqualis: & cùm aliunde res sit magni momenti, non poterit hæc culpa, non esse læthalis.

6. Confirmatur primò, quia ita se habet vita corporalis propria ad vitam amici, sicùt vita spiritualis ad spiritualem amici; sed contra charitatem est contemnere vitam spiritualem propriam pro spirituali amici, ergo & contra charitatem erit subire mortem corporalem pro tuenda vita corporali amici. Confirmatur secundò, quia graviter peccaret contra charitatem, qui videns parentem, & extraneũ in extrema corporis necessitate constitutos, & non potens liberare utrumque à morte, liberaret extraneum contempto parente; ergo similiter peccaret graviter contra eandem charitatem, qui propriam vitam contemneret, ut extranei vitã tueretur: patet consequentia, quia non minùs tenetur quisque prospicere vitæ suæ quàm vitæ parentis.

Tertio

7. Tertió probatur, quia nemo potest occidere semetipsú, ergo nec velle subire mortem pro tuenda vita alterius: patet consequentia, quia is esset certus quidã modus interficiendi se ipsum. Confirmatur, quia si in naufragio solùm esset una tabula, qua quis evadere posset, peccaret, illám alicui extraneo tribués, & se ipsum submergi permittens, quia id foret cooperari morti propriæ; ergo nulli licet cótemnere vitam corporalem propriã pro corporali aliena.

8. Nihilominùs probabilior sentétia est, bonum esse velle re ipsa pati iacturam propriæ vitæ corporalis pro tuenda vita corporali amici, vel extranei. Sic Sanctus Thomas in tertio dist. vigesima nona quęstione unica, art. 5. ad 3. dicens, *Hunc esse perfectißimũ actũ:* affertur in libro primo de regimine Principum capite decimo, sed non loquitur ita claré, sicút nec Sanctus Ambrosius tertió Officiorum, capite decimo secundo relatus à Valencia loco infrà referendo: magis favet in hac quæstione, articulo quarto, ad secundum, quatenùs in generali docet, debere hominem sustinere detrimenta corporalia propter amicum, & in hoc se ipsum diligere magis, quàm amicũ, quatenùs exercet perfectum opus virtutis: eandem opinionem disertè testantur Victoria relectione de Homicidio numero vigesimo sexto, & vigesimo septimo, referens pro ea Lactantium: Sotus libro quinto de Iustitia, quęstione quinta, articulo sexto conclusione tertia: Corduba lib. 1. q. quæstione 38. ad quartum. Valencia hic, quæst. quarta, punct. 3. asser. 3. Aragon in hac quæstione vigesima sexta, art. 4. dubio tertio: Bañez, dubio ultimo, & alij, colligiturque ex Aristotele libro nono Ethicorum capite octavo, ubi absolutè affirmat, bonum esse pro amicis mortem subire, si oportuerit; quod non significat periculo tantùm vitam exponere, ut nonnulli interpretantur, sed re ipsa vitam amittere.

S. Thom. *Valenc.* *Victoria.* *Sotus.* *Corduba.* *Valencia.* *Aragon.* *Bañez.* *Aristot.*

9. Probatur ratione, quia non est contra charitatem, sed maximè illi consentaneũ velle subire corporalem mortem, quando id cedit in magnum aliquod bonum altioris ordinis; sed velle subire corporalem mortem pro tuenda vita corporali amici, vel inimici cedit in magnum aliquod bonum altioris ordinis, ergo id nó est contrarium, sed potiùs maximè consentaneum charitati: consequentia est evidens, & maior probatur; tum quia homo est, veluti dispensator vitæ propriæ, & ad eam dispensationem spectat posse illam exponere certo periculo, quando inde maius lucrum reportatur: tum etiã quia propterea licet subire mortem pro vita spirituali proximi, aut pro fide Christi Domini, alijsque occasionibus, quę cedunt in magnam utilitatem spiritualẽ. Minor probatur primò quia ea est summa quædam exhibitio charitatis, iuxtà illud Christi Domini Ioãnis decimo quinto, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis.* *Ioan. 15.* Secundò, quia opere ipso ostéditur, quãti æstimetur vera, ac supernaturalis amicitia christiana, cùm pro tuenda vita amici non dubitet iustus propriam vitam corporalem contemnere. Tertiò, quia hoc est insigne fortitudinis, aut magnanimitatis opus. Quartò, quia maximum spirituale emolumentum proveniret ipsi homini, & multis alijs ex eo, quòd in tẽpore, quo pestis grassatur, vellet quis succurrere ægrotis, & eis inservire, etiam cũ manifesto vitæ periculo, non minor autem utilitas, & ædificatio esset, si videremus quempiam adeò contemptorem sui, ut non dubitaret mori pro liberando abiecto, ac plebeio quodam homine à morte. Confirmatur, quia humilitas christiana inclinat quemlibet, ut se existimet minimum omnium, & minús dignum vita temporali quàm alios; ergo prudenter faceret iudicando non esse contra charitatem, sed potiús illi consentaneum propriam vitam offerre pro aliena, ut ita, quod minús utile est, commutetur cum bono maioris momenti.

His accedit, inter nonnullos esse ita strictum amicitiæ nexum, ut de morte alterius meritò posśit alter credere, tantũ se dolorem cóncepturum, ut meliùs sit illi vitã potiùs amittere, sicút ergo non tenetur quis conservare vitam, quando proptereà maximum dolorem esset perpessurus, verbi gratia, si necesse esset brachium abscindi, ut in tractatu præcedente disp. 2. dictum est; ita nec tenebitur conservare vitam, quando aliter amicus occidendus est, quia ea occasio maximum 10.

inferet

inferet dolorem. Declarat efficacitatem huius confirmationis Sanctus Augustinus tomo primo, libro quarto Confessionum, capite sexto, ubi explicans maximũ sui erga amicũ amorẽ, *Nescio* (inquit) *an vellem, vel pro illo, sicut de Oreste, & Pylade traditur, si non fingitur, qui vellent proinvicem, vel simul mori, quia morte peius erat non simul vivere. Credo, quò magis illum amabam, hoc magis mortem, quæ mihi eum abstulerat, tanquam atrocissimam inimicam oderam; bene quidam dixit de amico suo dimidium animæ meæ, nam ego sensi animam meam, & animam illius, unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vitam, quia nolebam dimidius vivere, &c.*

August.

11. Ad primum respondeo, Sanctum Augustinum contendere non esse licitũ offerre vitam temporalem propriam pro temporali aliena, ita ut hoc tantum bonum intẽdatur, quia cæteris paribus plùs tenetur quisque sibi prospicere, quam proximo suo; si verò intendatur bonum spirituale, quod in eo opere elucet, non negari à Sancto Doctore id esse licitum, & laudabile; sic enim malum est desiderare sibi mortem, propter vitandum leve corporis detrimentum; sed si fiat propter magnum aliquod spirituale emolumentum, non potest non esse laudabile, ut ex tractatu præcedente, disputatione secunda constat.

12. Ad secundum respondeo, si vita corporalis propria comparetur cum vita corporali proximi præcisè, magis tenetur quisquis sibi, quàm proximo prospicere; sed si attendatur emolumentum spirituale, quod provenit ex contemptu propriæ vitæ pro vita aliena, bene potest quis pro illo contemnere vitam propriam corporalem utpotè ordinis inferioris, & in hoc sensu, & sub hac ratione asseruimus licere mori pro tuenda amici vita.

13. Sed dices primò, etiam in tuenda vita propria corporali est magna utilitas spiritualis; exercetur enim actus charitatis, quæ maximè inclinat in conservationem proprij subiecti. Respondeo, hoc optimè probari, licitum esse conservare vitam propriam contempta aliena; sed non suadere esse illicitum contemnere vitã propriam pro conservanda aliena, quia in hoc etiam elucet maximum charitatis opus. Sic enim licèt bonum sit, velle vivere ad bene operandum propter Deum, quia is est actus charitatis, etiam est bonum velle mori ad fruendum Deo, quia id etiam pertinet ad charitatem. Dices secundò, in prædicta solutione peti principiũ; supponitur enim esse opus charitatis, seu virtutis amittere propriam vitam corporalem pro tuenda aliena, cùm hoc sit de quo disputatur, & contraria sententia contendat non esse opus virtutis, sed vitij. Respondeo, non supponi à nobis hoc esse opus virtutis, sed probari, sicùt probatum est, cùm enim ostenderimus spiritualia emolumẽta provenire ex prædicto contemptu propriæ vitæ, rectè infertur opus virtutis esse, quia virtus, & charitas inclinat ad contemnendam propriam vitam, quando id cederet in magnum aliquod bonum spirituale: & proptereà diximus licere mori pro salute spirituali proximi, & velle mortem ad fruẽdum Deo, quia nimirùm hæc sunt bona spiritualia, propter quæ inclinat virtus ad contemnendam propriam vitam temporalem.

Ad primam confirmationem respondeo, negando maiorem, quia vitæ tẽporalis amissio habet in nostro casu utilitatem spiritualem propriam, propter quam vita corporalis prudenter contemni potest; id autem non habet amissio vitæ spiritualis: præterquàmquod cùm vita spiritualis sit potissimum bonum, & quod Deus vult nobis maximè cordi esse, contra rectam rationem foret, illud ulla ratione contemnere. Ad secundam confirmationem concesso antecedente respondetur, negando consequentiã; cuius probatio non urget, nam licèt non minùs teneatur quis prospicere vitæ propriæ, quàm parentis, potest ipse cedere iuri proprio, ac proinde velle vitam propriam amittere; non potest autem cedere iuri, quod pater habet, ut ipsius potiùs, quàm extranei vitam conservet, & ita tenetur potiùs patri prospicere: probat autem rectè argumentum in eo casu, quo pater cederet iuri suo, ut cedere potest, licere relicto patre conservare vitam extranei. 14.

Ad tertium concessò antecedente negatur consequentia; quia ut in tractatu præcedente disp. 2. dicebamus, directè 15.

occidere

occidere semetipsum propria authoritate est intrinsecè malum, & ideò nunquā licet; permittere verò sui mortem, aut occisionē non est malum simpliciter, sed in varijs occasionibus honestum, & hoc est, quod asserimus, licere pro tuenda vita amici: v. g. si ego, & amicus simus in extrema necessitate, & non sit cibus, qui utrique sufficiat, bonū erit illi porrigere, ut vivat, etiā si ego præ fame moriturus sim: similiter vult tyrannus unū é duobus interficere, scilicét aut amicum, aut me, licebit me potiùs interimi velle, quā amicum. Ad confirmationē respondet Victoria suprà n. 26. in solut. 5. absolutè licitū esse tribuere tabulā alteri, sed longè meliùs respondet Dominicus Soto suprà ad primū argumentū, distinguēdo; aut enim quis iam habet tabulam, cui adhæreat, & à qua sustentetur, ne aquis submergatur, & tunc non licebit eā relinquere, & alteri tribuere, id enim foret directé cooperari morti suæ, perinde ac si se in mare suffocandum proijceret; aut non habet, quia licèt tabula in navi sit, non dum sibi eam accipit, & tunc licitum est, illam alteri relinquere, quia id non est directè cooperari morti, sed non adhibere medium ad conservandam vitam, perinde ac si quis nollet comedere, quod in varijs eventibus licitum est. *Victoria.* *Sotus.*

DISPVTATIO VII.

Quis ordo servandus sit in dilectione proximorum, seu qui, & quibus præferendi sint.

1\. Lura complectitur titulus huius disputationis, quę singillatim, & breviter explicanda sunt, iuxta doctrinam S. Thomæ in varijs articulis istius quæstionis. Imprimis ergò ex dictis in superioribus disputationibus, & ex infrà dicendis manifesté colligitur, ordinem aliquem servandum esse in ipsa dilectione proximorū, ita ut sicùt immediatè post Deū, post humanitatē Christi Domini, & B. Virginis nullā privatā personā ęquè, ac nos diligere debemus, sic inter ipsas privatas personas suū ordinem servari oporteat, non solùm in exterioribus effectis, ut nonnulli apud Magistrum in tertio distinct. 29. existimarunt, sed etiam in affectu interno: nam cùm externa opera ab interno voluntatis affectu proficiscantur, eo ipso quod in externis operibus cōstituatur ordo, ratione cuius plura fiant pro uno proximo, quàm pro altero, necesse est, in interno affectu eundem ordinem reperiri. Vnde S. Thomas in artic. 6. irrationabilem vocat opinionem, quam retulimus ex Magistro, qui, quod nos docuimus, magis probare videtur, & id confirmat authoritate S. Ambrosij, respondetque ad testimonium S. Augustini lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 28. dicentis omnes homines æquè diligendos esse; solùm enim contendit, omnibus eandem specie beatitudinē exoptandā esse, idq; mediante eadē virtute charitatis. *Magister.* *S. Thom.* *S. August.*

2\. Deinde notandū est, Durandū in 3. dist. 29. q. 1. art. 1. contendisse, nullū esse ordinem obiectivum comparatione proximorum in ijs, quæ spectant ad gratiam, & gloriam, nisi fortè secundùm complacentiā: distinguit itaque duos actus charitatis, unū, quo cōplacemus in bonis, quæ proximi habent; & cùm hæc ex divina dispositione sint inęqualia, quidam enim sunt alijs sanctiores, & maiori beatitudine perfruuntur, ad charitatem spectat hac Dei ordinatione delectari, ac proinde complacere in eo, quod unus proximus habeat maiora bona quàm alter; alterum verò actum, quo exoptamus proximis bona, quę nondum habent; & mediante hoc debemus omnibus velle æquale bonum gratiæ, & gloriæ. Probat primò, quia mediante charitate optamus creaturis bonum divinum, quatenùs eius sunt capaces; sed omnes proximi sūt ęquè capaces gratiæ, & gloriæ, ergo. Secundò, quia charitas, testāte Apostolo, nō æmulatur, æmulatio autē foret, inęqualia bona divina proximis exoptare. Tertiò, quia contrariū esset Deo iniuriū, quippè qui charitatem nobis infundit, ut proximis desideremus totum bonum, cuius sunt capaces, & quo intimiùs coniungentur ipsi Deo, hoc autem idem, ac proinde æquale in omnibus est. *Durand.*

3\. Et quidē prima pars doctrinæ Durādi certa est, secunda verò absolutè falsa,

quam merito Caietanus ad artic. 7. confutavit. *Caietanus.* Et imprimis actus charitatis est velle, & exoptare efficaciter proximis bona gratiæ, & gloriæ, secundùm mensurã dispositionis divinæ; cùm autem certũ videatur plures homines, qui modó non habent gratiã, aut gloriã, habituros hæc in gradibus inæqualibus, sicut habent plures alij, qui gratia iam prædit sunt, & gloria potiuntur, non est dubiũ, quin in generali liceat inęqualia bona divina proximis exoptare: deinde quando certò constaret ex divina revelatione aliquos esse electos ad ęqualem gratiam, & gloriã, non liceret omninò efficaciter velle illis inæqualem, quia id foret repugnare voluntati divinæ, quod est intrinsecé malum; & ob eandem rationem non licet alicui desiderare efficaciter tantam gratiam, aut gloriam, quantam habet Beatissima Virgo, quia scimus id esse contra decretũ Dei, qui eam magis, quàm alias puras creaturas amavit. Denique quamdiu nobis non constat, cuinam ex proximis nostris velit Deus æqualem gratiam, aut gloriã, & cui maiorem, aut minorem, licitum est velle uni maiorem gloriam, alteri minorem, alijs ęqualem; ita tamen ut formaliter, vel virtualiter hoc nostrũ desideriũ subijciatur voluntati divinę. Probatur, quia in hoc nulli irrogatur iniuria; & sicút mihi licet magis hunc proximum, quàm illum amare, ita & maiora bona huic velle, quã illi. Vnde in temporalibus nemo est, qui damnet hominẽ exoptãtem Petro plures divitias, quã Paulo, aut insigniores honoristitulos; nũquã tamẽ, per se loquẽdo, erit obligatio habendi eiusmodi desiderium.

4. Ad primum ergò Durandi respondeo; nullam esse obligationem exoptandi proximis totum bonum divinum, cuius sunt capaces, absoluté loquendo; omnes enim & singuli habere absolutè possent maiorem gloriam, & gratiam, quàm habent, aut habebunt; & nemo tenetur eam illis desiderare, imò nec posset actu omnino efficaci, quia is foret cõtrarius divinæ voluntati præfigenti singulis certũ gradũ, ut in tractatu 3. dictũ est: iam verò si nulla est eiusmodi obligatio, licebit nobis magnã quidẽ gratiã optare uni, & maiorem alteri, nec ea foret vitiosa ęmulatio; quia quãdo bona gratuita sunt, & ad quæ nemo habet ius, licitũ est uni donare, aut exoptare plura, aut maiora, quã alteri; secùs verò esset in bonis, quæ iure debētur. Vnde cùm habenti gratiam debeatur gloria, illicitum esset velle minorem gloriam ei, qui in tota vita consecutus est maiorẽ gratiã: liceret autem ei, qui adhuc vivit, & nondũ adeptus est gratiã, exoptare maiorem gloriã, quã multis beatis, simul tamen volendo, ut maiorẽ gratiã ante mortem consequatur. Vnde patet ad secundũ argumentũ, & similiter ad tertium; non enim irrogatur iniuria Deo, si non exoptetur proximo omne bonũ, cuius est capax, dummodò nullus velit omninò efficaciter illos carere bonis, ad quæ divino munere electi sunt.

Tertiò, si de ordine appretiationis sermo sit, nõ dubiũ est, quin illũ inter proximos servari oporteat, ut ex S. Thoma, & eius interpretibus in hac quæstione, & Magistro cum cęteris Scholasticis in 3. dist. 29. manifestè colligitur. Quęritur veró, nõ immeritò, qui proximi, & quibus anteponendi sunt, ita ut urgente eadẽ necessitate, qui non potuerit subvenire omnibus, huic potiùs, quã illi subveniat. Cõmunis sententia Doctorũ, quos retulimus cũ S. Augustino lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 28. affirmat, per se loquendo, & in generali, eos, qui nobis magis coniuncti sunt, esse prçferẽdos alijs, qui sunt minùs coniuncti; atq; id quidẽ manifestũ esse natura duce mõstratur, declarabiturque efficacitas rationis, cui nititur, si obiectionẽ primo aspectui difficilẽ diluam. 5. *S. Thom.* *Magister.* *S. August.*

Videbitur enim alicui, hoc esse falsũ; nã virtus charitatis maximẽ omniũ inclinat in Deũ, & illũ omnibus præfert; ergo illos, qui magis coniũcti sunt Deo, præferet ijs, qui minùs coniuncti sunt; sed sæpé illi, qui nobis sunt magis coniuncti, erunt minùs boni, ac proinde minùs coniuncti Deo, quã alij, qui sunt nobis extranei; ergo virtus charitatis magis inclinat sæpè in extraneos, quã in coniunctos. Respondet S. Thom. in corpore art. 7. actũ charitatis ex obiecto formali, quod est Deus, sortiri speciẽ suã: ex subiecto autẽ, cui inhæret, accipere motũ suę intẽtionis, id est inclinationẽ maiorẽ: unde in ijs, quæ pertinent ad rationem specificam charitatis primariò attendendus est Deus, & quæ Deo magis cõiuncta sunt; in ijs autẽ, quæ ad intensionẽ, seu maiorẽ inclinationem 6. *S. Thom.*

spectant.

spectant, attendendum est propriũ subiectum, & quæ illi magis coniuncta sunt. Et quidem beatitudo patriæ cælestis pertinet maximè ad rationem specificã charitatis; tũ quia consistit in unione, & possessione Dei ultimi finis, qui est obiectũ formale tribuens speciẽ charitati; tũ etiã quia amicitia, quę est proprijssima virtutis charitatis, fundamentũ habet in cõmunicatione beatitudinis, & ideò illi, qui in hac vita est magis coniunctus Deo per gratiã, exoptat charitas maiorẽ gloriam, quàm illi, qui magis nobis cõiunctus est, si minùs gratię, & coniunctionis ad Deũ habeat. Habet enim æterna beatitudo suos gradus respondentes diversis meritis huius vitæ, ac proinde inęqualia bona, quę diversis personis exoptentur, prout magis, minùs ve sunt Deo per gratiã coniunctę: nec propterea charitas est multiplex secundũ speciẽ, quia hæc inæqualitas cõtinetur intrà latitudinẽ unius, eiusdemque obiecti formalis, quod est essentia divina, licèt in alijs materijs amor multiplicetur specificè secundũ diversa bona, quæ dilectis optamus, eo quòd illa sint obiecta formalia diversa.

7. Quòd verò attinet ad alia inferioris ordinis, quæ mediãte charitate volumus proximis, nõ oportet præferri eos, qui magis cõiuncti sunt Deo, sed potiùs, qui magis cõiunguntur nobis, quia eiusmodi bona non censentur pertinere ad rationem specificã, seu obiectũ formale charitatis, sed magis ad obiecta materialia, inter quę primũ locũ obtinet propriũ subiectũ, cui charitas inhæret; ac proinde cætera cõ magis, minusvé amanda sunt, quo illi magis, minusvé coniunguntur: & eãdem ratione in maiori intentione, seu (quod idẽ est, in præsenti) in maiori appretiatione præferendi sunt magis coniuncti nobis; ita ut licèt maiorẽ gloriã velimus magis iusto, ac proinde magis coniuncto ipsi Deo, ipsam tamen minorẽ gloriã minori appretiatione desideremus illi, qui nobis magis cõiunctus est; quia maior inclinatio, & conatus potẽtiæ, seu habitus in aliquid, nõ provenit tantũ ab obiecto specificante, quantũ à cõditione subiecti; v. g. quod calefactio sit motus talis speciei provenit à termino formali, qui mediãte illa producitur; sed velocitas, & efficacitas in calefaciendo provenit, ab ipso subiecto calefaciente, & à virtute, quæ illi inest; & similiter quòd habitus aliquis sit bonus, provenit ab obiecto formali; sed quòd promptè, faciliter, & intensè operetur, provenit ex dispositione, & inclinatione subiecti illum habentis: cùm ergo charitas sit virtus, & habitus, licèt à Deo ut obiecto formali speciẽ desumat, inclinationẽ tamen maiorẽ, & promptitudinẽ accipit à subiecto, cui infunditur; & ideò magis inclinat in eas personas, quæ magis coniunctæ sunt ipsi subiecto, quã in illas, quæ Deo magis coniunguntur.

Summa itaque solutionis Sancti Thomæ est, charitatem inclinare maximè omnium in Deum ut in obiectum formale specificans, & consequenter in proximos Deo magis coniunctos, quod attinet ad beatitudinem, quę peculiari ratione pertinet ad obiectum charitatis, exoptando videlicèt illis maiorem gloriã; sed in modo exoptandi, qui pertinet ad promptitudinẽ, & appretiationẽ, maximè inclinare in subiectũ propriũ, & consequenter in proximos, qui illi magis cõiuncti sunt; unde summa appretiatione fertur in Deum, qui magis propriè est bonum nostrum, quàm nos ipsi; deinde in personã nostram propriam, & postremò in eas, quæ nobis magis coniunguntur. 8.

Quartò dubitari potest, de qua cõiunctione intelligendũ sit, quod hactenùs asseruimus; an scilicèt, qui sanguine sunt propinqui, præferẽdi sint alijs, qui spiritu, vel natione, vel amicitiæ nexu copulantur. Respondet optimè S. Thomas in articulo octavo, quem interpretes eius hoc loco secuti sunt; cùm ratio, ob quam nobis propinqui præferuntur extraneis, sit mutua coniunctio diligentis, & dilecti, sicùt sunt diversi modi cõiunctionis, ita esse diversas occasiones, & circũstantias, in quibus, nũc isti, nũc illi pręferri debeant; semper tamen in ijs, quæ spectãt ad illum cõiunctionis modũ, in quo fũdatur obligatio huius amoris præferẽdos esse illos, qui eo cõiunctionis gradu nobis propinqui sunt. Declarabitur hæc doctrina subijciẽdo varia exẽpla: primũ sit in cognatione carnis; cõsanguinei præferũtur extraneis, quia nobis cõiuncti sunt secundũ carnis originẽ; quarè in ijs, quæ spectãt ad vitæ cõservationẽ præferẽdi sũt omnibus alijs; ita ut existentibus in eodẽ extremo 9. S. Thom.

vitę temporalis periculo patre, vel fratre, & alijs non cōsanguineis, illi potiùs, quā istis teneamur subvenire: & in hoc casu verissima est doctrina S. Hieronymi in id Ezechielis 44. *Sabbatha mea sanctificabunt*; dicentis, *Super hoc probatur affectus, ut ordine charitatis post rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur, & mater, filius, & filia, frater, & soror*: & Sancti Ambrosij apud Magistrum in 3. dist. 29. dicentis, *Primò Deus diligendus est; secundò parentes, inde filij.*

S. Hieron. Ezec. 44. S. Ambr.

10. Obiter autem notandum est; prædictos Patres simul explicavisse ordinem, quem inter ipsos consanguineos servare debemus, de quo etiam optimè S. Thomas articulo nono, decimo, & undecimo; pater enim præferendus est matri, quia est magis pręcipua causa; filius est præferendus patri, extra casum extremę necessitatis, quia totus est alter pater, & particeps substantiæ illius; & propterea leges civiles magis obligant parentes, ut filijs bona relinquant, & illis provideāt; in casu autē extremę necessitatis potiùs patri, quā filio subveniendū est, id exigente naturali pietate, & reverentia: uxor præferenda est parentibus in ijs, quæ spectāt ad coniunctionē scilicet, ad cohabitationē, & convictū, iuxta illud, *Relinquet homo patrem, & matrē, & adhærebit uxori suæ*: quoād reverentiā verò, præferendi sunt parētes, & illis potiùs in extrema necessitate succurrendū, quia vinculum est fortius, & beneficia accepta lōgè maiora.

S. Thom.

11. Secundum exemplum sit in cognatione spirituali; filij enim spirituales pręferuntur alijs, quia in ijs, quæ ad bonum spirituale spectant, nobis coniuncti sunt; quarè in illorum instructionē, & curā salutis animarum suarum præferendi erūt, etiam cognatis carnalibus, ut docent Sanctus Thomas articulo octavo ad secundum: Sanctus Ambrosius, quem citat ibidem, & favet Beda apud Magistrum in 3. dist. 29 cap. antepenultimo.

S. Thom. S. Ambr. Beda. Magister.

12. Tertium exemplum sit in religiosis eiusdem familiæ; cùm enim illorum coniunctio sit in eo statu, quē profitentur, in ijs, quæ ad illius familiæ bonū, & conservationem, ac instituti observantiam spectant, præferre debent illos religiosos, etiam parentibus, & amicis; obediendumque potiùs est Prælato spirituali præcipienti aliquid ad religiosam disciplinam spectans, quàm parenti carnali.

In fine disputationis advertēdum est, licèt doctrina tradita vera sit in generali loquendo, occurrere nihilominùs posse circunstantias, in quibus teneamur, vel possimus præferre aliquem non coniunctum alteri, qui magis coniunctus est, in eo genere, ad quod spectat illud bonū, quo mediante subveniendū est; si enim parens meus, fuisset in me impijssimus, amicus verò aliquis fidelissimus, qui me à morte cum evidenti suæ vitæ periculo liberasset, huic succurrere possem in extrema necessitate, etiam relicto parente, ut benè Valencia punct. 5. pagina 588 cum Dominico Bañez; & similiter si à vita alicuius extranei penderet conversio integri regni, quis dubitabit, illi potiùs teneri nos succurrere, quàm consanguineo, cuius vita non est ita necessaria. Vide Sanctum Thom. in quæstione 32. artic. 6. ex quibus exemplis conijci poterit, quid in alijs casibus dicendum sit: expendi enim oportet omnes circunstantias. 13.

Valenc. Bañez. S. Thom.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm in patria prædictus ordo charitatis perseveret.

Dilucidè difficultatem expedit Sanctus Thomas in articulo decimo tertio, absolutè affirmans, in patria futurum etiam suum ordinem charitatis: primùm ergò diligetur Deus, deinde Christus Dñs ut homo, tertiò Beata Virgo: quartò nos ipsi, quia rationes, quibus suprà probavimus hunc ordinem in via servandum esse, eædem probant, in patria non defecturum. Sed quòd ad aliorum dilectionem spectat, is ordo ibi servabitur, ut nimirùm magis diligantur meliores, ac proinde Deo coniunctiores. Etenim in illo statu non ordinatur charitas ad subveniendum proximis, cùm nullā ibi necessitate premantur, sed solùm ad complacendū in bonis, 1.

S. Thom.

nis, quæ ob Dei liberalitatem, & propriũ laborem consecuti sunt; unde qui maiora, & potiora bona adeptus fuerit, erit magis proportionatũ obiectum charitatis, præsertim in eo statu fælicissimo, ubi mens beatorum omnino intenta erit Deo, & eius gloriæ, ac beneplacito: negandum tamen non est, tum etiam diligendos esse peculiaribus titulis eos, qui nobis fuerint coniuncti, nam & consanguinitas, & amicitia, & aliæ societates, prout ad Deum referuntur, erunt materia gaudij, & amoris à charitate supernaturali profecti.

COMMENTARIVS in quæst. 27. & 28.

IN quæstione vigesima septima disserit Sanctus Thomas de primo charitatis actu, qui est amor: & in articulo primo ait, magis proprium charitatis esse amare, quàm amari. In secundo, actũ amoris distinguit à benevolentia: in tertio affirmat, Deum diligendum esse propter se ipsum: in quarto ait, posse Deum in hac vita immediatè amari: in quinto posse quodammodo à nobis totaliter amari, quodammodo non: in sexto, nullum debere esse limitem, seu modum dilectionis divinæ: in septimo dilectionem amicorum secundùm se esse ferventiorem, & dulciorem amore inimicorum, licèt hic aliunde sit melior, quia maior difficultas superatur propter Deum in diligendis inimicis: in octavo tandem explicat, quomodo dilectio Dei sit magis meritoria quàm dilectio proximi, ait enim si seorsim dilectio Dei, & dilectio proximi accipiantur, non dubium esse, quin dilectio Dei precellat, si verò accipiatur dilectio proximi prout à charitate theologica proficiscitur, quatenus nimirùm proximus diligitur propter Deum, melior est dilectio proximi, cum includat amorem Dei, & aliquid superaddat, scilicèt quod ad proximũ etiam extendatur.

In quæstione vigesima octava disputat de gaudio, & in articulo primo statuit ad charitatem pertinere gaudium conceptum de bono divino in se considerato. In secundo, docet gaudium, prout præcisè concipitur de bonitate divina in se ipsa, non esse admixtũ tristitiæ, quia nihil est, aut esse potest in summo bono, quod tristitiam gignat, prout verò concipitur de hoc bono; quatenus participatur à nobis, ita quod habeatur pro obiecto materiali ista participatio, potest admisceri tristitię, quatenus multa sunt in hac vita, quæ tanti boni participationem perfectam impediant. In tertio, docet beatos habituros plenum gaudium, non quidem plenitudine, quæ adæquet divinam bonitatem; hoc enim modo solùm gaudium divinum plenum est, sed plenitudine, quæ respondeat complemento nostri desiderij, non enim plus desiderabunt quàm quod possident. In quarto tandem ait gaudium esse actum elicitum à virtute charitatis, licèt ab illo non sumat charitas denominationem, sed ab amore, qui est primus actus, & quem gaudium, atque alij actus sequuntur.

TRACTATVS VIII.

De actu Charitatis supernaturalis, quatenus ad Deum primarium illius obiectum tendit.

IN superioribus tractatibus disseruimus de habitu supernaturalis charitatis, de illius causis & obiecto, tam materiali, quàm formali, nunc ad explicandos actus ab hoc habitu elicitos accedendum est, quàmvis enim necesse fuerit multa dicere, quę actibus conveniunt, nihilominus aliqua supersunt huius loci propria. Et imprimis agemus de actibus charitatis prout Deũ attingunt, relinquentes ea, quę vel omnino facilia, & cuivis pervia sunt, vel in articulis S. Thomæ habentur, nec indigent explicatione peculiari. 1.

Actus ergò supernaturalis charitatis, si in generali accipiatur, est qualitas ordinis supernaturalis producta, & recepta à voluntate creata cooperante Deo tan-

quam præcipuo authore, & voluntatem ipsam medio habitu charitatis, aut alio auxilio supernaturali evehendo, & roborando, ut erga ipsum Deum, quatenus in se est summum bonum supernaturale proportionatè afficiatur: itaque quoties voluntas actum elicit, quo tendat proportionatè in Deum, ut in se est summum bonum supernaturale, toties elicit actum supernaturalem charitatis, qui à præfata bonitate tanquam ab obiecto formali speciem desumit, licèt elici possit alius actus naturalis, qui erga idemmet obiectum formale improportionatè versetur de quo quoniam in prima secundę controversia octava, tractatu secundo latè disseruimus, nihil hoc loco dicendum est.

3. Ex dictis verò modò deducitur, multiplicé esse actum elicitū mediante habitu charitatis, qui proinde ad hanc virtutem pertineat: potest enim quis amare Deum, quia in se sit summum bonum supernaturale, odio habere peccatum eo quod huic summo bono opponatur, desiderare gloriam Deo propter præfatam bonitatem; timere ne offendatur eadem bonitas; sperare sempiternam nostram fælicitatem, quatenus ea cedet in prædictæ bonitatis eximiam gloriam, delectari denique summa hac bonitate & excellentia divina, etsi qui sunt alij actus qui eandem bonitatem ut motivum formale respiciant, sunt eiusdem speciei, pertinentque proinde ad eundem habitum charitatis, iuxta generalé doctrinam, quam in Materia de habitibus, seu 1.2. contr. 4. statuimus, & indicat S. Thomas q. 28. articulo quarto, ubi rectè notat charitatem non denominari nisi ab amore, qui est veluti radix, & origo cæterorum actuum: propter quam rationé, & quoniā in hoc tractatu vix aliud disputare statuimus, quàm quod spectat ad illos actus charitatis, qui erga solum Deum versantur; nihilque creatum etiam ut materiale obiectum attingunt. Solùm explicanda est in præsenti natura duorum actuum charitatis, quam in quęstione vigesima septima, & vigesima octava explicat Sanctus Thomas, scilicet amoris & gaudij; nam si res attentè consideretur, vix aut ne vix quidem elici potest alius actus mediante charitate, qui solum Deum attingat absque alicuius boni, vel mali creati admixtione.

S. Thom.

S. Thom.

4. Primum igitur inquiri potest, in quo consistat natura amoris eliciti à charitate, & quidem in prima parte controversia tertia explicuimus ad mentem S. Thomæ, quid sit amor in communi, est enim unio quædam amantis ad rem amatam, non quidem quę fiat medio nexu reali utrumque copulante, sicut cum forma & materia copulantur, sed medio affectu, & complacentia amátis in re amata, perinde ac in bono suo, seu in semetipso. Vnde amor quoad affectū constituit unum ex amante & amato, sicut unio materiæ & formæ quoad effectum constituit unū cópositū. Subtiliter autem Sanctus Thomas in quæstione vigesima sexta, articulo tertio corp. notat discrimen inter amorem, dilectionem, & charitatem; etenim amor est complacentia, & unio affectus amantis ad rem amatam, unde in brutis etiam reperitur; dilectio verò complacétiam istam, & unionem claudit, non tamen quamcumque, sed illam quæ in facultate cognoscente supponit iudicium, quo bonum amatum censetur dignum amore, prę fertur que alijs obiectis, & in voluntate actum electionis, quo prædictum bonum quasi seiungitur ab alijs, ut illi potiùs impendatur amor; unde dilectio non cadit nisi in naturam intelligentia prędi tam. Hæc enim sola est, quę prędictum iudicium, & electionem habet. Charitas denique prædictis omnibus addit peculiarem boni, quod amatur, æstimationem, ita ut voluntas in illud tanquā in aliquid prætiosum tendat. Constat ergo quàm aptè triplex istud nomen significet affectum illum supernaturalem medio habitu charitatis elicitum, quo in divina bonitate complacemus, & ei copulamur; est enim amor propter dicta: & insuper dilectio, quia tédit in Deum cognitum, ut summo amore dignum, & quem nobis præ alijs seligimus: denique appellatur charitas, quia versatur erga Deum tanquam prætiosissimam margaritā, quā præfert omnibus thesauris, & creaturis possibilibus.

S. Thom.

5. Quod si ulterius inquiratur, utrùm amor Dei sit idem, quod benevolentia? Respondet Sanctus Thomas in hac quęstione vigesima septima, articulo secūdo,

& est

Aristot. & est doctrina Aristotelis libro nono Ethicorum capite quinto,nonnihil discriminis inter hæc duo reperiri, nam benevolentia est actus, quo volumus alicui bonum,amor verò addit unionem amantis ad rem amatam. Itaque licèt qui amat Deum, exerceat erga illum benevolentiam,quatenus vult illi summam bonitatem,adhuc tamen non dicitur simpliciter,& perfectè amor, nisi addat unionem illam affectus ad Deum, qua velut unum & idem cum Deo efficitur, perinde æstimans bonum, gloriamque divinam, ac si proprium quidpiam foret,imò multo magis. Vnde Philosophus benevolentiā vocat principium amicitiæ, & hæc est illa electio, quam supra diximus,supponi à dilectione, quamque experimur in nobis etiam erga eos,quos nondum amavimus, ut cū è duobus ludentibus,vel decertantibus unum,hunc scilicet potius,quàm illum vellemus victorem evadere.

6. Ex quibus tandem patet, amorem nō appellari complacentiam, quasi ille semper sit actus inefficax voluntatis, licèt enim interdum esse soleat inefficax, sæpè etiam efficacitatem; eamque maximam habet: imò amor supernaturalis charitatis,qui simpliciter talis nominatur, semper efficax est, tum quia supponit, imò essentialiter includit benevolentiam,qua ex animo volumus Deo summum bonū, ita ut ex vi illius affectus conferre velimus Deo,si possibile esset,suam gloriam, & sæpè conferamus externam,qua à creaturis glorificatur: tum etiam quia potissimum consistit in unione voluntatis ad Deum tanquam ad prætiosissimum bonum, ita quod ex vi illius parati simus exequi,& pati,quidquid necesse fuerit,ut ab illo non separemur, licèt ipse amor formaliter,& expresse in nihil aliud tendat, quàm in Deum, ut in se est summa pulchritudo.

7. Hactenus de amore charitatis erga Deum;nunc brevissimé de gaudio dicēdum est. Et quidem Sanctus Thomas prima secundæ quæstione trigesima prima,& tribus sequentibus disputat de essentia actus, qui delectatio nuncupatur, & in articulo tertio quæstionis trigesimæ primæ eo solúm distingui affirmat gaudium à delectatione,quia hęc in appetitu sentiente, ac proinde in brutis reperitur; gaudium verò sequitur rationem, & à sola voluntate elici potest. Delectatio ergo est motus quidam partis affectivæ elicitus cum bonum aliquod possidetur, similitudinemque habet ad quietem corporum naturalium, cum ad proprium locum pervenerunt;quare gaudiū de Deo est delectatio,ac veluti spiritualis animi nostri quies,cum summam Dei bonitatem possidet, sive perfectè per visionem beatam, ut in patria, sivè minùs perfectè,sicut per fidem, & notitiam abstractivam in via; itaque cum intellectus summam Dei pulchritudinem agnoscit, ac veluti se possidere consideret, gignitur in voluntate quædam veluti quies, perinde ac si nihil aliud sit,quod ulterius motu, & defatigatione conquiratur, & hoc est gaudium. Vide reliqua quæ ad illud pertinent in quæstione vigesima octava huius secundæ secundæ.

S.Thom.

APPENDIX PRÆcedentis tractatus.

An,& quatenus liceat diligere Deum intuitu alicuius mercedis, aut retributionis.



Voniam ex dictis constat proprissimum amoris à charitate eliciti esse diligere Deum, quia in se est summum bonum, & Sanctus Thomas in articulo tertio quæstionis vigesimæ septimæ, ut rem hanc explicaret, tetigit modum,quo Deus intuitu retributionis, ac proinde non solùm propter se ipsum diligi potest, differunt hoc loco interpretes eius,an & quatenus liceat diligere Deum intuitu alicuius retributionis. 1.

S.Thom.

Vt autem dilucidiús & breuiùs à nobis hæc difficultas expediatur, nonnulla omnino certa præmittenda sunt. Primum est licitum, & valde laudabile esse bene operari,ac proinde diligere Deum intuitu æternæ beatitudinis, ita ut ipsos actus charitatis,& aliarum virtutum eliciamus allecti ab excellentia gloriæ,quæ 2.

bene

bene operantes manet in cælo. Res hæc ex fide certa est, & adversus nonnullos hæreticos, quos refert Bellarminus tom. 3. de Iustificatione, libro quinto capite octavo, definita à Tridentino sess. 6. capite undecimo, & canone trigesimo primo, *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Et quidem Christus Dominus in Evangelio excitat nos ad bene agendum, proposito æternę felicitatis pręmio Matthęi quarto, *Pænitentiā agite, appropinquabit enim regnum cælorum,* & capite quinto, *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis,* & capite sexto, *Primùm quærite regnum Dei & hæc omnia adijcientur vobis.* Atque huius præmij intuitu custodiebat David mandata divina, Ps. 118. *Inclinavi cor meum ad faciēdas iustificationes tuas propter retributionem.* Vide illustria testimonia Sanctorum, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & Gregorij pro hac veritate apud Bellarminum suprà. Denique ut alia omittantur, ratio manifesta est, quia tam amor Dei, quàm cætera bona opera, sunt media ordinata ad cō secutionem nostri ultimi finis, qui est beatitudo sempiterna, ergo bene facit, qui ea omnia facit intuitu beatitudinis. Patet consequentia, quia exequi media, ut obtineatur finis, maximé ordinatum est.

Bellarm. Trident. Matth. 4. & 5. Psal. 118.

3. Hæc tamen doctrina sic accipiēda est, ut non sit animus ita intentus consecutioni pręmij, ut si pręmium non esset, nō diligeret Deum, qui enim formaliter aut virtualiter, sic est affectus, ut secluso pręmio non servaret legem divinam, nō habet debitam appretiationem observantiæ pręceptorum, nec Deum anteponit omni ali bono creato; quod quidē inordinatum est, & propterea Christus Dominus Ioannis decimo reprehendit mercenarios, illos scilicét, qui solam mercedem attendunt, in eoque sensu dixit Sanctus Bernardus tractatu de diligendo Deo, non esse diligendum Deum intuitu præmij, & charitatem non esse mercenariam. Vnde Tridentinum in illo capite undecimo citato dixit, *Iustū cum primis intendere debere, ut glorificetur Deus, licet suā ipsorum socordiam excitando, & sese adcurrendum in stadio cohortādo, mercedem quoque intueantur æternam.*

Ioan. 10. S. Bernar.

4. Secundum quod præmitti oportet, est, laudabile esse recordari beneficia, & promissiones divinas, quibus veluti disponatur affectus ad amandum Deum, ut optimé notat Sanctus Thomas in articulo tertio citato. Itaque, si quis ante oculos sibi obijceret æternam beatitudinem, ut inde dilucidiùs cognosceret eximiam Dei bonitatem, qui tantum bonum nobis promisit, & ita eam impensiùs amaret, laudandus esset, & ita facere consueverunt iusti, & Sancti. Vnde David in Psalmo decimo septimo, *Diligam te Domine fortitudo mea, &c.* statimque recenset beneficia, quibus à Deo fuerat affectus. Nec solúm id verum est, quando beneficia sunt spiritualia, sed etiam si temporalia sint. Vnde in Scriptura Deus antiquum illum populum excitabat ad observantiam divinæ legis; ac proinde ad ipsum Deum diligendum, proposita abūdantia rerum temporalium; Levitici vigesimo sexto, *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias tēporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, &c.*

S. Thom. Psal. 17. Levit. 26.

5. Tertium, est mediante virtute charitatis Theologicæ non posse diligi Deum propter mercedem aliquam temporalem, seu æternam, ita ut motivum formale huius amoris sit præmium ipsum creatum, quia ut in tractatu quinto ostendimus, obiectum formale charitatis est sola bonitas increata, & supernaturalis, qua Deus est bonus in se, nihilque creatum potest cadere sub charitatem, nisi tanquam obiectum materiale.

6. Quartum ergò superest disputandum, an saltem honestus, & supernaturalis esse posit ille actus, quo amaretur Deus propter ipsam beatitudinem supernaturalem, & creatam, aut etiam propter alia bona supernaturalia, scilicét gratiam, remissionem peccatorum, &c. ita ut Deus sit obiectum materiale huius amoris; formale verò prædicta beatitudo, aut aliud bonū creatum. Et quidem sub his terminis, & præcisione vix invenitur apud Doctores hæc difficultas; ex alijs tamen dicendi modis, quos usurpant, eorum mentem venari conabimur. Durandus, in tertio distinctione vigesima nona, quæstione ter-

Durand.

tia,

Valencia. tia, quem sequitur Valencia hic, quæstione quinta, punct. 2. docet, nõ licere amare Deum intuitu mercedis, ita ut ipsum præmium sit finis rei amatæ, quibus verbis planè videtur negare, licitum esse actum, cuius obiectum materiale sit Deus, formale verò præmium, quia eo ipso Deus est veluti medium, & prẹmium, est finis, ad quem refertur. Pro eadem opinione affertur Aragon, qui in articulo tertio quæst. 27. dubio de hac re, conclusione quinta, solùm ait, non esse licitum diligere Deum propter præmium, tanquam propter finem præcipuum. Magis favet Bañez, aut potiùs id clarè docet ad eundem articulum, conclusione secunda dicens, non potest esse licitum ordinare Deum in rem creatam, tanquam in finẽ ultimum, seu proximum, eo modo, quo ordinamus medicationem ad sanitatem. Probat hanc sententiam Durandus, quia finis diligitur magis, quàm id, quod ad finem refertur; sed nullum bonum creatũ licet diligere magis, quàm Deum; ergo non licet diligere Deum propter beatitudinem creatam, vel gratiam, aut aliud donum eiusmodi. Confirmatur, quia obiectum formale magis amatur, quàm obiectum materiale, cum illud sit ratio istud diligẽdi; ergo si Deus amaretur intuitu mercedis creatæ tanquàm obiecti formalis, magis amaretur merces creatã, quàm Deus, quod sinè dubio inordinatam est.

Aragon.

Bañez.

7\. Secundò probat, quia quicumque ita diligeret Deum intuitu mercedis creatæ, ut hac deficiente non diligeret, peccat læthaliter; sed si Deus propter retributionem ut propter motivum diligeretur, ea deficiente non diligeretur; ergo eiusmodi dilectio est peccatum læthale. Maior patet ex prima notatione huius appendicis. Minor probatur, quia deficiente motivo, seu obiecto formali alicuius actus, necesse est ipsum actum deficere; ergo si retributio foret obiectum formale actus, quo diligitur Deus, ea deficiente non diligeretur Deus.

8\. Tertiò probatur, quia si propter retributionem, seu mercedem æternę beatitudinis posset Deus amari, liceret etiam eum diligere intuitu mercedis temporalis, v. g. propter divitias, honorem, &c. consequens est absurdum, quia indignum videtur homine christiano eiusmodi finẽ apponere amori divino, & Deũ ordinare ad eiusmodi abiecta bona, ergo antecedẽs est falsum.

Probabilior sententia est, eiusmodi amorem honestum esse, ac supernaturalẽ. 9.
Sic sentiunt Vega libro undecimo in Tridentinum, capite quadragesimo quarto, in fine, & nonnulli recentiores; valdeque favet S. Bonaventura in tertio distinctione vigesima septima, articulo secundo, quæstione secunda. Probatur primò à priori, quia obiectum formale huius amoris est omnino honestum, & supernaturale, nempè beatitudo æterna; & ex parte obiecti materialis, nempè Dei, nihil admiscetur, quod huic honestati & supernaturalitati contrarium sit; ergo eiusmodi amor honestus, & supernaturalis est. Patet consequentia, quia non potest hic amor aliunde vitiosus reddi, quã ab obiecto; antecedens verò probatur, nam primum in ipsis obiectis, formali scilicèt, & materiali secundùm se considerat is, nihil inveniri potest, quod non sit honestissimum, ut patet; deindè, si qua inhonestas ibi cerneretur, ea certè foret inversio, ac veluti immutatio debiti ordinis, constituendo Deum obiectum materiale, & medium, creaturam verò obiectum formale, & finem, hinc autem non vitiari præfatum amorem ostenditur; quia id quod magis bonum est, ordinari potest ad minus bonum ut ad finem non ultimum, sed qui tandem referatur ad maius bonum, saltèm virtualiter & implicitè. Sic enim Ecclesia orationes & sacrificia Missæ ordinat ad beneficia temporalia obtinenda à Deo, non quidem quasi hæc sint ultimus finis, sed solùm non ultimus, qui tandem in divinam gloriam referatur, & Incarnatio Verbi Divini ad nostram spiritualem salutem relata est, non ut ad ultimũ finem, quia ea foret perversio, sed ut ad non ultimum, qui tandẽ in ipsius Dei gloriam cedat; licitum ergo est elicere actum amoris, quo velimus Deo bonum allecti ab ipsa æterna retributione, quam speramus, non quasi hæc sit ultimus finis, id enim malum esset, sed quatenus hæc ipsa retributio cedit in gloriam Dei, & ad Deum ipsum refertur, nec ad id est necessarium ipsum amorem expressè & formaliter retributionem re-

Vega.

S. Bonav.

ferre in gloriam divinam, seu in Deum, sat enim est beatitudinem esse quidpiam honestum, ut suaptè natura in Deum ultimum finem tendat, ac proinde, ut qui intuitu illius amat Deum, referat totum obiectum huius amoris in ipsam Dei gloriam, cuius argumentationis sufficientia, & efficacitas elucescet amplius, cum ad argumenta respondeamus.

10. Nunc secundò probatur eadem assertio, quia timor Dei propter supplicia, quæ infligit, honestꝰ est, & supernaturalis, ergo & amor Dei propter præmia, quæ confert, honestus erit & supernaturalis. Antecedens tanquam certum suppono ex quæstione decima nona huius 2.2. ubi ostensum est, timorem illum esse bonũ, atque ab Spiritu Sancto inspiratum, ut docet Concilium Tridentinum. *Trident.* Consequentia verò probatur, quia eodem modo refert timor Deum ad supplicia, quo amor ad præmia, imò si res hæc intimiùs cõsideretur, vnus idemq; habitus supernaturalis infunditur iustis ad utrumque actum eliciendum, cum utriusque idem sit obiectum formale. Suppono enim, seu recolo id, quod in primo tractatu notabatur, scilicèt infundi à Deo nobis habitum supernaturalem, cuius obiectum formale sit interna pulchritudo animi, proveniens ex donis supernaturalibus, & præsertim ex beatitudine, quæ principé locum obtinet inter eiusmodi dona, cum ergo in pulchritudinem hanc vario, ac multiplici genere actuum ferri possit, & soleat nostra volũtas, omnes ad eundem habitum pertinebunt, utpotè habentes idem obiectum formale, inter eos autem meritò numerari possunt amor prędictæ pulchritudinis, ac proinde amor sempiternæ beatitudinis, & timor pœnarum quæ illi opponũtur. Vnde sicut ex timore supplicij contrarij beatitudini, proficiscitur timor Dei, & reverentia erga infinitam illam maiestatem, quatenùs tam acerbum supplicium tanto beatitudinis bono contrarium infligere potest, ita ex eiusdẽ beatitudinis amore oritur alter amor illius infinitę bonitatis, quæ tantam beatitudinis fælicitatem conferre potest, itaque nulla inordinatio reperitur in eiusmodi amore.

11. Ad primum respondeo distinguendo maiorem, finis enim magis diligitur quã medium, quod præcisè & omnino mediũ est, non verò, quàm medium, quod sub alia ratione est etiam finis, illeque magis præcipuus, quia ergo in eo amore, quo diligitur Deus propter beatitudinem, ita ordinatur Deus ad beatitudinem, ut ad finem, ut hæc tandem virtualiter, & implicité ad ipsum Deum, ut ad finem longè magis præcipuum, & ultimum referatur; ideò magis diligitur Deus, quàm ipsa beatitudo, aut merces creata: atque hinc obiter colligitur, quando Sanctus Thomas in articulo tertio quæstionis vigesimę septimæ negat Deum ordinari ad aliud ut ad finem, non intendere illicitum esse amare Deum propter finem creatũ, qui non sit ultimus, sed ad ipsum Deum tandem referatur; solùm ergò negat ordinari posse ultimatè ad alium finem, cũ ipse sit finis ultimus omnium. *S. Thom.* Ad confirmationem respondeo eadem distinctione; obiectum enim materiale, quod præcisè tale est, minùs amatur, quàm formale, sed quod aliunde est finis, illeque præcipuus, ad quem ipsum obiectum formale saltèm implicitè refertur, magis amatur, quàm ipsum formale: quoniam ergo Deus ita est obiectum materiale prædicti amoris ut ipsa beatitudo, quæ est obiectũ formale ad illum, ut ad finem præcipuum, implicitè, & virtute referatur, fateri oportet Deum ex vi illius actus magis amari.

12. Ad secundum respondeo distinguendo maiorem, qui enim deficiente mercede, non dilecturus esset Deum mediante ullo actu, peccaret, quia eo ipso convinceretur non habere debitam appretiationem Dei, quem non nisi intuitu boni creati diligere statuit; at verò qui deficiente mercede non esset dilecturus Deũ medio actu, quo illum priùs diligebat propter retributionem, sed medio alio, quem posteà adiutorio divinę gratiæ elicere conaretur, non peccaret, sed bene faceret. Itaque, cum quis amat Deum propter mercedem, cessaret ab illo actu, si merces deficeret, quia non haberet obiectum, sed elicere posset alium, quo Deũ diligeret propter eius bonitatem, & sanè eodem argumento, si quid valeret, probaretur non licere velle beatitudinem etiam tanquàm obiectum materiale nostri amoris, quia etiam deficiẽte obiecto materiali deficit actus, utpotè qui intrinseco

seco

secundo ordine respicit illud, id autem satis patet asseri, sine absurditate non posse.

15. Ad tertium respondeo, si merces temporalis, & humana præcisé, ut talis consideretur, non est bonum honestum, sed indifferens, quod non potest esse obiectum formale, seu finis amoris honesti, & præsertim supernaturalis; imò absolutè foret vitiosus amor Dei præcisè propter bona temporalia. Tum quia actus volútatis debet habere bonum honestum pro motivo, tenetur enim agens intellectuale operari propter finem bonum, & non solum indifferentem, ut cum Sancto Thoma in Prima secundæ dicebamus, in tertia controversia tractatu de actu indifferenti; tum etiam, quia specialem inordinationem præsefert diligere Deum propter temporalia lucra, & propterea à Patribus, & Doctoribus id damnatur, ut opus mercenarij vilis, & abiecti: si verò merces temporalis accipiatur ut medium ad honestum finem, sic licitus erit amor Dei propter illam, quia tunc obiectum formale seu finis est bonum honestum, quod proinde in Deum tandem, ut in finem præcipuum & ultimum refertur, & propterea laudabile fuit votum, quod Iacob emisit Genesis 28. *Si fuerit* (inquiés) *Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, &c. erit mihi Dominus in Deum.* Vnde Sanctus Chrysostomus Tomo primo Hom. quinquagesima quarta in Genesim nobis valde commendat hoc votum Iacob, *Qui non divitias, non abundantiam quãdam petivit, sed panem, & vestem, & hanc ad contegẽdum corpus, illum verò in necessarium alimentum,* quatenus scilicet hæc ad bonum virtutis referebantur, & non ad superfluitatem aut delectationem.

Gen. 28.

S. Chrys.

COMMENTARIVS in quæst. 29:

IN hac quæstione disputat S. Thomas de pace, & in articulo primo ait, illam distingui à concordia, quod hæc sit diversorum cordium, ac proindé diversarũ personarum consensus, & unio; pax verò præter hoc addat consensum, & unionem mutuam affectionum, & operationum eiusdem suppositi. In secundo probat, neminem esse qui pacem non appetat, quia omnis appetens exoptat pervenire ad tranquillam possessionem eius quod appetit: in tertio, docet pacem esse proprium effectum charitatis, quia huius virtutis proprium est, omnia nostra ad unum finem divinæ gloriæ referre, & proximos nostros sicut nos ipsos amare, ut ita mutuus consensus sit: in quarto, concludit pacem esse actum charitatis, & nõ constituere peculiarem virtutem.

TRACTATVS IX.

De actu charitatis prout ad bonum proprij subiecti spectat.



QVoniam ut in commentario quæstionis 29. dictum est, pax respicit cõsensum, & unionem affectionum proprij subiecti, ad hunc locum pertinere videtur explicatio illorum actuum, quibus charitas versatur circà proprium subiectum, circà illud nimirum, cui divino munere infusa est. Et quidem, cum post Deum nihil sit, quod prius, quàm proprium subiectum charitas diligat, modo suprá explicato, tractatu septimo, hoc erit maximè proprium obiectum materiale charitatis, circà quod proinde exerceat omnes actus studiosos, quos intuitu sui obiecti formalis efficere potest. Ij autem sunt amor sui subiecti, odium mali sibi oppositi, desideriũ boni, quod illi deficit, gaudium de bono, quod consequitur, tristitia de malo, quod patitur, & plures alij, qui eò ipso, quod circa hæc versentur, quatenus cedunt in gloriã Dei prout in se bonus est, sũt actus Theologici, & ad istã virtutem pertinentes, in speciali verò quando, & quomodo proprium bonum præferendum, vel postponendum sit bonis alienis medio actu charitatis, & quatenus obligetur homo ad prospiciendum sibi, in superioribus tractatibus explicatum est, & nihil hic addendum occurrit.

COM-

COMMENTARIVS in quæst. 30. & 31.

IN quæstione 30. agit Sanctus Thomas de misericordia, & in articulo primo docet malum esse propriè motivum misericordiæ. In secundo, propterea solere homines aliorũ misereri, quia vel alienos defectus reputant proprios propter unionem charitatis, vel quia credunt se posse pati similia. In tertio, affirmat misericordiã esse specialẽ virtutẽ. In quarto, misericordiã quodãmodo esse maximam virtutem, quodammodo non, ut postea declarabitur. In quæstione trigesima prima differit de beneficentia, & in articulo primo ait beneficentiam esse actum charitatis, ita tamen ut secundum speciales rationes boni, quod alteri conferri potest & solet, pertinere posit, & soleat ad speciales virtutes. In secundo, docet omnibus esse benefaciendum. In tertio, magis esse benefaciendum illi, qui nobis coniunctior est, quã illi, qui minus unitus est, dummodo cætera sint paria. In quarto, docet beneficentiam non distingui à charitate, sed intelligitur quandiu non habuerit aliud speciale motivum, quod à motivo charitatis diversum sit, ut patet ex solutione secundi.

TRACTATVS X.

De actu charitatis prout respicit bonum proximi.

DISPVTATIO I.


Quis, ac quotuplex sit actus charitatis supernaturalis erga proximum.

I. 

Vm formale obiectum charitatis sit bonitas supernaturalis, qua Deus est bonus in se, omnis ille actus, qui ita versetur circa nostrum proximum, ut pro motivo habeat prædictam bonitatem, erit elicitus à charitate, & appellabitur actus erga proximum, atque hic quidem actus multiplex est, amor nimirum, quo complacet quis in bonitate proximi, & illi per affectum unitur propter Deum, odium mali huic bono contrarij ob eundem Deum, desiderium boni illius, delectatio, seu gaudium, & reliqui, quos in speciali non est opus recensere. Illud solùm adverte, omnes actus charitatis, quos iustus erga proximum suum elicere potest, ad duos non incommodè revocari, unum, quo vult, quantum in ipso est, arcere malum à proximo, alterum, quo vult illi conferre bonum; sicut enim omnis perfectio consistit in abiectione mali, & prosecutione boni, ita quidquid erga proximum exercere possumus consentaneè ad legem divinã, consistit in volendo illi bonum, & avertendo malum: propterea ergo S. Thomas in duobus quæstionibus, quas in hoc tractatu explicandas suscepimus, agens de actibus charitatis erga proximos, in generali disputavit de misericordia, cuius munus est succurrere malo proximi sublevando miseriam eius, & de beneficentia, cuius officiũ est, velle bonum alijs. Nos autem in disputationibus sequentibus naturam horum actuum declarabimus. S. Thom.

DISPVTATIO II.

Quid sit misericordia, & quomodo se habeat ad charitatem, cæterasquè virtutes,



Regorius de Valencia in hac disp. 3. de Charitate quæst. 7. punct. 1. ex doctrina S. Augustini, S. Thomę, & Aristotelis, quos refert. hanc colligit misericordiæ definitionem. I. Valenc. *Misericordia est dolor, sive tristitia de malo alieno involuntario, æstimato ut proprio, & aliquomodo contra personæ miserabilis dignitatem, cui subvenire velit miserans, quantum in ipso sit, & commodè posit.* Dicitur *dolor*, quia hic est affectus, qui miserantis animum comitari solet,

let, & unde nomen misericordiæ deductû videtur, est enim misericors quasi habens miserum cor, seu quod idem est, affectum dolore, atque tristitia. Dicitur *de malo alieno*, quia nec dolor haberi potest nisi de malo, nec in eo rigore sermonis dicitur quis sibi misereri, licèt aliquádo ea phrasi utatur Sacra Scriptura Ecclef.30.
Ecclef. 30 *Miserere animæ tuæ, placens Deo*, dicitur *involuntario*, non quia necesse sit malû illud nullo modo esse volitû; cum certû sit peccata, quę libera nobis sunt, esse materiá misericordię cóparatione Dei, & hominû, ac angelorû; sed quia aliqua ratione debet esse cótra inclinationé sustinétis illud malû, alioqui non posset appellari miseria, quam respicit actus misericordię: dicitur *æstimato ut proprio*, quia sicut gaudiû est de bono possesso, ac proinde proprio, ita & dolor de malo etiá possesso, ac proinde proprio aliqua ratione, quia nimirû, vel existimamus simile malû in nobis esse, aut reperiri posse, vel saltē amor, qui supponitur in corde miserátis, efficit propria mala aliena. Porrò hęc debēt esse aliquomodo contra dignitaté personę miserabilis, saltem quatenus homo est, & capax æternæ fælicitatis; ná verè maximè affectû cómiserationis excitat, quod persona, quá decebát magna bona, subeat magna mala. Deniq; ut misericordia vera sit, & absolutè talis nûcupetur, oportet virtute huius doloris allici quempiam, *ad subveniendum personæ miserabili, saltē quatenus commodè potuerit*, alioqui potiùs censebitur immisericors.

2. Definitio hactenus explicata, bona est, sed non quadrat in eum actû, in quo præcisè cósistit essentia misericordiæ; nam si attédátur testimonia Sacræ Scripturæ, Sá ctorum Patrû, & Doctorû, Deus nó fictè, aut metaphoricè, sed proprijssimè habet misericordiá, & tamé incapax est doloris, aut tristitiæ. Vnde S. Thomas prima
S.Thom. parte, q.21. artic.3. dixit in Deo esse misericordiá, nó secundû passionis affectû, sed secundû effectû, id est, non secundû illû actû, qui solet esse in appetitu sentiéte nimium dolorem, aut tristitiá; sed secundùm illum, qui à prædicto dolore proficisci solet, scilicèt voluntatem sublevandi miseriam alienam, & idem feré eisdem verbis, aut potius eodem sensu docuerût Scotus, Richardus, & Durandus apud Molinam in illo articulo tertio, & Suarez libro tertio de Attrib. cap 7. n. 15. Gabriel Vasquez ibidem dicentes, formalem rationem misericordiæ consistere in actu *quo quis vult alterius miseriam sublevare*, & hanc doctrinam nos secuti sumus prima Parte Controvers. 3. tractatu ultimo, disputatione septima. Molina. Suarez. Vasquez.

3. Verum, ut naturam misericordiæ dilucidiùs explicetur, quatuor breviter distinguenda sunt, scilicet obiectum materiale, obiectum formale, actus in ea tendens, & habitus in eum actum inclinans. Et quidem obiectum materiale est malum illud involuntarium æstimatum ut proprium, de quo in definitione, quam ex Valencia retulimus, sermo fuit: verum cum ex alibi dictis constet, malum non posse esse obiectum formale voluntatis, aut alicuius actus ab ea eliciti, oportet assignare bonum aliquod illudque honestum, quod sit obiectum, seu motivum formale misericordiæ: hoc autem nó potest esse aliud, quàm ipsa honestas, quæ intrinsecè reperitur in sublevanda miseria proximi, ac proinde in auferendo ab illo eo malo, quod patitur; sicut enim obiectum formale abstinentiæ est illa honestas, quam recta ratio, & supernaturalis prudentia dictat esse in moderato usu ciborum, ita obiectum formale misericordiæ est honestas, quæ in sublevanda miseria proximi invenitur; dictat enim supernaturalis prudentia esse maximè consentaneû rationi, & cóvictui hominû, qui ad eundé supernaturalé gloriæ finé evecti sunt, si alter alterius malis subveniat.

4. Tertiò, cum ad eandem virtutem spectent omnes illi actus, quorum motivum unum, idemque est, ut ex Materia de Virtutibus suppono, omnes illi actus pertinebunt ad misericordiam, quorum motivum fuerit præfata honestas, quæ in sublevanda proximi miseria reperitur, nimirum amor prædictæ honestatis desiderium sublevandi miseriam intuitu huius honestatis, gaudium de eius sublevatione conceptum, tristitia de eo, quod malum illud nondum sit sublevatum, & alij eiusmodi: duo tamen sunt, quibus potissimùm convenit nomen misericordiæ, prior est ille à quo misericordiæ nomen desumptum est, nempe dolor de malo alieno, &c. misericordia enim, ut dice-

bamus, est opus profectū à misericorde, misericors autem dicitur, qui miserū habet cor, seu dolore, atque tristitia affectū, & hic actus declaratur à Patribus, quos in definitione sua secutus est Valencia, & de illo tantum videtur locutus S. Thomas in hac quęstione trigelima; posterior est ille, qui ab hoc priori solet proficisci, & qui maximè requiritur, ut misericordia nostra proficua sit, nimirum voluntas sublevandi miseriam, seu succurrēdi proximo. & liberandi eum à malo, quod nobis fuit doloris occasio, & ratione huius actus dicitur Deus propriissimè habere misericordiam, illumque graves Doctores appellant formalem rationem misericordiæ, ut supra referebamus, quia scilicet ille potissimus est, & sine alijs actibus sufficit, ut quis sit simpliciter misericors, cum tamen solus dolor de miseria proximi, si cum possis commodè, illi non subvenias, non sufficiat ut absolutè misericors appelleris. Hūc sensum reddunt verba illa Ioannis in prima Can. capite tertio: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo.* Vnde Beda in eum locum pro eodem reputari videtur sublevare miseriam fratris, & ei cōpati, seu verè dolere de eius miseria: *debeus* (inquit) *esto dare de tuis facultatibus fratri, si enim fratri molestiam patienti non compateris non utique patris, ex quo ambo regenerati estis, charitas manet in te.*

S. Thom.

1. Ioan. 3.

Beda.

5. Quartò tandem habitus misericordiæ est, qui ad actus hactenus explicatos inclinat, & licet tam actus, quā habitus possit esse naturalis, non tamen est cur negetur infundi à Deo habitum supernaturalem, qui inclinet ad actus supernaturales, quorum motivum sit honestas supernaturalis, quæ est in sublevanda miseria proximi, sicut etiam infunduntur alij habitus ad temperaté utendum cibis, ad aggrediendum pericula, & cæteros actus virtutum moralium, iuxta probabiliorē opinionem S. Thomæ, in Materia de Virtutibus. Porro hic habitus, sicut & aliarū virtutum residet in voluntate, licèt illi respondeat alius habitus corporeus in appetitu, de quo in Materia de Virtutibus citata satis dictum est.

S. Thom.

Ex dictis colligitur, misericordiam esse specialem virtutem à charitate, & cæteris distinctam, ut optimè S. Thomas q. vigesima, articulo tertio, & in solutionibus argumentorum, quem illius interpretes sequuntur. Probatur, quia habet motivū formale distinctū ab obiectis formalibus aliarum virtutum, & specialis difficultas est in sublevanda miseria aliena, ad quam proinde superādam infundi debuit virtus specialis. Sed obijcies Sanctū Thomam, qui cum in his quæstionibus agat de actibus charitatis inter eos enumerat misericordiam, planè reputans illā esse charitatis operationem, ac proinde non distinctam, & peculiarem virtutem. Respondetur de mente Sancti Doctoris non posse dubitari, cum in loco citato disertè testetur esse specialem virtutem, & à charitate distingui; cur autem hoc loco dū de virtute charitatis disputat, de misericordia etiā instituerit tractationē, ratio breviter reddi potest, quia nimirū maximè cōiūcta est charitati misericordia; eo enim ipso quod quis ex animo diligat proximū, miseretur illi, & alioqui veram charitatē cōvincitur nō habere, ut Apostolus Ioannes in loco citato testatus est. 6.

S. Thom.

Sed obijcies iterum, potest quis velle sublevare miseriā proximi, & de eius malo dolere propter Deum, sicut & propter eundem potest, & solet illum amare, ergo non est necessaria virtus à charitate distincta, ut proximis nostris misereamur. Respondeo, si obiectio foret efficax, cōvinceret non infundi à Deo virtutes morales ad colendum Deum, ad servandum ius illæsum proximo, ad aggrediendū pericula, ad temperatè vivendum; quia hæc omnia potest quis velle, & re ipsa exequi propter Deū, ut motivum formale, & ita omnes eiusmodi actus pertinebūt ad charitatem. Dico ergo, licèt virtus charitatis ob sui eminentiā versari possit circa obiecta aliarum virtutum, tanquam circa aliquid materiale, quod induatur, & veluti evehatur sublimitate sui obiecti formalis, quod est bonitas divina, nihilominus utiliter infusos fuisse á Deo habitus, qui à charitate distinguerentur, & haberent pro motivo honestates creatas, quæ in prædictis obiectis elucent, ut ita succurreretur imbecillitati nostræ, quæ non semper assurgit, ut prop- 7.

ter Deum immediatè, & formaliter operetur, sed contenta est respiciendo bona creata honesta quidem, sibi tamen magis accommodata: & hoc ipsum omnino de misericordia dicendum est; itaque potest homo mediante charitate velle sublevare miseriam proximi propter Deum, sed imbecillitati eius consultū est infusione peculiaris habitus misericordiæ, qui inclinet in sublevandam eam miseriam propter honestatem creatam, quæ in ea sublevatione elucet.

8. Vna, & gravis quidē difficultas expedienda superest, quē scilicét gradū, seu locū dignitatis obtineat misericordia inter virtutes; an scilicèt sit omniū maxima, an potius ab alijs, & à quibus excedatur. S. Thomas in art. 4. respondet, si secundum se consideretur, esse maximā virtutē, quia ad eam spectat sublevare miseriā, & supplere defectus aliarū, quod maximè superioris est; & propterea dicitur proprium Dei misereri, & miserendo manifestari maximè illius omnipotentia: si verò consideretur cōparatione habentis, non esse maximam omnium, nisi ille, qui eam habet maximus sit, nempē Deus. Vnde concludit inter omnes virtutes, quæ nobis infusæ sunt, & circà proximum versantur, maximā esse misericordiā, licét charitas, quæ Deo nos coniungit, nobilior sit.

S.Thom.

9. Verū hæc doctrina multis ex capitibus difficilis est; primum quidē, quia virtus secundū se habet perfectionē ab obiecto formali, sed omnes virtutes Theologicæ habent perfectius obiectū formale quā misericordia, respiciūt enim Deum, misericordia verò quidquā creatum; ergo virtutes Theologicæ secundū se perfectiores sunt, quàm misericordia. Confirmatur, quia religio, licèt nō sit Theologica, respicit tamē essentialiter Deum, cui exhibet cultum, ergo præstātior est, quàm misericordia, quæ tota, ut sic loquamur, impenditur proximo: unde S. Thomas quæst. 81. artic. 6. hanc ipsam rationem reddens sic cōcludit, *Et ideo religio præeminet inter alias virtutes morales*, licét contrariū docere videatur in hoc art. 4. ad 1. arg. Deinde virtus est in habente secundū totā perfectionē, quam habet secundū se, ergo impossibile est misericordiā esse secundū se maximam omniū virtutum, & non esse maximā comparatione habentis. Confirmatur, quia tota perfectio virtutis ordinatur ad perficiendum subiectum, quod illam habet, ergo virtus, quæ maxima est secundum se, est etiā maxima cōparatione habentis; alioqui in ipso habēte, seu subiecto amitteret aliquid suæ essentialis perfectionis, quod est absurdum. Denique ipsi Deo melius est amare se ipsum, quam nobis misereri, ergo nō est maxima virt' in Deo misericordia.

S.Thom.

10. Caietan. Caietanus in hac S. Thomæ doctrina declaranda se maximè subtilē ostēdit, ait enim misericordiā secundū se consideratam esse maximam omnium virtutum, quia abstrahendo à quolibet habente affert summam perfectionem, seu quod idē est, rationem actus puri, quod quidē non affert hoc quod est diligere Deū, ac proinde nec cæteræ virtutes hac dilectione inferiores. Etenim essentia misericordię est sublevare miseriā, ac proinde expertē esse miseriæ; sicut enim sublevare miseriam pauperis affert carentiam talis miseriæ in sublevāte, alioqui non posset illā in altero sublevare, ita sublevare miseriā simpliciter, & absolutè, affert carentiā miserię simpliciter, omnis autē potētialitas quæ non potest non reperiri in creatura, est aliqua miseria, quia est defectus aliquis, & ideò misericordia, quæ absolutè potest omnē miseriā sublevare, expers sit oportet omnis potētialitatis, ac proindè actus purus, & cōsequenter Deus. Affert ergo natura misericordię simpliciter summā perfectionē, amor verò Dei absolutè, ac proindè aliæ virtutes amore inferiores tantā excellentiā nō exigūt. Si verò misericordia (inquit Caietanus) cōparetur ad suū habēs nec in nobis est tam perfecta, quàm charitas, nec in Deo, in nobis quidem id satis constat, quia cum homo habeat superiorem (verba sūt S. Thomæ in corp. art. 4.) charitas, per quā Deo unitur, est potior quā misericordia, per quā defectus proximorū supplet. In Deo autē probatur, quia melius est Deo semetipsum diligere, quā suarum creaturarum miseriam sublevare. Addit denique id esse intelligendum de misericordia præcisè accepta; nam si sumatur id totū, quod includit, melior est, quàm charitas, quia hæc includitur in ratione formali illius, eo quòd Deus non vult sublevare miseriam creaturæ, nisi propter se ipsum, seu propter suam bo- S.Thom.

nitatem summé amatam. Hanc doctrinã, & intelligentiam Caietani valdé probat Dominicus Bañez ad artic. 4. *Bañez.*

11. Sed ego fateor ingenuè mihi non placere, quia aut Caietanus agit de misericordia secundum se, quatenus abstracta est à divina, seu increata, aut de misericordia divina; si de hac secunda, iam non prę scinditur ab habente; sed potiùs consideratur ut propria Dei, imò hoc pacto, si præcisè loquamur, fatetur ipse melioré esse charitatem. Si autem agat de prima, falsum est illam esse actum purum, quia actus purus est prædicatum proprium Dei; misericordia autem secundum se, est quidpiam cõmune Deo, & creaturis Nec video quomodò misericordia absolutè accepta petat expertem esse omnis miseriæ, nisi ad divinam cõtrahatur. Itaque misericordia in cõmuni inclinat quidem ad sublevandam miseriam, sed nõ determinat hanc miseriam, vel illam. Et ideò licét expers esse debeat ei' mali, quod sublevat, non propterea futura est positivè expers omnis mali, donec ad divinã ascédat, sed est pr ę dicãtũ quoddã indifferés, ut in Deo potés sit omné miseriã sublevare, in creaturis vero non ita, ac proinde in Deo sit actus purus, in nobis admixtus potentiæ.

12. Alij respondent S. Thomã contédere misericordiã in aliquib' excellere, in alio verò superari ab alijs virtutib'; sic enim agens de religione, de obedientia, de humilitate, de charitate, singulas harũ appellat virtutes maximas, quia nimirũ aliquid habét, in quo alijs antecellãt, & aliud in quo excedantur. Hanc explicationem magis probat Valencia; Banez verò non reijcit, & sinè dubio ea vera est. Oportet tamé inquirere, quidnam sit illud, in quo misericordia superat, quid verò in quo superetur, & quomodò secundũ se sit maxima virtutũ, non autem cõparatione habentis. Dico ergo, cum S. Thomas misericordiã vocavit maximã virtutũ, locutũ esse de virtutibus, quę Deo, & creaturis communes sunt, & misericordiam secundum se idem esse, quod misericordiam attendendo id, quod precisè necessarium est ad eius constitutionem, non descendendo ad particulares circũstantias huius, vel illius subiecti; imò nec obiecti formalis, à quo desumitur potissima virtutum perfectio; quo posito affirmat misericordiã secundũ se esse maximã, id est, melius esse sublevare miseriam quã diligere; quia dilectio solũ affert unionem amãtis ad ré amatã, misericordia verò efficacé voluntaté sublevandi miseriã, quod est propriũ superioris, & excellentiã habétis supra alterum. ¶ Vnde si limitentur istæ duæ virtutes ad Deum, & induantur eadé ratione formali, quæ est obiectũ formale voluntatis divinæ, nempè infinita eius bonitate, melior est misericordia, quã amor (eo modo improprio, quo inter perfectiones divinas potest esse aliqua inęqualitas, absolutè enim omnes æquales sunt, ut par. 1. controvers. 1. dictum est) nam misericordia includit totum, quod amor, quo Deus amat suam bonitatem, cum Deus nulli misereatur, nisi propter suam bonitatem, & insuper addit efficacem voluntatem sublevandi miseriam creaturæ, quod solus amor nõ affert, similiter si utraq; virtus ad creaturã limitetur, retento eodem obiecto formali, melior est actus, quo quis vult sublevare miseriã proximi propter Deũ, quã solus amor Dei. Ille enim prior, est etiã amor Dei, & addit sublevationem miserię, sed quoniã virtus misericordiæ in homine significat habitum, cuius obiectũ formale est honestas creata, quæ in sublevãda miseria proximi reperitur, charitas verò significat habitum inclinantem in summam bonitatem Dei, cui tanquam superiori unimur; ideo charitas in nobis est melior, quàm misericordia, & nõ dissimili ratione religio est etiã melior, quippé quæ aliquo modo peculiari tendit in Deum, cui cultum exhibet, & ideò sapienter S. Thomas in fine corporis solùm dixit inter virtutes nobis infusas, quę ad proximũ pertinent, id est, circà illum versantur, præstantissimam esse misericordiam; quod verum est, quia sublevare miseriam alienam, est actus superioris, & potioris. *Valencia.* *Bañez.* 13.

14. Ad primum respondeo, non considerari à Sancto Thoma istas virtutes prout respiciunt obiectum formale, sed præcisè accipi hoc, quod est honestè amare, & hoc quod est sublevare miseriam. Ad confirmationem respondeo cum Dominico Bañez in articulo quarto, dubio tertio, religionem esse simpliciter perfectiorem virtutem, sed á Sancto Thoma

videri

videri anteponi misericordiam, quia sæpè opera religionis non cadunt sub præceptum, sicut opera misericordię; & quádo proximi necessitas urget, displicet Deo communiter loquendo, quod illi nõ succurras, ut opus exerceas, quod alioqui ad cultum Dei pertineret, iuxta illud Oseæ sexto, *Misericordiam volui, & non sacrificium*, licet aliquando sit certum esse præceptum colẽdi Dei, & hoc esse opus excellentius. Ad secundum respondeo, sine dubio virtutem, quæ est secundum se perfectior, si cum tota hac perfectione communicetur subiecto, esse etiam illi meliorem, sed iam ostendimus misericordiam secundùm se esse præcisam voluntatem sublevandi miseriam, & hanc, quádo descendit ad Deum, esse meliorem, & similiter cum descendit ad creaturam, si cætera paria sint; esse tamen discrimen, quod in nobis misericordia habet obiectum formale creatum, charitas veró increatum, & ideo charitatem esse nobiliorem. Ad tertium respondeo, ipsum velle Deum misereri, esse propter bonitatem suam, ac proinde in ea voluntate includi amorem suæ bonitatis, & ideo meliorem esse misericordiã, quàm solum amorem.

Oseæ 6.

DISPUTATIO III.

De Beneficentia.

1. BEneficentia, si pro habitu accipiatur, est virtus inclinans ad benefaciendum, seu ad volendum alteri bonum: unde actus illius erit præfata voluntas, præsertim si efficax sit, quia nomen huius virtutis actum efficacem significare videtur, licèt cęteri actus, qui habuerint idem obiectum formale, etiam si inefficaces sint, ad eam pertineant.

2. Porrò obiectum formale beneficentię multiplex est, primum quidem illud generale, & commune omnibus, nimirũ bonitas divina in se ipsa, propter quam proximis benefaciendum est, & sic beneficentia est actus charitatis. Deinde alia peculiaria bona, quæ solemus proximis velle, & ad quam virtutem illud bonum pertinuerit, pertinebit beneficentia, quæ in eo, ut patet, distinguitur à misericordia, quod hæc intrinsecè respicit honestatem, quæ est in sublevanda miseria, beneficentia verò respicit honestatem illius boni, quod proximo volumus, non ut sublevetur miseria, & auferatur aliquod malum, sed ut perficiatur, aut cohonestetur collatione alicuius boni. Circa ordinem quo benefaciendum est, & qui, quibus præferendi sint, lege Sanctum Thomam, Caietanum, Valenciam, Bañez, & Aragonem in quæst. 31. Is enim partim constat ex generali doctrina de ordine charitatis, quam tradidimus in tractatu septimo, partim pertinet ad Materiam de Restitutione. Denique quæ de beneficentia diximus, ferè asserta sunt, satis expressè à Sancto Thoma in præfata quæstione, ut constat ex summa articulorum suprà scripta.

S.Thom. Caietanus. Valenc. Bañez. Aragon.

COMMENTARIVS in quæst. 32.

IN hac quæstione disserit Sãctus Thomas de eleemosyna, & in articulo primo docet elargiri eleemosynam, esse proprium actum misericordiæ, charitatis verò, non nisi quatenus iuxta supra dicta, hic est effectus charitatis. Potest etiam ab alijs virtutibus eleemosyna imperari, & sic ad illas quodammodo spectare. In secundo, numerat varia eleemosynarum, tam spiritualium, quàm corporalium genera, & numeri rationem reddit. In tertio, ait eleemosynas spirituales esse absoluté præstantiores corporalibus, licèt in casu particulari posit esse melius elargiri corporalem, quàm spiritualem. In quarto, affirmat eleemosynæ corporalis, quoad substantiam acceptæ, id est, quatenus præcisè actus corporalis est, nullum esse fructum spiritualem, bene tamen si attẽdatur causa propter quam datur, v. g. dilectio Dei, vel effectus secutus, scilicèt quod pauper oret pro largiente. In quinto, ait esse pręceptum elargiẽdi eleemosynam, cum quis habet superflua bona, seu non necessaria sibi, & suis; pauper verò est in extrema necessitate. In alijs autem casibus solum esse consilium. In sexto explicat, quando, & quomodo de necessarijs sit tribuenda eleemosyna. In

septimo, an, & quomodò illicitè acquisita possit quis elargiri pauperibus. In octavo, an, & quatenus possit eleemosynam elargiri, qui sub alterius potestate est. In nono docet, propinquioribus esse tribuendam eleemosynam magis, quàm extraneis, licèt possint, & soleant occurrere circunstantiæ maioris necessitatis, aut sanctitatis, ratione quarum secus faciendum sit. In decimo, abundanter, sed prudenter faciendam eleemosynam.

TRACTATVS XI.

De actu charitatis, quo subvenitur proximo elargitione eleemosynæ, præsertim corporalis.

DISPVTATIO I.

Quid, & quotuplex sit eleemosyna? Vbi de eius effectis, & excellentia.

1. Leemosyna, est actus, quo tribuitur aliquid indigenti, ut sublevetur eius miseria, & ita propriè loquendo est opus à misericordia profectum; unde sicut virtus misericordiæ est distincta à charitate iuxta supradicta, ita eleemosyna est actus distinctus ab actibus charitatis, licèt inter effectus huius virtutis numeretur, ut optimè Sanctus Thomas in art. 1. S. Thom.

2. Eleemosynæ præstantiam valde commendant Sacra Scriptura, & Patres, & quidem Sanctus Nazianzenus oratione de pauperum amore col. 4. *Nec ulla* (inquit) *omnino res est, quæ Dei benevolentiã perinde cõciliet, ac misericordia, seu eleemosyna*; & Sanctus Chrysostomus Homilia trigesima tertia ad populum, *Eleemosyna* (inquit) *nihil est utilius, omnium artium est optima*; quæ, & similes locutiones non ita accipiendę sunt, quasi homo nullum aliud perfectiorem actum elicere, aut nullum excellentius opus efficere possit, cum præstantius sit martyrium, & actus charitatis; imó & aliarum virtutum Theologicarum nobiliores sint, quàm eleemosyna, qui est actus virtutis moralis. Agunt igitur Patres de operibus, quę ut inplurimum exerceri solent in vita humana, & de misericordia, seu eleemosyna, prout à charitate imperatur, simulque cum illa accipitur: & in hoc sensu nihil solet esse Deo gratius, quia complectitur eleemosyna hoc modo accepta excellentem actum charitatis erga Deũ, & proximum. S. Naziã. S. Chrys.

Deinde magna authoritate stabilitũ est, mediante elargitione eleemosynæ deleri peccata; nam Ecclesiastici 3. *Eleemosyna patris non erit in oblivione, & sicut in sereno glacies solvetur peccata tua*, & infrà, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*. Tobiæ 12. *Eleemosyna est quæ purgat peccata* Lucæ 11. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, vnde Sanctus Cyprianus in tractatu de opere, & eleemosynis. *Sordes* (inquit) *quascunque contrahimus eleemosynis abluamus*. Imò inferius videtur tribuere hanc efficacitatem eleemosynę tanquam sacramento, & excellentiori modo quam Baptismo, *quia semel* (inquit) *in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & iugis operatio baptismi instar operata, Dei rursus indulgentiam largitur*, sed dilucidius Sanctus Ambrosius sermone trigesimo primo. *Salva* (inquit) *fide dixerim, indulgẽtior est eleemosyna, quã lavacrum, lavacrũ enim semel datur, & semel veniam pollicetur, eleemosynam autem, quoties feceris, toties veniam promereris*, & in sermone trigesimo dixerat, *Vide quæ sit misericordiæ gratia, quæ una, & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum*. 3. Ecclef. 3. Tobiæ 12. Luc. 11. S. Cypr. S. Ambr.

Hæc tamen non ita accipienda sunt, quasi sola eleemosynę elargitio sufficiat ad iustificationem impij, ac proinde ad delenda peccata etiam læthalia, ut nonnulli contra fidem docuerunt, quos confutat Sanctus Augustinus, tum alibi, tum in Enchiridio capite septuagesimo septimo dicens: *Non se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largitiosissimas fructuum suorũ vel cuiuscumq; pecuniæ impu* 4. S. August.

n tatem se emere existimant in facinorum suorum immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendo. Etenim Apostolus prima ad Corinth. capite 13. disertè testatur oppositum. *Si distribuero* (inquit) *in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; & sæpè alibi, tum Sacra Scriptura, tum Patres ad iustificationem impij requirunt pænitentiam, amorem Dei supra omnia, baptismum, aut confessionem saltèm in voto, ut constat ex locis in quibus de eiusmodi rebus disputatur, & ex eis quæ Gregorius de Valencia affert q. 9. puncto 3.

1. Cor. 13.

Valencia.

5. Significant ergò Sacra Scriptura, & Patres, eleemosynam, si à peccatore tribuatur, esse optimam dispositionem, ut Deus maiori auxilio illum præveniat, & ad veram pænitentiam perducat. Si verò tribuatur ab homine iusto, non solùm esse meritoriam augmenti gratiæ, & gloriæ, sed etiam satisfactoriam pro pena debita peccatis remissis quoad culpam, & insuper delere aliquas culpas veniales, quæ eleemosynæ opponuntur, sicut & alij actus aliarum virtutum delent culpas veniales, quæ illis opponuntur, iuxta dicenda tertia Parte in controversia de Pænitentia, & quoniam hoc non semel fieri potest, sed frequenter media elargitione eleemosynæ, dixerunt optimè Sanctus Cyprianus, & Sanctus Ambrosius antecellere Baptismo, non simpliciter & absolutè, sed secũdum quid, quatenus Baptismus non nisi semel recipi potest, ac proinde prodesse remissioni culparum.

6. In speciali notandum est, circa testimonium Christi Domini Lucæ undecimo, multa à multis dici, sed nihil quod obstet huic veritati. Sanctus Augustinus in Enchiridio capite septuagesimo sexto, & sermone trigesimo de verbis Domini, eleemosynam, de qua ibi Christus Dominus putat esse illam, qua quis miseretur animæ suæ bene operans, ac proinde detestans peccata, & efficiens alios bonos actus, quibus, & culpas suas delere, & pro pænis, quæ illis debentur satisfacere potest. Beda, Strabus, & Hugo apud Maldonatum ibi, *Quod superest date, id est, quod superest victui vestro, atque vestitui.* Euthymius verò, & Theophylactus, quos ipse sequitur, *pro facultatibus vestris, prout quisque potest elargimini eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, id est, & hæc eleemosyna disponet vos, ut remissionem peccatorum, modo iam explicato, consequamini impetrando veniam, culparum, & mundãdo à pænis, ut Toletus annotatione 88. capite undecimo Lucæ declaravit, vel ecce munda sunt vobis, id est, eleemosyna vobis erit instar omnium vestrarum lotionum, mundiores vos eleemosyna faciet, quas omnes istæ lotiones vestræ, quas tam frequenter adhibetis. Reprehenderat enim prius Dominus Pharisæos, qui multum curabant munditiem calicis, & catini, cum intus essent immũdissimi propter rapinam, & iniquitatem, quam non delebant, sic Ioannes Maldonatus ibidem.

Lucæ 11.

S. August.

Maldon.

Euthym.

Theoph.

Tolet.

Maldon.

7. Sanctus Thomas in articulo secundo, & alij Doctores rectè dividunt eleemosynã in spirituale, & corporale, illa est, qua sublevatur spiritualis indigentia, hæc verò, qua sublevatur necessitas corporalis. Porro spiritualis in septem membra dividitur, quę illo versu continentur, *consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.* Et quidem certum est eiusmodi spiritualem eleemosynam esse preceptam à Deo, obligareque in ijs saltém eventibus, in quibus proximus extremam, aut gravem necessitatem patitur, cui nos succurrere possumus sine detrimento, quod arbitrio prudentis præponderet, quod quidem in generali tractatum est suprà in tractatu septimo disp. 5. & 4. & quod ad correctionem spectat, dicendum est in tractatu sequenti, indeque de alijs operibus misericordiæ spiritualis ferri poterit iudicium, & ideo in sequentibus de sola eleemosyna corporali agendum est.

S. Thom.

Dividitur ergo eleemosyna corporalis in alia septem membra, quæ complectitur ille versiculus, *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo*, & quamvis ultima eleemosyna spectet ad defunctos, qui iam non videtur tam rigorosè esse proximi nostri, aut miseriam pati; nihilominús valde laudabilis est, & ab Scriptura, & sanctis Patribus, totiusque Ecclesię consensu commendata. Lege Valenciam p. 2. & quidem cum omnia obediant pecuniæ, ut est in vulgari proverbio, omnibus corporalibus miserijs subvenitur, om- 8.

Valencia.

niaque opera misericordiæ, seu eleemosynæ corporalis, executioni mandantur media elargitione pecuniæ, aut rerum, quæ pecunia æstimantur, vel comparantur, ideoque universa huius tractatus cõtroversia eo feré devolvitur, ut explicemus, an, & quatenus pecuniam quis elargiri teneatur, ut corporales proximorum miserias sublevet, quod in sequentibus disputationibus prestare, Deo auspice, conabimur, res enim est gravissima, & de qua accuraté disserere operępretium est.

DISPVTATIO II.

Vtrùm eleemosyna corporalis cadat sub grave præceptum, & quando illud obliget.

SECTIO I.

Præmittuntur ea, quæ certa sunt: & explicatur in quo posita sit huiusce disputationis difficultas.



Ertum imprimis est, divi-
1. num, ac naturale præceptum esse eleemosynã corporalem elargiendi, quod sub reatu peccati lęthalis obliget ex genere suo. Etenim Christus
Matt. 25. Dominus Matthæi vigesimo quinto æternum damnatorum supplicium infligit ijs, qui opera misericordię corporalis omiserunt. Imò hanc solam damnationis causam in sua iustissima sententia reddidit, ut rem istam maximè nobis commẽdatam, & præceptam putaremus, & Ioan-
1. Ioan. 3. nes Apostolus in 1. Can. c. 3. *Qui* (inquit) *habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Vnde Sãctus Gre-
S. Naziā. gorius Nazianzenus oratione de pauperum amore, non longé à fine, dixit, *esse mandatum divinum eleemosynæ*, illudque valdè in Sacra Scriptura commendatum. Et infrà, *An tu* (inquit) *beneficentiæ officium tibi liberum esse, ac non necessario præstandum existimas? ac non legis, sed*
S. Cypr. *consilij rationem habere?* Et Sanctus Cyprianus in tractatu de opere & eleemosynis, *Quisquis ad spem regni cælestis instruitur, facere eleemosynas iubetur.* Et S. Ambrosius libro primo Officiorum capite tertio, *Grandis* (inquit) *culpa, si sciente* S. Ambr. *te fidelis egeat. si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, si præsertim egere erubescat, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri.* Ad extremum ratio manifesta est, nã lege charitatis tenetur unusquisque proximum ex animo diligere; ad veram autem dilectionem spectat efficaciter velle bonum amato, præsertim quando illud est necessarium ad subveniendum alicui maximo malo; obligat ergo charitatis lex ad volendum elargiri, & ad re ipsa erogandam eleemosynam, quando proximus oppressus est corporali necessitate, & nihil est, quod obstet, quominus illa miseria sublevetur; ergo saltèm aliquando, tam naturali, quàm divina lege tenemur elargiri eleemosynam.

Deinde, ut tempus huius obligationis 2. cognoscatur, distingunt Doctores triplicem necessitatem corporalem, extremã, gravem, & communem. Ille pauper patitur necessitatem extremam, qui vel statim creditur moriturus, aut certé prudenter timetur nõ multò post duraturus, nisi ei subveniatur. Gravis autem necessitas censetur, notabilis quædam indigentia cibi, potus, aut alterius rei temporalis, quæ attentis circunstantijs temporis, loci, & personæ multum nocet saluti, aut affert magnam iacturam famę, licèt non adducat in vitæ discrimen. Communis necessitas est, quàm communiter pauperes patiuntur.

Porrò bóna, quæ ad subveniendũ præ- 3. dictis necessitatibus erogari possunt, ad tria genera revocantur: quædam enim sunt necessaria ad sustentandam vitã propriam, & eorum, qui sub nostra cura degũt; alia solúm ad statum conservandum, ut scilicèt quis se gerat, prout decet statum suum, & hæc non consistunt in indivisibili, nam ut optimè Sanctus Thomas in articulo 6. *Multis additis adhuc* S. Thom. *iudicari possunt omnia ea esse necessaria ad statum, & multis detractis adhuc remanet, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundùm proprium statũ.*

Imo

Caietan. Imo Caietanus in Summa verbo *Eleemosynæ largitio*, dixit, *hoc esse indicandum consideratis sumptibus honorabilibus etiã filiorũ familiæ, status, munificentiæ, magnificẽtia cõmunibus evẽtibus, hæredibus, & alijs eiusmodi, ita ut rarò videatur cõtingere ut homo secundum statũ gloriosè vivens superfluum habeat:* hactenus Caietanus. Postremum ergo genus bonorum est, quod absoluté superfluum appellatur, eò quòd nec ad naturæ, seu vitę, nec ad status conseruationem necessarium sit.

4. Tertiò præmittendum est, sicut ille, qui nullum ex tribus his bonorum generibus haberet, non teneretur erogare eleemosynam, ita nec esse obligationem erogandi illam ijs, qui nullam ex necessitatibus explicatis paterentur, cessaret enim ratio obligationem inducens, nimirum miseria proximi, ad quam sublevandam eleemosyna erogatur, & ob eandem rationem nullus obligatur, quidquam erogare pauperi, quando est alius, qui eius necessitati succurrat, quantum satis est.

5. Præmittendum est quarto, in extrema necessitate proximi teneri quemcunque elargiri illi eleemosynam etiam de necessarijs ad statum, quidquid unus, vel alter Doctor contrà senserit, quorum doctrinam improbabilem appellat Valencia punct. quarto, est enim non solum contra communem opinionem Theologorum, sed etiam contra rationem, quæ persuadet, magis amandam esse vitam proximi, quam commoditatem aliquam vitæ propriç, presertim cum eiusmodi extremæ necessitates non sint ita frequentes, nec detrimentum, quod propterea quis in statu suo patietur, sit ita excessivũ: dixi de necessarijs ad statum, quia de necessarijs ad vitæ conservationem non tenetur, nisi forté ille, qui ea necessitate opprimeretur, esset persona tã necessaria ad bonum Reipublicæ, ut illius vitam deberet anteponere propriæ. (Valenc.)

6. Quintò tandem certum est, de necessarijs ad statum non esse obligationem elargiendi eleemosynam in communibus necessitatibus, quia cum charitas multò magis inclinet in bonum proprium subiecti, quàm in bonum alienum, & alioqui necessitates cõmunes, eo ipso quod tales sint, non censeantur multum urgentes, nemo est obligandus, ut in eis sublevandis impendat id, quod alioqui est absolutè necessarium sibi, & suis. Duo ergò supersunt, de quibus meritò disputari potest; unum est, an de bonis superfluis, quæ nec ad statum necessaria sunt, teneatur quis elargiri eleemosynam in communibus pauperum necessitatibus; alterum, an occurrere possit necessitas proximi gravis, licèt non extrema, in qua de necessarijs etiam ad statum stipes eroganda sit.

SECTIO II.

Refertur placitum gravissimorum Doctorum, qui existimant extra necessitatem extremam, nullum graviter obligari ad elargiendum eleemosynam de superfluis naturæ, & status.

INter Doctores, qui sententiam in sectionis titulo propositam complectũtur, primus est Alexander quarta parte quæstione trigesima quarta, in primo, ubi ait, *In casu extremæ necessitatis teneri quempiam subvenire tentione necessitatis, peccaret enim mortaliter, nisi subveniret, in necessitate autem notabili teneri de bono, & æquo: in communibus verò necessitatibus esse quidem meritorium subvenire, sed non esse obligatorium.* Vnde manifestè patet obligationem, de qua loquitur in secũdo casu esse sub culpa veniali. Secundus est Gabriel in quarto distinctione decima sexta, quæst. quarta, artic. 2. concl. 5. ubi disertè testatur *in casu extremæ necessitatis esse mortale nõ elargiri eleemosynã, in necessitate notabili esse veniale, in communibus denique nullam esse culpam ex se, dummodo levis aliqua causa rationabilis excuset,* & hanc doctrinam fatetur esse Alexandri loco citato. Tertius est Sanctus Antoninus secunda parte titulo primo, capite vigesimo quarto, paragrapho ultimo dicens, *esse mortale non succurrere patienti necessitatem extremam, cum verò quis de superfluo naturæ, & personæ non subvenit magnas necessitates patientibus, etsi non extremas sibi notas, hoc videtur esse quasi mortale secundùm Durandum, sed non secundùm Thomam,* quibus verbis nec id putat esse mortale absolutè, nec mortali proximum secũdum Beatum Thomam, (7. Alexand.) (Gabriel.) (S. Antoninus.)

de cuius tamen mente posteà dicemus. Quartus, est author Summæ Roselię, verbo *eleemosyna*, dicens, *Non cadere eleemosynam sub præcepto, nisi necessitas pauperis extrema sit.* Affertur etiam Sũma Pisana, sed oppositũ potiùs affirmat. Quintus est Gerson, in secunda parte in regulis moralibus, capite de avaritia, ubi ait, *Neminẽ teneri elargiri eleemosynam, saltèm sub mortali, etiam de superfluis, nisi pauper notabilem necessitatem patiatur,* ubi nomine necessitatis notabilis extremam intellexisse videtur, subdés enim rationem suæ assertionis ait, *quia necessitas extrema pauperis præferenda est, nõ solùm superfluis, sed etiam necessarijs ad statum meum.* Sextus est Durandus, in quarto dist. decima quinta quæst. sexta, ad secundum, cuius hæc verba sunt: *De illis, qui non sunt in extrema necessitate, licèt sint in magna necessitate, & verecunda, non audeo plenè definire,* (quod scilicèt obligatio gravis sit illis subveniẽdi) *ne condemnarem maiorem partem divitum, quàmvis authoritas Beati Ioannis prima Can. cap. tertio videtur hoc sonare.* Septimus est Ioannes de Medina cap. *de eleemosyna*, cap. *de necessitate eleemosynæ*, qui tamen postquam dixit, *sine temeritate posse quempiam sententiæ Doctorum, quos hactenus retulimus, subscribere*, adhibuit limitationem, ut nimirum *in communibus necessitatibus non sit peccatum mortale non elargiri eleemosynã, secus verò in necessitatibus ita gravibus, ut sint quasi extrema.*

Rosella. Gerson. Durand. Medina.

8. Probatur primò sententia Alexandri, & cęterorum, qui relati sunt, quia non tenetur homo magis subvenire proximo, quàm sibi ipsi, sed nemo tenetur sibi ipsi plus velle aut procurare, quàm quod ad sustentandam vitam necessarium est, ergo nec alter plus illi erogare; sed quisquis nõ patitur extremam necessitatem, habet id, quod ad sustentandam vitã necessarium est; ergo nullus tenetur elargiri eleemosynam ei, qui non est in extrema necessitate, aut certè siqua obligatio asserenda sit, ea non poterit esse gravis.

9. Secundò probatur, quia nullus tenetur sub læthali culpa procurare, ut extraneus bene sit, dummodo procuret ut vivat, & absolutè sit, sed quisquis non patitur extremam necessitatem, habet quid-quid requiritur, ut vivat, & absolutè sit; ergo nullus est sub læthali culpa obligãdus, ut extraneo elargiatur eleemosynam extra casum extremæ necessitatis.

Tertiò, si de superfluis naturæ, & status teneretur homo elargiri eleemosynã pauperibus, præsertim in communibus tantum necessitatibus, sequeretur peccare eos, qui & prędicta bona insumunt in ædificando aliquo templo, in erigendo beneficio ecclesiastico, in fundatione alicuius monasterij religiosorum. Consequens est absurdum, & contra Ecclesiæ praxim, ergo antecedens est falsum; cõsecutio maioris probatur, quia insumere pecunias in prædictis, aut alijs similibus pijs operibus non cadit sub pręceptum, nec eiusmodi impensis sublevatur miseria communis pauperum, ergo non impletur præceptum subveniendi pauperibus, si fortè illud extet; ergo malè facerent divites, si relictis pauperibus, qui semper nobiscum commorantur, insumant pecunias in alijs pijs operibus. Confirmatur primò, quia siquis dives vellet pauperem vitam degere in sæculo, & ad eum finem omnia bona sua distribuere varijs monasterijs nulla necessitate oppresis, laudabile opus efficeret, ergo non tenebatur pauperibus in communi necessitate constitutis erogare prædicta bona, sed hęc comparatione talis hominis sunt superflua naturæ, & status, quia ad statum, quem profiteri vult, non requiruntur, ergo de superfluis status non tenetur quispiam erogare stipem pauperibus, præsertim in communi necessitate. Confirmatur secundò, quia dives, qui ingreditur religionem, laudabiliter donat illi bona sua, licèt religio ijs non indigeret, ergo non est gravis obligatio ea elargiendi pauperibus. 10.

SECTIO III.

Secunda sententia affirmans grave præceptum elargiẽdi eleemosynam extra casum extremæ necessitatis, præsertim si gravis sit, probatur authoritate, & ratione.

MVltò magis recepta est sententia, quæ docet teneri hominem de superfluis naturæ, & status elargiri eleemo- 11.

syunam pauperibus laborantibus necessitate minori, quàm extrema, præsertim si gravis sit, & qui secus faciat, læthaliter peccare. Sic Sanctus Thomas varijs in locis, licèt male à nonnullis pro contraria sententia referatur; nam in articulo quinto huius quæstionis, in fine corporis: *Dare* (inquit) *de superfluo eleemosynam est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate*: quæ verba, si planè accipiantur, duos casus distinguunt, & in utroque obligationem eleemosynam erogandi significant. Primus est, quando quis habet superflua status, etiam si necessitas proximi extrema non sit: secundus, quando proximus est in extrema necessitate, licèt bona quæ alter habet, non sint absolutè superflua, sed ad statum necessaria. Vnde in solutione tertij, *Est* (inquit) *aliquod tẽpus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam quis dare omittat; ex parte quidem recipientis cum apparet evidens, & urgens necessitas* (nõ dicit extremam) *nec apparet in promptu, qui ei subveniat; ex parte verò dantis cum habet superflua, quæ secundũ statũ præsentẽ nõ sunt sibi necessaria, &c.* Et in quarto distinctione decima quinta, quæst. secunda, articulo primo q. 4. ad quartum ait, *Præceptum elargiendi eleemosynam obligare, quando habet homo multa, quibus non indiget, & si pauperes extremæ necessitatis non compareant.* Idem constat ex quęst. 118. huius secundę secundæ articulo quarto ad secundum, ubi disertè testatur, *esse mortale non dare eleemosynam, vel propter periculum necessitatis, vel propter superfluitatem bonorũ*, quare miror nonnullos putavisse Sanctũ Thomam in solo casu necessitatis extremæ obligare ad elargitionẽ eleemosynæ. Sanctum Thomam sequitur Caietanus in Summa verbo *Eleemosynæ largitio*, & in Tomo secũdo Opusculorum, tractatu quinto, ostendens, *superflua naturæ, & status deberè pauperibus erogari, & alioqui mortaliter peccari, quantumvis non occurrat extrema necessitas.* Idem disertè affirmat Richardus in quarto distinctione decima quinta, articulo secundo, quæstione secunda, addita solutione tertij argumenti; Bañez hic, articulo sexto, dubio secundo ait, *sibi esse certissimum in gravi necessitate proximi teneri quempiam de superfluis naturæ, & status elargiri eleemosynam; in communibus verò necessitatibus id esse probabilius.* Valencia puncto quarto ait, *sibi esse longe verissimum, etiã in cõmunibus necessitatibus, esse obligationem sub mortali.* Idem docet Aragon articulo quinto, conclusione tertia, & Abulẽsis quęstione trigesima quarta in cap. 6. Matthæi absolutè docet, *Obligare præceptum eleemosynæ in cõmunibus necessitatibus de superfluo status.* Maior in quarto distinctione decima quinta, quæstione septima, *Obligare in extrema, seu gravi necessitate.* Sylvester verbo *Eleemosyna*, quęstione prima, conclusione quarta, *de superfluis esse præceptum elargiri eleemosynam, ubi adest necessitas decentiæ*, scilicet quando pauper non habet ea, quę decent eius statum, & in eodem casu ait Navarrus in Summa cap. 24. numero quinto *esse obligationem sub mortali.* Corduba libro primo quęstione vigesima sexta ait, *Hanc opinionem esse probabiliorem, quando pauper patitur magnam decentiæ necessitatem.* Azorius Tomo secundo, libro duodecimo, capite octavo, quęstione prima ait, *in cõmunibus etiam necessitatibus teneri sub mortali divites ad eleemosynam de superfluo status.* Denique Durandus in sectione præcedente relatus veram videtur, licét non certam, reputare hanc secundam sententiam: & Emanuel Sà verbo *Eleemosyna*, *in gravi etiam necessitate proximi obligare docet præceptum eleemosynæ.*

S.Thom. · Caietanus. · Richard. · Bañez. · Valene. · Aragon. · Abulens. · Maior. · Sylvester. · Navarrus · Cordub. · Azor. · Durand. · Sà.

13. Probatur hæc sententia primò testimonio Sacræ Scripturæ, in quibus de gravi obligatione elargiendi eleemosynam, etiam extra casum extremæ necessitatis, manifestè commonemur. Matthæi vigesimo quinto sententia æternæ damnationis fertur à Christo Domino non alia ratione, quàm *Quia esurivi, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum, nudus eram, & non operuistis me*, quæ omnia non significant extremam necessitatem: primę Ioãnis tertio, *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere*, (non dicit extremè) *& clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* & sanè gravem hanc obligationem, & difficultatem adimplendi illam satis commẽdavit Assertor noster Marci

Matt. 25. · 1. Ioan. 3.

decimo

Marc. 10. decimo: cũ enim quidã, cui cõsulerat bonorum omniũ abdicationẽ cõtristatus discessisset, circunspiciens Iesus ait discipulis suis, *Quã difficile qui pecunias habẽt, in regnum Dei introibunt. Discipuli autem obstupescebãt in verbis eius: at Iesus rursus respondens, ait illis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Et Lucæ

Lucæ 12. duodecimo, cum dives ille, cuius parabolam Dominus enarrabat, dixisset, *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*, dixit illi Deus: *Stulte hac nocte animam tuã repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt: sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Omitto alia testimonia, quæ non ita expresè gravem obligationem significant.

14. S. Naziã. Secundò probatur auctoritate Patrũ; nam S. Nazianzenus oratione in novam Dominicam, inter præcepta, quæ necessaria sunt, ne quis in mortem prolabatur, ac proinde læthaliter peccet, illud etiam numerat, ut nimirum, *Egẽti tectum, cibũ, vestem, suppeditet, qui bis ad luxum, & ultra necessarium usum oblectatur.* S. Ba-

S. Basil. silius Homilia in id Lucæ duodecimo, *destruã*, &c. relata in homil. 13. de Eleemos. vel de Pauper. *Est* (inquit) *panis famelici quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conservas, quocirca tot iniuriaris, quot dare valens es*: quæ verba gravem culpã, & non extremam necessitatem signifi-

S. Ambr. cant. S. Ambrosius loco suprà in sect. 1. relato, & serm. 81. paulo ante finem: *Neque enim* (inquit) *minus est criminis habenti tollere, quàm cum possides, & abundas indigentibus denegare, esuriẽtium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis.* Sanctus Nyssenus

S. Nyssen. orat. in illud Christi D. Matthæi 25. *Quatenus fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis*: optimè perpendit vim præcepti eleemosynæ, & ut manifestum sit eum, non solùm de extremis necessitatibus agere, *Vides* (inquit) *homines agrestes veluti pecora ad necessarium vitæ cibum quærendum dispersos, pannos detritos, atque undique perforatos, pera lacera, pro omni supellectili, ac vitæ instrumento pera est, & tandem non cogitas, ac perpendis, quis sit is, qui in istis miserijs & ærumna versatur.* S. Hieronymus,

ut refertur in capite Hospital. distin- S. Hieron.
ctione 42. *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur*: cum ergo grave peccatum sit furari notabilem quantitatem, erit etiam eandem de superfluis non erogare pauperibus. S. Augustinus tomo 10. serm. 219. de tempore, *Quidquid excepto* (inquit) S. August.
victu mediocri, & vestitu rationabili superfuerit, in thesauro cælesti per eleemosynam pauperum reponatur, & oppositũ, addit, esse invadere aliena.

Tertiò probatur ratione, quia unusquisque tenetur sublevare miseriam pro- 15.
ximi sui, saltem quando absque ullo suo detrimento potest; sed qui habet superflua naturæ, & status, potest absque ullo detrimento suo sublevare miseriam pauperis elargitione eleemosynę, ergo tenetur, ac proinde ex genere suo peccat mortataliter secus faciens, nisi parvitas materię excuset. Consequentia est evidens, minor patet, quia nullum detrimentum est distribuere pauperibus, id quod nullo modo nobis necessarium est, sed absolutè superfluit post sustentationem vitæ, & status cum eo splendore, qui decet. Maior probatur, quia charitas obligat ad amandum proximum, non verbis tantùm, sed opere, & veritate, ut loquitur Ioannes Apostolus in prima Can. capite tertio, hic autem verus a- 1. Ioan. 3.
mor exigit, ut velimus proximo bonum, & remedium malorum quæ patitur, ac proinde illum sublevemus, cum sine ullo detrimento possumus, & qui secus faxit, convincetur non diligere ex animo. Confirmatur, quia notabilis proximi necessitas, etsi extrema non sit, est grave malum, ergo graviter lędit amicitiæ iura, qui huic amico potens, absque ulla difficultate subvenire, & ab eo malo illum liberare, non subvenit, aut liberat; ergo læthaliter peccat, qui non elargitur eleemosynã de superfluis status pauperi gravem necessitatem patienti.

Quartò tandem probatur, quia divisio 16.
bonorum temporalium, quæ in mundi initio omnibus erant communia, prudenter facta fuit, Deo res ita disponente, & consentienti universo genere mortalium, non fuisset autem prudenter facta, nec

Deus ita sapienter, ac suaviter res dispo-suisset, si ipsa naturæ lege, & conditione non mansissent ditiores obligati ad subveniendum pauperibus, quando sine ullo detrimento possent, est igitur grave præceptum subveniēdi pauperibus, cum aliquis habet superflua status, licèt necessitates extremæ, imò nec graves occurrant.

SECTIO IIII.

Explicata veritate expeditur quid utriusque sententiæ argumenta convincant.

17. PRotuli in sectionibus præcedētibus, quæ ex authoritate Sacræ Scripturæ, Patrum, & Doctorum, atque ex rationum momentis urgentius mihi videbantur obligationem gravem elargiendi eleemosynam de superfluis naturæ, & status persuadere, aut dissuadere, quia negotium magni momenti est in hac re veram, aut certè tutam doctrinam agnoscere, atque tradere: nunc breviter subijciam, quod existimo verisimilius, aut certè sufficienter probabile.

18. Dico ergò primò, gravi præcepto tenetur quisque de superfluis naturę, & status elargiri eleemosynam patienti gravem necessitatem, licèt extrema non sit. Hanc potissimùm assertionem cōtendūt Doctores posterioris opinionis, & ex authoribus prioris, Ioannes de Medina, & fortè alij nonnulli, ut Gerson, qui necessitatem notabilem posteà appellavit extremam, fortè putans pro eadem reputari debere quoad obligationem. Et sanè quę in sectione præcedente in huius assertionis comprobationem adducta sunt, ita urgere videntur mihi, ut credam, non posse quempiam, si rectè ea expendat, tuta cōscientia contrarium, aut consulere, aut efficere.

Medina. *Gerson.*

19. Ad argumenta igitur primę sententiæ, quatenùs hanc assertionem oppugnant; respondeo, ad primum graves aliquę necessitates sunt, quibus homo ipse sub mortali tenetur subvenire in sua propria persona, nam qui finé ullo incommodo posset gravem morbum vitare, & ex iniuria non evitaret, læthalem culpam committeret, sicut ille, qui eodem modo nollet medicum consulere in ægritudine gravissima, licèt non propterea moriturus esset. Dato tamen, in his, aut alijs gravissimis necessitatibus non teneretur sibi succurrere, id sanè foret, quia est propriæ vitæ administrator, & potest velle, præsertim si occurrat ratio magni obsequij divini eam iacturam pati, & ideo dives, qui sciret hanc esse voluntatem illius pauperis, excusaretur ab obligatione illi subveniendi, ex hypothesi tamen, quod de hac voluntate non constet diviti, tenetur illi succurrere, quia potest, & debet credere, proximum suum involuntariè illum magnam miseriam pati, & ab illa velle liberari si posset: tunc enim nulla ratio est, quæ divitem excuset, & potiùs graviter lædit charitatem, ut dictum est.

Ad secundum, licèt demus neminem sub reatu læthalis culpæ teneri procurare ut alter benè sit, saltèm teneri liberare illum à magna aliqua calamitate, cum sinè incommodo proprio potest, & hoc est, quod asseruimus. 20.

Ad tertium concedo cum Aragone pagina 741. illa omnia forè illicita, quando occurreret notabilis aliqua proximi necessitas, cui subveniri non posset, in eiusmodi operibus insumendo pecunias, nisi fortè aliquod illorum foret tantæ spiritualis necessitatis, ut ea meritò præferri deberet necessitati temporali proximorum. Sed ut benè advertunt Bañez, & Valencia, non ita frequenter occurrit notabilis proximi necessitas, quam quis certò noverit, & cui aliter non succurratur, & ipse si non sit prælatus, aut Ecclesiasticus, non tenetur eam inquirere; ideoque in praxi prædicta opera pia exequi possunt, & solent Christiani sinè scrupulo violandi præceptum eleemosynæ. 21.

Aragon. *Bañez.* *Valencia.*

Sed urgebis semper, sunt aliqui captivi apud Mauros, à quibus malè tractantur, alij in carceribus paupertate oppressi, sed hæ, & similes necessitates sunt graves, & omnibus notæ, ergo semper urget grave præceptum elargiendi eleemosynam de superfluo naturæ, & status. Respondeo, negando minorem, non enim sunt illæ ex necessitatibus particularibus, quas graves hic appellamus, sed sunt ordinariæ, & communes, nisi fortè 22.

occurrant speciales circunstantiæ, verbi gratia, aliquis captivus nobilissimus, aut alioqui magnæ sanctitatis, & utilitatis in Republica, cuius proinde redemptio cēseatur maximi momenti, tunc enim non dubito, quin teneatur dives ad eius redemptionem erogare eleemosynam de superfluis, imò & non impendere bona in alia pia opera, alioqui nō necessaria, & quæ illud impedirent.

22. Dico secundó, probabile est non esse peccatum mortale non elargiri eleemosynam de superfluis status in cōmunibus & ordinarijs necessitatibus pauperum. Inducor ad ita sentiendum, quia hic concurrunt multa, quæ reddere solēt opinionem aliquā practicé probabilem, & nihil est, quod convincat falsitatis. Imprimis eam tuentur viri æqué sapientes, ac religiosi ex professo de eleemosynę præcepto disputantes, scilicèt Alexander, Gabriel, S. Antoninus, Gerson, Ioannes de Medina, & Rosella adducti in 2. sectione, & ex relatis pro secunda opinione, quæ in scholis magis recepta est. Sanctus Thomas quæstione trigesima secūda, articulo quinto ad tertium explicans quando sit peccatum læthale nō elargiri eleemosynam, ait, *Tunc esse, quando quis habet superflua status, & ex parte recipientis apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat*, quę verba manifestè significant maiorem necessitatem, quam ordinariam. Alij verò sectione tertia relati, licèt dicant obligare præceptum eleemosynæ in communibus necessitatibus, non omnes dicunt obligare sub mortali. Et Bañez articulo sexto, dubio primo con. tertia id affirmans, addit non esse improbabile, divites non teneri elargiri eleemosynam de superfluis in necessitatibus communibus, & levioribus.

S. Thom.

Bañez.

23. Deinde ultima ratio, quæ pro prima sententia in secunda sectione adducta fuit, videtur hanc rem persuadere, si enim certa foret ista gravis obligatio elargiendi eleemosynam in communibus necessitatibus, ego sanè non video quomodo liceret de superfluis construere aliquam Ecclesiam nullo modo in urbe aliqua necessariam, aut erigere beneficium novum Ecclesiasticum, & similia, quæ certum est non requiri necessariò ad bonum fidelium, cum semper sint captivi in carceribus detenti, & alij pauperes omnibus noti, qui sinè dubio ea eleemosyna sublevarentur. Respondet Valencia pagina 647. ad quartum, eo ipso, quo quis velit eiusmodi sumptus honestos facere, non reputari bona sua superflua quoad statum, quia ad illius divitis statum censebuntur ea pia opera pertinere: sed hoc nullo modo satisfacit, nam sola voluntas efficiendi aliquod opus piū non facit bona, quæ ad illud necessaria sunt, non esse superflua comparatione sui status; imò potiús supponitur oppositū, propterea enim ea bona consumit in ædificanda Ecclesia, vel instituendo beneficio, quia aliundè habet, quidquid ad statum suum necessarium est, & alioqui etiam si bona superflua vellet insumere in ædificanda domo sæculari, aut emenda villa, nec sibi, nec suis ullo modo necessaria, excusaretur à culpa, secūdum Valenciam, quia eadem ratione dici posset, iam id pertinere ad illius statū; quod tamen ipse, ut credo nod admitteret posita sua opinione. Valenc.

Denique argumenta secundę sententiæ sufficientem solutionem habent; nam ad primum respondeo, à viris doctis intelligi ea Sacræ Scripturæ testimonia, quando necessitates sunt extremę, aut certæ graves modo explicato in prima cōclusione, & eos divites damnari in Evangelio, qui adeò adherēt pecunijs, ut propterea legem Dei contemnant, & saltèm ex modo, quo illis affecti sunt, parati censentur ad nō succurrendū pauperibus in notabili necessitate. Difficultas porrò salutē consequēdi, quā Dominus in loco illo Marci decimo cōmendat, non solū oritur ex præcepti eleemosynæ obligatione, sed etiam & maximè ex occasionibus alijs graviter peccandi, quas afferre solent divitiæ, & gloria mundi. Ad secundum similiter respondeo, & si interdum Patres, ut Sanctus Nyssenus agere videantur de communibus necessitatibus, non asserere esse mortale non succurrere illis, interdum etiam ut ad eleemosynam inducant, prudentissimè utuntur exaggerationibus, eiusmodi est esse furtum rei alienæ non elargiri pauperibus, cum tamen certum sit, divites tunc non furari, sed potiùs re- 24.

tinere

tinere bona sua, alioqui peccarent contra iustitiam, & non solùm contra charitatem, tenerenturque ad restitutionem, quod falsum est.

25. Ad tertium respondeo, charitaté obligare quidem ad sublevandam miseriam proximi, sed non esse obligationem gravem, nisi necessitas sit notabilis, de qua in confirmatione sermo est. Ad quartum respondeo, divisionem bonorum factam fuisse animo dirimendi lites, & auferendi alia incommoda, sed non est addita propriè illa conditio, ut nimirum pauperi superflua sua daret dives, alioqui contra iustitiam faceret, qui eleemosynam non largiretur. Eatenus ergo solum céseri potest addita conditio, quatenùs eo ipso quod bona divisa sint, habet locum obligatio charitatis, ut nimirú proximo pauperi subveniat, qui dives est, & quatenus divina providentia eum finem intendit, & præfixit divitum bonis, sed non proptereà obligatio est gravis in communibus necessitatibus.

26. Dico tertiò excusari non potest à culpa veniali, & periculoso statu, qui de superfluis non elargitur eleemosyná in cómunibus pauperum necessitatibus, nisi eum ratio aliqua pietatis, & divini obsequij præponderat: hoc ut minimum dandum est Doctoribus posterioris opinionis, & fortissimis argumentis, quibus ea comprobatur. Et sané nemo est, qui non videat otiosam, & avaram pecuniæ retentionem esse, quando quod tibi nullo modo, etiam ad status gloriam, & magnificentiam necessarium est, in arca reservas, aut novas domus extruis, & ad honores aspiras. Meritò itaque Iacobus Apostolus in sua Canonica capite quinto eiusmodi divites increpavit. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; aurum, & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis, thesaurizatis vobis iram in novissimis diebus*, quæ verba etsi gravé culpá significent, & ideo intelligéda rigorosè sint, de divitibus, qui extremis, aut gravibus necessitatibus succurrere nolunt juxta primá assertioné, & dicta etiá videantur contra divites, qui retinent aliena, & occasione divitiarú alia luxuriæ & homicidij scelera perpetrarunt, ut cóstat ex sequét. immediatè in illomet cap. adhuc tamé quoad culpas veniales, & maximum mortaliú periculum extendenda sunt ad casum nostræ tertiæ assertionis. Vide egregium commentarium Augustini de Quiros, in prędictum locum.

Iacob. 5.

August. de quiros.

27. Addidi tamen, nisi ratio aliqua pietatis, aut divini obsequij præponderet, quia si in communibus necessitatibus dives non elargiatur pauperi eleemosynam, ut templum ædificet, vel monasterium religiosorum erigat, vel quid simile, ab omni culpa excusabitur, ut Ecclesiæ praxis persuadet. Ratio verò est, quia cum obligatio in prædicto casu subveniendi pauperibus non sit gravis, secundúm probabilem opinionem, de qua in secunda assertione, sed levis, & orta ex charitate, cujus præcepta non solent ita strictè obligare, videtur sufficiens ad vitandum in hoc negotio omne peccatum, quod in sumptus pios, & divini obsequij expendantur bona superflua, nec est pauper rationabiliter invitus, si proptereà communem eius miseriam non sublevet, ut alia opera pietatis exequatur.

SECTIO V.

An in aliqua gravi necessitate proximi, licèt non extrema, teneatur dives elargiri illi eleemosynam de necessarijs ad statum.

28. Partem affirmantem sequuntur Valencia hic, puncto quarto, & Bañez articulo secundo, dubio quarto, eam tribuens Victoriæ, Soto, Cano, & Sotomaior, & addens in secunda conclusione se certissimè credere esse verá. Tribuitur Adriano in quodlibeto duodecimo articulo 2. prop. 2. sed ibi solum ait, obligare præceptú eleemosynæ in necessitate arcta, licèt non sit extrema, non auté dicit id esse verú, quando quis nó habet superflua status. Probant Bañez, & Valencia multis Sacræ Scripturę testimonijs, Exodi vigesimo secundo, *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, non urgebis eum quasi exactor.* Ecclesiastici vigesimo nono, *Fænerare proximo tuo in tempore necessitatis ipsius*, & infrà. *perde pecuniam propter fratrem, &*

Valencia. *Bañez.* *Adrianus* *Exod. 22.* *Eccl. 29.*

am cum tuũ. Isaiæ quinquagesimo octavo. *In die ieiunij vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* Matthæi decimo octavo, ægerrimè tulit Dominus, quod servus nõ fuerit misertus cõservi sui, sed tenens suffocaret eũ dicens, *Redde, quod debes*, quæ quidem, & similia testimonia persuadent, gravem obligationem subveniendi proximorum necessitati, & paupertati, licèt non extremę, idquè vel donando, vel saltẽ mutuum præbendo, & non exigendo, quod tamen de necessarijs ad statum, ac proinde non sine incommodo fieri solet. Vnde Ioannes Apostolus 1. Can. cap. 3. absolutè ait, *Qui habuerit substantiam huius mundi* (non dicit omnino superfluam) *& videns fratrem suum necesse habere* (non dicit extremè) *& clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*, quasi dicat, quomodo non peccat læthaliter, ac proinde charitatem amittit.

Isaiæ 58. Math. 18. 1. Ioan. 3.

29. Secundo probant testimonijs Patrũ, quæ in sectione tertia adduximus, & non agũt de superfluis omnino bonis, sed absolutè de ijs, qui divites sunt, & prętereà S. August. Tomo nono, tractatu quarto, in epistolam primam Ioannis, in illud, *Qui habuerit substantiam huius mundi: Vbi à creditore* (inquit) *angustatur frater tuus, non habet ille, habes tu: frater est, ambo sanguine Christi redempti estis, vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet? fortè dicis, ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur, si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet.*

S. August.

30. Tertio probant ratione, charitas christiana obligat, ut quis sublevet notabilem proximi sui miseriam, si absque incommodo magno possit, sed elargiendo eleemosynam de superfluo naturæ, licet necessarium sit ad statum, potest quis sublevare notabilem proximi miseriã absque magno incõmodo; ergo charitas christiana ad id obligat. Consequentia est evidens, maior patet, quia non est vera amicitia, quæ patitur amicum insigni necessitate opprimi, & illi nõ subvenit, ne leve damnũ sustineat. Minor probatur, quia cũ ea quæ ad statum pertinent, non cõsistant in indivisibili, sed potiùs magnam latitudinẽ habeant, etiam si quis aliqua demat de statu, leve incommodũ sentiet, & alioqui sublevabit magnam proximi miseriam, quæ cum non tam frequenter occurrat, sine magna iactura suæ rei familiaris poterit dives illi subvenire. Confirmatur primò, quia si ad statum viri nobilis pertineat, verbi gratia, habere quatuor famulos, & parietes domus ornare aulæis ex aureo, sericoque filo intertextis, quis non videat exiguam esse iacturam, si tribus famulis, & solis sericis aulæis contentus sit, ut habeat unde subveniat quotidie alteri viro nobili, & olim ditissimo, qui ad magnã rerum inopiã propter naufragiũ pervenit; obligat ergo charitas interdũ sub mortali ad elargitionẽ eleemosynæ de necessarijs ad statũ. Confirmatur secundo, in annis magnæ sterilitatis quis dubitabit teneri divites diminuere aliquid magnificentiæ sui status, & minus lautè vivere, ut pauperibus subveniant. Confirmatur tertio, quia fratribus, & consanguineis teneretur quispiam sub mortali elargiri eleemosynam de necessarijs ad statum, iuxta illud Iacobi secundi: *Si frater, aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autẽ eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Iacob. 2.

Quarto probat Bañez, quia multi sunt casus in quibus tenetur quis subvenire proximo constituto in gravi necessitate, licèt non in extrema, verbi gratia, advocatus defendere causam pauperis, quando aliter defendi nõ potest, ut constat ex S. Thoma infrà quæst. septuagesima prima, artic. 1. Item si videam latronem, qui rapit bona proximi, & possem succurrere, vel hoc damnum vitare, teneor sub mortali; & Exodi vigesimo tertio præcipitur sublevari asinum proximi, reducere bovem eius errantem, ergo obligat præceptum eleemosynæ etiam de necessarijs ad statum. 31. S. Thom.

Contrariã sententiã scilicèt de necessarijs ad statum non esse obligationẽ saltem gravem elargiendi eleemosynam, nisi in extrema necessitate amplectuntur, Caietan. in opusculo suprà citato cap. 4. ad 1. & clariùs in Sũma, verbo *Eleemosynæ largitio. Eleemosynã* (inquit) *nõ facere est peccatũ mortale in duobus tãtummodo casibus. Primus est, si quis habet de super-* 32. Caietan.

fluo

fluo naturæ & personæ: secundus est, cum apparet pauper in extrema necessitate constitutus. Navarrus in Summa, capite vigesimo quarto, num. septimo, *Nemo* (inquit) *tenetur ad dandam eleemosynam de suo statu decenti necessario, nisi egenti extremè.* Turrecremata in capite *Sicut hi*, distinctione quadragesima septima, conclusione tertia, *De necessarijs ad statū*, ait, *non esse obligationem elargiendi eleemosynam, nisi in casu necessitatis extremæ.* Et idem testantur graves illi Doctores, qui in sectione secūda affirmarūt præceptum eleemosynę etiā de superfluis naturę, & status nō obligare, saltém sub mortali, nisi in extrema necessitate. Corduba lib. 1. quęst. 26. propositione 2. *Non existentibus* (inquit) *in extrema necessitate, vel quasi, non tenetur homo de necessarijs ad decentiam status eleemosynam dare, etiam si illi sint in magna alia necessitate quacumq;.* Deniq; est doctrina S. Thom. articulo quinto ad tertium, ubi explicans quando sit mortale non elargiri eleemosynam ait: *Cum pauper evidenti, & urgēte necessitate premitur, & dives habet superflua etiam secundùm statum*, & clarius in corpore articuli. *Dare* (inquit) *eleemosynam de superfluo, est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate, alias autem eleemosynas dare, est in consilio.* Ecce Sanctus Doctor duos tantum casus agnoscit, in quibus pręceptum illud obliget, scilicèt cum pauper extremè indiget, & cum quis habet superflua: nomine autem superflui intelligit superfluum secundum statum, ut evidenter constat ex corpore articuli, & alioqui si solùm intelligeret superfluū naturę, cogeremur asserere absolutè, & sine ulla limitatione teneri divites de necessarijs ad statum elargiri eleemosynam etiam in communibus necessitatibus, quod falsum est, & contra omnes Doctores.

33. Probatur ratione, quia unusquisque habet ius, ut vivat, sicut decet statum suū, ergo nemo iustè potest illum obligare ad elargiendum eleemosynam de ijs, quæ ad huiusmodi decentiam necessaria sunt, nisi quando proximus est in extremā necessitate: tunc enim agitur de vita amittenda, in quo casu charitas obligat, ne tātum malum patiar in fratre meo, ut ab statu non cadam saltèm aliquantò, aliæ enim necessitates, & si graves, minus tamen obligant, & hæc est humana conditio, ut quidam lautiús & iucundiús degant, quam alij. Confirmatur, quia cum tot graves, & sapientes viri nihil in iure divino, aut naturali repererint, quod eos convincat ad obligandum divites, ut de necessarijs ad statum succurrāt gravibus necessitatibus, signum optimū est, saltē hoc ius, seu hanc legem esse dubiam, in dubio autem præcepti non sunt obligādi, præsertim sub mortali, ne alioqui laqueū novū illis inijciamus, & difficiliorē reddamus viā salutis illis, quibus alioqui Christus Dominus valdè difficilē prædicavit.

Hęc posterior opinio, sicut & Sancti Thomæ est, ita & mihi videtur sufficiēter probabilis, prout in solutione argumentorū uberiùs declarabitur, sed tamen fateor non sine formidine me illi assentiri, quia video magnam probabilitatem contrariæ, quod deseruiet ut divites in eleemosynarum elargitione minùs liberales non excusemus facilè à culpis venialibus, & periculo graviorum. 34.

Ad primū ergo respōdeo, omnibus illis testimonijs, excepto ultimo, solū probari non esse per vim, & modo illicito extorquendū debitū à paupere, qui non est solvēdo, & optimū consiliū esse iuvare illū pecunijs, secus verò esse imponere gravē obligationē elargiendi eleemosynam de necessarijs ad statum. Vltimum verò testimoniū ex mente doctissimorū explicavimus in sectione quarta, ut intelligatur de habente superflua status, & in gravibus, vel extremis necessitatibus. 35.

Ad secundum respondeo, illa testimonia iam explicata esse loco proximè citato, sicut & testimonium S. Augustini declarandum est, ut sermo sit de habēte bona superflua, vel de cōstituto in extrema necessitate. Ad tertiū respōdeo, si modicissimū esset, quod de necessario ad statū detrahi oporteret, v. g. si nonnullis argēteis, aut detrahēdo aliquē cibū delicatū, uno, vel altero die sublevaretur notabilis miseria proximi, ego sanè illū sub mortali obligarē, quia parū pro nihilo reputatur, & illud potest absolutè dici superfluū, & minimè necessarium ad statum; alia verò dinturniora, aut cariora remedia non sunt cēsenda, quid modicum aut 36.

Navar. Turrec. Corduba. S. Thom.

leve incommodum, ut tenear sub mortali illud subire ad sublevandam gravem necessitaté proximi, quando alioqui sunt ad statum absolutè bona omnia necessaria; unde patet ad primam confirmationem, non enim illud censetur levissimū detrimentum comparatione divitis, aut nobilissimi viri, sed magnæ æstimationis. Ad secundam confirmationem respondeo, in eo eventū, aut similibus damnum grave non esse unius, vel alterius personæ privatæ, sed totius Reipublicæ vel cōmunitatis, ac proinde commune, cui strictiùs tenentur divites subvenire, & ita graviter peccarent non moderando sumptus, alioqui non superfluos, sed ad statū necessarios: nostra verò conclusio intelligenda est de pauperibus privatis, & quādo Respublica absolutè loquendo, vel magna pars eius non patitur magnā necessitatem. Ad tertiam confirmationem concedo totum saltem comparatione fratrum, qui gravi necessitate premerentur, quia tunc non solùm oritur obligatio ex præcepto eleemosynæ, de quo hic agimus, sed ex intima coniunctione, quæ exigit ut frater, cum detrimento etiā suo subveniat fratri.

37. Ad quartum respondeo causam pauperis, si gravis sit, defendi debere ab advocato sub mortali, quia munus eius hoc est, & alioqui sæpè nihil amittet, sed potiùs lucrabitur, quia si propterea amitteret lucrum alicuius momenti necessariū ad statum, non teneretur sub mortali: vide Caietanum ad articulum primū quæstionis septuagesimæ primæ, qui absolutè contendit in sola extrema necessitate esse mortale, quod advocatus non defendat causam pauperis, & sic Sanctum Thomam intelligit: latrocinium etiam impedire teneor, si commodé possem, quia id non est bona mea consumere, secus quando inde mihi damnum alicuius momenti proveniret in bonis mihi necessarijs, & neque muneris mei esset illud impedire, nec propterea proximus incideret in extremam necessitatem. Denique quod affertur ex capite vigesimo tertio Exodi non significat eleemosynæ elargitionem de bonis necessarijs, sed laborem aliquem in reducendo bove errante, vel sublevando asino iacente.

DISPVTATIO III.

Vtrùm præceptum eleemosynæ magis strictè obliget Ecclesiasticos, quàm sæculares: ubi, an, & quatenùs teneantur redditus ecclesiasticos expēdere in pauperum utilitatem?



Doctrina, quæ in superiori disputatione stabilita est, ita accipi debet, ut quisquis habet bona quæ pauperibus elargiri possit, ea teneatur elargiri in casibus iam explicatis, nec excusetur à culpa gravi, aut levi, iuxta dicta, etiam si sæcularis sit, & pauper, qui ab illo petit, aut qui necessitate premitur, sit omnino extraneus. Præter hanc autem generalem doctrinam conveniunt etiam Doctores, occurrere posse circunstantias particulares, tam ex parte elargientis, quam ex parte recipientis eleemosynam, quæ specialem obligationem inducant; verbi gratia, magnam amicitiam, singularia beneficia recepta, consanguinitatem in gradibus valde coniunctis, & alias, quæ arbitrio prudentis expendendæ sunt, & aliquas obiter in præcedente disputatione numeravimus. Hoc veró loco ex professo differendum est de ea speciali obligatione, qua ecclesiastici tenentur eleemosynam elargiri ratione sui status, & ob conditionem bonorum, quæ possident, præsertim quando sunt beneficiorum, estque sermo de ecclesiasticis non religiosis. 1.

SECTIO I.

De varijs generibus bonorum, quæ ab Ecclesiasticis possidentur, & an illorum omnium dominium habeant?

Navarrus in tractatu de redditibus ecclesiasticis, quæstione prima, monito decimo nono, Corduba libro primo, quæstione decima octava, & alij 2. *Navarra. Corduba.*

distin-

distinguunt varia genera bonorum, quæ ab Ecclesiasticis possidentur. Quædam enim sunt patrimonalia, quæ nimirum vel iure hereditario, aut industria obtinent, perinde ac sęculares: alia dicuntur quasi patrimonialia, quæ nimirum lucrantur exercendo ministeria Ecclesiastica tanquam stipendium laboris, verbi gratia, celebrando, concionando, canendo: alia etiam sunt ipsorum fidei commissa, ut illa administrent, & alijs distribuant, ut Ecclesia Hispalensis, verbi gratia, administrat varia bona defunctorum, qui eam Patronam elegerunt. Denique alia sunt, quæ proprio nomine appellantur redditus beneficiorum, illa scilicet, quæ eis dãtur, eo præcisè quod beneficium habeant in Ecclesia.

3. Et quidem, cum hodie Ecclesiastici, qui religiosi non sunt, nullo voto paupertatis, non solùm solemni, sed etiam simplici adstringantur, ut contra Michaelem de Medina probavimus in Controversia de sacramento Ordinis, tractatu quarto, disputatione prima, sectione sexta, non dubium est, quin sint capaces dominij, ac perinde possint esse, & re ipsa sint veri domini eorum bonorum, quæ eis simpliciter, & absolutè conceduntur. Conveniunt ergò Doctores bonorũ patrimonialium prædictos Ecclesiasticos esse veros dominos, quia illa eis absolutè conferuntur; & quàmvis de quasi patrimonialibus dubitari posse, visum sit Navarro suprà numero secundo, rectè tamé ait, hec etiam bona esse sub dominio Ecclesiasticorum, quia re verà absque ullo onere illa tribuuntur in præmium, vel stipendium laboris. Quod attinet ad tertium genus bonorum, nemo dubitat, quin illa non sint sub dominio Ecclesiasticorum, quia non sunt illis collata, sed solum commissa administratio ad eundem modum, quo committitur tutori administratio bonorum minoris, quorum non est dominus.

4. Solùm igitur in controversiam vocatur, an Ecclesiastici habeant verum dominium redditũum suorum beneficiorũ: qua in re Navarrus in tractatu citato, sed specialiter in quæstione prima, monito quadragesimo, & alij existimarunt Ecclesiasticos non esse veros dominos horum bonorum, firmissimum autem fundamentorum, cui nititur hęc opinio, desumitur ex doctrina Sanctorum Patrum, qui dicunt eiusmodi bona esse pauperũ, vel esse patrimonium Christi Domini, vel esse bona Dei. *Navar.*

Longè tamen probabilior opinio affirmat eos esse veros dominos prædictorum bonorum. Eam amplectuntur Caietanus secunda secundę, quęstione centesima octuagesima quinta, articulo septimo: Sotus decimo de Iustitia, quęstione quarta, articulo tertio: Corduba suprà adductus: Molina tomo primo de Iustitia, disp. centesima quadragesima tertia, referens alios authores: Sarmiento in tractatu de redditibus ecclesiasticis, qui doctissimè conscriptus est. Covarrubias cap. cum in officijs, de Testamentis. Valencia suprà: Adrianus quęstione duodecima de Restitutione; sed præsertim legendus est Sarmientus suprà in quarta parte, capite primo, secundo, & sexto; & in secunda parte, capite secundo optimé ostendit hanc fuisse sententiam S. Thomæ; idem docent Bañez hic, articulo sexto dubio ultimo: Aragon articulo quinto, in conclusione quarta de hac difficultate, & alij viri doctissimi, sed quoniam nostri instituti non est de redditibus Ecclesiasticis hoc loco disputare, sed dę præcepto eleemosynæ, quod aliquantulum dependet à proposita difficultate, solùm breviter perstringam discursum, quo sapientissimi viri ducti sunt, ut hanc sententiam complectantur. Advertendũ igitur est, clericos olim in communi vixisse, ita ut nullus haberet bona sibi peculiaria, ut constat ex varijs capitibus, in 12 quæstione prima; tunc autem nulli illorum in speciali concedebatur dominium, sed usus eorum, quibus ad victum, & vestitutum indigebat, proinde ac religiosis; quoniam verò ob temporum, & morum varietatem incommoda non levis momenti experiebatur Ecclesia Simplicius Papa, ut quidam volunt, circa annum 470., divisit bona Ecclesiastica in quatuor partes; primam Episcopo, secũdam Clero, tertiam Fabricę & necessitatibus Ecclesiæ, quartam pauperibus; scribens enim Florentio, & Equitio Episcopis, ut refertur in capite de Redditibus, 12. quæstione secunda; *De redditibus* (inquit) *ecclesiæ, vel oblatione fidelium*

Caietan. *Sotus.* *Corduba.* *Molina.* *Sarmient.* *Covarru.* *Valencia.* *Adrian.* *S.Thom.* *Bañez.* *Aragon.* *Simplic.* 5.

sola Episcopis ex his una portio remittatur, duæ Ecclesiasticis, Fabricis, & erogationi pauperum profuturæ à presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, ultima clericis pro singulorum meritis dividatur, Gelasius. quod posteà confirmavit Gelasius Papa, cap. *Vobis enim*, cap. *Vulteranæ*, cap. *Concesso*, & capite *Quatuor autem*, 12. quæstione secunda; & licet hic usus non statim fuerit omnino generalis, ut S.Gregor. constat ex epistola Gregorij primi ad Augustinum Episcopum Anglorum, qui post prædictos pontifices floruit, & refertur capite *Quia tua fraternitas*, 12. quæstione prima, à plerisque tamen videtur receptus, & iterum præceptus an- Gregor. no 716. à Gregorio secundo in epistola ad clerum, & plebem Thuringię, ut constat ex Tomo tertio Cōciliorū, in nova editione folio 413. Sed licet à Simplicio nonnulli, ut diximus, voluerint hanc diversitatem in quatuor partes cœpisse, res est sine dubio antiquior; nā Sanctus S.Sylvest. Sylvester id ipsum, vel cōsuluit, vel præcepit, ut constat ex Concilio Romano, cui præfuit, cap. 4. ab eo igitur tempore, & in illis ecclesijs, in quibus prædicta bonorum ecclesiasticorum distributio facta est, non videtur posse dubitari, quin Episcopus, & clerici habuerint dominium illarum partium, quæ illis obtingebant, illæ enim distribuebantur nullo onere imposito Ecclesiasticis, ac proinde pauperibus solum relinquebatur ius exigendi quartam partem ipsorum necessitatibus sublevandis. Sicut & Fabricę relictū est ius suam quartam partē habēdi, & insumendi in ijs, quę ad bonum Ecclesiæ spectant. Et quidem nostris temporibus perseverant tres horum bonorum partes omnino condistinctæ; prima Episcopo, secūda Beneficiarijs, tertia Fabricę, quarta veró, quæ ad pauperes spectabat, videtur omnino cum alijs confusa, & inde oriri efficax ratio, qua probetur Ecclesiasticos non esse integré, & plenè dominos redditūum Ecclesiasticorum, siquidem bonis Episcopi, & cleri admixta est quarta pars, quæ non est ipsorum, sed pauperum.

6. Hoc tamen non obstat, quominus eūdem discursum continuantes, fateamur simpliciter & absoluté Ecclesiasticos cōparare dominium omnium redditūum, qui illis tribuuntur. Inprimis enim dici posset illam quartam partem, quæ olim pauperibus destinabatur, fuisse sub dominio Ecclesię, ut re vera erat, quia fideles absoluté tribuebant illis ministris ea bona, ac proinde obligationem erogandi illam pauperibus fuisse ex præcepto Ecclesiæ, non ex iure aliquo iustitiæ, forteque ex ipsiusmet Ecclesiæ consensu commutatam fuisse in alia nova beneficia ecclesiastica, vel alia opera pia, & ita disperijsse. Deinde bona quantitas illius quartæ partis insumitur in præstimonijs, quæ fortasse pauperibus scholasticis alendis instituta sunt. Tertiò, in Hispania magna bonorum ecclesiasticorum portio tributa est Regibus ex consensu Pontificum, & non est, cur ibi non censeatur insumpta bona pars huius quartæ partis. Denique ut animadvertit Valencia Tomo tertio disp. decima, quæst. 3. punct. 7. in aliquibus Ecclesijs tertia pars, & nō tantum quarta dabatur Episcopo, imò & in aliquibus media, ut patet in Can. *antiquos*, 10. quæstione prima; quare tum propter has, tum propter alias fortasse causas non constat, sed dubium est, ubi nam illa pars reperiatur, & in dubio non sunt Ecclesiastici spoliandi suo iure, retinent ergo omnia prędicta bona tanquam illorum domini tuta conscientia: nec obstat Episcopatus, præsertim aliquos esse modo valde pingues, nam id non convincit quartam partem pauperum in eis reservari, sed auctos fuisse redditus ecclesiasticos multiplicatione fideliū, qui decimas, aut nova alia bona ecclesijs contulerint.

Probat preterea efficaciter Sarmiento 7.
eandem veritatem multis argumentis in prædicta quarta parte illius tractatus de Redditibus, capite primo, secundo, & sexto. Primum enim clerico non residenti infligitur pęna, quod nō faciat suas distributiones quotidianas, sed ad restitutionem teneatur; ergo è cōtrario qui residet acquirit dominium earum: deinde in capite, *pervenit* Extra. de Fideiuss. statuitur, ut si clericus ære alieno gravatus inveniatur, satisfiat creditoribus de fructibus, seu redditibus beneficiorum; si autem ea essent pauperum quoad dominium, nō possent alijs applicari. Tertio quia in Hispania, saltem in regno Castellæ viget ea

consuetudo

consuetudo, ut clerici non Episcopi testentur de redditibus suorum beneficiorum, & hæredes ab intestato succedant illis in prædictis bonis, ut probat Molina Tomo primo, disp. 147. & docet Sarmiēto in cap. primo citato numero octavo. Nec est credibile tam generalem cōsuetudinem esse malam, seu contra iustitiam, foret autem, si illa bona non forent clericorum, sed pauperum, quoad aliquā saltem partem. Adde, quod Pontifex iustis de causis applicare solet sæcularibus Principibus aliqua ex redditibus Ecclesiasticis, non ergo sunt sub dominio pauperum. Vide alia apud Sarmientum in cap. 6.

Molina. *Sarmient.*

8. Fundamentum prioris opinionis non difficilè convellitur, nam Ecclesiasticorum bona dicuntur esse Dei, aut patrimonium Christi Domini, quia illis tributa sunt intuitu religionis, scilicèt in honorem Dei, cui ministri Ecclesiæ dicati sunt, bona etiam pauperum nuncupantur, vel propter illam quartam partem, quæ olim erat deputata pauperibus, vel propter obligationem, qua tenentur Ecclesiastici ex charitate illis subvenire; quo pacto etiam superflua laicorum appellantur à Patribus pauperum bona, ut constat ex sectione tertia disput. præcedentis.

SECTIO II.

Statuitur Ecclesiasticos non lege iustitiæ, sed charitatis obligatos esse ad elargiendum eleemosynam strictiùs, quàm sæculares.

9. Ex dictis præcedenti sectione colligitur, Ecclesiasticos nulla iustitię lege, teneri ad elargiendum eleemosynam de illis bonis, quorum dominium habere ostendimus, ut rectè affirmant authores citati, & alij, quos refert, & sequitur Molina disp. 144. Probatur, quia dominus rei potest de illa disponere pro libito, quin ulli irroget iniuriam, fortè dici potest Beneficiarijs conferri quidem prædictos redditus tanquam veris dominis, sed tamen sæculares eo onere contulisse, ut de superfluo elargirentur eleemosynam, & inde inferri obligationem iustitiæ, sæpè enim accidere potest, aliquem esse verè dominum alicuius rei, & tamen habere annexum onus aliquid largiendi, vel faciendi, quod si non impleat, peccet cōtra iustitiam, verbi gratia, si Petrus in suo testamento instituat Ioannem hæredem ea lege, ut quotannis celebrari faciat aliquot sacra, & erogari pauperibus aliquas pecunias, verè quidem esset Ioannes dominus totius hereditatis, & nihilominus ex iustitia teneretur prædicta opera facere, ac proinde in illis insumere aliquam pecuniam. Sed hoc non obstat, quominus verū sit, quod asseveravimus, nam licèt in adducto exemplo, & alijs similibus, negari nequeat obligationem iustitię cum vero dominio consistere posse: oportet tamen constare de onere, & obligatione iniuncto illi, cui bona conferuntur: in pręsenti autem non constat, à laicis impositum fuisse tale onus Ecclesiasticis, quia solùm certò scimus, hæc bona collata fuisse Ecclesiasticis intuitu cultus divini, & ad illorum sustentationem, quod autem illos insuper ad eleemosynam obligarent, non constat, & saltèm dubium est, & in dubio nemo est expoliandus iure suo, & abdicandus possessione bonæ fidei. Credibile quidē est, dedisse sæculares hæc bona eo fine, ut de superfluo succurreretur pauperibus, & alia pia opera fierent, sed sola intentio, aut finis, dum nihil in pactum deducitur non imponit obligationem iustitiæ, ut notum est.

Molina secutus Caietanum Driedonem, Petrum de Soto, & Ledesmam limitare voluit assertionem propositam, ita ut quādo redditus Episcopatus alicuius notabiliter excederent congruā Episcopi sustentationem, nec in Episcopatu reperirentur hospitalia, vel pia alia opera erecta, censendum sit illis redditibus admixtam esse quartam partem, quæ pauperibus olim erat destinata, ac proinde teneri Episcopum ex iustitia distribuere illam pauperibus. Sed non placet ista limitatio, nam Sotus, Sarmiento, Corduba, Aragon, & alij docti Theologi eam non adhibuerunt, & optimé confutat Valencia suprà, tribuereque posset occasionem maioris scrupuli, quam in hac parte inijcere oporteat. Non enim parum operæ ponet, qui obligationem ex lege charitatis ortam in eleemosynis elargiendis 10. *Molina.*

expleverit:

expleverit: & alioqui non est firmũ fundamentum quo ad oppositum asserendũ, innititur, nam primo redditus Episcopatus excrescere potuerunt aliundè, quam ob quartã illã partẽ pauperibus destinatam, nimirum, quia multo maior pars terræ est modo in culturam redacta, quia rerum prætia sunt multo maiora, & consequenter minoris valoris est modò magna quantitas pecuniæ, quam olim exigua. Secũdo nõ certò cõstat partẽ olim destinatã fuisse pauperibus, debuisse illis ex iustitia, & non solùm ex charitate distribui. Tertiò, quia in longo temporis intervallo potuit illa quarta pars consumi in alijs beneficijs, vel applicari sæcularibus Principibus, quare ut minimum res hæc est dubia, & in dubio melior censenda est conditio Episcoporum, qui modò possidẽt bona fide omnes suos redditus, illis enim absoluté, & absque onere inducente obligationem iustitiæ tribuuntur; non sunt ergo obligandi ex iustitia ad subveniẽdum pauperibus, ita ut qui eiusmodi reddit' ab Episcopis acceperint ad restitutionem teneantur, nec id in praxi servatur. Azorius Tomo secũdo, libri 12. cap. 11. non videtur à nobis in hac assertione dissentire, solùm notat quibusdam Abbatibus, & Prioribus imponi à Pontifice obligationem dandi quartam partem pauperibus, quando Abbatiæ, & Prioratus illis commendantur, & hanc esse obligationem iustitiæ, quod fortassè verum est, sed nos in præsenti non agimus nisi de redditibus beneficiorum, prout communiter obtingunt Ecclesiasticis absque talis oneris impositione.

Azor.

11. Dico secundò, saltèm præcepto charitatis obligantur Ecclesiastici ad elargiendum eleemosynam strictiùs, quàm sæculares. Assertio est communis sententia Doctorum, nec novi aliquem contra sentientem: nam licèt Navarrus dicat, Franciscum Sarmientum, non maiorem Ecclesiasticis, quàm laicis obligationem imposuisse, ex oblivione profectum est, cum disertè oppositum testetur Sarmiẽto tertia parte sui tractatus, capite quinto, ut ipsemet animadvertit in prima parte defensionis sui libelli.

Navar. Sarmient.

12. Probatur ratione, quia Ecclesiastici ratione sui status magis obligantur ad opera pietatis, quàm laici, inter hæc autem non infimum, sed ferè supremum locum obtinet misericordia, qua sublevantur necessitates pauperum, quorum ipsi, & præsertim Episcopi patres sunt. Præterea, quia cum illi, qui Ecclesiasticis sua bona reliquerunt, id sine dubio intenderint, ut divino cultui deservirent, propterea enim dicuntur patrimonium Christi, contra finem à suis benefactoribus intentum facerent Ecclesiastici ea bona insumentes in usus non pios, scilicèt nec in pauperes, nec in alia pietatis opera. Denique, quia status Ecclesiasticus exigit ut parciores sumptus in domo, in victu, in comitatu, & de alijs ad vitam humanam pertinentibus fiant, quàm in statu sæculari, vnde quòd sæcularis censeretur prudenter posse impendere, Ecclesiasticus vanissimé, & omnino superflué prodigeret; longè ergo maior obligatio iniungitur Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, & in multis casibus peccaret lethaliter Ecclesiasticus non elargiendo eleemosynam, in quibus non peccaret sæcularis, tenenturque illi, & maximè Episcopi inquirere, ubi sint pauperes, & quo indigeant.

13. Et quidem hęc doctrina certa videtur, si sermo sit de redditibus beneficiorum, quæ conferuntur Ecclesiasticis, quatenus tales sunt. Quod verò attinet ad bona patrimonialia, Navarrus in Summa capite decimo septimo, numero nonagesimo quarto, & in tractatu de redditibus, quæstione prima, monito decimo nono, ait, certum esse Ecclesiasticos posse de illis plenè disponere, perinde atque laicos de suis, ut constat ex capite *Episcopi*, 12. quæstione prima, & cap. *Quia nos*, de Testamentis: idemque reputat probabilius dicendum de bonis quasi patrimonialibus. Covarrubias etiam in cap. 1. de Testamentis num. 3. latè probat Episcopum posse instituere hæredem suorum bonorum patrimonialium, quẽ voluerit. Molina etiam disp. 145. sequitur Navarrum, & meritò quidem, quia in eiusmodi bonorum acquisitione, perinde se habet atque laici, non enim illa dantur à fidelibus intuitu beneficiorum, & propter cultum divinum, aut ad opera pia, & ideo minori obligatione tenentur in usus pios ea erogare.

Navarrus

14. Solùm adverto, cum status ipse Ecclesiasticorum

clesiasticorum exigat parciorem vivendi rationem, faciliùs etiam ex his bonis relinqui, & inveniri posse superflua, quę pauperibus erogare tenentur, tam ipsi, quam laici in casibus explicatis, disp. pręcedente, licèt quoniam laici lautiorē vitam agere possint, non tam facilé habeant superflua. Adde quod Ecclesiastici peculiari titulo sunt patres pauperum, & obligati ad modum insumendi pecunias magis religiosum, & ideò aliquanto magis tenentur eleemosynam erogare etiam de bonis patrimonialibus, quam laici, ut optimè Molina disput. 144. pagina 800. in fine. *Molina.*

SECTIO III.

Quando, & quatenùs obligetur Ecclesiasticus sub lethali culpa ad eleemosynam elargiendum.

14. *S.Thom.* Sanctus Thomas infrà quęstione centesima octogesima quinta, articulo septimo ad primum, quem alij meritò sequuntur; affirmat hoc tandem expendēdum esse prudentis arbitrio, quia pendet ex multis circunstantijs, quæ in diversis personis, atque temporibus diversam obligationem inducent. Et quidem in ea generali regula conveniunt Doctores teneri Ecclesiasticos elargiri eleemosynam de omnibus redditibus beneficiorū, qui illi superfuerint post decentem suę personæ, & status sustētationem, ita ut si notabilem quantitatem in alijs superfluis rebus insumāt, peccent læthaliter; secus verò si ea notabilis non sit, ut optimè Sanctus Thomas in illo articulo septimo notavit, & post eum alij. Oportet tamen generalem hanc doctrinam magis declarare descendēdo ad singulares casus, qui

15. in hac materia advertendi sunt. Imprimis ergò licèt beneficiarius habeat bona patrimonialia, & quasi patrimonialia potest ex redditibus sui beneficij sumere quidquid ad decentem sui status sustentationem necessarium est: ita Navarrus quæstione prima, monito 32. cum Innocentio, quem ait approbari feré ab omnibus: Covarrubias cap. 1. de Testamentis numero secundo, Molina disp. centesima *Navar. Molina.* quadragesima quinta: & plané docet sanctus Thomas suprà art. 7. ad tertium; & ibidem Caietanus, solùm excipiens articulum necessitatis, in quo alioqui obligaret præceptum eleemosynæ, perinde ac obligat sæculares; nec obstat primò authoritas Sancti Hieronymi, qui contrarium affirmare videtur in capite *Clericos*, prima, quæstione secunda. Nam vel loquitur de quarta parte, quę, & quandò destinabatur pauperibus iuxta supra dicta, hanc enim non poterat sibi accipere clericus habens aliundé patrimonium, vel agit de casu, in quo præceptum eleemosynæ obligaret etiam ad detrahendū de necessarijs; vide Glossam. Nec secundò obstat Sanctus Prosper in cap. *Ille autem*, 12. quæst. prima, nam ibi agit de tempore quo clerici paupertatem profitebantur, ac proinde non poterant retinere patrimonialia bona, nisi Ecclesiastica erogando, modo autem nulla lege ad paupertatem obligantur clerici non religiosi, de quibus hic sermo est: alias explicationes vide in Glossa. *S.Thom. Caietan. S.Hieron. S.Prosp.*

Deinde si petat aliquis, quid intelligamus per necessaria ad decentem status sustentationem? Respondeo, hoc etiam non consistere in indivisibili, habent enim gradum infimum, supremum, & medium, sicut & ęstimatio rerum, quarum prętium certa lege taxatum non est, & ideo non facilé damnandum esse tanquam superfluum, quod beneficiarij insumunt. Optima autem regula est, ut id quod consueverunt insumere beneficiarij piæ, timoratęque conscientiæ in unoquoque loco, censeatur necessarium ad congruam sustentationem, sub quo nomine moderata convivia, & moderatas donationes, non solùm remuneratorias, sed etiam merè liberales comprehendi debere, notavit optimè Ludovicus Molina suprà, quibus adde, si beneficiarius quispiam sit aliunde nobilis, aut in Republica alioqui altiorem gradum consecutus sit, quàm alij beneficiarij eiusdem Ecclesiæ, & dignitatis, posse de redditibus beneficij tuta conscientia insumere id, quod necessarium fuerit, ut iuxta eum altiorem statum vivat, dummodo clericalem modestiam non excedat. Sic Navarrus in Apologia, quæstione prima, monito 36. numero 36. & Molina supra, 16. *Molina. Navar. Molina.*

quia

quia illud meritò cõputatur inter ea, quæ ad congruã illius sustẽtationẽ necessaria sunt. Limitat tamen uterque, nisi fabrica Ecclesiæ indigeat illo maiori sũptu, quia non est æquum, ut divinus cultus patiatur detrimentum, propter sustentandam maiorem aliquam beneficiarij dignitatẽ, aut nobilitatem.

17. Tertiò, si de ijs, quæ ad suam competentem sustentationem erant necessaria, velit aliquis beneficiarius subtrahere partem, vivendo parciùs, eo ipso censetur illa pertinere ad bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia, ac proinde subijci liberæ dispositioni illius, perinde ac si non essent redditus ecclesiastici. Sic Navarrus monito vigesimo sexto, afferens Sanctũ Thomam, Maiorem, Adrianum, & Sotum, & Molina addens Covarrubiam, licèt contrà sentiat Sarmientus prima parte defensionis sui tractatus, pagina decima nona, col. prima. Et Azorius suprà capite undecimo, quæstione secunda, qui refert Sanctum Thomam secunda secũdæ quæstione cẽtesima octogesima quinta, articulo septimo ad secundum, quatenus ait, clericos de bonis sibi deputatis subtrahentes, posse quidem dare consanguineis, vel alijs sine peccato, dummodo fiat moderatè, sed ex hoc non colligitur esse peccatum mortale, nisi cum propterea omitterentur aliæ necessitates graves obligantes, & in hoc sensu intelligo Navarrum, & Molinam: nec fortassè Azorius contradicit.

Navarrus.
Molina.
Sarmient.
Azor.
S. Thom.

18. Quartò illud maximè advertendum est, Ecclesiasticos satisfacere suæ obligationi insumendo redditus Ecclesiasticos aliqua ex parte in alios usus pios, etiamsi non sit in pauperum eleemosynas. Ita Adrianus in quarto de Restitutione, quæstione duodecima, vers. *Respondeo ad minorem*, quem sequitur Navarrus suprà, questione prima, monito vigesimo sexto, & colligitur planè ex Molina disput. 144. & Corduba libro primo, questione decima octava, qui agentes de obligatione Ecclesiasticorum, dicunt eam esse, ut in pauperes, vel usus pios insumant quod illis superest post decentem sustẽtationem. Probatur, quia redditus Ecclesiastici ex institutione sua, & voluntate illos donantium Ecclesijs, non solùm ordinantur ad alendos pauperes, sed etiam ad promovẽda opera pietatis, quæ ad Dei cultũ conducũt; propterea enim dicũtur patrimonium Christi Domini, & bona Dei, nullisque maiori iure incumbit curam gerere promovendi cultum divinum quam Ecclesiasticis, qui sunt huic cultui deputati, ergo obligationi suæ satisfaciũt, impendendo bonam partem suorũ redituum in opera pietatis, ut sunt capellaniæ, collegia, templa, & similia. Solùm advertere oportet, quando necessitates pauperum multùm urgerent, minùs posse insumi in eiusmodi opera, cum illis potiùs succurrendum sit. Porrò inter pauperes computari possunt, & debent consanguinei, quando pauperes sunt, ita tamen ut servetur, quod Tridentinũ Concilium Sessione vigesima quinta de Reformatione, capite primo monet, ut nimirùm deponant Ecclesiastici in ordinatũ affectum, augendi suos consanguineos, sed illis solùm, si pauperes sint, ut pauperibus distribuant, non ut ditentur, sed ut non indigeant, ut loquitur Sanctus Thomas secunda secundæ, quæstione centesima octogesima septima, articulo septimo ad secundum. Vide circà hoc multa apud Molinam, disp. 146. vide etiam Navarrum monito vigesimo septimo, rectè notantem pauperes, quibus obligantur Ecclesiastici elargiri eleemosynam, posse esse quoscumque, licèt congruentiùs sit, ceteris paribus, eligere eos, qui pertinent ad locum, cuius est beneficium illud quod Ecclesiasticus habet.

Adrianus
Navar.
Molina.
Corduba.
Trident.
Navar.

Quintò, si post congruentem sustentationem, & eleemosynas, ac alia pia opera reservet Ecclesiasticus aliquid de redditibus beneficij, ut in usus non pios expendat, non illico censendus est peccare mortaliter, quia cum ipse sit verus dominus illorum bonorum, & obligatio ea expendendi in usus pios sit ex charitate, non ita strictè cum eo agendum est, ut si vel modicam argẽteorum quantitatem superfluè insumat, gravem culpam commisisse credatur, ut optimè Sanctus Thomas, Corduba, Valencia, & Molina citati. Oportet ergo, ut peccatum sit læthale notabilem in hoc superfluitatem reperiri. Vnde Molina disp. cẽtesima quadragesima quarta, pagina 800. *Non censebitur* (inquit) *notabilis quantitas, quæ culpam efficiat læthalem, ea, quæ in ma-* 19.

teria

teria furti ad læthalem culpam sufficeret, sed longè maior requiritur, eoq; maior quo portio propria beneficiarij maior fuerit, plus quam beneficiarius ad suam congruã sustentationem indiguerit.

20. Sexto tandem inquiri potest, an singulis beneficiarijs attenta suorum redditum quantitate assignari possit aliquid certum, ac determinatum, quod si pauperibus erogent, possint tuta consciẽtia reliquum insumere in alios usus, qui ipsis placuerint. Quidam doctus Theologus, licèt obiter, mihi respondit, Ecclesiasticum satisfacere obligationi suæ, si bonam redditum quantitatem elargiatur, & in speciali beneficiarium, qui non sit Episcopus, & cuius redditus sint 6000 aurei, sufficere si 500. elargiatur; Episcopum verò maiorem quantitatem elargiri teneri. Soto. Dominicus Soto in libro decimo de Iustitia, quæstione quarta, articulo quarto, conclusione tertia, cũ rectè dixisset, hoc non posse in generali taxari, subdit unum, vel alterum exemplum, ut inde fiat de reliquis iudicium dicens: si quis duo, vel tria millia ducatorum habeat, & eo amplius, non existimet se satisfecisse præcepto, nisi quintam, vel saltèm sextam partem distribuat; si vero redditus beneficij sint 20. mille aurei, plus erogare tenetur, augeturque, vel minuitur obligatio pro temporum calamitate, vel abundantia, & pro pauperũ multitudine, vel paucitate. Corduba. Corduba in illa quæstione decima octava, pagina centesima septuagesima secunda, col. prima ait, non semper satisfieri obligationi impendendo septimam, vel sextã partem in usus pios, & eleemosynas, sed sępè esse obligationem impendendi multo plus. Prius autem agens de eo cuius redditus sunt valde pingues, *Tutissimũ* (inquit) *esse, ut sic abundans taxationi antiquæ de quarta pauperibus eroganda quantum posset se aptaret, ita ne nimis ab ea recederet.* Vbi planè videtur non maiorem obligationem imponere, quam ut quarta pars distribuatur: in cuius confirmationem facit, quod in antiquis temporibus ubi vigebat Ecclesia, quarta tantum pars destinabatur pauperibus, & nõ est credibile modo iniungẽdum esse gravius onus Ecclesiasticis. Bañez. Bañez hic articulo sexto, dubio ultimo, non longè à fine ait, nullum Episcopum esse in statu salutis, nisi notabiles eleemosynas faciat, pro facultate substantiæ, seu redditum, & quod nullum Hispaniæ Episcopũ absolveret, nisi saltẽ quartã partẽ redditum in eleemosynas expenderet, idque in cõmunibus necessitatibus, nam in gravioribus, quales occurrunt tempore pestis, aut famis, vel plurimarũ ęgritudinũ, plus impendere tenetur, & alioqui pater pauperum non erit, sicut debet.

Ego quidem, ut in hac re dicam, quod sentio, non damnarem eum, qui quartam partem, si Episcopus sit, & qui quintam aut sextam, si Episcopus non sit elargiretur pauperibus, dum modo residuum post suam congruam sustentationem pijs alijs operibus impenderet, & non occurrerẽt speciales, & urgentiores pauperum necessitates. 21. Probatur, quia Ecclesiasticus nõ tenetur omnes redditus, qui illi supersunt post sustentationem, erogare pauperibus, quia bonam eorum partem possunt insumere in alia opera pietatis, ergo quantitas sub gravi pręsertim obligatione pauperibus eroganda non potest censeri iure aliquo determinata; patet consequentia, quia non de divino, aut naturali, ut cõstat, nec Ecclesiastico, quia modo Ecclesia nihil determinavit, & quamvis olim determinaverit quartam partẽ, iam cessavit illud preceptum, cum cessaverit fundamentum illius, nempè quod quarta pars redditum esset ab alijs seiuncta, & verè extaret; solum ergo standum est in hoc negotio prudentum arbitrio, sed prudentes arbitrantur quartam partem, imo & minorem quantitatem esse sufficientem; ergo non est maior obligatio imponenda. Locutus sum autem de quarta, & quinta parte, non quia omnibus tanta sit obligatio, quia multi Ecclesiastici erunt, quorum redditus non sufficiãt, ut detrahatur 5. imò nec octava pars distribuenda pauperibus, sed quia ista quantitas in dictis casibus sufficiat, ut unusquisque censeatur obligationi suæ satisfacere, licèt pingue sit beneficium. Confirmatur, quia abundantes, & frequentes eleemosynas censetur elargiri, qui de quinquemille aureis elargitur mille, sed ex nullo capite colligi potest teneri Ecclesiasticum nisi ad abundantes, & frequentes eleemosynas, ergo satisfacit

tisfacit suæ obligationi quartam, si Episcopus sit, & quintam, si non sit Episcopus, elargiendo: minor probatur, quia caput istud tantum potest esse duplex, nimirum quod sit pater pauperum, & quod nō possit superfluos sumptus facere. Neutrum autem horum probat quidpiā contra nos; non primum, nam pater spiritualis pauperum satisfacit huic muneri copiosè illis succurrendo, eorum necessitates inquirendo saltem in generali, & quādo peculiares, & graviores necessitates occurrunt, abundantiorem stipem erogando, & totum hoc fieri potest optimé, licèt in ordinarijs necessitatibus nō plus, quam quod diximus eroget, nō enim exigit munus patris spiritualis, ut quidquid ipsi superest, illis donet, alioqui ut dicebam, non posset in alia pia opera quidquam insumere, quod est incredibile, & contra praxim Ecclesiæ. Nec secundum, quia præter eleemosynam sunt alij sumptus non superflui, sed pij, & spectātes ad divinum cultum.

22. Ex quo tandem infero, si post congruam sustentationem, & eleemosynam in quantitate dicta, & opera pietatis, in quibus magna latitudo est, velit Ecclesiasticus notabilem aliam quantitatem ex redditibus beneficij sibi reservare ad usus non pios, sed vanam ostentationem, aut superfluitatem, me non videre, quo iure, aut titulo excusetur à culpa læthali, nam sacri Canones ecclesiastica bona, propterea patrimonium Dei appellant, quia in ministrorum Dei sustentatione, & pijs operibus insumenda sunt, & absurdum est existimare non esse cōtra intentionem, & iustissimam voluntatem Ecclesiæ, quod hæc accipiantur ab Ecclesiasticis, ut prodigè & variè insumantur. Confirmatur, quia gravissimi Doctores obligant laicos sub mortali, ut superflua omnia sui status erogent pauperibus; sed certum est, Ecclesiasticos esse multò strictiùs obligatos ad eleemosynas, & pia opera; ergo certum est, teneri sub mortali ad erogandum, vel in alijs pietatis operibus insumendum superflua status sui; ergo peccant læthaliter, si in prophanis usibus consumant patrimonium Christi. Patet consequentia, quia hæc quæ post congruam sustentationem supersunt superflua sunt, nec ad decentiam status ullo modo pertinentia. Et sané commune est inter Doctores pronunciatum totum, quod superest beneficiario post suam congruam sustentationem expendi debere in pauperes, & usus pios, nec legi aliquem, qui contrarium doceat, cum hoc autem cohærere non potest, quod quis contentus sit insumendo quartam, vel quintam partem inter pauperes, & in alia pia opera, & reliquum vané insumendo, etiam si sint multa millia aureorum. Prudentissime ergo noster Azorius Tomō secundo libro duodecimo, capite undecimo, quæstione prima in fine, noluit determinare quantitatem, quam insumere sufficiat beneficiario, sed obligavit illum, ut impendat quidquid illi superest. Azor. Vide apud illum egregia testimonia ex iure Canonico, & ex S. Bernardo epistola secunda & quadragesima secunda. S. Bernar.

DISPUTATIO IIII.

Quomodo in praxi se geret confessarius cum sæculari divite, & cum Ecclesiastico beneficiario, circa præceptum eleemosynæ.



Onnulli in hac parte magnum scrupulum inijcere videntur confessarijs, qui divites sæculares absolvunt, nec illos obligant ad elargiendas eleemosynas frequētiores, & magis copiosas; sed si quis attentè perpendat, quæ in secunda disputatione adduximus, comperiet non deesse probabiles rationes ad minus scrupulosé agendum, & non ita facilè occludendam viam salutis diuitibus propter eleemosynarum parcitatem, & ipsorum confessarijs multo minus. Et quidem Emanuel Sà verbo *Eleemosyna*, numero secundo, *Cum inter Doctores* (inquit) *non conveniat, quando peccet mortaliter, qui non facit eleemosynam, non facilè condemnandi divites, qui non faciunt; monendi tamen, ut faciant quantas maximè possint.* Navarrus etiam in Summa capite vigesimo 1. Emanuel. Navar.

mo quarto numero sexto, *Sequitur* (inquit) *Rosellam sine iusta ratione dixisse paucos ditium confessarios salvatum iri, si eleemosyna in praedictis duobus casibus foret de praecepto; non enim tot sunt divites, quibus sit superfluum status*, & Caietanus in Summa verbo *Eleemosynae largitio*, ait raró videri contingere, ut divites habeant superflua status; denique Corduba lib. 1. quaestione 18. pagina centesima septuagesima secunda, col. prima in fine, ait raró contingere, ut saeculares sub mortali teneantur pauperibus erogare superflua decentiae suae. — Caietan.

2. Fundamentum autem, cui hae, & similes Doctorum locutiones innituntur nõ est contemnendum. Imprimis enim saeculares de necessarijs ad statum non tenentur erogare pauperibus, nisi extremã necessitatem patiantur, cum ergo necessitates istae raró eveniant, aut saltém manifestentur divitibus, quippe qui non tenentur eas quaerere, & status decentia magnam habeat latitudinem, difficileque inveniatur, qui superfluitatis convinci possit, difficilè est damnare ad mortale, & in casu saltèm dubiae obligationis, nec dives tenetur elargiri, nec confessarius sub mortali obligare. Deinde graves admodum Doctores non putant graviter peccare divitem, qui de superfluis non elargitur, nisi extremè indigenti, ut disputatione secunda dicebamus, quod licét falsum sit, indicare potest ignorantiam invincibilem gravis obligationis in divite, qui non elargitur in communibus, & gravibus necessitatibus, cur enim dives illitteratus non poterit prudenter credere, non esse obligatorium sub mortali, quod valdè docti putaverunt; cum ergo accidere possit, ut confessarius meritò secutus alios, quos nos sequimur, non bene faciat declarando diviti cõtrariam opinionem, & iuxta illam obligando ad id, quod dives fortè non faciet, meliùs erit tunc tacere, & scrupulum non inijcere. Denique in communibus necessitatibus, quę sunt frequentissime, probabile est non esse obligationem gravem elargiendi eleemosynam: quare his omnibus adductus probo id, quod ab alijs accepi, hortandos quidem divites in confessione ad frequentes, & non parcas eleemosynas, non autem cogendos iniecto scrupulo, nisi cum quis clarè sciretur non habere pauperum curam, & tunc quidem prudentia opus esse propter dicta, quod enim raró obligat sub mortali, non tenetur confessarius ita pressè examinare.

Quod ad Ecclesiasticos spectat, multò strictiùs accipiendum est, ut constat ex disputatione praecedenti: prudens itaque confessarius petat ab Ecclesiastico, cuius confessarius est, qui, & quot sint redditus sui beneficij, quid de illis insumat in sui congruam sustentationem, quantum inde supersit, an curet nosse necessitates pauperum, praesertim si Episcopus sit, & quantum eis elargiatur, quae opera pia decernat instituere, vel re ipsa instituerit, qui si in prędictis omnes redditus insumat, tutus erit conscientia, iuxta doctrinam disputationis praecedentis: si veró in alios usus non pios notabilem quantitatem reservet, cogendus est pauperibus, & pijs operibus distribuere: sed quia haec omnia in puncto indivisibili non consistunt, magna prudentia opus erit, illud etiam advertendo obligationes istas charitatis non ita strictè accipiendas, ac si essent ex iustitia, & in dubio, an sumptus, quos Ecclesiasticus facit sint excessivi, an moderati, non esse illi scrupulum inijciendum, sed relinquendum suę libertati, qua in dubio spoliandus non est: hortari tamen conveniet ad partem tutiorem, & ad id quod perfectius est, & eius statum magis decet. 3.

DISPVTATIO V.

Quae personae prohibeantur eleemosynam corporalem elargiri?



Conveniũt Doctores, eleemosynam non posse elargiri, nisi illos, qui vel habent propria bona, de quibus pro libito disponãt, vel si aliena sint, habeãt potestatẽ à legitimo domino, vel dispensatore acceptam, ut illam elargiantur, & propterea S. Thomas in articulo octavo ait, eum, qui sub alte- 1. — S. Thom.

rius potestate est, non posse quatenùs talem elargiri eleemosynam, nisi prout permissum fuerit ab eo, sub cuius potestate est, quia nimirum bona, quę possidet in quantum subditus, subduntur etiam dispositioni superioris.

2. Ex quo principio infertur primo, quãdo, & quomodo religiosus possit eleemosynam elargiri; imprimis enim, si Episcopus sit, potest sicut & reliqui prælati erogare de suis redditibus, quia licét illorum non sit dominus, id enim pugnat cũ voto solẽni paupertatis (nisi forte Episcopus esset ex illis religiosis, qui in Societate Iesu emiserũt sola vota bienni) est tamen illorũ administrator, & dispensator, habetque sine dubio potestatem à Summo Pontifice, cui subditur ea bona insumendi in usus pios; quod si in prophanos insumeret, non solùm peccaret sicut & reliqui prælati, de quibus disputatione pręcedẽti, sed etiam teneretur, qui acciperet ad restitutionem, quæ quidem Ecclesiæ facienda esset. Vide Valenciam Valent. Tomo tertio disputatione decima, quæstione tertia, puncto octavo. Si autem religiosus habeat aliquod beneficium Ecclesiasticum, cuius redditus sint eius dispositioni commissi sine limitatione, poterit eodem modo elargiri eleemosynas, imò si habeat peculium, quod omnino liberè tributum illi sit ut honestè se sustentet, & reliqua dispenset, de quibus benè Molina infrà, Molina. ubi etiam quid in hac parte possit Prælatus religionis. Si denique subditus sit, poterit aliquando elargiri aliquid moderatum facultate expressa, vel præsumpta superioris, pro diversitate usus, & regularum suæ religionis, unde cum iter facit, potest de viatico aliquid modicum elargiri pauperi occurrenti, ut Bañez in articulo Bañez. Sylvester. octavo initio animadvertit, & Sylvester verbo *Eleemosyna*, quæstione quinta; estque communis sententia, quam sequitur, & optimé declarat Molina Tomo Molina. secundo de Iustitia, tractatu secundo, disputatione ducentesima septuagesima sexta dicens, dum religiosus de licẽtia superioris peregrinatur, vel in scholis commoratur, posse facere eleemosynas, quas honesti scholastici, aut peregrini facere consueverunt.

3. Secundò infertur, an, & quatenus uxor possit eleemosynas elargiri, & quidem Navarra libro tertio de Restitutione capite primo part. 2. difficultate sexta nonnullos casus enumerat, in quibus Navar. uxor potest magnam etiam quantitatem pauperibus erogare, & difficultate septima aliquid addit ad complementum materiæ. Sed Molina Tomo secundo de Molina. Iustitia, disputatione 274. ex professo, & optimé difficultatem hanc expedivit, sivè attento iure communi, sivè particulari nostri Regni. Et imprimis attento iure communi habet uxor quædam bona omnino sibi propria, etiam quoad administrationem, quæ parapherna dicuntur, & ex his liberè potest eleemosynam elargiri absque consensu viri, dummodo attendat, ne propterea vir ad paupertatem deveniat. Attento autem iure nostri Regni nulla bona habet uxor, quæ saltèm quoad administrationem non pertineant ad virum, & ideo non tam amplè licet uxori elargiri ex his bonis eleemosynas, poterit tamẽ eas, quas mulieres sui status, & conditionis facere solent, attenta necessitate suæ familiæ, & quantitate facultatum, quia id præsumere potest velle maritum. Imò etiam si ille renueret, non teneretur uxor restituere, quæ sic insumeret. Imò addit Molina non peccaturam, si in hoc non obediat marito, dummodo eleemosynæ non excedant eas, quas mediocres mulieres sui status facere consueverunt. Bañez Bañez. ad articulum octavum addit vigesimam partem lucri annui posse dispensari ab uxore viri divitis eo nesciente. Vbi verò esset extrema necessitas, aut gravis, quæ sub mortali obligaret ad eleemosynam modo explicando, disputatione septima in fine primæ assertionis, non est dubium, quin posset uxor etiam nolente viro eam erogare. Nec dictis obstat, quod Sanctus Augustinus Tomo secundo S. August. epistola 196. ait, non licere coniugatæ disponere de suis bonis sine consensu viri; loquitur enim de elargitione immoderata, aut quando inde proveniret incõmoda, quę præponderent.

4. Tertio quod attinet ad filiumfamilias, si ille habeat bona castrensia, aut quasi castrensia, potest de illis pro libito eleemosynam elargiri, quia eorũ bonorũ dominus, & administrator est. Vide Navar-

rum

rum in Summa, capite decimo septimo, numero centesimo quadragesimo primo, & Navarram in illa secunda parte, capite primo suprà citati. Si autem non habeat eiusmodi bona, potest imprimis elargiri ex bonis paternis in extrema, aut gravi necessitate, quæ sub mortali obliget modo dicendo, disp. septima in fine primæ assertionis: deinde, si extra paternã domum sumptibus patris degat in scholis, aut curia, vel peregrinatur, potest, quamdiu aliud non ei constiterit de voluntate patris, eas eleemosynas facere, quas communiter faciunt reliqui eiusdem conditionis, & status. Idem proportione servata dicendum est de minoribus, qui sub curatore, vel tutore sunt. Vide Molinam Tomo primo de Iustitia, tractatu secundo disp. 224. paragr. *Porro ad alienta*, & Tomo secũdò, disp. 277 paragrapho *Minores*. *Molina.*

5. Quartó tandem servus de bonis domini sui non potest elargiri eleemosynã, nisi in extrema necessitate, aut gravi explicanda in disp. septima ad finem primæ assertionis, aut quando aliunde constaret ei de domini voluntate. Si autem habeat, ut aliquando habere solet servus bona sibi propria, de illis potest pro libito, vel elargiri eleemosynam, vel alia pia opera facere.

DISPVTATIO VI.

Quibus personis eleemosyna eroganda sit.

1. Vm finis eleemosynæ sit sublevare miseriam, illis proprié conferẽda est, qui miseriã patiuntur, ac proinde indigent aliquomodo, sivé ad sustentandam naturam, sivè statũ, omnes enim isti pauperes nuncupantur, nec obstat eos alioqui esse peccatores, quàmvis enim ut talibus non sit eleemosyna tribuenda, iuxtà illud Ecclesiastici capite duodecimo: *Da misericordi. & nõ suscipias peccatorẽ*, benè tamen ut proximi nostri sunt. Porrò inter pauperes esse computandos eos, qui pro Christo Domino voluntariam paupertatem profitentur indubitatum est, licereque eis ob *Eccl. 12.*

humilitatem mendicare. Vide quæ affert Valencia disputatione decima, quæstione quinta.

2. Dubitari tamen meritò potest, an ita sit requisita paupertas ex parte recipientis eleemosynam, ut si ille se pauperem esse fingat, teneatur restituere stipem ipsi propterea erogatam. Doctores variè loquuntur & sentiunt; nam Caietanus in Summa verbo *Restitutio*, ad finem, vers. *Quartus casus est*, existimat, si quis propterea se pauperem esse confingat ut eleemosynam accipiat, acceptionem hãc esse fraudulentam, & restitutioni obnoxiam, secus verò si propter alios fines simulet paupertatem. Sotus nono de Iustitia, quæstione septima, articulo tertio ad finem, vers. *Per hæc ergo*, affirmat in quotidianis, seu ordinarijs eleemosynis, licet ementita paupertate acceptis nullam esse obligationem restituendi, quia qui eas donãt intendunt obsequium præstare Deo, cuius nomine petuntur, etiam si qui petit decipiat, & fingat. Si quis verò magnam aliquam eleemosynam hac vel alia simili fraude extorqueret, obligandum esse ad restitutionem, quia non censetur voluntariè donata. Navarrus in Summa capite decimo septimo num. 107. cum Adriano & Scoto ait, prædictam eleemosynam fictè acceptam restitui debere, sed tamen cum ea limitatione, ut causa finalis illam elargiendi fuerit finalis, seu quod idem est, principalis, nam si solum fuit impulsiva, seu minùs præcipua, non est obligatio restituendi, & quoniam quando eleemosynæ, quæ fiunt sunt modicæ, seu parvæ, non videtur causa finalis illas elargiendi paupertas petentium, nulla erit obligatio restituendi etiam si quis eas acceperit ementita paupertate. *Caietan.* *Soto.* *Navarrus.*

3. Molina Tomo primo de Iustitia, disp. 210 rectè expedivit hanc difficultatem, & iuxta decisionem illius breviter dicendum est, si ex circũstantijs probabiliter eluceat, facientem eleemosynam habuisse animum illam donandi, & absolutè trãsferendi dominium in eum, cui datur, non esse obligationem restituendi, etiam si ob fictam paupertatem accepta videatur, quia verè ille effectus est dominus talis eleemosynæ, ut de illa liberè disponere, vel apud se retinere possit Si verò de cõ- *Molina.*

traria facientis eleemosynam voluntate constaret, donatio esset nulla, nec transferretur dominium, ac proinde foret obligatio restituendi.

4. Advertendum autem est, non proptereа censeri donationem nullam, quia qui donat, non donaret, si sciret illum non esse verè pauperem, sed satis est ad valorē donationis, si eo animo donet, quod si post erogatam stipem, cognosceret fraudem, eam quidem detestaretur, sed tamē restitutionem fieri non vellet. Et quoniā in quotidianis eleemosynis præsumendū est, eos, qui illas faciunt, nolle restitutionem, etiam si ementita paupertate potitas fuisse cognoscerent, non est obligandus ad restitutionem, qui eas accepit fingendò se pauperem esse, ut optimé Sotus & Navarrus notaverunt; quibus addo Enriquez libro tertio de Indulgētijs, capite trigesimo quinto, paragrapho quinto, nisi aliud de mente donantis constaret. Contra verò magna aliqua eleemosyna, verbi gratia, centum aurei, qui alicui donarentur, quia finxit se esse Episcopum, qui ab Episcopatu per vim ab hæreticis expulsus, indiget peculiaribus sumptibus, ut ad illum redeat, vel quid simile, non censetur erogata voluntarié; & ideo restituenda esset. (Henriq.)

5. At quæret aliquis, cui facienda sit restitutio, Caietanus, & Navarrus, & Henriquez dicunt faciendam pauperibus, qui premerentur necessitate simili illi quam finxit qui eleemosynam accepit, quia voluntas donantis ea est; sed Sotus non nisi donanti putat faciendam, quia sub eius dominio adhuc manet illa eleemosyna, & hoc absolutè & rigorosè loquendo verum est, ut optimè Molina, qui rectè addit regulariter eleemosynas modicæ quantitatis restituendas esse pauperibus, aut alijs pijs operibus insumendas (quando iuxta dicta foret obligatio restituendi) quia singulis, qui eas dederunt modicum emolumentum ex ea restitutione proveniat, & vix cognosci poterunt, præsertim si multi fuerint, aliundeque præsumendum est eos eleemosynam fecisse propter Dei amorem, & communiter velle, ut operibus divini obsequij impendantur. Si verò quantitas eleemosynę magna foret non nisi donanti restituenda foret. (Caietan. Navar. Henriq. Sotus. Molina.)

In fine disputationis advertendum est, licét aliquando accidat ementita paupertate, aut sanctitate eleemosynam peti, nō propterea qui eam elargitur fore debere curiosum scrutatorem, sed saltèm in ordinarijs eleemosynis attendendam solùm esse in generali rationem divini obsequij & misericordiæ, quia licét fortasse in hoc vel illo casu, qui petit impostor sit, non propterea meritum eleemosynæ amittetur. Vnde Sanctus Chrysostomus Tomo quinto in Homilia, *Ne scrutemur pauperes curiose, non dum* (inquit) *tibi ad aures pervenit, quantum hi pœnarum luant, quibusve sint tormentis adiudicati, qui mendicum non aluerint? quid stipem deposcentem scrutaris? quin illum Christi ob gratiam excipe: nam si nimium sciens explorando curiosus, vel probum plerumque virum præteris, faciesque hoc modo futuræ & emeritæ mercedis iacturam, quamvis qui vel improbum pro Christo susceperit, culpandus non erit, quia capiet pro eo & præmium.* 6. (S. Chrys.)

DISPVTATIO VII.

De quibus bonis elargiri oporteat eleemosynam.



1. DE duplici tantum genere bonorum potest disputari hoc loco, positis ijs quæ in superioribus disputationibus explicata sunt, scilicét de bonis quæ sunt aliena, nec proindè sub sunt nostræ dispositioni, & de bonis quæ licèt nostra sint, illicitè tamen fuerunt adquisita.

2. Dico ergo primò, non licèt per se loquendo elargiri eleemosynam de bonis alienis, quæ nostrę dispositioni non subsunt. Assertio in generali, & communis & certa est, quia nemo potest disponere de re aliena, nisi prout & quatenus dominus illius voluerit; cum autem eleemosynam elargiri sit disponere de bonis, & illorum dominium transferre in alium, non potest id licitè fieri, nisi illorum bonorum dominus id voluerit. Ex quo patet, qui apud se reservat pecuniam, vel aliquid aliud alienum, & non habet po-

testatem à vero domino disponendi de illo, non posse quidquam erogare pauperi.

3. Sed obijcies primò, ut satisfiat præcepto eleemosynę, satis est dare mutuo pecuniam indigenti, licèt non fiat ei absoluté donatio, sed bona aliena, saltèm pecuniam, quam quis retinet, potest alter mutuo dare, quia posteà ei solvet ut proprio domino restituat; ergo de bonis alienis licet elargiri eleemosynam. Respondeo imprimis, rectè notavisse Valenciam punct. quarto, & Navarram tertio de Restitutione capite primo, part. quarta, difficultate quinta, numero 365. cum alijs, quando obligat præceptum eleemosynæ, & qui eam recipit verè & absolutè pauper est, qui nec habeat, nec moraliter appareat, unde posteà habere posit, tunc inquit esse obligationem donandi gratis eleemosynam, & non satis esse mutuum dare, quia revera actio mutuandi est quidam contractus utrimque onerosus, & valdé diversus ab elargitione eleemosynę, quæ est actus charitatis, & præcisè ordinatus ad sublevandum eius miseriam, absque novo onere, quod illi imponatur, imponeretur autem, & grave quidem, si semper maneret obligatus ad restitutionem, eo quod pecuniam mutuo accepisset. Unde praxis populi Christiani habet ut eleemosyna censeatur gratuita & liberalis donatio. Verum quidē est, si quis in uno tantùm loco paupertate premeretur, sed in alio loco haberet divitias, satis esse illi mutuum dare, quia absolutè non est pauper, & idem esset, si breviter certa spes esset, quod bona quātitas pecuniæ ei daretur, aut iure hæreditario obveniret, vel si solùm indigeret re mobili, ut equo ad evadendum periculum. Eo enim cessante non dubiū est, quin restituere equum teneretur, & sufficeret illum commodare. Deinde etiam si satisfieret præcepto eleemosynæ mutuum dando, non semper liceret alienam pecuniam mutuam dare, foret enim sæpe periculum illam non recuperandi, aut alio modo irrogandi damnum domino pecuniæ, vel rei alicuius immobilis, & tunc nō potest, qui illam apud se retinet, mutuare; ubi vero nullum periculum aut damnum timeretur, licitum esset hoc modo, & limitatione mutuare, ac perinde eleemosynam de alienis bonis elargiri, sed revera eleemosyna propriè non est mutuum, sed donatio liberalis, ut dictum est, & proptereà absolutè vera censetur cōclusio quam statuimus.

4. Obijcies secundò, quando præceptum eleemosynæ obligat, potest indigens rem alienam accipere & consumere; ergo qui illam apud se retineret, posset eam pauperi donare, ergo aliquando saltém licitū est de bonis alienis, & quæ nostræ dispositioni non subduntur eleemosynam facere. Antecedens patet primo, nam in extrema necessitate id docet communis sententia, proptereà enim omnia dicuntur esse tunc communia. Secundò, in alijs necessitatibus, eo ipso quod præcepto quis teneatur ad eleemosynam, si nollet illud implere, non est rationabiliter invitus, si pauper accipiat quod ei dare tenebatur. Consequentia vero probatur, quia si indigens potest rem alienam sibi accipere in casu dicto, poterit quivis alter eandem accipere ut pauperi donet: est enim eadem ratio, & non maior iniuria uno modo quam altero irrogatur vero domino. Respondeo, in extrema necessitate certum esse licere rem alienam accipere ab eo, qui tanta necessitate nō premitur, & consumere, si usu consumptibilis sit, & consequenter licebit alteri eam à te accipere, ut det patienti necessitatem extremam, nec ulla erit posteà obligatio restituendi, nisi iuxtà dicta ad præcedentem obiectionem, ut optimè Navarra & Valencia suprà, & Sotus quarto de Iustitia, quæstione septima, articulo primo versus finem, dicens id debere esse extra controversiam, & meritò quidem, licèt contra sentiat Navarrus in Summa, capite decimo septimo, numero sexagesimo primo, cum Adriano. Deindè in gravibus necessitatibus Navarra existimat licitum esse accipere rem alienam, quod idem prius docuerat Sylvester verbo *Furtum*, quęstione quinta dicto secundo, & Angelus verbo *Furtum*, paragrapho trigesimo septimo. Probatur, quia in gravibus necessitatibus tenetur dives eleemosynam elargiri, ergo si non elargiatur, non erit rationabiliter invitus, si qui indiget accipiat, & consequenter poterit alter nomine pauperis prædicti surripere à divite, ut pauperi donet, ut notavit Angelus

Marginalia: *Valenc.* *Navar.* (left, at "Valenciam... Navarram"); *Navar.* *Valenc.* *Sotus.* *Navarrus* *Navarra.* (right)

gelus

gelus supra. Caietanus verò secunda secundæ quæstione 66. articulo septimo, Sotus quinto de Iustitia, quæstione tertia, articulo quarto, Valencia disp. quinta quæstione decima, pūct. quinto, quæst. 2. post primam assertionem contrarium docent, & practicè loquendo, ita mihi videtur, non solùm, quia in capite *Si quis. de Furtis*, imponitur pœna accipienti res alienas tempore necessitatis, quod intelligendum est extra casum necessitatis extremæ, sed potissimum quia in necessitatibus gravibus est valdè probabile non teneri divites de necessarijs ad statum elargiri eleemosynam, ut disp. secunda dicebamus. Porrò, quod quis habeat superflua status rarum est. & difficilè iudicari poterit, præsertim ab extraneo, qui paupertate quidem opprimitur, sed conditionem, & statum divitis non novit, iniuriam ergo irrogaret illi, qui ab eo arriperet pecuniam. Confirmatur, quia cum accidere possit, ut multi gravem necessitatem patiantur, quibus omnibus dives non possit, aut teneatur subvenire, liberum illi est huic, vel illi elargiri; ergo cōtra iustitiā faciet quivis particularis, qui ab ipso pecuniam surripit. Dices hoc ipsum argumentum effici posse, quando multi extremam necessitatem paterentur, & non posset omnibus subveniri, cū tamen certum sit posse tunc à quolibet illam patiente accipi rem alienam; sed re vera non est eadem ratio, quia & necessitates extremæ rariores sunt, & magnus propriæ vitę amor potestatem cuilibet facit sibi prospiciendi, non attendendo alijs, nisi fortè apparerent tunc, & illorum vita anteponi deberet propriæ, in eo enim casu non liceret surripere tibi id quo illi ad vitam conservandam indigerent; quia tamen accidere potest quempiam sub mortali teneri huic determinato pauperi graviter indigenti subvenire, quia & superflua status habet, & non apparet alius pauper ea necessitate oppressus, tunc liceret quidem rem alienam accipere, & in eo eventu assentior Doctoribus prioris opinionis. Imo à iudice cōpelli posset dives, non solùm in extrema, sed in gravi necessitate proximè explicata constitutis subvenire, non quia ex iustitia ad id teneatur, sed quia tenetur strictissima lege naturali & divina, iudexque potest etiā ad ea quæ ex iustitia non obligant, compellere, ut ad audiendum sacrū, & relinquendam concubinam, & similia, præsertim scandalosa.

Caietan. *Sotus.* *Valencia.*

5. Dico secundò, de bonis illicitè acquisitis, quando non sunt obnoxia restitutioni veri domini, licitum est, & sæpè obligatorium elargiri eleemosynam. Sic S. Thomas articulo septimo, & communis; & probatur, quia tunc nulli irrogaretur iniuria, & aliundè subveniretur proximo indigenti. Confirmatur explicando duplicem casum, ad quem cæteri revocantur, prior est, cum quis medio actu peccati lucratus est aliquid, quod nō est obnoxium restitutioni, ut quod lucratur meretrix, & hoc cum sit meretricis, sine cuiusquam iniuria dare potest. Posterior est quando quis iniustè aliquid est lucratus, sed verus dominus cōparere non potest, & tūc iure Canonico præcipitur illud erogare pauperib', vel in alijs pietatis operibus insumere. In speciali verò, cui restituendum sit, quod ex contractu Simoniaco acquiritur; & per ludum illicitum, pertinet ad materias de Simonia, & ludo, licèt obiter tangantur à S. Thoma in solutione secundi, & à Dominico Bañez ex professo hic disputentur.

S. Thom. *S. Thom.* *Bañez.*

COMMENTARIVS in quæst. 33.

IN hac quæstione agit Sanctus Thomas de Correctione fraterna, & in articulo primo docet fraternam correctionem, quæ si propriè accipiatur, ordinatur ad remedium peccati, prout est nocivum ipsi peccanti, esse actum charitatis; eo scilicèt modo, quo eleemosyna pertinet ad charitatem, quatenus verò correctio ordinatur ad impediendum peccatū prout alteri nocet, & præsertim bono cōmuni, esse actum iustitiæ. In secundo affirmat correctionem cadere sub præceptum. In tertio ait correctionem, quæ est actus charitatis, pertinere ad omnes, illam verò quæ est actus iustitiæ, pertinere ad solos prælatos. In quarto prælatum corrigi posse, & debere à subditis reverenter tamen & correctione, quæ est actus charitatis, non iustitię punientis. In quinto,

ad

ad peccatorem etiam spectare correctionis preceptum, licèt cum humilitate, & confusione. In sexto ait correctionem, quæ est propria prelati habentis vim coactivam, non esse prætermittendam propter eius turbationem, qui corripitur; correctionem verè, quę est actus charitatis, esse omittẽdam, quando probabiliter creditur non profuturam. In septimo explicat, an, & quando secreta admonitio fratris debeat præcedere denuntiationẽ. Et in octavo, quando, & quomodo inductio testium præcedere debeat publicam denuntiationem.

TRACTATVS XII.

De actu charitatis, quo spiritualiter subvenitur proximo corrigendo defectus illius.

EX articulo primo Sancti Thomæ constat, duplicem esse correctionem, unam, quæ ordinatur ad impediẽdum peccatum proximi, quatenus alijs, & præsertim bono communi nocet, maximé si infligenda sit pœna delinquenti postquam iuridicé convictus fuerit. Alteram, quæ ordinatur ad remedium ipsius delinquentis, idque non tam punitione, quam suavi monitione. Prior est actus iustitiæ, ac proindè non pertinet ad præsentem tractationem, sed ad materiam de Iustitia. Posterior, si presè & rigorosè loquamur, est actus misericordiæ spiritualis, cum huius virtutis munus sit sublevare spiritualem proximi miseriam, & nulla maior quam peccatũ, sed quoniam misericordiæ actus specialissimo iure pertinet ad charitatem, ut in tractatu decimo explicatum est, ipsa quoque fraterna correctio, quæ ad liberandum proximum á peccato, prout ei nocet, ordinatur, appellari meritò potest & debet actus charitatis & ideo de illa hoc loco differendum est. Quoniam verò Christus Dominus æterna Patris Sapientia huius correctionis naturam obligationem, & conditiones mirabili, ac planè divina sententia complexus est, ad cuius verba revocari possunt omnia, quę de fraterna correctione disputaturi sumus, operæpretium nobis visum est, si præfatam sententiam, tanquam basim ac fundamentum, cui disputationum structura nitatur in medium proferamus, & in ea relegenda, ac singulorum verborum vi expendenda totus ille tractatus versetur.

Sic igitur habet textus Evangelicus Matthæi 18.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsumsolũ. si te audierit, lucratus eris fratrẽ tuum: si autem non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testiũ stet omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.

DISPVTATIO I.

Vtrùm ex præfatis Domini verbis colligatur præceptum fraternæ correctionis, illudque obliget sub mortali.

NOn defuit in Sancti Augustini temporibus, qui existimaret, nullum esse præceptum correctionis fraternę, sed eos, qui Dei precepta non servant, corripiendos non esse, orandum tamen Deum, ut illorum misereatur. Nitebatur hic error argumento futili, quod his verbis refert Sanctus Augustinus in Tomo septimo capite secundo, libri de Correptione, & Gratia, qui ad illum confutãdum editus est á Sancto Doctore, *Vt quid* (inquiũt) *nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus á malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle, & operari Deus operatur in nobis.* 1. *S. August.*

Concors tamen sententia Doctorum in quarto, distinctione decima nona, & cum Sancto Thoma articulo secundo affirmat, 2. *S. Thom.*

firmat, correctionem fraternam cadere sub præceptum, estque non solum ratione naturali stabilita, sed etiã Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonijs roborata, & ex fide certissima. Et quidem ratio à priori desumitur ex obligatione naturaliter indita diligendi proximum. Hæc enim dilectio exigit ut procurem bonum proximi, & avertam ab illo malum, saltèm si commodè possim; quod autem maius malũ, quam culpa, ad quam auferendam, maximè conducere potest, & solet correctio? cadit ergo sub præceptum. Confirmatur, quia naturali, & divino præcepto tenemur elargiri eleemosynam corporalem, qua sublevetur miseria corporalis proximi; ergo etiam tenemur elargiri eleemosynam spiritualẽ, qua sublevetur miseria spiritualis eiusdẽ, sed eleemosyna spiritualis, qua sublevari potest & solet miseria spiritualis proximi, scilicet culpa, est correctio fraterna, ergo naturali, ac divino præcepto tenemur ad correctionem.

3. Nec minùs perspicuè colligitur idem præceptum ex Sacra Scriptura Ecclesiastici decimo nono, *Corripe proximum; ne fortè non dixerit, & si dixerit, ne fortè iteret: corripe amicum, sæpè enim fit commissio;* nec minus illustris est locus ex capite 18. Matthæi, quem expendendum in hoc tractatu suscepimus, nam Scholastici Doctores ad hoc præceptum stabiliendũ illum adducunt, ut constat ex Sãcto Thoma, & eius interpretibus in hac quæstione: ex Alberto Magno apud Carthusianum in quarto distinctione decima nona quæstione prima; Durãdo, Richardo, & alijs ad eandem distinctionem. Constat etiam ex Abulensi in capite decimo octavo Matthæi multis quæst. Maldonato ibidem, Iansenio in concordia capite octagesimo secundo, & quod caput est Ecclesiæ Patres in prædictis verbis præceptum agnoscunt. Innocentius tertius in capite *Cum ex iniũcto*, Extra de hæreticis, *Aliud* (inquit) *est fratrem in se peccantem occultè corripere, quod quisque tenetur efficere secundum regulam Evangelicam.* Sanctus Chrysostomus Homilia 61. in Matthæum. S. Hilarius Canone decimo octavo in Matthæum expressè illud appellant præceptum; & Beda in capite decimo septimo Lucæ, expendens alia similia verba Christi Domini circa fraternam correctionem, *Qui fratrem* (inquit) *videns peccare tacuerit, non minus divini præcepti transgressor est, quam is, qui eidem pænitenti veniam dare noluerit.* Denique Sanctus Augustinus Tomo decimo, sermone decimo sexto de verbis Domini, expendens locum Matthæi decimo octavo, *Hoc* (inquit) *audivimus Dominum monentem, & tanta cura præcipientem.*

Eccles. 19. — Matth. 18 — S. Thom. — Albertus. — Durand. — Richard. — Abulens. — Maldon. — Iansen. — Innocent. — S. Chrysost. — S. Hilar. — Beda. — S. August.

4. Video nonnullos, quorum postea mẽtionem faciam, dubitare, aut certè negare præceptum verbis istis Christi Domini contineri, quia communis Doctorum est Assertorem nostrum nullum novum præceptum addidisse, præter illa, quæ ad fidem, & sacramenta spectant: verba verò, de quibus agimus, continent correctionem certo quodam ordine faciendam, quod nullo modo dictat lex naturæ, nec in aliqua alia lege divina continebatur. Sed in sequentibus disputationibus ostẽdemus, quidquid hoc loco præcipit Christus Dominus, esse naturale præceptum, & nihil esse quod obstet, quominus communem explicationem Patrum, & Doctorum amplectamur. Nec magis obstat, quod initio disputationis contra certissimam nostram assertionem protulimus; nam licèt Deus sit, qui bonum in nobis facit, & malum à nobis avertit, tanquam prima & potissima causa, nos tamen nostra libera voluntate cooperamur, & ideo oportet ab hominibus adhibere media, quibus ea inducatur ad prosequendum bonum, & fugiendum malum; vnum autem ex istis medijs est fraterna correctio, & admonitio, qua excitatur ut ad Deum clamet, qui ei succurrat ut corrigi velit, & re ipsa corrigatur. Vnde S. Augustinus in capite quinto illius libri, de Correptione & Gratia, *Quod vult* (inquit) *pro se fieri, qui corripi non vult, & dicit ora potius pro me, corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se; dolor quippe ille, quo sibi displicet quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum, ut Deo miserante incremento charitatis adiutus desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc est correptionis utilitas,* &c.

S. August.

5. Dubitari verò merito potest, utrùm

hoc

hoc correctionis præceptum obliget semper, aut certè in aliquibus circunstantijs sub mortali. Et quidem aliquando obligare sub mortali certum est, cum possint occurrere circunstantiæ, in quibus grave malum spirituale proximi cum nullo detrimento proprio vitari omnino possit media correctione, & tunc graviter lędat charitatem, qui non corrigit. Sed ut rem magis in speciali definiamus, S. Thomas articulo secundo ad secundum, *Prætermittitur* (inquit) *fraterna correctio cum peccato mortali, quando formidatur iudicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio, dum tamen hæc ita dominetur in animo, quod fraternæ charitati præponatur. Et hoc videtur contingere, quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quod possit eum à peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit.* In cuius doctrinæ explicationem multa legi possunt apud Caietanum ibi, & in Summa verbo *Correctio*, Navarrum in Summa capite vigesimo quarto à numero duodecimo, & Valenciam hic, puncto secundo.

S. Thom. Caietan. Navar. Valencia.

6. Dicendum ergo est, ut præcepti istius transgressio sit culpa mortalis, requiri imprimis certitudinem moralem, quod proximus sit in statu culpæ mortalis, aut certè venialis, quæ speciale periculum inducit graviter offendẽdi Deum, id est, quæ propter periculum proximum sit culpa mortalis, alioqui non esset obligatio gravis illum corrigendi, nisi fortè in prælato, aut illo, cui specialiter incumbat prospicere bono alicuius communitatis, quod valdè lædatur non corrigendo, quia cum ipse non teneatur sub mortali evitare culpas veniales, nec nos tenemur sub mortali eum corrigere, ut illas evitet. Deinde quod indigeat correctione, nam si ipse delinquens est timoratę conscientiæ, ita ut credatur advertisse suum lapsum, & velle ex animo resurgere, aut certè ab alio corripiendus putatur, non est obligatio corrigendi; quia hæc est eleemosyna, quam nemo tenetur dare nisi indigenti. Tertiò quod speretur probabiliter fructus, si enim non creditur emendandus, cessat obligatio, imò quando esset aliqua spes emendationis, sed valdè modica, non esset peccatum mortale omittere correctionem; qui verò dubitaret, an correctio profutura esset delinquenti, si certus esset saltem non obfuturam, teneretur eam adhibere, non autem si simul dubitaret, an esset nocumentum allatura: ita Valencia puncto secundo, & Aragon articulo secundo, cũ Dominico Soto, Bañez dubio ultimo, qui rectè advertit in extrema necessitate proximi, etiam si dubitem de nocumento, teneri nihilominus corrigere. Quartò quod damnum inde proveniens corripienti nõ sit notabile, alioqui non erit obligatio nisi in necessitate extrema, aut quasi extrema damnationis proximi, nisi fortè corripiens sit prælatus. Quintò, quod non expectetur aliud tempus, in quo commodiùs, aut æquè commodè corrigi possit, & alioqui sit periculum in differenda correptione. Sextò tandem, quod ex intentione, & proposito omittatur correctio; nam si ex quadam tepiditate, aut simili affectu omitteretur, non esset peccatum mortale, nisi alioqui notabile proximi damnum tantum esset, ut graviter imputaretur nolenti ei succurrere correctione, ut optimè Caietanus: & quidem Valencia suprà dixit, rarò concurrere circunstantias requisitas, ut præceptum correctionis obliget sub mortali: & Emanuel Sà verbo *Correptio*, numero secundo, *Omittere* (inquit) *correptionem ferè semper veniale peccatum est*, in prælatis tamen, quorum maior est obligatio subditos corripiendi, facilè potest esse mortale, si ex negligentia, aut timore correptionem necessariam omittant. Vide S. Augustinum Tomo quinto, libro primo de Civitate, capite nono: & adverte eosdem prælatos posse gravem culpam committere, etiam si culpæ, quarum correctionem omittunt, sint valdè leves, si propterea disciplina religiosa iacturam notabilem patiatur, ut facilè pati potest; tenentur etiam defectus inquirire, neutrũ autem subditorum est, de quibus in hoc loco potissimùm sermo est.

Valenc. Aragon. Bañez. Caietan. Valenc.

Facit in confirmationem doctrinę, quã ex Valencia, & Sà retulimus, id quod graves Doctores notant explicantes, quando sit peccatum mortale audire, & non contradicere detrahenti, licét detractione ipsa non delectetur, qui audit. Sanctus enim Thomas infrà quæstione septuagesima tertia, articulo quarto ait, si quis 7.

S. Thom.

tunc

tunc correctionem omittat ob negligentiam, verecundiam, vel timorem, qui non sit mortaliter malus, non peccare plerumque, nisi venialiter: addit autem Sotus libro quinto de Iustitia, quæstione decima, articulo quarto pagina 457. non censeri timorem hunc mortaliter malum, quoties propter illũ omittitur correptio proximi, sed quando omittitur ob timorem correctio illa ad quam adhibendam est strictior obligatio, ut si detraheretur fidei, religioni, &c. Nec dissimilis est doctrina Navarri in Summa capite decimo octavo, numero trigesimo septimo dicentis, *Qui audit detrahentem sine assensu, & delectatione, licet non contradicat ob verecundiam, vel amicitiam, non peccat mortaliter, nisi in tribus casibus. Primus est si sit superior, cui incumbit munus corrigendi subditos; secundus si ultra infamiam provenit magnum aliquod damnum dicenti, vel alteri. Tertius si fama illius, cui detrahitur, valde læditur:* quod ita intellige, ut læsio sit maior, quàm illa, quę præcisè sufficiat ut detractio sit mortalis, alioqui enim non esset dubium, quin lethaliter non peccaret omittendo correctionem.

Sotus. *Navarrus.*

8. Ex quibus omnibus tandem concludo, præceptum hoc fraternę correctionis amplè accipiendum esse, nec facilè credendum, timoratos præsertim viros peccare læthaliter illud violando, præsertim si prælati non sint, nõ solum quia ita sentiunt graves Doctores, sed etiam, quia præcepta charitatis minùs rigorosã obligationẽ afferre solent, & præsertim istud eleemosynæ spiritualis, cuius finis cum sit sublevare miseriam spiritualem proximi, scilicèt culpam, in qua ipse liberè est, & à qua liberé exire potest, non ita propriè censetur pati spiritualem necessitatem, sicut nec propriè pateretur corporalem, qui posset facilè sibi ipsi succurrere, quò autem necessitas proximi minor est, eò minus tenemur illam sublevare.

DISPVTATIO II.

Vtrùm ex verbis Christi Domini colligatur omne, & solum peccatum esse materiã fraternæ correctionis?



Ropositæ disputationis difficultas posita est in explicanda illa prima parte verborum Christi Domini, *si peccaverit in te*: ibi enim indicare videtur materiam fraternæ correctionis, seu quid sit illud, quod in fratre nostro corrigere tenemur. Quatuor ergo breviter disputanda sunt ad horum verborum intelligentiam. Primum, an iuxta præceptum Domini teneatur quisque corrigere proximum, quando contra ipsum corripientem peccavit? Secundũ, an Assertor noster omne læthale peccatum alteri notum comprehenderit, nam omnino occulta solus Deus, qui novit, corrigere potest? Tertium, an peccata venialia sint materia, circa quam cadat præceptum correctionis? Quartum, an alij defectus, qui culpabiles non sunt, sed ex ignorantia invincibili proficiscuntur, sub obligatione corrigendi sint? 1.

2. Circa primum videbitur alicui nullam esse obligationem corrigendi peccatum, quod contra nos commissum est, sed potius ad Christianam humilitatem, & patientiam pertinere taciturnitatem, & oblivionem iniuriæ nostræ. Respondeo tamen sinè dubio ad eiusmodi culpas fraternè corrigendas nos teneri, eo scilicet modo, & circunstantijs, quibus non ad vindictam, sed ad emendationem, quam probabiliter speramus, convenire iudicabitur: ratio enim, quę persuadet, alia peccata esse corripiẽda, persuadet etiam hoc esse materiam correctionis; imò communis Sanctorum Patrum consensus est, in verbis Christi Domini sermonem esse de peccato cõtra nos commisso, quod simul & potissimum est contra Deum, & contra ipsum peccantem, illud enim corrigendum est, ut Dei iniuria, non ut nostra propulsetur. Vnde Sanctus Augustinus sermone decimo sexto de verbis Domini, *Quare* (inquit) *illum corripis? quia tu doles, quod peccaverit in te, absit: si amore tui id facis, nihil facis, si amore illius facis, optimè facis.* Et Sanctus Chrysostomus Homilia 61. in Matthæum sapienter ostendit, quam consentaneum fuerit, à *S. August.* *S. Chrysost.*

Christo Domino impositum fuisse præceptum corrigendi peccatū ipsimet, contra quem commissum est, quærens enim, cur Dñs ipsi iniuriā passo præceperit, ut corrigat, sic respondet, *Nam si qui pœnas ab eo petere posset, is de salute ipsius laborat, maximè omniū poterit eum placare.*

3. Circa secundum nemo dubitat, quin iuxta doctrinam præcedentis disputationis teneamur corrigere peccata læthalia proximorū, quæ novimus, etiāsi directè, & propriè non sint contra nos, sed tamē id non colligi ex verbis Christi Domini, multis contēdit Bernardinus Arevalo in suo tractatu de correctione fraterna, & noster Salmeron tomo 4. parte 3. tractatu 11. multa affert, ut persuadeat huius rei probabilitatem. Imprimis enim illa phrasis, *Si peccaverit in te*, idem omnino significat, quod *Si peccaverit contra te*, & contextus totius capitis 18. Matthæi de sola iniuria in nos commissa sermonem esse convincit, nam post verba Domini interrogat Apostolus Petrus, *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, usque septies?* & Assertor noster respondet, *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*; & huius rei commendandæ gratia proposuit parabolam servi, cui, cùm Dominus ingentem æris alieni copiam remisisset, noluit ipse misereri conservi sui; & propterea à Domino tortoribus traditus est. Deinde Sancti Patres in hanc explicationem conspirant, ut constat ex ijs, quos Salmeron refert, & ex Evangelij interpretibus: denique quia multæ difficultates orirentur ex alia explicatione, de quibus tamen paulatim in sequentibus disputationibus agetur.

Arevalo. *Salmer.* *Salmeron.*

4. Nunc verò dicendum est, licèt negari non possit, directè, & expressè Christum Dominum de illo solùm peccato, quod contra nos committitur, fuisse locutum, consequenter tamen, & indirectè voluisse id ipsum intelligi de quavis gravi culpa nobis manifesta; sic sentiunt non solùm omnes scholastici Doctores, sed etiā diligētes Evangeliorū interpretes: ex recentioribus Abulensis, & Maldonatus in præfatum locum Matthæi, Iansenius in Concordia cap. 82. & quod ampliùs est ipse Sanctus Augustinus in sua regula, de qua posteà, proponit modum corrigendi omnia fratrum peccata iuxta hanc Domini sententiam: & in sermone 16. suprà relato explicans verba Matthæi 18. ait, illud *peccavit in te, non solùm significare iniuriam irrogavit tibi, sed etiā, iniuriam te sciente irrogavit alicui proximo tuo, ac proinde Deo, si multis* (inquit) *audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccavit, quos testes sua iniquitatis effecit*: & infrà explicans correctionis modum; *Sic* (inquit) *agendum est, nō solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo.*

Abulens. *Maldon.* *Iansen.* *S. August.*

Probatur etiam efficaci ratione, quia scopus Christi Domini in præfata sentētia fuit, ut fratrē benignè admoneremus animo lucrandi illum; sed admonitio ad hunc finem consequendū non solū solet esse necessaria, quando peccatū est cōtra nos, sed etiā quando est peccatū grave, quod ipsum peccantem perdit; ergo scopus Christi Domini fuit omnia peccata complecti. Confirmatur, quia certū est, præceptū correctionis obligare, etiam si peccata non sint contra ipsum, qui correpturus est; ergo ut Salvatoris sententia generalior sit, & materiam universam huius præcepti complectatur, censenda est omne peccatum complecti: adde quod si ut par est, peccati malitiā perpendamus, planè comperiemus, nullum esse peccatū, quod non sit contra nos, quia nullum est, quod nō sit iniuriū Deo; iniuria autē Dei meritò reputari debet nostra, quippe sumus illius creaturæ, filij, servi; & qui iniuria afficit Creatorem, Patrē, & Dominum, afficit consequenter creaturā, filiū, & servum illius. 5.

Ex quibus patet ad rationes dubitandi; fatemur enim directè, & magis expressè loqui Christū Dominum de peccato contra nos commisso, & ita Sanctos Patres explicuisse, sed consequēter, & implicitè cōprehendisse omnia peccata proximi, quorū notitiam habuerimus, quia eadem ratio est, & quia omnia illa sunt aliquomodo cōtra nos, licèt specialis causa fuerit agēdi magis in speciali de peccatis in nos cōmissis; quam quidē sapienter his verbis Maldonatus noster declaravit. *Credo* (inquit) *ego de omni peccatorū genere agi, spectandum enim est Christi consilium, ut peccantem non acerbè accusemus, sed benignè corrigamus. Dixit autem, si pecca-* 6.

verit in te, quia tunc acerbi, tunc acres reprehensores esse solemus, cùm eos, qui contra nos peccaverunt, obiurgamus; & voluit sapientissimè Christus ibi nobis frænum iniicere, ubi maximum periculū erat, ne præcipites ageremur.

7. Caietan. Valenc. Circa tertium Caietanus in Summa verbo *Correctio*, & Valencia hic, puncto secundo, difficultate ultima existimāt esse peccatum veniale nō corrigere culpas veniales aliorum in ijs circunstantijs, in quibus iuxta doctrinam disputationis præcedentis esset mortale, non corrigere culpas mortales; imó Origenes apud Sanctum Thomam in Catena saltèm dubitat, utrùm verba Christi Domini de venialibus tantùm intelligenda sint. Origenes. Probat Valencia primò, quia non corrigendo læditur aliquantulum amicitia proximi, cùm non amoveamus ab eo malum quod possumus: Secundò quia peccatum veniale est non sublevare miseriam temporalem proximi, licét levem, cum commodè sublevari potest; ergo etiam erit veniale nō sublevare miseriam spiritualem levem mediante correctione: Tertiò quia sibi tenetur quisq; velle, & re ipsa procurare immunitaté ab omni culpa veniali; ergo & proximo suo, quem sicut semet ipsum diligere tenetur.

8. Abulens. Bañez. Probabilior tamen est cōtraria sententia: eam amplectuntur Abulensis quæstione 82. in cap. decimum octavū Matthęi, & Bañez ad articulum secundū huius quæstionis. Probatur primò, quia cū venialia sint penè innumera, maximum onus impositū esset nobis, si singula corrigere teneremur, foretquè ea correctio exposita sexcentis aliorum molestijs; non est ergo credibile suavissimam charitatis legem ad id obligare: Secundò, quia nihil affertur pro parte contraria, quod hanc obligationem sufficienter suadeat; non primum, quia potius ex natura rei lędit aliquantulum amicitiam frequens correctio levium defectuum: nec secundum, tum quia antecedens fortè est falsum; si enim iuxta dicta in tractatu pręcedenti disputatione secunda, sectione quarta probabile est, præceptū eleemosynæ corporalis nō obligare sub mortali in ordinarijs necessitatibus, etiam si quis cōmodè eam erogare possit, probable etiā erit non obligare sub veniali, quando necessitas est minor, & valde exigua: tum etiā quia necessitas, quam patitur proximus, dum venialiter peccat, minor est in suo genere, quàm corporalis in suo, cum sit voluntaria, & quæ facilè sublevari potest sexcentis alijs remedijs, unde minor obligatio est illam sublevādi in proximis nostris, quàm temporalem, quę sępè est in voluntaria, & non nisi eleemosynę largitione sublevatur, nullusquè pauper eam molestè accipit, cùm fraterná correctionem ægrè ferre soleamus. Nec denique tertiū, quia minùs teneor ego prospicere proximo, quàm ipse sibi, pręsertim quādo id creditur fore illi onerosum: adverto autem hic nos non agere de prælatis, vel de ijs, quibus ratione alicuius muneris specialis demandata esset cura corrigēdi, vel alioqui propter aliquod statutum sui ordinis tenerentur deferre ad pręlatum, etiā defectus qui non essent graves, pręsertim si intrà limites venialis essent magis nocivi. Denique si aliquod veniale induceret peculiare aliquod periculū, etiā intrà limites venialis, valde probabile est, esse obligationem corrigendi illud.

Ex quibus tandē constat verba Christi Domini de solis mortalibus accipienda esse: in cuius confirmationem facit, quod subdit, *Si tē audierit, lucratus eris fratrē tuū*, antea ergo perditus erat, quod peccatum mortale solùm efficit. 9.

Circa quartum, certum est hanc obligationem docendi ignorantes, qui laborant ignorantia invincibili non esse propriè correctionem, quia correctio supponit culpam, & qui facit aliquid alioqui malum, sed propter ignorantiam invincibilem, nō committit culpam, & ideò Dominus noster pręceptum correctionis explicaturus dixit, *Si peccaverit in te*, ostendens solum peccatum, seu defectū culpabilem esse materiam correctionis. Dubitari verò meritò potest, an saltém sit obligatio orta ex virtute charitatis docendi proximum, cuius ignorantia invincibilis est: disputant de hac difficultate ex professo recentiores Valencia, Bañez, & Aragon ad articulum secundum, & reverà quidquid dici potest tandem prudentis arbitrio expendēdum est: brevissimè verò attingam principia generalia, ex quibus solutio particularium dubiorum deduci facilè potest. 10. Valenc. Bañez. Aragon.

11. Primum est, quando ex eo, quod quis veritatem doceat proximum suum, nullũ omnino emolumẽtum proveniet, nec tenetur, nec debet docere, quia solùm deserviet admonitio, ut deinceps culpabiliter fiat id, quod antea sinè culpa fiebat: Secundum si ignorantia sit alicuius rei necessariæ ad salutem, necessitate medij tenetur quisque sub mortali docere veritatem, quia alioqui proximus non consequetur remissionem peccatorum, sed dãnabitur: verbi gratia, ignorat aliquis invincibiliter necessitatem Baptismi, ignorat mysterium Trinitatis, vel Incarnationis, tenetur illum docere, quia hæc sunt media ad salutem necessaria.

12. Tertium si id, quod ignoratur, nõ quidem sit necessarium necessitate medij, sed tamen ignorantia cedat in notabile detrimentum alterius, obligatio est illum admonendi; verbi gratia, si quis porrigeret alteri venenum invincibiliter ignorans esse venenum, teneretur sinè dubio sub mortali detegere veritatem: similiter si quis accederet ad non suam, vel retineret bona aliena, vel cultu superstitioso coleret Deum, aut scandalum præberet proximo, aut denique violaret mãdata legis naturæ, quæ cùm sint contra Deum, vel proximũ, cedunt in notabile detrimentum alterius. Quartum si quãvis id quod modò invincibiliter ignoratur, non sit medium necessarium ad salutem, postea tamen ignorantia futura est culpabilis, & occasio ruinæ, obligatio erit docendi veritatem.

13. Quintum prælatus, vel is, cui ex officio incumbit docere alios, tenebitur docere veritates, quæ sub præceptum divinum, vel naturale, vel ecclesiasticũ cadũt, alioqui non satisfaciet muneri suo: Sextũ illi, quibus hoc officium non incumbit, non tenentur, saltèm sub mortali, etiam si commodè possint, docere veritatem extrà casus prædictos. Probatur, quia dãnum, quod tunc patitur proximus meus non est notabile, cùm ignorantia invincibilis illum excuset à culpa, nec inde timetur prudẽter aliud ipsius, vel proximi, aut quod ampliùs est, divini honoris, detrimentũ: verbi gratia, si viderem quempiam hodie non ieiunare, licèt præceptũ sit, quia illud ignorat, & nullus inde scãdali occasionẽ haberet, non esset peccatũ saltèm grave nihil illi dicere, ut veritatem cognoscat.

Denique adverto in casibus in quibus diximus, obligationem esse docendi veritatẽ, posse reperiri circunstantias, quæ deobligent, ut si detrimentũ inde proveniens ipsi docenti tantum sit, ut meritò cẽseatur præpõderare emolumẽto, quod amittit, qui in sua ignorantia relinquitur: potest etiã in eiusmodi rebus parvitas materiæ excusare à culpa læthali, quia licèt alicui ex officio incumbat alios docere, licèt omittat aliqua, quorum ignorantia censetur valde exigui momenti, non imputabitur Doctori ad culpam præsertim gravem. 14.

DISPVTATIO III.

Quid nomine fratris significetur in præfatis Christi Domini verbis? ubi, an, & quatenùs infideles, & hæreticos corrigere Catholicus teneatur?



SAnctus Chrysostomus Homilia 61. in Matthæum disertè testatur, nomine fratrũ intelligi à Christo Domino illos solùm, qui pertinent ad Ecclesiam, & præcepto hoc non comprehendi infideles: affertque illud Apostoli primæ Corinthiorum quinto, *Quid mihi est de ijs, qui foris sunt iudicare?* Maldonatus etiam, solos Christianos significari putat; & id ipsum multis probat Abulensis quæstione 91. in cap. decimum octavum Matthæi. Tria verò sunt in ipso textu, quę hoc evincere planè videntur: primum enim infideles non sunt fratres nostri, cùm nec Deum habeant Patrem, nec Ecclesiam Matrem: deinde quia si post secretam monitionem, & coram uno, vel duobus testibus peccator non emendetur, iubemur dicere Ecclesiæ; at peccata infidelium saltèm non baptizatorum, non sunt accusanda coram Ecclesia, quæ non potest illos punire; 1. *S.Chrys.* *1.Cor.5.* *Maldon.* *Abulens.*

denique quia si Ecclesiam non audiat, censendus est tanquam ethnicus, & publicanus; quod sanè si de ethnicis ipsis dictum fuisset à Domino, nullum foret supplicium, quid enim si ethnicus, à Catholico tanquam ethnicus habeatur?

2. Negari sanè non potest id, quod directè, & expressè continent verba Christi Domini, ad solùm illos pertinere, qui Catholici sunt, eiusdemque fidei, & professionis nobiscum, ut rectè probatū est. Verùm quoniam præceptum correctionis fraternæ naturale est, & Christus Dominus nullam hoc loco obligationē imposuit, quæ ab ipsa natura non sit, ut suprà cū cōmuni Doctorū supponebamus, fateri cogimur, teneri etiā Catholicos ad corrigendos infideles baptizatos, & non baptizatos, servatis illis conditionibus, quas in prima disput. numeravimus. Etenim si infidelis quispiam furtū cōmitteret, & Catholicus probabiliter speraret sui correctione, infidelem deinceps non furaturum, nullumq; grave nocumentū inde Catholico proveniret, quis dubitabit teneri ad corrigendū, cùm proximus sit, & de cuius salute curandū illi est, quia unicuiq; mādavit Deus de proximo suo, & ita tandē fatetur Abulensis, nec ullus poterit dissentire. Confirmatur, quia in aliquibus casibus teneretur Catholicus elargiri eleemosynā corporalem infideli; ergo & eleemosynā spiritualē, qualis est correctio. In speciali autem differere de tēpore, & alijs circūstantijs ad hanc correctionē requisitis, partim pertinet ad disputationes sequētes, quarū doctrina, partim huic materiæ accōmodari potest, partim cōstat ex dictis suprà de ordine charitatis, & quando obligemur infideles adire.

3. Ad primā rationē dubitādi respōdeo, infidelē non baptizatū non esse propriè fratrē, sed esse proximum, & quodámodo filium Patris nostri Dei, qui generali nomine omniū Pater est; baptizatū verò, qualis est hæreticus, esse aliquo modo fratrē propter dicta, & insuper quia recepit sacramentū regenerationis, & aliquādo saltém filius Dei fuit per gratiam.

4. Ad secundā rationem respondeo, imprimis hæreticos ad Ecclesiā deferri posse, quia sub illius iurisdictione sunt; alij autem infideles non possunt propriè coram Ecclesia accusari; & propterea dixi, attento rigore verborum Domini, non esse de illis sermonem; sed quoniā præceptum istud in latitudine sua consideratum est naturale, ac proinde omnes omnino complectens, comparatione infidelium Ecclesia est potestas ipsa sæcularis, vel iudex illius Reipublicæ, ad quam ipsi pertinent. Monet ergo Dominus infidelem, si postquam secretò, & corā testibus admonitus est, nolit resipiscere, accusandum esse coram iudice, aut potestate sæculari, cui subditus est, ut ita desistat peccare: quod quidem quando, & de quibus culpis faciendum sit, patebit ex dicendis infrà in simili de modo, & circūstantijs, quibus catholicus peccata catholici ad Ecclesiam deferre teneatur, ea enim doctrina præsenti instituto poterit adaptari.

5. Ad tertium respondeo similiter, licèt rigor verborum non complectatur infidelem non baptizatum, mentem tamen Domini fuisse, ut aliquo modo ad illos candē doctrinā extenderemus, quasi diceret, si infidelis iudicē suum audire noluerit, sit tibi tanquam ethnicus intrà suā rempublicam, scilicet tanquam dignus qui à suorum civium convictu separetur, & perinde ibi habeatur, atque Catholicus obedire nolens Ecclesiæ Christianæ habetur comparatione fidelium.

6. Nec dictis obstat authoritas S. Chrysostomi, qui solum contendit, verba Christi Domini directè, & expressè non obligare comparatione infidelium nō baptizatorum, nec illos ad Ecclesiam Catholicam deferri posse, ut tanquā subditi in spiritualibus ab illa iudicentur, & puniātur; idque tantum Apostolus docet in illo loco, quem affert, sed neuter affirmat infidelem non esse corrigendum attento præcepto naturali fraternæ correctionis.

DISPUTATIO IIII.

Utrùm omnis, & solus frater, an etiam quicunquè alius, quantùmvis peccator corrigere teneatur?

Difficul-

1. Difficultas oritur ex illa particula, *si peccaverit in te frater tuus;* videntur enim plures personæ excludi ab obligatione corrigendi; in primis infidelis, aut hæreticus, quia catholicus, quem corrigere posset, non est frater eius: deinde peccator, qui indignus est appellari frater alterius catholici, præsertim si iustus sit, aut certè nimis malus: tertio subditus liber erit ab obligatione corrigendi prælatum, quia nō est frater, sed superior illo.

2. Dicendum tamen est, ab hoc præcepto neminem censeri deobligatum, si probabiliter speretur fructus correctionis, concurrantque cæteræ circumstantiæ in prima disputatione declaratæ. Sic sentiunt omnes Doctores; in speciali legendi sunt Sanctus Thomas articulo tertio, quarto, & quinto; Caietanus, Bañez, & Aragon ibidem; Valencia puncto tertio, & quarto; Sotus de tegendo secreto, M. secundo. Probatur, quia præceptum correctionis est naturale, nec oritur ex huius, aut illius personæ statu; quanquam enim sint aliqui, quibus ratione status incumbit maior corrigēdi cura, & alij, quibus minor, nullus tamen est, in quo non reperiatur ea generalis ratio, quod scilicet curare debeat bonum proximi sui, sive sublevando miseriā corporalem; v. g. elargitione pecuniæ, sive spiritualē, quæ est peccatum adhibita correctione, vel alio remedio.

S. Thom. Caietan. Aragon. Bañez. Valenc. Soto.

3. Vnde quod attinet ad infidelem, aut hæreticum, ille quidem potest imprimis, & interdum tenebitur alium infidelem, aut hæreticum, qui suo modo frater est, corrigere: deinde aliquando tenebitur etiam corripere Catholicum, qui largè loquendo frater dici potest, iuxta doctrinam disputationis præcedentis; peccator verò, si catholicus sit, frater est, sicut & filius Ecclesiæ, nō ergo est cur censeatur non obligatus ad corrigendum, servatis tamen conditionibus debitis, ut nimirùm humiliter corripiat, coneturque vitare scandalum, & ita se gerere in correctione, ut non videatur iactantia, vel irrisio, dum quod ipse audacter fecit, in alijs severé obiurgat, & ita corrigat, ut emendatio speretur: quando verò propter perversam eius vitam censeretur non profuturam eius admonitionē cessabit obligatio. Vide testimonia Sacræ Scripturæ & Patrum, quæ affert Valencia in illo puncto tertio; non enim est sensus illorum, peccatorem nūquàm teneri ad corrigendum, sed solum teneri ad servandas conditiones iam explicatas, ut ita correctio proficua sit, & si aliquando credatur non fore proficuam, sed nocivam, teneri ad non corrigendum.

Denique licèt subditus, nec teneatur, nec possit correctione, quæ punitionem complectitur, corripere suum prælatum, tenetur tamen correctione fraterna, de qua hic est sermo; quia etiam prælatus aliquo modo frater est, utpotè filius eiusdem Ecclesiæ, & membrum eiusdē corporis mystici Christi Domini: monet autem Sāctus Thomas in articulo quarto, correctionē hanc reverenter, & mansueté adhibendā esse; imò Valencia puncto quarto, paragrapho penultimo, non à quocunque subdito id esse præstandū, sed ferè solùm ab eis, qui præcipuæ cuiusdam authoritatis, vel existimationis sunt, & ideò creduntur sua monitione profuturi. 4.

S. Thom. Valenc.

Bañez ad articulum tertiū, dubio tertio, & Valencia puncto tertio non longé à fine, rectè notant inter personas, quę prælationem non habent, peculiari titulo esse ad correctionem obligatos eos religiosos, quorum institutum est procurare salutem animarū; satisfacere verò huic obligationi, si iuxta præscriptum sui superioris se exerceant in eleemosynis spiritualibus proximo erogandis, non enim tenentur ipsi exire ad corrigendum, vel inquirendum peccata, si superiores nolint, aut si ab eis non mittantur, nisi fortè quando incuria superioris tanta esset, ut meritò crederetur ipsum non satisfacere obligationi, quam habet distribuendi religiosos, ut in salutem animarum incumbant; tunc enim tenebuntur petere à prælato potestatem exeundi, aut aliter attendendi huic muneri spirituali in utilitatē proximorum: prætereà quoties se obtulerit occasio commoda prospiciendi proximis, debent id facere prædicti religiosi etiam non missi à prælato ad eum finem, sed non semper erit peccatum, præsertim grave. 5.

Bañez. Valencia.

DISPVTATIO V.

Quando, & quatenus obliget, quod in illis Christi Domini verbis exprimitur, Vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.

SECTIO I.

Explicatur in quo consistat disputationis difficultas.

1. IAm Dominus incipit declarare ordinem, qui in adhibenda correctione servãdus est, in quo sanè mirum in modum elucet eius clementia sapiẽtissima, ut in discursu huius, atque sequentium disputationum manifestum erit. Vt autem, quod certũ est, supponatur, conveniunt Doctores, quando fratris nostri peccatum est publicum, nullam esse obligationem priùs secretò corrigendi illum, sed posse immediaté ad Ecclesiam, scilicèt ad prælatos, deferri, quia eo ipso, quod publicum sit, cessat ratio, ob quam Dominus obligat ad privatam, seu secretam correctionem, scilicet ne fratris nostri fama iacturam, vel levissimam patiatur, si absque eius detrimento potest emendari: non enim leditur iniustè fama, quando peccatum est publicum, & propter bonum finem defertur ad tribunal Ecclesiæ.

2. Quando autem cẽseatur aliquod peccatum publicum, non est huius loci expendere, breviter tamẽ suppono in qualibet communitate (quæ saltem decem personas complectatur necesse est) illud dici publicum, quod à maiori parte illius scitur, occultum verò, quod nõ nisi à minore, vel æquali parte. Sed tamen aliquãdo in communitate scitur à personis, quę licèt sint minor pars, sufficiunt ad efficiẽdum aliquid publicum, vel notorium, eò quòd certum sit, ab illis esse manifestandum omnibus: sic etiam censetur publicum in aliqua Civitate, id, quod in loco publico dicitur, præsertim si dicatur eo fine, ut in omnium notitiam veniat, ut edictum, quod in templo maximo legitur, & quod concionator docuit in suggesto, aut quod in ipsa platea quis coram plebe facit, ex modo enim faciendi illud, omnibus manifestatur; imò quod in hac urbe publicum est, censetur etiam non esse occultum comparatione aliarum civitatum, quibus cum ista est frequens litterarum communicatio, saltèm ut non sit peccatum grave illud narrare in alijs civitatibus. Sermo itaque est de peccatis fratrum nostrorum, quæ absoluté sunt occulta; & quæritur, an tunc sit obligatio priùs corrigendi illos privatim, quàm coram ullo alio teste, qui peccata illa ignoret, nam si illa sciret, sicut nõ esset peccatum saltèm grave cum illo agere de eiusmodi peccatis, ita nec coram illo fratrem corrigere, & non omnino occulté. Imò Sotus de tegẽdo secreto in 2. quæst. quarta, dubio secundo post tertiam conclusionem bene addit, si rubore suffunderetur, aut alioqui doleret delinquens, quod coram teste delictum sciente corriperetur, corrigendum fore secretò. *Sotus.*

3. Conveniunt præterea Doctores, quãdo sciretur, privatam correctionem non profuturam, bene tamen illam, quæ corã teste fieret, aut si ad prælatum immediatè deferretur, nullã esse obligationẽ priùs corrigendi privatim, quia tunc cessaret finis privatæ correctionis, & adhibenda esset alia, quæ crederetur fore proficua. Disputatur ergó, an si occultum fratris quis agnoverit, & probabiliter speret profuturam privatam correctionem, teneatur illum corrigere, priùs quam testes adhibeat, vel deferat ad prælatum.

SECTIO II.

Statuitur per se loquendo corrigendum esse privatim occultum peccatorem, priùs quàm ad alium deferatur crimen illius.

BErnardinus Arevalo, in suo tractatu de Correctione fraterna, conclusione tertia, & quarta existimavit, non esse obligationem servandi in correctione fraterna ordinem illum, quẽ Christi Domini verba præseferunt, ita ut priùs ad- 4. *Arevalo.*

monendus

monendus sit frater omnino occultè, & privatim; hoc ipsum viris doctis tribuit *Salmer.* noster Salmeron tomo quarto, parte tertia, tractatu undecimo, multisque argumentis confirmat, quæ breviter attingemus, licèt tam ipse, quàm Arevalus latè prosequentur. Primum ex testimonijs Patrum, nã Sanctus Chrysostomus Ho- *S. Chrys.* milia quinta de verbis Isaiæ, quod Christus Dominus in loco Evangelij Matthæi decimo octavo præscribit, non vocat præceptum, sed adhortationē. *Quod Christus* (inquit) *adhortatus est, ut facerēt* *S. Bonav.* *homines, &c.* Sanctus Bonaventura in cap. 17. Lucæ explicans similia verba illis, quæ in capite decimo octavo Matthæi habentur, ait, *Si illa de omni peccato intelligantur, non esse necessitatis, sed congruitatis servare ordinem ibi à Domi-* *S. Eligius.* *no præscriptum*; his adde Sanctum Eligium Homilia sexagesima septima, Tomo secundo Bibliot. novę, ubi prædicta Christi Domini verba appellat *adhortationem*, quo planè denotat, non cadere sub præceptum, quod ibi asseritur.

5. Secundum, quia vel hoc præceptū est positivum divinum, vel solúm naturale, non divinum, quia nullibi habetur in Sacra Scriptura, & locus Matthæi, ex quo à nonnullis deducitur, intelligitur à communi Patrum sententia de solo peccato, quod est iniuria ipsius corripientis; & prætereà alij Patres dicunt illud non esse, nisi quandam adhortationem; nec dici potest per Ecclesiæ traditionem nobis fuisse manifestatum; quia hæc traditio est omnino conficta. Certum etiam videtur, præceptum hoc non esse naturale, quia præcepta naturalia sunt tantùm decem, quę habentur in decalogo, & ad nullum eorum revocari potest obligatio secretò corrigendi fratrem priùs, quàm coram alio.

6. Tertium lex ista sic intellecta abhorret à proprietatibus, & conditionibus preceptorum Christi Domini, ergo non est credibile, ab ipso fuisse latam, præsertim cum in hac, & similibus materijs nullum novum præceptum imposuerit, ut docet communis, ac vera sententia; antecedens probatur, quia præcepta Christi Domini levia sunt, & facilia, & perspicua, & sinè ambagibus, utilia denique, & maximè salutaria; sed nihil horum reperitur in correctione fraterna, si dicto ordine adhibeatur, nō ergo cadit sub Christi Domini præceptum: minor probatur, nam imprimis eiusmodi preceptum, est grave, & difficile; quàmvis enim sermò sit de iniuria in nos commissa, difficilé est, ob illam corripere proximum, multo ergo minus facile erit in alijs peccatis, sanè nullus Theologus est, qui se peccasse credat non servando hunc ordinē in correctione; vix est, qui audeat etiam inferiorem corrigere, nedum æqualem, aut superiorem; vix qui patienter correctionem ferat; vix occasio opportuna corripiendi se offert, non ergo imponendum est tam grave onus huius obligationis fidelibus, præsertim cum ad sciendum quando preceptum correctionis obliget, oporteat esse maximè in Theologia versatum, & pauci hanc peritiam, seu doctrinam consecuti sint.

Deinde præceptum istud est valde 7. obscurum, non perspicuum, & sinè ambagibus, nam circa illud, & obligationes ad illud pertinentes multæ quæstiones ortæ sunt, in quibus Doctores variè sentiunt, & loquuntur; non ergo credendū est, fuisse á summa Sapientia, & lucis æternæ Splendore latam eiusmodi legem. Denique illud est inutile, & perniciosum; primò quia, foret fomentum malorum, iustitiæ exequendæ impedimentum, & velamen, quo pessimorum hominū scelera obtegerentur; si enim quispiam, qui in hæresim lapsus est, debet secretò corrigi prius, quàm ad iudicem deferatur, periculum imminet perversionis aliorum, salutis ipsius hæretici, quem nostra correctio non eruet à peccato, & denique vitæ temporalis ipsius corrigentis, qui si postquam hæreticum secretò, sed sinè fructu corripuit, deferat ad Ecclesiam, cognoscetur ab hæretico, & sciens quisnam fuerit sui criminis delator, in illum ira excandescet, & vindictam de illo sumet. Secundò, quia foret contra religiosi status observantiam; cum enim religionum splendor maximé pendeat ex perfecta legum custodia, si prius quam ad prælatum culpæ deferantur, sunt fratres secretò corrigendi, prius quam superior medicinam adhibeat, serpet, ut cácer, spiritualis morbus, & multos inficiet.

Confirmatur, quia religiosus secretò 8.

admonitus à socio, fingere facilè poterit se emendatum, diligenterque effugiet socij conspectum, ne iterum videat eum delinquere, & ita in sua culpa permanebit; imò si postea ad prelatum deferatur, poterit ipse reus accusationem retorquere in suum delatorem, quem iam ob secretam monitionem novit, & dicere, illum potius esse impostorem, & propter odiū id sibi criminis imposuisse. Tertiò, quia vergeret in perniciem status ecclesiastici; nam si privata correctio præmittenda est, antequam ad prælatum culpa deferatur, sola crimina notoria corrigentur, aut punientur ab illo, frustraque edictis, & inquisitione curabunt pastores cognoscere delicta, si antequam ad illos deferātur, delinquētes ipsi monēdi sunt, ita enim fugere poterunt, vel sexcentis alijs vijs iudicis tribunal fugere.

9. Quartò idem foret perniciosum Reipublicæ sæculari, quia pacificus civium convictus non potest dici consistere, nisi delicta publicè puniantur, & ad id necessaria est accusatio coram iudice; nemo autem auderet accusare, quem prius teneretur privatim corrigere, ne cognitus posteà ab ipso reo, magnum aliquod dānum pateretur. Quintò tandem id adversaretur fælici statu Reipublicæ; nam ex eiusmodi correctionis ordine orirentur iurgia, & odia plusquam civilia: viri etiā timorati scrupulis angerentur, videntes multa peccata, & nonnulla in suis superioribus, aut personis alioqui gravissimis, quas quis corrigere audebit; non est ergo credibile, legem servandi prædicti ordinis in correctione fraterna latam fuisse à Christo Domino.

10. Quartum, & ultimum consuetudo, & praxis universæ Ecclesiæ est optima legum interpres; sed praxis Ecclesiæ id habet, ut nimirum peccata immediatè ad superiorem deferantur non prerequisita privata correctione; ergo non est lex, quæ obliget ad prius corrigendum fratrem secretò: minor probatur, primò quia edicta generalia tribunalis sanctissimi Quæsitorum fidei precipiunt, ut nullo alio admonito, vel consulto deferat ad illud peccata ibi contenta, quicunque noverit: secundò, quia id ipsum alij prælati præcipiunt. Tertiò, quia idem in religionibus à Sede Apostolica approbatis diligenter servatur. Et sanè si ad secretam correctionem prius adhibēdam teneremur, deberet in eiusmodi edictis, & rel gionū statutis de ea mentio fieri tanquā de precepto Domini, quod multò strictiùs obligat.

Nihilominus communis, ac verissima Theologorum sententia est, per se loquēdo, teneri nos prius privatim corrigere peccatum occultum fratris nostri. Sic S. Thomas in articulo septimo, ubi eius interpretes, Caietanus, Bañez, Aragon, Valencia puncto quinto, Henricus, & Albertus Magnus apud Carthusianum in quarto, distinctione decima nona, quæstione prima; Durandus in eadem distinctione, & in prædictum Evangelij locū; Lyranus, Maldonatus, Abulensis quæstione nonagesima septima, Iansenius in Concordia, capite octogesimo secundo; Navarrus, & alij Summistæ, atque docti recentiores. 11. *S. Thom.* *Caietan.* *Bañez.* *Aragon.* *Valenc.* *Henricus.* *Albert.* *Durand.* *Lyra.* *Maldon.* *Abulens.* *Iansenius.* *Navar.*

12. Probatur primò ex ipsis Christi Domini verbis in huius tractatus exordio relatis; nam ut in prima disputatione ostēdimus, ibi promulgat Dominus naturale præceptum fraternæ correctionis; cùm ergo eodem tenore non solam substantiam præcepti declaret, sed etiam ordinē, ut nimirum prius secretò moneamus, id ipsum cadit sub præceptum. Confirmatur, quia negari non potest, hunc ordinē à Domino præscriptum non esse malum, id enim asserere blasphemū esset, est ergo bonus, ac perinde, qui aliquando ad praxim reduci possit sine incommodis, quæ tantoperè iactant illi, cum quibus nunc disputamus. At dicunt ipsi ea incōmoda probare, non esse sub præcepto, sed tantum sub consilio: mirandum tamen est, ordinem hunc esse maximè perniciosum, si præceptus sit, non autem si sub consilium cadat: sanè si consiliū Christi Domini est, bonum est, utile est, non perniciosum; sicut ergo adversarij coguntur fateri posse illud consilium utiliter impleri aliquando, impleri etiam poterit, licèt præceptum sit, nec enim obligatio præcepti perniciosum reddidit consiliū, quod alioqui est sapientissimum.

13. Nec magis satisfacit si dicatur, Christum Dominum solùm agere de iniuria illata illi ipsi, qui correcturus est: nam primum iam satis probatum est in secun-

da

da disputatione locum illum Matthæi omnia omnino peccata comprehendere: deinde licèt de solo peccato in nos commisso sermo esset, saltèm in eo corrigendo servandus erit ordo à Christo Domino præscriptus, si non sub præcepto, at certè sub consilio; sed incommoda, quæ doctissimus Salmeron congerit, etiã inferri possunt ex observantia istius ordinis in peccatis contra nos commissis; ergo ea non sufficiunt, ut credatur, ibi non præcipi præfatum ordinem etiam in aliorum criminum correctione. Minor probatur, nam peccata, quæ contra nos committuntur, sunt penè innumera: si quis enim me pervertere velit persuadẽdo suam hæresim, si quis me infamet, si quis me odio prosequatur verbis, & factis, si bona surripiat, si ad malum inducat, & sexcenta eiusmodi faciat, contra me peccat, sunt ergo sexcenta peccata, quæ iuxta verba Christi Domini prius secreta monitione corrigi debent, saltèm ex consilio; quis autem dubitare poterit, in tanto numero peccatorum habere locum incommoda contrariæ doctrinæ, ipsi ergo, qui nos oppugnant, explicare coguntur modum ea evadendi, retenta veritate verborum Assertoris nostri, & idipsum nos præstare conabimur, defendentes prædictum ordinem esse præceptum, & ad omnia peccata extendi per se loquendo: maneat ergo, ex Christi Domini verbis plané colligi assertionis nostræ veritatem, ut communis Doctorum sententia collegit.

14. *Innocent.* Secundo probatur testimonijs Patrũ: nam Innocentius tertius in capite *Cum ex iniuncto*, Extra. *de Hæreticis*, disertè testatur, *secundùm regulam evangelicam teneri quemvis fratrem in se peccantem occulte corripere.* *S. Ambr. Psal.118.* Sanctus Ambrosius in Psalmum centesimum decimũ octavum, sermone octavo, declarans illum versum, *Cogitavi vias meas: Si velis* (inquit) *fratrem corripere, primò solus corripias, secundò præsentibus duobus, aut tribus testibus, tertiò si non audierit, coram Ecclesia; itaque si prætermisso ordine velis coram Ecclesia fratrem increpare, quem ante monere debueras, erratum ipse cognoscis.* *S.Gregor.* Sanctus Gregorius libro duodecimo registri, epistola trigesima prima, explicans locum Matthæi ait, *Præcipi à Domino, ut prius peccantem in nos corripiamus*; & id ipsum appellat pręceptũ evangelicum: *Origenes.* Origenes Homilia 3. in Leviticum, *S.Hylar.* Sanctus Hylarius Canone 18. in Matthæum ait, *Ordinem à Domino præscriptum, cadere sub præceptum*: *S. August.* Idem affirmat Sanctus Augustinus Tomo decimo, sermone 16. de verbis Domini, & in sua regula ait, *Oculorum petulantiam, & quodvis aliud religiosi peccatum prius esse corrigendum secretò; postea verò coram testibus, & deferendum ad prælatum*: *Hugo.* & Hugo de Sancto Victore in expositione huius regulæ, cap. septimo, *Culpa* (inquit) *cum occultè committitur, ab alijs fratribus secretè debet corrigi, quos si neglexerit audire, patri monasterij debet indicari, &c.*

Tertio probatur ratione, quia per se loquendo præceptum divinum, & naturale est non infamandi proximum, nisi tales circunstantiæ occurrant, quæ suadeant permittendam esse illam infamiã propter bona maioris momenti; ergo præceptum divinum, & naturale est non indicandi peccatum occultum proximi alteri, qui illud nesciat, nisi quando tales circunstantiæ occurrant, quæ suadeant oportere illud indicare propter alia bona maioris momenti: consequentia est evidens, quia veré infamatur proximus, cũ peccatum illius indicatur alteri, qui illud non novit: rursus ergo quando tenemur corrigere fratrem nostrum occultè peccantem, non licet manifestare illius peccatum, seu coram alio corrigere, nisi occurrant circunstantiæ aliud persuadentes; ergo præceptum naturale, ac divinũ est illum secretè corripiendi. Dices; semper occurrere circunstantias aliud persuadentes: sed reverà id asseritur sine fundamento; quis enim negare audebit aliquando, imò sæpè accidere posse, ut quis probabiliter credat, fratrem suum emendandum, si peramanter, & omnino privatim ab ipso admoneatur, tunc autem in multis peccatis cessant omnes rationes, quæ suadere possunt, fratris infamiam esse permittendam; ergo tunc tenemur illum secretò corrigere. Confirmatur, quia præceptum divinum non infamandi fratrem detegendo peccatum illius, aliquãdo obligat, sed tunc potest, & solet obligare præceptum correctionis, ergo simul obligat ordo à Domino promulgatus, 15.

tus, ut nimirum secretò frater corrigatur, priusquam coram alijs; minor probatur, quia absurdum esset dicere, nunquã corrigi posse proximum sinè infamia illius, & nullum esse, qui nostra secreta monitione credatur corripiẽdus, cum tot Doctores, tot Ecclesiæ Patres, & ipse Dominus oppositum disertè testentur.

16. Ad primum respondeo, etiam appellari posse adhortationem id, quod alioqui præceptum est, præsertim si exhortatione sua non condat novam legẽ, sed iam conditam promulget, ut Christus Dominus in hoc Matthæi loco fecit: sic enim Apostolus suo Tito in capite secũdo, *Iuvenes* (inquit) *hortare, ut sobrij sint*, cùm tamen sobrietas sub præceptum cadat, sicut & abnegatio sæcularium desideriorum, & impietatis, de quibus ibidem agens Apostolus, *Hæc* (inquit) *loquere, & exhortare*: Sanctus Bonaventura clarè loquitur, sed à nobis in hac parte omittendus est.

Ad Tit. 2.

S. Bonav.

17. Ad secundum respondeo, præceptum hoc esse divinum, & naturale, quia, ut vidimus, Christus Dominus, licét novam legem in verbis Matthæi non tulerit, declaravit naturalem, & divinam in Decalago contentam: Etenim præceptũ correctionis fraternę revocat Sanctus Thomas articulo secundo, in solutione secundi ad quartum Decalogi de Parentibus honorandis; ibi enim etiam præcipimur honorare fratres, ac proinde impendere beneficia debita proximis nostris, cuiusmodi est eleemosyna tam temporalis, quàm spiritualis: unde ad idem quartũ præceptum revocari potest ordo correctionis, qui est modus, quo eleemosyna hæc spiritualis impendenda est. Sed prætereà ad corrigendum secretò proximũ obligat septimum præceptum non infamandi proximum, hoc enim est quoddã furtum rei, quæ magni æstimatur, nempe famæ, quam iniustè aufert, qui sinè necessitate detegit alteri peccatum occultũ proximi.

S. Thom.

18. Ad tertium respondeo imprimis, iam dictum esse semel, & iterum, Christum Dominum in his verbis nullam novam legem tulisse, sed naturalem ipsam, ac divinam declarasse: sed quoniam præceptum naturale, ac divinum est etiam præceptum Christi Domini. Respondeo deinde negando antecedens, & ad probationem respondeo absoluté concessa maiori, si accedat divinæ gratiæ lux, & fortitudo, & negando minorem. Cuius probationes, ut verum fatear, parum urgent, facilè enim imitari possunt in sexcentis alijs præceptis affirmativis, quæ cum ex natura sua non obligent, nisi attentis varijs circunstantijs, non facile est illas omnes cognoscere, & ideo Doctores multa disputant circa obligationes præceptorum naturalium, & circunstantias in quibus obligant, nec propterea censentur non obligare absolutè. Quis enim dubitat, esse præceptum eleemosynę corporalis, & tamen circa tempus, & circunstantias obligationis eius tot, tamque varię sunt difficultates, & Doctorum placita, quot ex tractatu præcedente facilè constant, & sic de alijs. Itaque non propter difficultates negandum est pręceptum correctionis & ordinis in ea servandi, sed diligenter explicandum.

Ad primam ergò probationem minoris respondeo, difficultatem huius præcepti Deo auxiliante superari; & quoniam non ita facilè occurrunt circumstantiæ, in quibus illud obliget sub mortali, pauci, si superiores non sint, putabunt se peccasse graviter non corrigendo; secus est de culpis venialibus, & quàmvis ad determinatè sciendum, quando obliget hoc præceptum, sic sępé necessaria scientia Theologię, aliquando res erit ita perspicua, ut rudes etiam eam obligationem videant, sin minus interrogabunt doctos, aut excusabuntur ignorantia; id enim in alijs etiam pręceptis accidit, quæ tamen non ideo non sunt præcepta: ex quo patet ad secundam probationem; nam præcepta innumera sunt, circà quorum obligationem multa disputantur à Doctoribus. 19.

Ad tertiam respondeo, non posse pręceptum hoc inutile, & perniciosum appellari, est potiùs utilissimum, & ex ipsa naturali lege planè deductum: sed quoniam est affirmativum, non semper obligat; in varijs enim casibus esset perniciosa eius observantia, & unus illorum est, cùm scitur hæresis, aut aliud crimen valde nocivum, cuius correctio saltèm non speratur certò profutura, de quo infrà. Deinde non semper est contra religiosi 20.

status

statūs observantiam, cùm in varijs religionibus,ut Sancti Augustini id præscribentis in regula,& Sancti Dominici servetur prædictus ordo;quando autem prudenter timerentur damna, quæ in argumento afferuntur,non obligaret; præterea non semper vergit in perniciem status ecclesiastici; nam si sermo sit de delictis deferendis ad prælatum ut ad iudicem,oportet priùs servari ordinem fraternæ correctionis in culpis omnino secretis,nec aliud intendunt iudices edicta promulgantes,nisi crimina sint valde nociva,ut hæresis,& similia, de quibus infrà; vel alioqui non speretur fructus ob privatam correctionem; quare non sequitur fore ut delicta maneant impunita, aut non curentur; quòd si aliquando id acciderit,mirandum non est,quia res humanæ id ferunt, & aliquando poterit etiam esse valde nocivum, quòd immediatè ad prælatum deferantur crimina: itaque hæc,& similia solùm probant, oportere expendi varias circunstantias, ut sciatur,quando obliget ordo correctionis iam explicatus, non verò probant, nunquam obligare. Quartò non est hic ordo semperReipublicæ perniciosus;quia multi sunt eventus, in quibus dictus ordo non obligat; & quando post secretam monitionem timeret quis sibi notabile nocumentum,si ad iudicem deferat, non tenebitur deferre, nisi gravitas criminis præponderaret,& tunc vel iudex curabit ita se gerere, ut omnino ignoretur delator,vel iste alijs vijs sibi providebit. Denique ordo iste non adversatur fœlici statui Reipublicæ; nam quando similia mala timerentur,abstinendum esset à correctione,nisi damnum ex taciturnitate proveniens præponderaret; sed non semper tanta mala oriũtur ex privata correctione. Quód verò attinet ad scrupulos timoratorum, mirum non est, si aliquando tam in hac materia,quàm in alijs fatigẽtur;sed non propterea negandum est esse præceptum fraternæ correctionis, præsertim cum ex disputatione prima cõstet, difficile credi plerumque esse mortale nõ corrigere eum,qui prælatus non est.

21. Ad quartum respondetur,negando eã esse praxim universæ Ecclesiæ, nã in varijs religionibus servatur prędictus ordo, & inter sæculares etiam servari sæpè solet. Edicta Quæsitorum fidei sanctißimè id præcipiunt, quia hæresis & similium peccatorum non speratur emendatio propter privatam correctionem; secus est de alijs peccatis occultis, quorum gravitas, & nocumentum est multò minoris momenti: nec oportet prælatos semper in edictis admonere nos de correctione fraterna pręmittenda, quia id tanquã certũ supponunt,& quia non facilé concurrunt omnia requisita,ut privata correctio obliget; imò in criminibus iam dictis non obligat absoluté: adverte tandem cum Sancto Thoma articulo septimo ad 4. defectus leves religiosorum posse, & solere deferri ad prælatum, vel Capitulũ, antequam ipsi privatim corrigantur,quia in hoc non derogatur famę illorum, & prospicitur humilitati,ac bono communi; quare de his non agitur in præsenti, & id notetur pro dicendis sectione quinta. S. Thom.

SECTIO III.

Prima limitatio doctrinæ hactenus stabilitæ,ut scilicet obliget privata correctio, quando delinquens cedit iuri suo.

EX dictis in præcedente sectione colligitur obligationem pręmittendę correctionis privatæ desumi omnino ex altera,qua tenemur non infamare proximum,qui,quamdiu crimen est occultũ, habet ius tuendi famam, & rationabiliter est invitus,si alteri absque necessitate velit crimen manifestare: unde si ipse delinquens cedat suo iuri, non videtur dubitari posse,quin liceat scienti crimẽ eius quantùmvis occultum manifestare alteri,qui corrigat, non præmonito ipso delinquente. Suppono autem tanquam certum posse delinquentem cedere huic iuri suo,quia est dominus suæ famę,& potest illam pro libito prodigere, exceptis solũ nonnullis casibus, in quibus homo non potest cedere,sive quia id cederet in detrimentum boni communis, sive quia est religiosus alicuius ordinis, qui propter incommoda inde proventura non vult religiosum cedere, sive propter alias similes causas,de quibus in materia de Restitutione. 22.

Et quidem Dominicus Bañez articu- 23.

lo octa-

lo octavo, dubio 2. ad primam confirmationem septimi argumenti mentioné faciens cuiusdam religionis, in qua audierat religiosos renunciare iuri suo, ut nimirum posset quodlibet delictum etiam occultum immediatè deferri ad prelatú ut ad patrem, non correcto priùs ipso delinquente, ait se non videre, quare non possit fieri eiusmodi renunciatio; *Sed quia multa* (inquit) *sunt licita, quæ tamen non expediunt, mihi profectò durum videtur, ut tota communitas religionis profiteatur tantum rigorem, in cuius executione postea qui non fuerint valde perfecti, facilè perturbabuntur videntes passim sua delicta occulta nota esse prælato*: in cuius doctrinæ confirmationem facit, quod quidam vir antiquitate, & pietate venerabilis, & in eodem ordine à primis (ut aiunt) incunabulis enutritus, capite trigesimo quarto cuiusdam sui libelli, in quo reddit rationem variarum rerum instituti Societatis Iesu (hęc enim est religio, de qua hic loquimur) existimaverit, prædictos religiosos non renunciare iuri suo; primò quia nulla regula, aut constitutio, vel decretum Societatis Iesu id habet; non est autem pręsumendum in hac religione renunciare iuri sui eos, qui expresśé id nó declarant, nec declarare tenentur vi alicuius regulæ, vel decreti: Secundò, quia nec SANCTISSIMVS PARENS NOSTER IGNATIVS, nec Generales illius successores dixerunt, esse in Societate regulam, quę ad hanc renuntiationem obliget: Tertiò, quia si ex aliqua regula colligi posset maximè ex nona Summarij, quæ desumpta est ex capite quarto Examinis, paragrapho octavo. scilicet, *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, ut omnes errores, & defectus ipsius superioribus, per quemvis, qui extrà confessionem eos acceperit, manifestentur*: ex hac autem regula non colligitur, quia illa non agit cum corrigente, prescribendo nimirum modum correctionis sinè prævia monitione, aut cum illa, id enim relinquit iuri divino, sed cum corrigendo, præscribendo illi, ut humiliter, & grato animo ferat, quod defectus illius manifestentur: vnde in regula decima desumpta ex eodem § dicitur, *Nos debere esse paratos ad mutuò manifestandos defectus coram superiore debito cum amore, & charitate*: quibus verbis indicatur, servandum esse ordinem charitatis, qui sanè est ille, quem servare tenetur religiosus quicumque. Quartò tádem, quia prædicta renunciatio non est necessaria, ut defectus subditorum immediatè ad superiorem deferri liceat.

His rationibus addi possunt aliæ, quæ suadeant eiusmodi renunciationem esse minùs convenientem: prima quia quid convenienctius in modo corrigendi, quá quod Christus Dominus docuit, ipse autem docet priusquam ad superiorem deferatur crimen occultum fratris, debere ipsum secretò corrigi, ergo; Secunda, quia ordo à Domino prescriptus cadit sub præceptum, ergo nulla religio potest sua authoritate illum non servare: Tertia quia est magnus rigor, ut tota communitas illum profiteatur, sicut Bañez suprà argumentatur. 24.

Vera tamen sententia est, & prædictos religiosos cedere iuri suo, & præterea renunciationem hanc esse maximè convenientem: de priori parte non potest iam in Societate Iesu dubitari, nam in Can. 10. Congregationis sextæ generalis ita declaratum est, *Ex verbis* (inquit) *capitis quarti Examinis constat, nostros cedere cuicumque iuri famæ, quod huic manifestationi obstare posset, & facultatem facere omnibus deferendi ad superiores, quæcumque de illis notata fuerint.* Sed præterea Tertius Generalis Societatis SANCTVS PARENS FRANCISCVS DE BORGIA EXDVX GANDIAE, interrogatus de hac re à varijs Provincijs respondet eos, qui ingrediuntur Societatem renunciare iuri suo, ut ex homine fide dignissimo refert Ildefonsus Rodriguez tomo tertio, tractatu octavo, capite sexto. Denique absque ulla declaratione id ipsum verba regulæ præseferunt: imprimis enim non potest esse sensus illius, debere unumquemque patienter, & læto animo ferre, quod defectus eius ad superiorem deferantur nulla præcedente correctione privata, etiam si qui defert, male faciat non servando ordinem à Christo Domino promulgatum, nam hoc modo etiam deberet patienter ferre, quod quæ in confessione 25.

Sexta Congreg. Can. 10.

S. Fräcisc. Borja.

Ildefósus Rodrig.

sciuntur

sciuntur superiori manifestentur, omne enim malum, seu omnem iniuriam sibi irrogatam debet servus Dei patienter, & æquo animo tolerare; sed regula excipit defectus, qui in confessione sciuntur; ergo sensus illius est, velle debere religiosum, ut deferantur eius defectus immediatè ad superiorem, ita quod ipse cedat iuri suo, & faciat alteri potestatẽ licitè id faciendi, dummodo eos in confessione non noverit, quia illi sunt alterius fori sacratissimi, & secretissimi. Confirmatur, quia in eodem Canone sextæ Congregationis §. 2. declaratur id, quod à viris sapientibus Societatis iam dudum animadversum erat, scilicet regulam non loqui de defectibus, quos ipsi delinquentes communicant alicui secretò, & consilij petendi gratia, ut dirigantur, vel iuventur: hos enim non licet manifestare superiori, nisi in aliquo gravi negocio aliter faciendum videretur, quod tamen ut fiat, prudenter, & qua opus est circumspectione, diligenter consulendi sunt Doctores, ut in nona instructione sextę Congregationis numero quarto notatum est. Regula ergò solùm agit de manifestandis superiori defectibus subditi, qui in eo alioqui notati, & observati fuerint, ergo quis æquo animo sustinere deberet, etiam defectus alicui dictos petendi consilij gratia, manifestari superiori, manifestũ est aliquid ampliùs regulam exigere, ut nimirum fiat alijs potestas licitè deferendi defectus, dummodo ad consilium, vel directionem non fuerint detecti.

26. Deinde nõ videtur negari posse, quin hæc regula petat à religiosis, ut ex animo velint defectus suos ad superiorem deferri, nõ servato ordine, quem præscribit Christus Dñs in hoc loco Matthęi, quem explicamus; primò quia regula intendit maiorem submissionem, & humilitatẽ propriã religiosorum, plus ergo exigit, quã quod ex vi præcepti correctionis fraternæ velle tenebantur; sed ex vi præcepti tã ipsi, quã omnes alij etiã sęculares tenentur contenti esse, si defectus suos ad prælatum deferat, qui illos priùs secretò, & corã testibus monuit; ergo prædicta regula plùs exigit, nimirum ut immediatè ad superiorem deferri velimus nostros defectus. Cõfirmatur, quia correctio servato ordine evangelico non ordinatur ad humilitatem, & submissionem, sed ad sublevandam spiritualem miseriam, qua premitur, qui in culpam lapsus est; ergo præfata regula plùs exigit, quàm illud, ad quod obligat lex correctionis à Christo Domino promulgata. Cõfirmatur secundò, quia in eodem §. 8. cap. 4. Examinis præcipit nobis B. Parẽs noster, *Vt parati simus nos ipsos invicem manifestare ad maiorem spiritus profectum, præsertim ubi à superiore fuerit ita præscriptum:* quæ verba, si sincerè (ut par est) intelligantur, planè significant opus perfectionis, & consilij, non verò præcepti divini, & naturalis; sed ad prædictam manifestationem obligat pręceptũ divinũ, quando præcessit correctio privata, & secreta, ergo regula præscribit, ut etiã non præcedente privata monitione manifestentur defectus nostri superioribus, maximè si ipsi interrogaverint.

Secundò probatur, quia in regula decima quinta Magistri Novitiorum dum pręcipitur illi, ut exactè declaret Novitijs res instituti Societatis, subditur, *Illa præsertim sunt magis explicanda, quæ postea aliquam difficultatem afferre possent, ut de manifestatione suorum defectuum iuxta Constitutiones, &c.* planè ergo supponit, universa Societas in hac regula se profiteri aliquid speciale circà modum manifestationis defectuũ, quod nõ profitẽtur alij religiosi, & præsertim sæculares, alioqui cur tãta cura esset illis res hęc declaranda, ne postea conquerãtur, & excusationũ regnas prætendant; sed manifestare defectus superiori post privatã fratris monitionem, obligat omnes etiam sæculares, ergo Societas profitetur aliquid amplius, nimirum manifestari posse immediatè superiori, quod cùm Novitij audiant, & velint, planè cedunt iuri quod habebant, ut cum eis evangelicus ordo servaretur. 27.

Tertiò eiusdem veritatis efficax probatio est, quod Ildefonsus Rodriguez suprà refert, narrasse Patrem Aegidiũ Gõçalez, scilicet cùm ipse foret unus ex quatuor Assistentibus R. P. Everardi Mercuriani quarti Generalis Societatis, sacerdotem quendam inquietũ à Societate eiectũ scripsisse librũ, in cuius uno capite impugnabat regulam cuiusdam religio- 28.

nis, (nostræ nimirùm) quæ continebat, defectus religiosorum immediatè manifestandos superiori, non servato ordine Evangelico: quo circa P. Euerardū corā S. Domino nostro Gregorio decimo tertio de huius sacerdotis audacia fuisse cōquestum, & Pontificem lecta regula nostra, auditoque modo, quo in Societate servabatur, eam approbasse (quamquā in genere approbata iam dudum erat) & caput illius libri contra illam scripti prohibuisse. Ex quibus planè deducitur, in regula nostra præscribi, ut defectus nostri immediatè ad superiorem deferātur, in eo enim sensu, & ab illo sacerdote impugnata, & à Pontifice Summo confirmata est, cumque illa regula omnibus proponatur, & velint eam servare manifestum est renunciare iuri, si quod habent, ut priùs ipsi secretó moneantur.

29. Ad primum ergò patet ex dictis: ad secūdum etiam nam Beatus Pater noster satis hoc declaravit relinquens nobis regulam; declaravit etiā tertius Generalis, & novissimè Sexta Cōgregatio, imò ante illam ipse Summus Pontifex Gregorius XIII. Ad tertium respondeo, rectè quidem dici regulam illam agere cū corrigendo; hoc enim est, quod nos intendimus, scilicèt corrigendū cedere iuri suo, dū dicit se cōtentū esse, si defectus ad superiorem immediaté deferantur: posita autē hac cessione nō tenetur, qui corrigit servare ordinē evangelicū, quia nulli irrogat iniuriā, ut initio sectionis dictum est, verba autem illa regulæ nonæ scilicet, *debito cum amore, & charitate* significāt, eum, qui superiori manifestat, debere id facere, non animo vindictę, confusionis, aut mortificationis, sed animo emendationis fratris, & ut superior tanquam pater sciat, non tanquam iudex puniat; de quo postea. Ad quartum respondetur, sinè prędicta renunciatione, vel non fore licitum in omni eventu deferre immediatè defectus ad superiorem, vel saltèm hoc valde esse controversum, ut posteà dicemus; quare ut religiosi Societatis sinè scrupulo possint in hac re agere, necessaria fuit renunciatio.

30. Ad tres alias rationes, quæ contra huius renunciationis convenientiam adductæ sunt, Respondeo ad primam, & secundam; quod Christus Dominus præscripsit, & pro circunstantijs, in quibus præscripsit, non solùm fuit convenientissimum, sed etiam divino, ac naturali iure præceptum; locutus enim fuit de obligatione corrigendi priùs fratrem secretò, supposito quòd ipse non cesserit iuri, quod habet ad suam famam; ablato autem hoc iure cessat omninò obligatio, & casus, in quo loquitur Dominus: quare qui tunc nō servat illum ordinem, non se gerit minùs convenienter. Dices saltèm minus conveniens esse renunciare iuri, quia Christus Dominus nec consuluit, nec præscripsit hanc renunciationem. Respondeo sinè dubio renunciationem hanc esse ex genere suo opus magnæ perfectionis à Christo Domino cōsultam, dum nos excitat ad exoptāda opprobria, & pro nihilo habendam æstimationem, & laudem humanā, sed non propterea fuit in eo loco præscribenda à Christo D. qui solùm ibi promulgabat pręceptum correctionis fraternę, prout naturali iure obligat omnes omnino homines, quorum maxima pars non studet operibus perfectionis, sed ambit honores, aut saltém non respuit, & cōtemnit: in una autem, vel altera religione, imò & in omnibus quarum professio est sæculi pompis renunciare, & Christum Dominum crucifixum imitari, cur cēsendus erit magnus rigor, quod defectus subditorū immediatè deferantur ad superiorem ut ad patrem, qui ea scientia solùm utatur ad suaviter medendum subdito tanquam filio, certé qui hoc solo perturbatur, & impatienter fert, facto ipso ostendit quā longe absit à vera humilitate, & studio perfectionis, quam Christus Dominus verbo, & exemplo prædicavit. Debuisset sané Magister Bañez perdoctus Theologus non reputare durū, si profiteatur Societas Iesu tantum rigorem, nam & duritiem hanc emollire facilè potest sanguis Christi Domini, & authoritas Summorū Pontificum, & tot sanctissimorum virorū praxis, & suavissimum, & levissimū reddit vera humilitas iugū Christi Domini, & efficacitas gratiæ divinę, id quod carni rigidum, & amarum est.

Ex dictis in hac sectione breviter infero, quando delicta vergerent in detrimentū boni cōmunis, vel in damnū tertię personæ imminens, non solùm posse 31.

subditum,

subditum, sed etiam teneri in Societate immediatè illa deferre ad superiorem ut ad patrem; imò si opus esset ut ad iudicé, ut Sexta Congregatio declaravit, ná delatio ista est absoluté licita, & alioqui redditur obligatoria, ut prospiciatur bono aliorum, quod ad superiorem spectat, & aliter difficillimè vitantur damna imminentia, quádo verò delicta nó essent eius modi, non esset obligatio ea detegédi, nisi cùm superior præciperet.

SECTIO IIII.

Secunda limitatio, ut nimirùm privata correctio non obliget in peculiaribus delictis, quorum, vel aliter non speratur emendatio, vel notabile damnum inde provenire potest.

32. CVm finis correctionis fraternæ sit emendatio delinquentis, si crimen sit talis conditionis, ut non speretur secreta correctione impediendum, potest illicò deferri ad alium, cuius monitione impediatur, ut initio disputationis in generali præmisimus, quàmvis enim id sit in detrimentum famæ delinquentis, maioris momenti est salus spiritualis, & emendatio, ac proinde propter illam licitum est, detegere alteri crimen occultũ: atque hæc inter alias rationes optima est, ob quam crimen hæresis statim deferendum est ad Quæsitores Fidei, nulla prævia monitione privata, quia nimirũ hæreticus est, qui scienter negat veritatem à Deo revelatam, & Ecclesiæ universæ authoritate propositam; non est autem verisimile, privatam unius, vel duorũ monitionem profuturam ei, qui sponte cõtemnit universam Ecclesiam; quare oportebit aliud efficacius remedium apud illum sacrum Tribunal quærere; secus esset si error foret ex ignorantia aliqua culpabili contra fidem, quæ non sufficeret ad hæresim. Vide Navarram libro secundo de Restitutione, cap. 4. parte 2. dubio octavo. *Navarra.*

33. Prætereà sunt alia crimina quę cedunt in damnum reipublicæ, vel communitatis, ut proditio civitatis, falsitas litterarũ, vel monetæ, subornationes in cathedris, & latrocinium, & hæc possunt, & debent immediatè ad superiorem deferri, nisi quis certò sciret privatam correctionem profuturam. Sic Sanctus Thomas in articulo septimo, Caietanus, Bañez, Aragon, Valencia punto §. *Secundus casus.* Durandus in quarto distinctione decima nona, quæstione quarta, Soto de tegendo secreto M. 2. quæstionne quarta, con. 2. Navarra, & alij. Probatur, quia multò maioris momenti est bonũ cõmune, quã fama privatæ personæ; ergo quãdo prudenter timetur lędendũ bonũ cõmune, providendũ illi est etiã infamando personam privatam, detegendo scilicèt illius crimen superiori, qui potest remedium efficax adhibere; non enim est rationabiliter invitus, qui ob hunc finé diffamaretur, præsertim apud iudicem, vel prælatũ prudenté, & studiosum boni subditorum: itaque non sufficit probabilitas quod delinquens iste emendabitur correctione privata, quia cũ hac verisimilitudine stare potest prudés timor, quod delictum perseverabit, & communitas graviter lędetur; necessaria ergo est certitudo, quam in re tanti momenti non facilé sibi quisque persuadeat, nam si nó sit vir magnæ authoritatis, & efficacitatis, nó poterit practicè loquédo certus omnino esse, quod sua privata monitio omnino impediat malum imminens communitati, ut rectè Sotus annotavit. *S. Thom. Caietan. Bañez. Aragon. Valenc. Durand. Soto. Navar.*

34. Quando verò crimé occultum fratris non cedit in damnum cõmunitatis, sed alicuius privatæ personæ, non ita certó cõstat, quid facto opus sit: nam S. Thomas sinè limitatione docet, peccata, quę vergunt in damnum corporale, vel spirituale proximorum, esse illicò deferenda ad superiorem, nisi firmiter quis crederet privatam correctioné profuturã; & id ipsum clariùs affirmat Sotus, redditque rationé, quia nimirùm melior est conditio innocentis, cui damnum paratur, quàm delinquentis, qui illud machinatur; quare ut ille liberetur, licitum est istum infamare. Quę doctrina vera est prout à Navarra, & Valencia suprà §. *Tertius casus,* & Sayro lib. 11. Clavis, c. 4. declaratur; perpendendum nimirum esse quantũ sit detrimentum, quod innocéti paratur, & infamia ex denunciatione proventura delinquenti; si enim illud est magnum, exceditque damnum infamiæ, denunciandum est, non veró si damnum innocentis *S. Thom. Sotus. Navar. Valenc. Sayrus.*

foret exigui momenti, & cui præponderare meritò crederetur magna infamia delinquentis. Ex quo infertur, si quis sciret, Ioannem insidias parare Petro, ut illum interficiat, detegendum esse crimē Ioannis, nisi aliunde certa foret emendatio adhibendo correctionem privatam; & idem est, si quis tractaret de inducendo alio ad gravem culpam, timereturque prudenter lapsus istius, eo quod imbecillus sit, & facilé suaderi se sinat: si autem quis sciret hominem alioqui bonę æstimationis velle furari à divite quinque argenteos, non ideò bene faceret detegēdo crimen illius, quia infamia inde proveniēs est multò maioris æstimationis.

SECTIO V.

Expenditur tertia limitatio aliorum, scilicèt licere in qualibet congregatione, præsertim religiosorum, detegere crimen occultum superiori ut patri, quin præcedat correctio privata.

PRedictam limitationem adhibēt doctissimi viri: Sanctus Bonaventura in
35. cap. decimū septimū Lucę. Richardus in quarto, distinctione decima nona, articulo tertio, quęst. prima, Angelus verbo *Denunciatio*, numero decimo, & alij recentiores, illique præsertim, qui ordinem correctionis à Christo D. promulgatum censent nō cadere sub præceptū, de quibus tamē suprà: affertur Durandus in 4. dist. 19. quæst. 4. sed ipse solùm docere videtur, post monitionē privatā posse crimen dici superiori ut patri, qui possit prodesse, & non obesse, de quo in quæst. 8. citatur etiā Sylvester verbo *Correctio*, quæstione septima: sed ipse tantùm loquitur in casu infrà explicando, in limitatione prima. Probatur primò, quia ita consuevere multi religiosorum ordines; nam Smaragdus Abbas in cap. 23. regulę Sancti Benedicti refert hoc decretum Pauli, & Stephani Abbatum antiquissimorum; *Si quis alterum in quacunq; parte viderit quodcumque illicitum facientē, & priori distulerit publicare, cognoscat se esse nutritorem peccati;* & capite 24. *Si quis eum, qui monasterij districtionem non ferens fugam meditari agnoverit, & non statim prodiderit, perditionis illius participem non dubitet se esse.* Et in Cōstitutionibus Ordinis Sancti Dominici, distinctione prima, capite decimo septimo, numero tertio, sic habetur; *Ne vitia occultentur prælato suo, quilibet denūciet, quod viderit, vel audierit*: & capite 18. lectione sexta, ubi agitur de graviori culpa; *Si quis tale quid extrà monasterium commiserit, frater, qui cum eo est, studeat eius excessum prælato quātociùs corrigendum intimare*: & in Constitutionibus Minorum editis à Farinerio capite septimo refertur, in quodam Capitulo Generali sic statutum fuisse; *Nullus frater dogmatizet, vel teneat, quod cúm aliquot sunt socij in crimine non teneatur alter alterum superiori revelare, qui potest, ac debet prodesse. Vnde Iulius Secundus in statutis Franciscanorum fatetur, damnandum esse dogma contrarium,* & §. quarto, *Teneantur fratres per obediētiam exeuntes in reditu suo secretè Guardiano excessus notabiles intimare*: & oppositum dogmatizare sententia totius Capituli generalis definitur esse doctrinā non sanā, sed pestiferam: nec credendum est, tot viros religione, & doctrina præstātes quidquā in hac parte statuisse, quod non esset omnino licitū, & minimé contrariū ordini correctionis Evangelicæ, ut notavit Corduba in comment. regulæ, cap. 10. quæst. 1. hæc, & alia affert noster Ribadeneira cap. 34. sui libelli, & partim habentur in instructione nona sextæ Congregationis generalis nostræ Societatis cap. 2. §. 8.

Secundò probatur, quia graves Doctores, ut Caietanus, Navarra, & Corduba existimant, nō esse peccatum mortale detegere crimen occultum alicuius uni, vel duobus viris gravibus, qui illud nulli ali dicent, nec damnū inferent delinquenti; ergo quando id diceretur prælato, qui secreto servato nihil aliud intendet quàm emendationem delinquentis, idque suavi, ac paterno affectu, nulla foret culpa, præsertim si delinquens sit religiosus, qui non debet ita prospicere suę famæ, ut nec levem istā iacturā velit pati propter suam abiectionē, & ut pater spiritualis meliús possit eum gubernare, & in spiritu dirigere. Cōfirmatur, quia Innocētius III. in capite *Qualiter, & quando*, 2. de 36.

S. Bonav. Richard. Angel. Durand. Sylvester. Smaragd. Constit. S. Dominici. Fariner. Corduba. Ribaden. Caietan. Navar. Corduba. Innocent.

2. de Accusationibus in fine ait, ordinem iudicialem, qui in accusatione sæcularium servatur, non esse omnino exactè servandum inter religiosos; ergo similiter ordo fraternæ correctionis à Domino præscriptus, non ita strictè in religionibus servandus est.

37. Tertiò probatur, quia licèt Christus Dominus in universum præcipiat occultum fratris nostri peccatum secretò corrigi, priùs quàm ad prælatum deferatur, excipiuntur à Doctoribus illa crimina, quę cedunt in damnum tertij, & præsertim communitatis, & quorum emendatio aliter non speratur, ut cōstat ex quarta sectione; ergo ob similem rationem excipienda sunt peccata religiosorum, quæ proinde immediatè poterunt ad prælatum deferri: probatur consequentia, quia vel eiusmodi peccata habent complicem, & sic cedunt in damnum tertij, vel possunt scandalum gignere, & sic vergunt in damnum communitatis, vel saltem probabiliter credi potest privatam monitionem non fore sufficientem, ut frater emendetur, quia cum religiosus gravem culpam committit, magnā animi relaxationē precessisse credendum est, & voluntatem valde imbecillam in ijs, quæ spectant ad divinum obsequium; huic autem malo non potest sufficiēter obviam ire nisi prælatus, qui eum ab occasionibus avocet, ad bene agendum excitet, & sollicitam illius curam gerat.

38. Quartò probatur, quia magni momēti est ad bonum spirituale religiosorū nosse, crimina sua statim deferri posse ad prælatum, hoc enim fræno cohibetur noster appetitus, ne in illicita præceps agatur; ergo sicut propter hunc finem censetur optima reservatio casuum in religionibus, censebitur etiam licita immediata criminis delatio ad prælatum ut ad patrem; unde viri graves, & studiosi observantiæ religiosæ hanc opinionem amplectuntur; qui verò eam oppugnant, sunt ut in plurimum iuvenes libertatis amatores, & rigoris, seu potius observantiæ inimici.

39. Dicendum tamen est, non esse absolutè licitum denunciare quodvis crimen occultum fratris prælato ut patri, quando privata admonitio creditur profutura. Sic Sanctus Thomas quodlibeto undecimo, articulo decimo tertio, & in hac quæstione, articulo septimo, maximè ad quartum, & quintum, ubi recentiores, Bañez præsertim dubio secundo, ad confirmationem septimi, Aragon dubio ultimo, Valencia puncto quinto, Caietanus tomo primo Opuscul. tractatu trigesimo primo, responsione quinta, ad primum dubium, Sotus de tegendo secreto, M. 2. quæstione quarta, Abulensis in caput decimū octavū Matthæi quæst. 98. Navarra 2. de Restitutione, cap. 4. puncto secundo, dubio 11. Paludanus in quarto, distinctione 19. quæstione quarta, & optimé Sayrus in Clavi regia libri undecimi, cap. 4.

S. Thom. Bañez. Aragon. Valenc. Caietan. Sotus. Abulens. Navarrus Palud. Sayrus.

40. Probatur primò, quia sic intelligunt prędicta verba Christi Domini, non solùm prędicti Doctores, sed etiā Patres, & religiosorum variæ familię: nam Sanctus Augustinus in sua regula disertè testatur, *Petulantiam oculorum, & reliqua peccata, quæ quis in fratre animadverterit, prius esse fraternè corrigenda, quā ad prælatum deferantur*: idem docet Hugo de Sancto Victore in explicatione illius regulæ, capite 7. neque credere possum aliud sentire, aut in praxi servare gravissimā Dominicanorū familiam, non solùm quia Dominicus Bañez id planè supponit, & ante illū Sotus eiusdē familiæ sinè limitatione ulla docet in religionibus, atque adeò in sua servandū esse ordinem à Christo Domino præscriptū, & quod amplius est ipse S. Thomas, qui tā perfectè noverat sui ordinis statuta; quare quod in contrarium allatum est ex Constitutionibus illius, intelligi debet de peccatis publicis, vel in damnum, & scandalū tertij vergentibus, nō de omnibus, ut Bañez annotavit; & fortassè idem voluerūt Patres Franciscani, ut partim indicant verba in primo argumento adducta, nā Emanuel Rodriguez tomo secundo regul. quæstione octava agens de servādo Evāgelico ordine correctionis fraternę in religionibus, nō meminit talis Cōstitutionis, sed ait, illū etiā obligare religiosos, vel certé hęc sanctissima religio, & fortè aliæ secutę sunt, quod graves alij Doctores probaverūt, in alijs autē religionibus servatur ordo à Domino præscriptus.

S. August. Hugo. Emanuel.

41. Secundò probatur, quia quamdiù sæcularis, vel religiosus non renunciavit

iuri sub, iustè exigere potest ab altero, ut suæ famæ prospiciat, quamdiu nihil aliud est, quod præponderet; ergo quādo quis secretè admonitus emendabitur, iustè exigere potest ab altero, ut crimen suum occultum non manifestet prælato quamtùm vis patri, quia manifestatio aliquantulùm sinè dubio, & secundùm graves doctores multum lædit famam delinquentis, præsertim si antea magni æstimabatur à suo superiore; quare ratio, ob quam obligat privata monitio, iuxta dicta in secunda sectione, probat eodem modo veritatem assertionis, quam hic cū Sancto Thoma statuimus.

42. *S. Thom.* *S. Sylvest.* Limitanda tamen est primò cum ipso Sancto Doctore in illo quodlibeto, & Sylvestro suprà, ut nimirùm quādo prelatus meliùs per se ipsum corriget, licitū sit ad illum ut ad patrem immediatè deferre crimen occultum fratris; *Si videtur* (inquit) *quod hoc meliùs fiat per prælatum, & prælatus sit pius, discretus & spiritualis, non habens rancorem, seu odium adversùs illum subditum, tunc licitè potest denunciare hoc sibi, quia non dicit ei sicut prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam.* Probarique potest; quia detrimentum proveniens subdito ex hac manifestatione modicum est, & cōsequenter maior correctionis utilitas huic damno præponderat, præsertim si religiosus sit, qui non tā curare debet honorem mundi, quàm spiritualem profectum; dices, semper meliùs fieri correctionem à prælato saltèm in religionibus, ac proinde semper licere deferre crimina ad illum immediatè. Respondeo negando id esse verum, primò quia non semper prælati tales sunt, quales S. Thomas hic describit: secundò quia sæpè in communitate sunt subditi, quos alij tanta veneratione, aut amore prosequuntur, ut plùs prosit eorum secreta correctio, quàm prelatorum, saltèm in peccatis, quæ non pendent in futurū, & ita solent ipsi prælati uti similiū subditorum opera ad alios corrigendos, & meritò quidem.

43. *Navar.* Secundò limitat Navarra suprà, ut nimirum quando peccator creditur iterum lapsurus, licitum sit deferre immediatè crimen illius ad superiorem tanquàm ad patrem; & rectè quidem id docet, quia tunc prudenter creditur privatam correctionem non profuturam, si quidem ea iudicatur insufficiens, ut in futurum non cadat: & iam diximus licere recurrere ad superiorem, imò & ad alium quādo mea privata monitio non erit utilis ad emendationem: correctio autem superioris, qui verè pater est, multum prodesse solet, & saltèm deserviet denunciatio, ut superior diligentiùs invigilet, & occasiones lapsus præcidat subdito suo; quando autem non timeretur prædicta criminis iteratio, non est cur non obliget ordo correctionis à Christo Domino præscriptus etiam in religionibus. Solùm advertit Caietanus suprà, & satis prudenter agens de criminibus, quæ cedunt in damnum commune, & detegenda sunt, nisi crederetur delinquentes fraterné correctos non esse ampliùs peccaturos. *Hoc* (inquit) (scilicet fraternam, & secretam correctionem eis profuturam) *non facilè credendum est de religiosis præsertìm huiusmodi sceleribus irretitis* (*scilicet hæresis, conspirationis, latrocinij subversionis, de quibus egerat:*) *sed dubitandum potiùs videtur, quod fingent se emendare, & propterea tutius in huiusmodi casibus est prælato potenti per se, vel alium, & volenti salvare, non perdere oves suas, & curam famæ proximorum solito habere, ut pastorem decet, cōplices, sive non cōplices reos notos revelare; si autē crimē in detrimētū aliorum non pendet, non tenetur reus occultos alios revelare, sed ordinem fraternæ correctionis præponere:* hactenus Caietanus. *Caietan.*

Ad primum prioris opinionis iam responsum est suprà: ad secundum respondeo, quidquid sit de illa opinione, negari non posse illam esse aliquam infamiam, quam non debet nec potest quis irrogare sæculari, aut religioso, qui non cessit iuri suo, si ad eius emendationem sufficiat privata correctio. Ad confirmationem, sicut in accusatione religiosorum aliquis ordo iudicialis, & non omnino exactus servari sæpè debet, ita & in correctione fraterna; quare minor causa sufficiet in religiosis, ut liceat ordinem à Domino præscriptum prætermittere; sed tamen non propterea nunquam obligabit, cùm sit secundùm ius divinum, & naturale. 44.

Ad tertium respondeo, iam redditam 45.

esse

esse a nobis rationem, ob quam eiusmodi crimina possint immediatè detegi superiori, & hęc quidem procedit in peccatis similibus, si à religioso patrentur, nō autem in omnibus, quia nec omnia habēt complicem, nec scandalum, aut aliud nocumentum afferunt communitati; nec est cur aliqua peccata non credantur corrigenda tam bene ab aliquo subdito, quàm à prælato, cum prælatus interdum utatur opera subditi ad eiusmodi correctionem, ut dictum est.

46. Ad quartum respondeo, verè quidem dici illud esse frænum, sed non propterea omnibus religiosis iniectum fuisse credendum est; sunt enim alia fræna, nimirum oratio, timor pęnarum alterius vitę, admonitio fraterna, & insuper nosse, quod si hęc non profecerint, procederetur ad denunciationem. Sic etiam non omnia peccata reservata sunt, quàmvis ea reservatio foret frænum. Nec verum est, sententiam, quam hic sequimur, esse ut in plurimum iuniorum, & inimicorum observantiæ, potiùs enim est gravissimorum Doctorum, quos retulimus, & nullo modo nociva, quia cum ex eo quod ordo Evangelicus servaretur, proveniret damnum, iam non obligat, nec procedit in illo casu.

DISPVTATIO VI.

Quid significetur illis Christi Domini verbis, Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

1. Xplicuimus, an, & quatenùs teneamur privatim corrigere fratrem, cuius peccatum occultum est; superest declaranda huius correctionis utilitas, & finis, quem Christus Domius obtineri exoptat, & illis verbis significat, *Lucratus eris fratrem tuum.* Abulensis in commen. ante quęstionem 79. sic explicat, *Lucraberis animā eius,* vel proprius, *conservabis eum, ne perdat animam per peccatum in quo erat, de quo recedere admonetur,* duo itaque sunt fines huius fraternæ correctionis, prior respicit culpam præteritam, posterior præcavet in futurum: eo enim fine adhibēda est correctio, ut culpa iam commissa lachrymis, & dolore deleatur, & de cætero non incidat frater noster in illud genus peccati. Abulens.

Sed præterea quidpiam aliud indicare voluit Assertor noster, dum spiritualem fratris nostri salutem appellat lucrum, nō tam alienum, quàm proprium, tanto enim amore prosecuturi sumus fratrem, ut salus illius nostra reputetur, *Per salutem enim alterius* (inquit Sanctus Hieronymus à Sancto Thoma relatus in Catena) *nobis quoque acquiritur salus;* addit etiam Sanctus Chrysostomus apud eundem; *Non dixit quod ille lucratus est se ipsum, sed quod tu lucratus es eum, ex quo ostēdit quoniā & tu, & ille dānū passi eratis ex discordia,* quæ verba supponunt id quod in secunda disputatione dicebamus potissimum, & directè esse hoc loco sermonem de peccato contra nos commisso, quod nimirum inimicitiam attulit. 2. S. Hieron. S. Chrys.

Ad extremum sapientissimè dictū est, *lucratus eris fratrem tuum,* primum quia lucratus es illum Deo, cuius lucra sunt nostri profectus, & spiritualis utilitas: deinde tibi, quia & tibi valde utile est illum quasi denuo gignere in spiritu tribuendo vitam spiritualem, & quia tibi illum strictissimè devincies cum enim ipse adverterit, te de illius spirituali salute nō de tua vindicta fuisse solicitum, planè cōperiet, se ardenter amari à te, quod quidē maximè illum alliciet ad amorem tui. Tertio lucratus eris eum Ecclesiæ, cui maxima lucra sunt animarum salus. Quarto tandem lucratus eris eum sibi, ipsi qui peccando perierat.

DISPVTATIO VII.

Quando, & quomodo teneamur adhibere unum, aut duos testes ad corrigendum fratrem.

Si

1. SI postquam semel, & iterum, aut sæpè frater occultè peccans admonitus est privatim ab altero, non resipiscat, ac proinde non censeatur iam similis correctio profutura, docet Christus Dominus ulteriùs esse progrediendum his verbis; *Si te nõ audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum:* & quidem pauci illi authores, qui in disputatione præcedenti existimarunt, non esse obligationem præmittendi secretam, & omnino occultam correctionem, potiori iure sentiunt, neminem teneri vocare unum, vel duos testes, ut coram illis corrigat: & sanè multa sunt, quæ efficaciter suadere videntur nullã esse obligationem eiusmodi.

2. Primum quia nullus est in republica christiana, qui hanc obligationẽ agnoscat, aut qui in praxi tale præceptum impleat; omnes enim credunt se satis superque fecisse, si fratrem, quem occultè peccantem viderunt, occultè corrigant; secundum quia vel isti testes futuri sunt de numero illorum, qui iam sciebãt peccatum fratris, vel qui nesciebant; hoc secundum dici non potest, quia sic proximus infamaretur detegendo illius crimẽ ijs, qui nesciebant, & prætereà illi non haberent maiorem authoritatem, aut efficacitatem ad corrigendum, quàm solus ille primus, á quo peccatum fratris audierunt; nec possent propriè dici testes, quippé qui peccatum non viderunt: primum verò falsum est, quia cum crimen, de quo hic agitur sit occultum, non facilé invenientur alij testes, qui illud viderint. Tertium quia non potest reddi sufficiens ratio, ob quam hæc testium inductio cadat sub præceptum, illudque naturale, cùm natura id non dictet, & præsertim in hoc certo numero, ut scilicèt testes non sint plures, quàm duo, cur enim non poteũt esse tres, vel quatuor. Confirmatur, quia vel duo testes simul habendi sunt, vel unus primum, deinde alter, & nihil horũ firma aliqua ratione probari potest: quartum quia non constat, quem ad finem requiratur ista testium inductio: quintum denique, quia multa sunt peccata, in quorum correctione, vel inutile, vel perniciosum esset inducere testes, sed statim res ad prælatum deferenda erit, ut ex disputatione præcedente colligi potest.

Nihilominùs omnes Doctores, imò & Ecclesiæ Patres, qui in disputatione quinta existimarunt, crimen occultum fratris esse priús privatim corrigendum, constanter etiam affirmant, antequam ad Ecclesiam deferatur, corrigendum esse coram uno, vel duobus testibus, quando id probabiliter creditur profuturum, ut frater emendetur, adsintque cæteræ circũstantiæ, quas in prima disputatione diximus, concurrere debere, ut præceptum correctionis obliget. Et quidem si Christus Dominus in sententia, quam explicamus, preceptum naturale promulgat, ut promulgare probavimus in superioribús disputationibus, negari non potest, hanc testium inductionem cadere sub naturale præceptum, cùm eodem tenore verborum à Christo Domino asseratur, quo asserta fuit obligatio præmittendi priús correctionem omnino secretam; quare qua certitudine hoc secundũ probatum est in disputatione præcedente, probatum censeri debet, quod in hac disputatione statuimus cum communi sententia. 3.

His accedit optima ratio, etenim lege naturali tenemur sublevare gravem proximi miseriam præsertim spiritualem, adhibitis illis medijs, quæ probabiliter sperantur profutura, & à nobis adhiberi possunt absque notabili detrimento nostro, & qui secus faciat, plané convincitur non diligere proximum ex corde, seu opere, & veritate; sed peccatum lethale est gravis miseria spiritualis proximi, ergo qui probabiliter sperat, adhibito uno, vel duobus testibus liberandum ab eá miseria, potestque sine gravi incommodo illos adhibere, tenetur lege naturali id præstare, & in hoc tantùm casu obligat ista lex à Domino promulgata, qui si raró accidat, non convincitur nunquàm posse accidere, nam alia etiam præcepta sunt, quæ raró obligant, sed non ideó præcepta non sunt. Rursus ad hanc testium inductionem teneri nos, antequam crimen ad Ecclesiam deferamus, probatur primò, quia naturali lege tenemur non infamare proximum, nisi quando, & quatenus id fuerit necessarium ad maius bonũ; ergo quantò minori infamia potuerimus 4.

sublevare

sub evare miseriam spiritualem illius, tenemur id præstare; sed multó minùs infamatur corrigendo eius occultum peccatum coram uno, vel duobus testibus, quàm deferendo ad Ecclesiam, seu prælatum, ergo priùs quam ad prælatum deferatur, tenemur coram testibus illum corrigere, dummodo probabiliter fructus speretur, ut dictum est: minor probatur, quia cum defertur crimen ad prælatum, ut prælatus est, agitur magis severè de remedio, si enim emendari nolet, cogetur censuris, & procedi poterit iuridicè inquirendo de crimine, puniendo publicè, vel alia faciendo, quibus multò magis infamabitur delinquens. Secundò probatur eadem minor congruenti ratione, quam reddidit Sanctus Thomas in articulo octavo, quia nimirum consentaneũ est ab uno extremo in alterũ non transiri nisi per medium, sed in correctione fraterna unum extremum, scilicet primum quod fieri debet, est omnino privata admonitio, alterum verò, id est postremum, est denunciatio coram prælato; ergo cõsentaneum est, ante istam denunciationẽ corrigi delinquentem corã uno, vel duobus testibus, quod minus est, quàm ad iudicem deferri, & magis, quàm omnino occultè moneri.

S. Thom.

5. Ad primum verò respondeo, omnes, quos pro assertione retulimus, agnoscere prædictam obligationẽ, & multos alios, qui eorum doctrinæ subscribunt: quoniã verò non est facile concurrere omnes circunstantias requisitas, ut hæc testium inductio cadat sub præceptum saltèm grave, ideò multi obligationem non advertunt, sed excusantur ignorantia, aut sexcẽtis alijs rationibus, ob quas raró id executioni mandatur, sed nõ propterea negandum est præceptum, & illius adimpletio.

6. Ad secundum respondet Durandus in quarto distinctione decima nona, quæstione quarta solùm esse adhibendos testes, qui illud peccatum antea cognoverint; & quidem id verum esset, quando reperirentur eiusmodi testes, & prodesse possent, sic enim minus infamaretur delinquens: si verò non reperirentur, adhiberi possunt, & debent alij, quibus crimẽ ad hunc finem detegatur; quia licèt hoc modo aliquam famæ iacturam patiatur, ea censenda est minoris momenti, quàm spirituale damnum, quod patitur frater, dum in suo peccato perseverat. Et quãvis ij testes non aliunde acceperint notitiam peccati, quàm ab illo ipso, qui privatim admonuerat, nihilominùs multùm prodesse poterit coram eis corrigere, primò quia sic maiori rubore suffundetur delinquens, secundò, quia magis timebit iterum peccare, sciens esse iam plures, qui cognoverint eum peccasse possintque, si velint, illum observare; hec autem sinè dubio magni momenti sunt ad emendationem.

Durand.

Ad tertium patet ex dictis, quàm sufficienter probetur hanc testium inductionem cadere sub præceptum naturale; 7.
quod verò testes futuri sint tantùm duo, ita strictè accepit Abulensis quæstione centesima tertia, ut nunquàm liceat plures adhibere, sed statim ad Ecclesiam crimen deferendum sit. Attendendus sanè in hac re est scopus Christi Domini, nimirùm emendatio fratris quantò minori infamia, & iactura fieri possit: quoniam ergo ut in plurimum censetur inutilis privata correctio, quando ab uno privatim, deinde ab alijs duobus adhibita semel, & iterum non prodest, sapientissimè numerus ille ternarius unius, & deinde duorum assignatus est ab Assertore nostro; *In ore enim duorum, vel trium testium stat omne verbum*; id est satis sufficienter probatur; qui locus desumitur ex capite decimo nono Deuteronomij, & bene explicatur ab Abulensi in caput decimum octavum Matthæi, quæstione cẽtesima quarta: sed si casus occurreret, in quo, & tres, vel quatuor testes crederentur profuturi, & alioqui ex denunciatione maius damnum timeretur, possent profectò, & deberent adhiberi. Ad confirmationem respondeo; si probabiliter creditur profuturus unus primum, ille priùs adhibendus est, secus verò duo simul, ita tamen ut hæc non nimium scrupulosè accipiantur, sed prudenti advertentia, & sincero animo proficiendi.

Abulens.

Deut. 19.
Abulens.

Ad quartum respondeo, tres fines ex Sanctorum Patrum doctrina numerari à Sancto Thoma articulo octavo, ad tertium, ob quos necesse sit testes adhiberi: primũ ut peccanti suadeatur, illud quod fecit esse malum, interdum enim excusabit 8.

bit factum suum, nec credet ibi esse peccatum, donec videat ita sentire duos, vel tres. Secundum ut meliùs, si oportuerit, convinci posit delinquens, cùm peccatũ iteraverit; testes enim semel adhibiti, si non suaserint delinquenti, ut à peccato desistat, ipseque excusationis tegnas prætendat, observare poterunt illum, & tanquàm oculati eum convincere: tertium ut cùm denuncietur prælato crimen fratris, simul prælatus sciat, iam semel, & iterum fuisse correctum suaviter, & oportere efficacius aliud remedium adhiberi. *Abulens.* Quartum finem addidit Abulensis quæstione centesima prima, ut nimirum rubor injiciatur delinquenti, videns enim peccatum suum pluribus esse iam manifestum, minùs audebit peccare, ne apud illos famæ iacturam patiatur.

9. Ad quintum respondeo delicta illa, quæ, iuxta doctrinam disputationis quintæ non sunt privatim corrigenda, sed immediaté deferenda ad prælatum, non esse etiam coram testibus arguenda, sicut nec alia, quorum emendatio non speraretur: alia verò sunt, quæ si adhibitis testibus corrigantur, non iterabuntur, & de his in hac disputatione locuti sumus. Addunt *Adrianus* & meritò quidem Adrianus in quæstione de Correctione, §. *Pro huius decisione*, circà finẽ, & §. *Ad rationes*, in fine quæstionis; & Caietanus ad articulum octavum *Caietan.* non esse adhibendos testes, quando peccatum omnino præterijt, nec ullo modo timetur iterandum, quia eo ipso censetur frater emendatus, ac proinde non indigens correctione, nisi forté peccasset ex ignorantia, & nollet fateri esse malum id, quod fecit, proptereaque crederetur nunquàm illud detestaturus, aut confessario detecturus; tunc enim adhiberi oporteret testes, ut vitaretur tantum malum; sed id non tam censeri debet præteritum, quàm futurum, scilicèt ne in peccato ob ignorantiam culpabilem perseveret.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm unus prædictorum testium posit esse prælatus, non ut iudex, sed ut pater: ubi quid in hoc senserit S. Augustinus?



Iximus, post monitionem omnino secretam adhiberi oportere unum, vel duos testes, quibus, si antea non novissét, manifestetur fratris delictum, ut corrigatur; nunc dubitatur, an unus istorũ posit esse ipse prælatus, qui non tanquàm iudex, sed tanquã pater benigné admoneat subditum delinquentem, ita ut si correctio omnino secreta non fuerit sufficiens, liceat statim denunciare prælato. 1.

Partem negantem sequitur Valencia 2. puncto quinto, à §. *Tertiò controversum est*, qui eam tribuit Hugoni de Sancto *Valenc.* Victore, Alberto Magno, Navarro, & Dominico Bañez: sed Hugo id non asserit, ut posteá videbimus; Albertum videre non potui: Navarrus capite vigesimo quarto, numero decimo quarto, in fine, videtur quidem favere, quatenus ait, peccare eum, qui non servato ordine Evangelico revelat delictum superiori, etiam ut provideat, ne subditus illud iteret: sed non constat claré eum agere de toto processu ordinis Evangelici; fortassè enim solùm vult, non licere immediaté deferre ad superiorem, antequam delinquens privatim corrigatur, quod iuxta dicta disputatione quinta verum est; licèt cùm privata correctio non profuerit, posit ante inductionem aliorum testium denunciare prælato; hoc enim secundum sentit Sotus, quem Navarrus allegat pro se. Bañez articulo octavo, dubio secundo ad sextum, idem videtur probabile reputare, sed etiam reputat probabile contrarium, ut constat ex prima solutione, quam affert ex S. Thoma.

Probat Valencia primò; quia ordo 3. præscriptus à Christo Domino cadit sub præceptum; sed iste ordo exigit, ut priùs dicatur testibus quàm prælato, ergò; secundò probat, quia Sanctus Basilius in *S. Basil.* quæstionibus fusé explicatis, quæstione quadragesima sexta loquens de superiori ut patre, ait, tunc ad illum deferri debere peccatum, quãdo illi, qui sunt conscij,

mederi

S. August. mederi non possunt Sanctus Augustinus in sua regula disertè testatur, delinquentem manifestandum esse superiori, ut sanet; priùs tamen uni, vel tertio fratri demonstrari debere; & quàmvis postea subdat, priùs debere dici prælato, non significat debere dici priùs, quàm duobus testibus, alioqui sibi contradiceret, sed debere dici prælato prius quàm delinquēs coram omnibus fratribus arguatur, & convictus puniatur: reddit enim rationem huius ordinis dicens, *Debere priús dici prælatò, quia fortè ita emendabitur, & non erit necesse manifestari omnibus delictum, sed sufficiet illa correctio magis secreta*: si autem ageret de denunciando crimine ipsi prælato priùs quàm cuicumque alteri testi, non diceret eo modo corrigi posse fratrē magis secretò; nec enim prælatus magis secretè corripiet quàm alius testis, qui non sit prælatus. Tertiò denique probat; quia iste ordo à Christo Domino præscriptus est, ut delictum fratris corrigatur quantò minori eius infamia posibile sit; ergo priús corrigendus est coram teste, qui non sit prælatus, quā coram prælato etiam ut patre: patet cōsequentia, quia multò magis infamatur subditus, cúm crimen eius manifestatur prelato, quàm cùm manifestatur uni, vel duobus subditis, & multò pluris facit delinquens bonam sui æstimationem apud superiorem, quàm apud unum, aut etiam plures subditos.

4. Dicendum tamen est, si delinquens non emendetur privata illa correctione, de qua in quinta disputatione licitum esse immediatè, & sinè prævia adhibitione aliorum testium, denunciare crimen prælato ut patri: Sic sentiunt Sanctus Thomas art. octavo ad quartum, & in caput decimum octavum Matthæi; Durandus, & Paludanus in quarto, distinctione decima nona, quæstione quarta; Sylvester verbo *Correctio*, quæstione septima, Sotus de tegendo secreto, membro secundo, quæstione quarta in fine ad tertiū: Abulensis in caput decimum octavum Matthęi, quæstione centesima sexta ad quartum, & Doctores illi, qui suprà dixerunt, licitum esse manifestare crimen superiori ut patri, etiam ante omnem privatam correctionem.

S. Thom. Durand. Palud. Sylvester. Sotus. Abulens.

5. Probatur primò authoritate Sancti Augustini in tomo secundo, Epistola cētesima nona, de regula monacharum, unde excerpta videtur regula monachorum sui ordinis illustrissimi: *Si hanc* (inquit) *oculi petulantiam in aliqua vestrum advertentis, statim admonete, ne capta progrediantur: si autem & post admonitionē iterum id ipsum eam facere videritis, iam velut vulneratam sanandam prodat quæcunque invenire potuit; priùs tamen alteri, vel tertiæ demōstratam, ut duarum, vel trium possit ore convinci, & competenti severitate coerceri. Sed antequam alijs demonstretur, per quas convincenda est, si negaverit, priùs præpositæ debet ostendi, si admonita neglexerit corrigi, ne fortè possit secretiùs correpta innotescere cæteris; si autem negaverit, tunc adhibendæ sunt aliæ, ut iam coram omnibus possit, non ab una teste argui, sed à duabus, tribusve convinci: & hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris peccatis diligenter observetur.* hactenus ibi Sāctus Doctor, qui idem habet in regula virorum, mutato solúm genere, seu sexu. S. August.

6. Huius sententiæ contextum, si quis attendat, facilé, ut opinor, comperiet assertionem nostram esse ipsissimam Sancti Augustini mentem, ut rectè S. Thomas loco citato, & alij docuerunt: & imprimis de quocunque peccato, & non de sola oculorum petulantia loqui, perspicuū fit ex ultimis verbis; deinde subiungitur, secreta, & omnino privata monitio: tertiò adhibitio testium, quorum ore convincatur: ab illis veró verbis, *Sed antequā alijs demonstretur, per quas convincenda est*, planè deducitur, priùs quàm alteri cuicumque testi dicatur, dicendum esse superiori ut patri. Sed inquit Valēcia istas alias, de quibus ibi loquitur, esse omnes religiosas illius communitatis, non verò illas duas testes, de quibus priùs egerat, & ita sensum esse crimen detegēdū priùs uni, vel duobus monasterij. Deinde pręposite, postremò toti communitati, corā qua convincatur. Id tamen refellitur ex verbis sequentibus; postquam enim dixit, crimen indicandum superiori, subdit; *Si autem negaverit, tunc adhibendæ sunt aliæ, ut iam coram omnibus posit, non ab una teste argui, sed à duabus, tribusve convinci*: istę ergò aliæ, sunt illę duæ testes, quibus dicendum est crimen, postquam

præpositæ

Præpositæ innotuit ut matri, & noluit delinquens emendari, ut deinceps coram communitate testimonium ferant, & convicta puniatur. Confirmatur, quia finis adhibendi alias est, ut coram omnibus posſit à duabus convinci; ergo illæ, quæ adhibendæ ſunt, non eſt tota communitas; hæc enim non adhibetur, ſed potius teſtes adhibentur coram illa, nec per particulam *alias* ſignificari congruè poterant omnes religioſę.

7. Hæc igitur eſt S. Auguſtini mẽs, & ſententiæ ſuprà relatæ contextus, ſi quis religioſus occultè peccaverit, priùs corrigatur ſecreté ab eo, qui crimen noverit; quòd ſi hæc privata correctio non proficiat, manifeſtetur eius delictum, hoc tamen ordine, ut antequã corã cõmunitate convincatur, & puniatur dicatur uni, vel duobus teſtibus, qui, ſi opus fuerit, teſtimoniũ poſtea ferant veritatis, & antequã his dicatur, manifeſtetur prȩlato ut patri; quòd ſi neutrum profuerit, deferatur, ſi opus ſit, ad totam communitatem, coram qua duo illi teſtes delinquentem convincant, & ſuperior, qui priùs ſe geſſerat ut pater, tunc aſſumat officium iudicis, & illum puniat; nec video cur Valencia putaverit Richardum de Sancto Victore aliter hanc regulam intellexiſſe, cùm in capite ſeptimo ſuæ declarationis ſic ſcribat, *Culpa cùm occultè committitur ab alijs fratribus, qui eius culpæ conſcij ſunt, hic qui deliquit, frater, ſecretè debet corrigi, quos ſi neglexerit audire, patri monaſterij debet indicari, ut & ipſe fratrem ſecretè corrigat; ſi autem negaverit, tunc teſtes adhibeantur:* quid clarius? meritò autem dixit S. Auguſtinus priùs debere dici prælato, ut ita magis ſecretum ſervetur delictum, ſi fortè peccatum emendetur; tunc quia prælatus eſt unus, & teſtes ſolent eſſe duo; tunc maximè, quia prælato faciliùs eſt ſæpiſsimé præſervare ſubditum, ne iterum labatur, & ſic non erit opus manifeſtare delictum coram omnibus.

8. Secundo probatur ratione; quia quando correctio omnino privata non ſufficit, adhibendus eſt ſaltém unus teſtis, cui crimen fratris manifeſtetur; ſed hic poteſt eſſe ipſe prælatus delinquentis, ergo: maior, & conſequẽtia patent, minor probatur, quia nihil eſt quod ſuadeat, id eſſe illicitum; & alioqui ſunt rationes, quæ oſtendunt eſſe convenietiſsimum; utrúque probatur reſpondendo ad argumenta Valenciȩ. Ad primum ordo à Chriſto Domino prȩſcript' obligat ut priùs manifeſtetur teſtibus quám prælato, ut poſſit exercere officium iudicis, ſi opus fuerit, ut patebit infrà, id ſignificant illa verba *Dic Eccleſiæ*; non verò ut priùs dicatur alijs teſtibus quàm prælato ut patri, qui ſola peramanti correctione medeatur ſubdito, & nihil aliud ſeveritatis exerceat, imó nec exercere poſſit, ſi ſubditus velit emendari. Secundum argumentum potiùs eſt pro nobis, ut conſtat ex dictis; nam Sanctus Auguſtinus, & Hugo docent, quod nos ſecuti ſumus: Sanctus verò Baſilius ait, priùs corrigendũ eſſe fratrem correctione omnino privata, de qua diſputatione quinta, ſectione ſecunda, quàm ad prælatum deferatur, niſi forté talis correctio non credatur profutura; non verò negat, quando crimen denunciandum eſt teſtibus, poſſe unum illorum eſſe prælatum. Tertium denique non urget, quia quando ſuperior eſt veré pater, non magis, ſed minus læditur fama ſubditi detegendo illi crimen, quám alteri ſubdito. Etenim ſi ſubditus ex animo velit emendari, & re ipſa emendetur, nec timeatur recidivum, non poteſt ſuperior ullo modo revelare alteri crimẽ, aut quidquam mali inferre delinquenti, ſed perinde ſe gerere debet, ac ſi crimen non noviſſet: ſubditus verò, cui tanquam teſti manifeſtaretur, vel non eſſet homo tanti ſecreti, vel minus efficax remedium adhibere poſſet delinquenti, & fortè poſtea opus eſſet tandem ad ſuperiorem recurrere, & ita plures ſcient delictum, quàm ſi ſuperiori immediatè fuiſſet manifeſtatum.

Itaque in hoc negotio oportet à ſubditis corrigi falſam quandam exiſtimationem, aut certè inanem, & iniuſtum infamiæ timorem, qui virum prudentem retrahere non debet à docenda, aut exequenda opinione, quam complectimur in hac diſputatione: imaginatur enim ſubditus imperfectus, valde lædi famam eius apud prælatum, quia ſi ſciat delictũ, removebit eum ab officio, non confidet illi, aut cum alijs loquetur de culpa, quá ſecretò agnovit: res tamen longè aliter evenit, ſi ſuperior, ut debet, ſit ille verus 9.

pater,

pater, de quo loquimur; etenim ex eo quod illi manifestetur delictum, nihil aliud faciet, imò nec facere poterit salva conscientia, nisi quod præcisé fuerit necessarium ad emendationem delicti, & quod subditus ipse non solùm potest, sed etiam tenetur velle, nisi irrationabilem affectum sibi dominari patiatur: unde si cum superior admonet, ipse statim corrigatur, nec sit periculum relapsus, perinde se debet in omnibus gerere superior cum illo, ac si nihil scivisset: si autè corrigatur, sed timeatur relapsus, tenetur ipse subditus velle, ut auferantur pericula, & id tantùm præstabit superior, ita tamè, ut eius honori omnino prospiciat, quod si non corrigatur, non erit rationabiliter invitus, si eum reprehendat, vel aliquid leve supplicium secretò infligat. Sotus quidem suprà, quæstione quarta, conclusione septima dicit, non licere unquam prælato ut patri subditum verberibus afficere: Bañez verò articulo octavo, dubio quarto, conclusione tertia, existimat aliquando id posse licere, sicut licet patri facere cum filio etiam dilectißimo: vide Valenciam puncto 5. §. *Octavo igitur*, ubi egregiè ostendit ad patrem etiam spiritualem, ut pater est pertinere aliquas arbitrarias pœnas infligere delinquenti, quando id necessè est ad finem correctionis, licèt pœnas à iure statutas non posit infligere. Denique si ad medellam adhibendam foret necessarium manifestari culpam uni, vel duobus viris gravibus, non est subditus rationabiliter invitus, cùm quilibet alius, licét subditus, posset idem facere. Concludo ergò non esse rationabile illud iudicium, quo subditus magis æstimat bonam sui existimationem apud superiorem, quàm apud plures subditos, quando non alia infamia ei accrescit, quàm quòd superior sciat crimen eius ut pater.

Sotus.

Bañez.

DISPVTATIO IX.

Quando, & quomodo delictũ fratris denunciari debeat Ecclesiæ?

1. Difficultas præsentis disputationis consistit in explicandis illis verbis sentẽtię Salvatoris nostri, *quod si nõ audierit eos, dic Ecclesiæ*: quatuor ergo inquiri possunt: primũ quid hoc loco nomine Ecclesię significetur; secundum quando delicta sint Ecclesiæ denuncianda; tertium in qua forma; quartum an Ecclesia posit tunc exercere officium iudicis.

2. Circà primum legendus est Abulẽsis quæstione centesima octava in caput decimum octavũ Matthæi, ubi latè expẽdit varias acceptiones Ecclesię, de qua in his verbis agit Christus Dominus: breviter tamen dicendũ est cum S. Chrysostomo homilia 61. in Matth. & alijs interpretibus, nomine Ecclesię significari hoc loco prælatos, quibus incũbit spiritualis cura gubernandi subditos: hi enim sunt, qui efficacius remediũ adhibere possunt. Vniversa autẽ Ecclesia, scilicet cõgregatio omniũ fideliũ, nec potest simul cõvenire, nec vim habet coercẽdi delinquẽtes nisi medijs superioribus, aut prẹlatis. Verũ quidẽ est, accidere posse, ut prælatus ipse iudicet, necessariũ arguere, vel punire delinquẽtẽ in loco publico, aut per sententiã publicã, quæ proinde in omniũ notitiã venire posit; & tunc crimen fratris diceretur toti Ecclesiæ: & in hoc sensu habet veritatẽ explicatio Glossę apud S. Thomam in Catena Matthæi decimo octavo dicentis, *Dic toti Ecclesiæ, ut maiorem erubescentiam patiatur:* & S. Augustinus in sua regula, quã explicuimus disputatione præcedenti testatur, delinquẽtem religiosum coram omnibus suæ cõmunitatis esse convincendum, ut ita supplicium ei debitum infligatur.

Abulens.

S. Chrysost.

Glossa.

S. August.

3. Sed objiciet aliquis nomine Ecclesiæ, & prælatorũ eius solũ significari iudices Ecclesiasticos; crimina autem posse, & debere sæpé denunciari iudicibus sæcularibus. Confirmatur; quia ut sæpè in hoc tractatu inculcatum est, Christus Dñs in loco Evangelij, quẽ declaramus, nullum novũ præceptũ iniungit, sed antiquum, quod naturale, & divinũ est, promulgat; quis autẽ dicat legẽ naturalẽ, ac divinam obligare, ut potiús ad iudicẽ ecclesiasticum, quàm ad sæcularẽ deferatur crimẽ fratris delinquẽtis, præsertim cùm apud

ethnicos non sint iudices Ecclesiastici,& iuxta suprà dicta præceptum hoc obligat ethnicos,& infideles. Respondeo iuxta doctrinam in prioribus disputationibus traditam,aliud esse, quod Christus Dñs explicitè,& attéto rigoroso verborũ sensu proponat; aliud verò,quòd implicitè, & cõsequéter significare voluerit;etenim si primũ attendamus, loquitur solum de prælatis Ecclesiasticis,tũ quia agebat eo loci cũ solis discipulis suis,ex pusillo illo grege Ecclesiæ novæ,quã fundabat,& in illius exordio non nisi iudices,seu prælati Ecclesiastici erant,& iudicaturæ téporales pro nihilo ferè habebãtur;litesq; proinde téporales nolebat Paulus dirimi,nisi à verè sapientibus, & spiritualibus viris; de quo optimè S.Thomas lect.6.in c. 6. prioris ad Corinthios; tum etiam quia scopus Christi Dñi fuit,in his verbis indicare,quo animo denunciandum sit crimen fratris ipsi prælato, scilicèt ut suaviter,& tanquam pater illi medicinam adhibeat,nec nisi necessitate coactus supplicium infligat:& quoniã hęc suavitas,& regimen paternum magis elucet in prælatis spiritualibus, quales sunt Ecclesiastici,de his potissimũ locutus est; si tamen necesse esset conveniri iudicé sæcularé, qui paterno spiritu se gerat, vel quia Ecclesiasticus non datur, vel non creditur profuturus,nõ dubiũ est,quin més Christi Domini fuerit,ut ad illum deferãtur crimina in his circunstantijs, quas iam aggredimur explicaré.

S.Thom.

4. Circá secundũ cũ finis fraternæ correctionis sit lucrari fratré, seu illius emédatio,quãdo post privatam monitionem, & inductioné testium, crederetur nihil profuturũ,quod ad Ecclesiam deferatur, nõ obligat pręceptũ istius correctionis, ut optimè S.Thomas artic.6. & 8. & egregiè Maldonatus in cap. 18. Matthæi; *Accusandus* (inquit) *est frater corã Ecclesia. si fructus speretur,aut Domino relinquendus si non speretur.* Pręter hanc auté conditioné oportet concurrant omnes aliæ,quas in 1. disput. declaravimus, alioqui cessabit obligatio huius denũciationis:quare quod Christus Dñs hoc loco affirmat, illud solùm est, nimirũ cùm quis certó novit fratré suum perseverare adhuc in peccato gravi,quod cõmisit, & alia remedia suaviora, de quibus iã diximus nõ prosunt,teneri crimé hoc deferre ad prælatũ,si ipsi denuncianti nõ proveniat inde aliquod damnũ,quod prępõderet,& aliunde sit spes, ut denunciatio prosit,vel certè non obsit. His auté circũstantijs cõcurrentibus nemo est,qui non videat,esse obligationé naturalé denunciandi crimé prælato, nã eleemosynã spiritualé tenetur quis erogare proximo graviter indigenti,quando potest cũ fructu, & sinè incõmodo, quod præpõderet; alioqui planè cõvincetur nõ diligere proximum opere,& veritate;sed in prædicto evẽtu frater,seu proximus graviter indiget eleemosyna spirituali correctionis, quæ proderit,vel certé nõ oberit, nullũquè incõmodũ prępõderás proveniet elargiéti illã media denũciatione,ergo tenetur ad denunciandũ:nec obstat,si propterea lædatur fama proximi;nã maioris mométi est spiritualis salus, quã fama,ac proinde nõ erit rationabiliter invitus, si, ut prospiciatur bono spirituali illius, aliquã famæ iacturã pati cogatur Fateor tamẽ nõ facilè cõcurrere omnes circũstantias requisitas,ut hoc pręceptũ corrigẽdi apud prælatũ obliget, & ideò non facilè dãnandũ esse, qui nõ denũciaverit, saltẽ quãdo illi ex officio nõ incũbit: vide quę diximus in 1. disp. nã illa applicãda sunt doctrinæ huius disputationis.

S. Thom.
Maldon.

Circà tertiũ,ut breviter declaretur forma,seu modus huius denunciationis, advertendum est,tripliciter venire posse,& solere iudices in notitiã alicuius delicti, scilicèt accusatione,inquisitione,& denũciatione,de quibus multa dicũtur in Iure Canonico lib. 5. tit. 1. ubi legendi sunt Canonistæ,& Navarrus lib.9. Consiliorum; ex alijs verò Theologis S. Thomas infrà, quæstione 68. & 69. Sylvester verbo *Accusatiò*, verbo *Denunciatio*, & verbo *Inquisitio;* Sotus de tegendo secreto,monito secundo, quæstione prima,& & quinta; & Valencia tom.3. disput. 5. quæstione duodecima, & decima tertia: via accusationis proceditur,quando quis defert crimen ad superiorem obligãdo se ad sufficienté probationem, servatisque omnibus conditionibus à Iure præscriptis,de quibus Valécia questione 12. puncto 2. Via verò inquisitionis proceditur, quando iudex ipse ex officio propter infamiam, aut alia indicia sufficientia in- 5.

Navar.
S.Thom.
Sylvest.
Sotus.
Valenc.

veltigat,

vestigat, quis fuerit alicuius criminis author, aut quod malum sit in Republica: via deniquè denunciationis, quādo quis defert crimina spōte sua ad iudicem, seu prælatum. Et quidem duæ primæ viæ omnino ordinantur ad bonum commune, suntque ordinatæ ad punitionē delictorū, & de his non agimus in præsenti; denunciatio verò secundùm Canonistas quadruplex est, scilicèt evangelica, iudicialis, canonica, & regularis: videatur Sotus suprà, qui latè explicat hāc divisionē; sed ad rē nostrā sufficiet divisio denūciationis, quā magis probāt Theologi, scilicet pœnitētialē, seu fraternā, & iudicialē: illa est, qua defertur crimē fratris ad prelatū ut ad patrē, qui prodesse posit, & nō obesse modo explicato in calce octavæ disputationis; hæc verò, qua defertur crimē ad superiorē ut ad iudicē, qui puniat delinquentē, & prospiciat bono cōmuni. Sotus.

6. Verba igitur Christi Domini, *dic Ecclesiæ*, accipiēda sunt, ita ut significēt denunciationē, qua crimē fratris deferatur ad superiorē, quando alter medicina adhiberi nō potest, vel adhibita est, & non fuit sufficiens iuxta dicta. Sed quoniam correctio fraterna, quā Christus Dñs in hoc loco Matthæi 18. promulgat, solum ordinatur ad medellam ipsius fratris, qui deliquit, denunciatio post privatā correctionē, & inductionē testiū facienda est corā prælato, eo fine, & lege ut fratri suavis medicina primū adhibeatur; itaque si subditus privatim à prælato admonitus ex animo resipiscit, nō potest ex vi huius denūciationis fraternæ procedere prælatus ad punitionē, vel ad infligendā ullam pœnā, ut pœna est, propriè loquendo; potest tamē aliquid imponere, quod sit præservativum relapsus, idque prospiciendo quantū cōmodè posit famæ subditi sui. Si autē suavis, & paterna monitio nō sufficiat, & adhuc speretur emendatio, poterit ulteriùs progredi prælatus, & pœnā aliquam infligere, non quidē publicē, & corā omnibus, sed tamen secretò, aut coram paucis, prout prudēs charitas dictaverit necessariū esse, vel expediēs, ut delinquens emendetur: quod si nec istud profecerit, relinquendū est Domino totum negotium, nisi delictum foret talis cōditionis ut inde maiora mala oriretur, quā sit ipsius fratris infamia; tunc enim recta ratio dictat, prælatū prospecturū esse bono cōmuni, contempta infamia, & facturum quidquid iudicaverit necessarium ad bonum communitatis, quod quidem in sequentibus magis declarabitur.

Circa quartum ergò licèt certum videatur prelatum in hoc negotio priùs se gerere debere ut patrem, qui mansuetè moneat, & corrigat, quamdiu fuerit spes emendationis, qui est finis fraternæ huius, seu Evangelicæ denunciationis; si tamen id non proficiat, non potest dubitari, quin etiam exercere valeat officium iudicis, prout & quatenus ad delinquentis emendationem fuerit necessarium, & nihil obstiterit, quominus id faciat. Probatur primò; quia Doctores in his verbis, *dic Ecclesiæ*, planè agnoscunt declarasse Christum Dominum potestatem iudiciariam Ecclesiæ, quā proinde exercere posit erga illos, qui post privatam, & coram testibus monitionem nolunt emendari: unde S. Thomas in caput decimū octavum Matthei, *Dic* (inquit) *Ecclesiæ tanquam iudici*, & in articulo octavo huius quęstionis ait, cùm crimē denūciatur Ecclesiæ, deduci iā ad forū publicū; quod nō diceretur verè, nisi diceretur superiori ut iudici: & clariùs in solut. 4. ait; *Post inductionem testiū dici Ecclesiæ, sicut in loco iudicis residenti*: lege etiā Richardū in quarto, distinctione 19. & interpretes Evangelij. 7. S. Thom. Richard.

Probatur secundò authoritate Sāctorum Patrum: nam Innocentius tertius in cap. *Novit*, de Iudicijs, referēs verba Christi Domini, ex illis colligit potestatem sibi datam iudicandi; & inter alia, *Nullus* (inquit) *qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocunque mortali peccato corripere quēlibet Christianū, & si correctionē contempserit per districtionē Ecclesiasticā coercere*: quæ verba planè significāt munus iudicis. Et S. Augus. in sua regula, cuius verba retulimus disp. 8. planè docet post testiū monitionē, convincendū, & puniendum esse delictū corā omnibus, quod nō nisi authoritate iudiciaria fieri potest. 8. Innocen. 3 S. August.

Tertiò probatur; quia maioris momēti est sal⁹ spiritualis proximi, quā eius fama, & immunitas supplicij; ergo quādo iudicatū fuerit expediēs, aut necessarium ad eius salutē, poterit iudex authoritate of- 9.

ficij sui fungens,eum coram alijs infamare,& supplicium infligere: dixi, quando fuerit expediens,aut necessarium; quia si istud non creditur profuturum, sed nociturum saluti spirituali,aut alioqui timentur damna maioris momenti,abstinendũ omnino est ab ea correctionis severitate,nisi fortè crimen esset perniciosum, ità ut ex simili permissione proveniret cõmunitati damnũ; tunc enim nõ ad finẽ fraternæ correctionis,sed ad publicã utilitatem puniendus esset delinquens.

10. Rogabis, an ut prælatus incipiat in correctione fraterna se gerere ut iudicẽ, sufficiat denunciatio illa, quæ facta est ab illo,qui priùs delinquẽtem admonuit secretò,& posteà testes adiunxit.Respõdeo,ut prælatus exerceat officiũ iudicis, id est,pœnã aliquã arbitrariam etiã excõmunicationis occultæ,de qua infrà,infligat,sufficere prædictã denunciationem, quia totum illud principaliter cõtinetur intra officiũ paternum,& quod habet iudicij, est accessoriũ;accessoriũ autẽ sequitur naturã principalis, ut autẽ absolutè se gerat ut iudicẽ,& ferat publicã sententiã, oportere,ut causam cognoscat tanquam iudex, ac proinde testes iuridico modo inducantur,serventurque alia necessaria: utrùm autẽ in hac iudiciali denunciatione posśint esse testes ijdemmet,corã quibus facta est secreta monitio,ab illo, qui priús privatim correxerat delinquẽtem, negat Aragon ad argumentũ octavum, excepto crimine heresis propter eius atrocitatem. Sotus verò quæstione quarta,in dubio post octavam conclusionem, affirmat,oppositum esse probabile, licèt non ita consulendum nisi in crimine hæresis,ne idem sit testis,& accusator,quod videtur iure prohibitum. Sed sanè si testes,qui á denunciatore adhibentur, iam aliunde noverant crimen fratris, quia illum observaverunt,non video ullam rationem dubitandi,quia sic testes nõ sunt, ipse accusator,nec illius ore loquuntur;& & in eius confirmationem facit, quod S. Augustinus in sua regula ita planè supponit;si verò testes solùm cognovissent crimen,quia ipse qui denunciat, illis revelaverat, tunc non maiorem fidem facient,quàm ipse accusator, cuius ore loquuntur; & tunc nõ videtur in rigore iuris vera Soti sententia.

Aragon. *Sotus.* *S. August.*

DISPVTATIO X.

An, & quatenus teneatur quis denunciare Ecclesiæ, seu prælato complicem sui delicti?



1. Voniam doctrina præcedentis disputationis peculiarem dubitãdi rationem affert in delicto,quod cõplicem habet, oportet, in speciali inquirere,an ex vi præcepti correctionis fraternæ,de qua hic sermo est, teneatur aliquis denũciare superiori illud delictum, cuius ipse simul cum alio fuit patrator.

2. Tota autem difficultatis ratio est, neminem teneri se ipsum infamare; si autem ipse teneretur denunciare complicem sui delicti, consequenter se ipsum manifestaret,ac proinde infamaret: nec obstat si dicatur posse illum in scriptis facere hanc denunciationem, ita ut prælatus veniat in notitiam complicis, sed non cognoscat personam denunciatoris, nam alter complex, qui media hac denunciatione cognoscitur, tenetur manifestare prælato ipsum denunciatorẽ, utpotè consortem eiusdem criminis, & ita mutuò se manifestabunt, & ambo cognoscentur à prælato, sicque tandem ipse delinquẽs erit,qui se ipsũ manifestat. Cõfirmatur;quia eo ipso quod quis denunciat cõplicẽ suũ,poterit prẹlatus istũ alloqui,& eum cogere, ut denunciatorem manifestet;ergo ipse denũciator erit causa suæ infamię, quod certè durũ videtur.

3. Explicatio propositę difficultatis partim desumenda est ex dictis in superioribus disputationibus, & partim ex alijs, quæ addenda supersunt: rem igitur universam brevibus propositionibus perstringam, nec enim locus datur amplius immorandi. Et imprimis si certum esset delinquentes emendandos privata monitione,aut alio modo,non foret ulla obligatio denunciandi delictum prælato,quia finis potisśimus huius denunciationis est fratris emẽdatio; quare ubi de ea certitudo habetur, nõ est cur ulterius ad denunciationẽ procedatur:sic sentiũt

Sanctus

S. Thomas, & reliqui Doctores adducti disp. 5. sectione 4.

S. Thom.

4. Deinde si nõ haberetur prædicta certitudo, & alioqui delictum illud non solùm cederet in damnũ unius, vel alterius personæ, sed in detrimentũ cõmune, cõveniũt iidem Doctores, esse obligationẽ denunciandi illud prælato, quia bonũ cõmune præferendũ est infamię unius, vel alterius personæ: si verò solùm cederet in damnũ delinquẽtis, & in infamiã ipsiusmet cõplicis, qui illud denũciaturus est, perpendenda omnia sunt; nam si maioris momenti sit infamia ista, seu damnũ, quã utilitas proveniẽs ex eo quod denuncietur prælato, denunciandũ non est, quàmdiu probabiliter creditur posse aliter medicinã adhiberi; si verò prędicta infamia, aut damnũ sit minoris momẽti, obligatio est illud denũciandi; tota hęc doctrina in generali tradita est disp. 5. sect. 4. solùm addita est hoc loco difficultas ex timore propriæ infamiæ proveniens, quam non esse magni momenti patebit ex dicendis.

5. Tertiũ ergò, & potisimũ dicendũ est, si delicti habentis complicẽ non speratur emẽdatio ex correctione privata, tenetur ipse delinquens suũ complicem denunciare prælato. Hanc assertionẽ tanquam verissimã amplectitur imprimis Capitulum generale Patrũ ordinis S. Francisci, ex quo hæc verba retulimus disputatione quinta, sectione quinta initio: *Nullus frater dogmatizet, vel teneat, quod cùm aliquot sunt socij in crimine, non teneatur aliter alterum superiori revelare, qui potest, ac debet prodesse:* & Iulius Secundus in Statutis Franciscanorum dicit,

Iulius II.

damnandum esse dogma contrariũ: & Sexta Congregatio generalis Societatis Iesu absolutè definivit, cùm delictũ vergit in damnum boni communis, vel in damnũ tertiæ personæ imminens, teneri subditos illud immediatè deferre ad superiorem.

6. Deinde hanc obligationem planè affirmant alij Doctores: recepta enim sententia est in Materia de Pęnitẽtia, quãdo subditus incidit in aliquod peccatũ superiori reservatũ, & vult cõfiteri alteri, posse, & debere superiorẽ denegare prædictam facultatẽ, si peccatum vergat in dãnum communitatis, vel tertiæ personæ; cuius rei non est alia ratio, nisi quia ipse pænitens tenetur declarare superiori complicem, ut illi medeatur. Hanc doctrinam ut certam statuit Suarez tertia parte, tomo quarto, disputatione trigesima, sect. quarta, numero quinto; & disputatione 34. sectione 4. numero vigesimo secundo planè sentit interdum teneri subditum ad denunciandum complicẽ prælato ut patri, *Licèt rarò* (inquit) *talis obligatio contingat in peccato sui complicis, quando denunciatio facienda esset iudicialiter.* Angelus etiam *Confessio tertio*, numero trigesimo primo ait, *Superiorem non debere multum esse solicitum, ut sciat quis sit ille, qui incidit in casum reservatũ, nisi quando hoc vellet scire, ne talis delinquens inficiat alios:* & Bañez in hac quæstione trigesima tertia, articulo octavo, argumento secundo sibi objicit aliqua peccata esse, quæ vergunt in damnum communitatis, vel innocentis, vel scandalum apponunt infirmo, & tunc superiorem teneri ex officio inquirere, quisnam sit ille delinquens. Respondet ad secundum absolutè concedendo totũ, & tunc esse obligandum pænitentem, ut denunciet delictum tertiæ personæ, quãdo aliter bono communi, aut innocenti provideri non potest.

Suarez.

Angelus.

Bañez.

Facit denique pro huius doctrinæ authoritate, quod innumeri penè Doctores, quos refert Suarez disputatione 34. sectione secunda, numero 3. affirmant, scilicèt teneri quempiam declarare confessori personam complicis, quando aliter suum crimẽ integrè declarare nõ potest; multo ergo potiori iure sentiunt, teneri declarare superiori eundẽ cõplicẽ, saltèm in cõfessione, vel sub cõfessionis sigillo, quando aliter non potest corrigi delinquens; nam integritas confessionis non est de lege naturali, sic tamen correctio fraterna. 7.

Suarez.

Atquè hinc desumitur ratio à priori nostræ assertionis; nam iure naturali tenetur quisque mederi peccato proximi sui, quantumcumque suus complex sit, si id possit sinè notabili suo detrimẽto; sed declarando crimen cõplicis sui superiori potest quis mederi illi, & detrimentũ inde illi proveniens non est notabile; ergo tenetur illud declarare: minor probatur quoad priorem partem; nam sermo hic est de peccato, quod aliter quã 8.

superioris industria curari non debet; vel quia alia remedia non creduntur profutura, vel quia crimen est ita nocivum, ut nisi certò sciatur privata correctione emendandum, oporteat iuxta suprà dicta recurrere ad prælatum, qui, si, ut par est, sit prudens, & spiritualis, credi debet medicinam adhibiturus efficacem. Quoad posteriorem verò partem etiam probatur, quia detrimentum inde proveniens eò tandem revocatur, quia nimirum, ut initio disputationis objiciebatur, ipsemet, qui denunciat complicem suum, tandem cognoscetur à prælato, & famæ suæ iacturam patietur; hoc autem levissimum detrimentum est, imprimis quia hęc denunciatio fieri poteft non solùm licitè, sed etiam sanctè sub sigillo confessionis, ita ut notitia, quam superior acceperit, solùm deserviat ex facultate pęnitentis ad medellam peccati utriusque complicis; in cæteris verò nullum omnino malum, vel levissimum inferat, imò nec inferre possit: unde sicut qui peccatũ suũ aperit confessario etiam prælato, nullius momenti infamiam patitur; nec inde aliud malum sibi proventurum prudenter timere potest, ita nec ex eo quod sub eodem confessionis sigillo complicem suũ, & mediatè saltèm se ipsum declaret. Et quidem hanc complicis declarationem licitè, & utiliter fieri posse in confessione, & non nisi ad ea, quæ sub sigillo contineantur, & de licentia pænitentis fiant est communis doctrina Theologorum, quam latè, & optimè declarat & probat authoritate, & ratione Suarez tomo quarto in tertiam partem disp. trigesima quarta, sectione quarta, legendusque est Henriquez libro secundo de Pænitentia capite decimo; si vero contingat, ad emendationem delicti esse necessarium, aliquid denunciari extra confessionem aut licentiam concedit superiori, ut extra confessionem, & obligationem sigilli aliquid faciat, tunc illud denunciatur prælato ut patri, & nullo modo ut iudici.

Suarez.

9. Confirmatur, quia cum duo commiserunt aliquod delictum, nõ est ratio ob quam unus potiùs, quàm alter obligandus sit ad manifestandum socium, ergo vel uterque tenetur manifestare complicem, vel neuter, sed hoc secundum dici non potest, ergo dicendum est illud primum. Minor probatur, quia contra bonũ regimen cuiuslibet communitatis est, culpas perseverare pręsertim cum damno tertiæ personæ, eo solùm ne quis mediatè, & indirectè manifestet se ipsum, cum hoc fieri possit sub sigillo confessionis, aut ea ratione, ut nullius momenti iacturam in fama patiatur, ut explicavimus; obligandus ergo est ipse pænitens, ut complicem prælato ut patri manifestet; quod si ipse nimis erubescat per se ipsum manifestare, manifestet per alium, aut in scripto cuius caracteres non cognoscantur, id enim permitti posset, quando hoc modo sufficienter occurreretur malo imminenti, & periculo relapsus, secus verò non: quibus addo, accidere aliquãdo posse, ut prælatus alterum complicẽ cognoscens, quàmvis eum, qui denunciavit non noverit, remedium adhibere possit, & sic denunciator semper maneat incognitus. Sed hæc, & alia similia expendere pertinet ad confessarium, & ad prælatum, quando casus, in quo sunt complices, fuerit reservatus.

Ex dictis satis colligitur solutio difficultatis in ratione dubitandi propositæ: 10.
solúm adverto, doctrinam huius disputationis presertim servandam esse in ordinibus religiosorum, si quãdo, quod Deus avertat, commissum fuerit crimen, quod complicem habeat: in Societate autẽ Iesu, in qua religiosi cedunt iuri, quod habent erga famam, iuxta dicta in disputatione quinta, sectione tertia, multò certius est, quod asseveravimus, tum propter decretum Sextæ Congregationis supra relatum, tum etiam quia eo ipso, quod quis cesserit iuri suo, non potest se excusare à declarando complice suo, ne fortè iste vicissim illum declaret superiori, & ita apud superiorem lædatur eius fama; nam hæc qualiscumque læsio apud alios, apud nostros iam nulla est, quippe qui voluerunt omnes suos defectus manifestari superiori à quocumque alio, qui extrà confessionem eos noverit, & nõ possunt retrocedere. Quare in omnibus casibus, in quibus tenetur religiosus Societatis declarare superiori peccatum, quod est nocivum communitati, vel alteri tertię personæ, tenetur etiã declarare illud, in quo ipse complex fuit.

In fine disputationis notandum est,
11. doctrinam illius simpliciter, & per se loquendo veram esse: sed quoniam in rebus moralibus, si variatur una, vel alia circumstantia, solet mutari iudicium, oportebit attendere prelatũ aliquando ob ignorantiã, vel imprudẽtiam, aut fortasse ex malitia posse esse incautum in servandis secreto, & immunitate subditorũ, etiam propter scita in confessione; & tũc consulendus erit vir doctus, prudens, & timoratus, ut iudicet, num in similibus eventibus occurrat aliquid, quod deobliget subditum à manifestatione complicis sui.

DISPVTATIO XI.

Quid significent illa verba Christi Domini, Si Ecclesiam non audierit.



1. Ensus horum verborũ est, si Ecclesiæ, seu prælatis eius non obtemperaverit, prelatis (inquam) qui corrigunt eius defectum, sed adhuc voluerit in suo delicto perseverare; indicat autem Christus Dominus in his verbis prælatum posse, & interdum debere minari subdito aliquod suppliciũ & cum præsertim atque directè agat cũ Ecclesia, quam fundabat, & cum prælatis spiritualibus illius, quorum arma sunt spiritualia, rectè inde colligit communis sententia Doctorum, quam refert Abulensis quæstione centesima nona, hoc supplicium posse, & interdum debere esse excommunicationem, quam ipso facto incurrat subditus, si contumax fuerit, & noluerit emendari. Porrò ista excommunicatio non debet esse omnibus manifesta, sed illis testibus, coram quibus admonitus est, aut paucis alijs, quia id totum cadere potest sub correctioné Evãgelicam, quæ fit à prelato ut patre, præsertim & ut iudice secundùm quid, nam ad excommunicationem omnino publicam necesse esset delictum omnino iuridicè denunciari: vide Valenciam puncto quinto, à §. *Octavo igitur certum est*: & Bañez articulo octavo, dubio 4. id veró quod diximus de infligenda aliqua pæna excõmunicationis colligi rectè ex verbis Christi Domini manifestũ videtur, quia statim subdit, *Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*; scilicèt perinde illum devita, ac si separatus esset à consortio fidelium, de quo plura disputatione sequenti: & præterea quia immediatè post addidit Christus Dominus; *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*: quibus verbis planè supponit immediatè antea egisse de potestate ligandi subditos, quam contulit prelatis Ecclesiæ suæ, hęc autem prout præsenti instituto conveniebat, nõ potest esse alia, quàm potestas ligandi medijs censuris, nam de confessione sacramentali ibi non agebatur.

Abulens. Valẽnc. Bañez.

DISPVTATIO XII.

Quo modo, qui Ecclesiam nõ audierit, habendus sit sicut ethnicus, & publicanus.



Otat rectè Ioannes Maldonatus, Christum Dominum, qui cum Iudæis agebat, ad Iudæorum consuetudinem allusisse, qui tantopere abhorrebant ab ethnicis, & publicanis, quippè qui eis nocere poterant verbo, & exemplo: monet ergò Christus Dominus, eum, qui officio corrigentis perfectè functus est, & delinquentem corrigit, privatim primò, deinde coram testibus, ac postremò ad prælatos detulit; videtque nihilominus eum à peccato non desistere, ut illum devitet, hoc est, ab eius convictu, quoad siné scandalo, & incommodis poterit, abstineat; primò & potissimùm ne ipsi corrigenti noceat suo malo exemplo, & actionibus, ut rectè Maldonatus suprà, & Abulensis quæstione centesima decima prima; secundò etiam ut ob hanc pænam resipiscat, videns nimirum se à fratre suo relinqui, & ac si frater non esset tractari: nam ut Sanctus Augustinus apud Sanctũ Thomam in Catena Matthæi decimo octa- 1.

Maldon. Maldon. Abulens. S. Thom. S. Aug.

vo,

vo, etiam si à correctione nunc cessemus, non ideo salus fratris nostri neglegenda est, sed aliquomodo procuranda.

Ex quibus patet, quod initio tractatus dicebamus; licèt inter ethnicos non sit excommunicatio qualis est in Ecclesia, adhuc habere locum, quod Christus Dominus hic docet, sicut & reliqua, quæ pertinent ad istum locum Matthæi decimi octavi, nam infidelis, qui correctus noluerit emendari, habendus est á corrigente tanquam ethnicus intrà suã Rempublicam scilicet abstinere debet corrigens ab eius convictu, perinde ac in Ecclesia abstinere solet fidelis ab excommunicatis.

COMMENTARIVS in quæstionem trigesimã quartam, & reliquas usque ad quadragesimã tertiam.

IN his novem quæstionibus agit Sanctus Thomas de vitijs, quæ opponũtur virtuti, & actibus Charitatis; & quidem multa istorum facilia sũt, & quæ attingere sufficiet remittendo auditores ad textum Sancti Thomæ, & recentiores, qui illum explicuerunt; alia verò difficiliora, vel pertinent etiam ad alias materias, vel pro temporis brevitate hic disputari non possunt saltèm ex omni parte: quare in tractatu sequente breviter complectemur, quæ huius loci sunt omnino propria, & pro temporis opportunitate tractari possunt.

TRACTATVS XIII.

De vitijs oppositis virtuti, & actibus Charitatis.

DISPVTATIO I.

De odio, quod opponitur dilectioni Dei, & proximi.

SAnctus Thomas prima secundæ, quæstione vigesima nona, articulo primo corpore: *Odium* (inquit) *est dissonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur ut repugnans, & nocivum: sicut amor est consonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur ut conveniens*: ex quo patet, quàm verè definiat in hac secunda secundæ, quæstione trigesima quarta, posse in voluntate creata reperiri odiũ Dei, non quidem considerati secundùm se, quia sic nihil habet, quod amorem non conciliet, sed considerati, ut infligit nobis malum aliquod: unde nostra fragilitas accipit occasionẽ odio habendi illius authorem, quod quidem peccatum est omniũm maximum secundùm se, sicut & oppositum divino amori, qui est nobilissimus actus virtutis: docet etiam odium proximi haberi á nobis posse propter mala, quæ in illo apprehendimus, & licèt nõ sit vitiosum, quãdo odio habemus mala illius præcisè, est tamen malum, & cõtrariũ charitati, quãdo odio habemus ipsam personam; & hoc quidẽ odiũ oriri solet in nobis ex invidia, sed non est absolutè maximum peccatorum, quæ contra proximum committimus, quia solùm odium minùs proximo nostro nocet, quàm alia peccata, quæ contra illum committimus. S.Thom.

DISPVTATIO II.

De accidia, & invidia, quæ opponũtur spirituali gaudio elicito à virtute charitatis.

ACcidia est quædam tristitia mentem aggravans, & eam veluti deprimens, ne ad bonum assurgat; & hæc quidem varijs virtutibus opponitur, prout scilicèt diversum est bonum, de quo tristitia ista concipitur, & de quo gaudere deberet: cùm ergo ad charitatem pertineat actus, quo quis gaudet bonitate, & excellentia divina, reliquisquè bonis, prout cedunt in Dei gloriam, accidia, quæ charitati opponitur,

erit

erit tristitia de divina excellētia, & alijs, quæ cedunt in Dei gloriam; quod vitiū, quàm sit detestabile, nemo est, qui non videat: lege Sanctum Thomam quęstione trigesima quinta, & Valenciam quæstione duodecima, qui in primo puncto, exactè describit accidiam charitati oppositam his verbis: *Accidia est tristitia voluntatis, seu appetitus de bono aliqualiter divino, & nostro, existimato ut malo proprio propter adiunctam difficultatem illud obtinendi. adferens proinde incuriā, & negligentiam actionum piarum, & salutarium.*

S. Thom. Valenc.

2. Invidia est contraria charitati, quatenus ad hanc pertinet gaudere bonis, & fœlicitate proximorum: est enim invidia, *Tristitia quædam de bono alieno proximi æstimato ab invidente ut malo proprio, quatenùs per comparationem quandam obscurat, & imminuit proprij boni excellentiam, seu gloriam;* ut rectè describit Valencia quæstione decima tertia, ex sententia Sancti Thomę quæstione 36. qui rectè in articulo tertio docet, licét hic motus sit ex genere suo peccatum mortale, posse, & solere etiam in viris perfectis reperiri ita imperfectum, ut sit solùm veniale: quod quidem provenire potest, vel ex levitate materiæ, vel ex defectu plenę deliberationis.

Valenc. S. Thom.

DISPVTATIO III.

De vitijs, quæ paci contrariantur.



1. Sanctus Thomas in sequētibus quæstionibus usque ad 42. enumerat sex vitia opposita paci, quę est actus elicitus à virtute charitatis: primum est discordia, scilicet dissensio voluntatis à voluntate proximi circa bonū divinum, vel ipsius proximi, quod quis ex charitate velle teneatur. Secundum est contentio; scilicèt altercatio quædam verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam. Tertium est schisma, vitium nimirum, quo quis propria sponte, & intentione separat se ab vnitate Ecclesiæ: de quo lege Sanctum Thomam quæstione trigesima nona, & Valenciā quæstione decima quinta, & quod à nobis in materia de Fide, ubi etiam de schismate disputatur, dictū est: quartum est rixa, scilicet pugna privata personarum ex mutua excandescētia, & caninæ iræ non dissimilis. Quintū est seditio, quæ importat dissensionem civium, quasi quidam separentur ab alijs, & aliò eant contra id, quod ex charitate facere tenebantur. Sextum est bellum, de quo quoniam multa, & gravia occurrunt differenda, instituemus specialem disputationem.

S. Thom. Valenc.

DISPVTATIO IIII.

De Bello.



Disserit Sanctus Thomas de hoc argumento in quæstione quadragesima, & in articulo primo docet, ut bellum sit iustum, tria esse necessaria, scilicèt authoritatem Principis, causam iustam, & intentionem rectā. In secundo negat, licere clericis in bello pugnare, licèt possint interesse bello, & ad iustè bellandum alios inducere: in tertio explicat, an & quatenùs liceat in bello insidijs uti: in quarto affirmat, licitum esse pugnare cum hostibus in die festo, si necessitas urgeat. Doctrina horū articulorum explicabitur in sequentibus sectionibus, addenturque alia, quæ ab alijs Doctoribus disputantur, ut quæ ad tractationem de bello spectant, plenè pro modulo nostro tradantur. 1.

SECTIO I.

Vtrùm licitum sit bellum; & quæ conditiones ad eius iustitiam requirantur?

2. Manichæi, & VViclefus absolutè negarunt licitum esse bellum. Oecolampadius, Cornelius Agrippa, & Erasmus existimarunt Christianis non licere bellum gerere, & Martinus Lutherus reprobat bella Christianorum adversus Turcas. Videantur Castro verbo *Bellum*, hæresi prima, & secunda. Molina tomo primo de Iustitia, tractatu secundo, disputatione nonagesima nona, & Valēcia tomo tertio, disputatione ter-

Manich. VViclef. Oecolam. Cornel. Erasmus. Castro. Molina. Valenc.

tia, quæstione decima sexta, puncto primo, qui copiosè istos errores referunt, & refellunt: nos breviter Catholicam assertionem comprobavimus, & obiectionibus occurremus.

2. Dicendum ergò est, licitum fuisse inter homines etiam Christianos, & modò esse bellum, dummodo debitæ conditiones, infrà explicandæ, serventur. Assertio est omnium Catholicorum, & certa secundùm fidem: probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, Genesis decimo quarto; Abraham bellum gessit adversùs quatuor Reges, illudque commendavit nomine ipsius Dei. Melchisedec rex, sacerdos, & typus Christi Domini. Iosue dux strenuissimus electus est à Deo, ut bellaret adversùs gentes. Numerorum vigesimo quinto loquutus est Dominus ad Moysen dicens; *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos.* 1. Regum decimo quinto, præcepit Deus Sauli, ut debellaret, & omnino extingueret Amalech. In libris etiam Machabæorũ commendantur bella gesta pro populo Dei tuendo. Matthæi octavo laudatur Centurio, qui sub se milites habebat: Lucæ tertio interrogabant milites Ioanné Baptistam, quid eos facere oporteret ad salutem, & tamen non respondet, ut militiam abijciant, sed ut stipendijs contenti sint: denique ad Hebreos undecimo laudat Apostolus nonnullos, qui per fidem vicerunt regna; planè ergo Sacra Scriptura non solùm non reprehendit, sed laudat bellum.

Gen. 14. Num. 25. 1. Reg. 15. Matth. 8. Luca 3. Hebr. 11.

3. Secundò probatur authoritate Ecclesiæ, in qua multa bella gesta sunt ab Imperatoribus, & Regibus, alioqui pijs, imò & sanctis consentientibus, imò & probantibus Summis Pontificibus, & alijs proceribus. Vnde Concilium nonum generale, seu Lateranense primum coactum est authoritate Calixti secundi Papæ pro recuperãda terra Sancta, ac proinde pro indicendo bello adversùs Ecclesiæ hostes. Sanctus Ludovicus Rex Galliæ exercitu copioso Mauros aggressus est, & in Hispania celebratur sub nomine triumphi Sanctæ Crucis gloriosa victoria de Mauris reportata, ubi ad pugnam hortatus est Summus Pontifex productis, & apertis indulgentiarum thesauris. Tempore etiam Pij Quinti Navale bellum gestum est adversùs Mauros, Deo eius honestatem mirabilibus prodigijs comprobante. Deniquè multa alia bella gesta sunt in universo orbe, quæ à viris sapientissimis, & pijssimis non damnata, sed probata sunt.

Later. 1.

Tertiò probatur testimonio Sancti Augustini, qui tomo sexto libro vigesimo secundò contra Faustum à cap. 74. egregiè confutat prædictum huius, & aliorum Manichæorum errorem, & inter alia; *Quid* (inquit) *culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut domentur in pace victuri? hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum: nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur, &c.* quasi dicat, posse quidem in bello committi peccata digna reprehensione, sed si ab eis abstineatur, bellũ geri posse licitè. 4. S. August.

Ex quo infertur rectè Sanctum Thomam in articulo primo huius quæstionis exegisse tres conditiones, ut bellum iustum esse possit: prima est, authoritas in eo, qui bellum indicit: secunda, causa iusta ad bellandum: tertia, recta intentio in ijs qui pugnant, nam si hæc non adsint iniustè, seu contra rectam rationem bellum geritur: si verò adsint, nihil est, propter quod bella damnentur; quidquid enim authoritate legitima, & iusta de causa, atque propter bonum finem fit, non potest non esse honestum. Sed quoniam explicatio harum conditionum involvit varias, & graves difficultates, de illis in sequentibus sectionibus ex professo disseremus, postquam in ista diluerimus nonnullas adversariorum obiectiones. 5. S. Thom.

Obijciunt ergò primò varia Sacræ Scripturæ testimonia, in quibus bella prohibita videntur: Matthæi quinto; *Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillã tuam, præbe illi & alteram*: & cap. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*: ad Romanos duodecimo; *Nulli malum pro malo reddentes; non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Respondeo primum testimoniũ non omnino, ut verba sonant, accipien- 6. Matt. 25. & 26. Rom. 12.

dum esse: nam Christus Dominus, qui suo exemplo nos docuit magis, quàm verbo non præbuit alteram maxillam servo Pontificis, qui alapam ei dedit
Ioan. 18. Ioannis 18. sensus igitur est, ut explicat Sanctus Augustinus suprà capite septuagesimo sexto, alienos nos esse debere ab iniusta vindicta, ita ut anim⁹ parat⁹ sit ad præbendã maxillã sinistrã ei, qui percusserit dexteram, si ita fieri oporteret, quàmvis nec semper oporteat, & nunquam id cadat sub præceptum moraliter loquendo: lege longum Maldonati commentarium
Maldon. super hunc locum Matthæi, qui etiam rectè respondet ad secundum, non esse sensum qui quis gladio alium interficit, interficit mitti gladio; quot enim fuerunt occisores; qui gladio interempti non sunt? nec sermone esse de eo, qui authoritate publica, seu iusta de causa aliũ interficit, ut in bello iusto fit, sed de illo, qui privata authoritate. & illicitè alium gladio interficit; is enim dignus est, qui gladio interficiatur, licèt re ipsa non semper eveniat. Nec dissimilis est explicatio, quam cum Sancto Augustino exhibet Sanctus Thomas in solutione primi, quàmvis illa verba *gladio peribunt*, nõ de corporali gladio, sed de æterno supplicio dicta putet: cui consentiunt Sanctus Hieronymus, & Beda apud Maldonatum.

S. Thom. S. Hieron. Beda.

Cornelius. ¶ Tertium denique testimonium explicat optimè noster Cornelius adductis Sanctorum Patrum testimonijs, & ostendens errare hæreticos, qui hinc colligũt, iniusta esse bella, cùm Apostolus solùm doceat, non esse sumendam vindictam à privatis personis, & privata authoritate; secus verò esse, si authoritate publica id fiat, ut in bello iusto.

7. Obijcies secundò, bellum esse contrarium paci, quæ est virtus, imò & fructus Spiritus Sancti; ergo bellum est vitium, ac proinde, quodpiam illicitum: patet consequentia, quia vitium est illud, quod virtuti contrariatur. Respondeo, bellum, quando est iustum, non contrariari paci, quæ est virtus, imò ordinari ad pacem: finis enim belli est vera pax, ut ex verbis Sancti Augustini suprà relatis colligitur.

8. Obijcit tertiò Lutherus, bellum gerere adversus Turcas, est repugnare, & resistere Deo; ergo saltém hoc bellum est illicitum. Antecedens probat, quia Turcæ sunt flagellum, quo Deus vult Christianos flagellare, punire, & coercere; quare qui Turcas evertere vellet eos debellando, contenderet obsistere Deo, & iustissimę voluntati illius. Respondeo obiectionem esse indignam viro, vel mediocriter docto; etsi enim Deus velit nos flagellare, simul vult, ut nos, quantùm in nobis erit, conemur flagellum rumpere; unde cùm contra Turcas bellum gerit Ecclesia, non resistit Deo, sed præstat potiùs, quod Deus ipse vult: sic enim Deus vult pestem grassari, & alia mala pænæ infligere hominibus in supplicium peccatorum, & ob alios fines altissimæ suæ providentiæ, & tamen homines iusti conantur hæc mala avertere, & illis mederi, quia hoc ipsum Deus vult.

SECTIO II.

De prima conditione ad iustitiam belli necessaria, scilicet authoritate indicentis bellum.

Sermo est in hac, & sequentibus sectionibus de bello offensivo, seu quod alijs indicitur; nam de bello defensivo, quo nimirùm quisque se ipsum, & sua aliquis defendit ab aggressoribus, dicetur in fine disputationis. 9.

Conveniunt ergò Doctores, authoritatem, seu potestatem indicendi, seu inferendi bellum residere in Principe supremo per se loquendo, scilicet in eo, qui superiorem non habeat in temporalibus. Sic Sanctus Augustinus suprà, capite septuagesimo quinto; Sanctus Thomas articulo primo, Victoria in relectione de iure belli, à numero quinto; Molina disputatione centesima; Valentia quæstione decima sexta, puncto secundo; Lorca in hac quæstione quadragesima disp. 50. Bañez ad articulum primum: Summistæ verbo *Bellum.* & omnes. Nomine Principis supremi non semper significatur una determinata persona, sed vel Respublica, quæ per Magistratum gubernatur, libera tamen est ab obedientia alterius principis temporalis, vel Rex, seu Imperator, cui Respublica ipsa se subiecit, ut nomine illius eam gubernet. 10.

S. August. S. Thom. Victoria. Molina. Valent. Bañez.

Ratio

11. Ratio huius certæ veritatis est, quia qui non est princeps supremus, habet alium, cui subijciatur, & ad quem pertineat defendere illum, eiusque bono prospicere; cumque aliunde ex bello tot neces, tot depopulationes, tot alia mala maximi momēti provenire necesse sit, oportuit, illud non à quacunque voluntate, & potestate, sed à suprema dependere; hæc enim cùm superiorem in temporalibus non habeat, iure suo sibi vendicat defendere se ipsam, punire malefactores, vindicare iniurias suorum subditorum; alioqui nullus esset qui hoc faceret, & id sinè dubio cederet in magnum detrimentum boni communis. Confirmatur; quia respublica non habens superiorem in tēporalibus est in hoc genere perfecta; ergo & sibi sufficiens ad omnia, quæ bonū regimen exigit; vnum autem horum est punire malefactores, & vindictam sumere de iniurijs, ne iterum & sępius irrogētur suis civibus, sicque magnum detrimētum patiantur, ergo in supremo principe residet potestas indicendi bellum.

12. Ex quo consequēter infertur, si privata respublica, quæ superiorem alioqui habet in temporalibus, iure aliquo, vel consuetudine legitima obtinuerit, ut bellū propria authoritate indicat, eo ipso id fore licitum, quia quantum ad hoc perinde se habet, ac si suprema potestas esset. Sic Victoria suprà numero 9. & Molina numero 9. 10. & 11. & Lorca disp. 50. num. 12. cum Caietano, & Castro. Imò addunt, & meritò quidem, si civitas vel Provincia habēs superiorem, cui subiecta sit, graves iniurias patiatur ab hostibus, & superior requisitus nolit, aut nō possit huic malo mederi, posse civitatem bellum indicere, quia tunc perinde se habet, ac si superiorem non haberet, & alioqui æquum non est, civitatem opprimi ab hoste, & nullum esse, qui audaciam illius coerceat, hæc tamen facultas non multum extendenda est, ut observavit Molina.

Victoria. Mol. nu. Lorca.

13. Quæret tamen aliquis non immeritò, an si respublica superiorem habens indiceret bellum, alioqui iustum, sed sine supremi principis auctoritate, teneretur restituere damna, quę hostibus inferret. Respondeo imprimis, si damnum solum consisteret in recuperandis bonis, quę alioqui iniustè ipsi hostes abstulerant à prædicta Republica, nihil eam teneri restituere, ut satis patet. Deinde si damna forent alterius rationis, verbi gratia, occidendo, depopulando civitates hostiū, &c. teneretur prędicta Respublica ad restitutionem, nisi aliud constaret de expressa, vel tacita voluntate principis supremi, qui facere poterat potestatē prædictos hostes debellandi. Probatur, quia Respublica superiorem habens, non habet ius debellandi hostes sine consensu supremi principis, ergo si debellet, iniustitiā committit; ergo tenetur restituere, nā obligatio restitutionis oritur ex violatione iustitiæ. Accidere tamen potest, ut licèt supremus princeps non fecerit tali reipublicæ potestatem gerendi bellum, id non prætiterit, eo quod nollet hostibus damnum inferri, sed quia expectabat tempus magis opportunum, & tamen ex hypothesi, quod milites damnum inferrent, nollet illud resarciri, & tunc non est obligatio restitutionis, quia supremus princeps, licet ægrè tulerit, quod tunc hostes debellarentur, noluit tamen quidquam hostibus restitui. Sic enim quando filius furatur quantitatē aliquā ex bonis paternis, accidere solet ut pater ægrè ferat, quod absque ipsius facultate filius accipiat, non tamen vult restitui sibi quātitatem sic ablatam, & in eo eventu non tenetur filius ad restitutionem, eadem autem ratio est in proposito.

SECTIO III.

De secunda conditione ad licitè bellādum, scilicet iustitia causæ, ubi an, & quatenus ea debeat esse explorata.

§. I.

Vnica est belli iusti causa, ad quam cætera revocantur, scilicet iniuria resarcienda.

Assertionem in titulo propositam statuit Sanctus Augustinus tomo quarto, quæstione decima, in librum Iosue, & refertur in capite *Dominus* 23. quæst. 2. *Iusta* (inquit) *bella difiniri solent, quæ ulciscuntur iniurias, si quæ gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vin-* 14. *S. August.*

dicare

dicare neglexerit quod à suis improbè factū est, vel reddere, quod per iniurias ablatum est. Consentiunt S. Thomas in articulo primo dicens, *Requiri causam iustā, ut scilicet illi, qui impugnātur propter aliquā culpā impugnationē mereantur.* Victoria in relectione de iure belli, num.13. *Vnica est, & sola causa iusta inferēdi bellū iniuria accepta*, & addit determinationē hāc esse omniū Doctorū. Vnde Valēcia q.16. punct.2. *Certum* (inquit) *est omnem causam iustam belli debere contineri aliqua iniuria, quæ per bellum iustè vindicāda & compensanda sit.* Nec in re dissentiunt Molina disputatione 102. Bañez ad articulum 1. ante dubium quartum, & Lorca disp.52.

S.Thom. Victor. Valenc. Molina. Bañez. Lorca.

15. Probatur manifesta ratione: bellum offensivū, ut ex ipsa nominis notione patet, ordinatur ad inferendum alteri aliquod malum, sive in bonis naturæ, aut famę, sive in bonis fortunæ, sive in omnibus simul; sed nemo potest præter Deum omnium Dominū, inferre alteri civitati, vel regno malum, nisi propter damnū ab ea prius illatum, quod resarcire iure potest; ergó nullum bellū potest esse iustū, nisi causa sit resarcire, vel vindicare malū illatū. Confirmatur: quia bellū offensivū é regione opponitur bello defensivo, sed hoc nō habet locū, nisi quando alter vult nobis inferre malū, quod iustè possumus propulsare; ergo illud non habet locum, nisi quādo alter intulit nobis malū, quod iustè possumus resarcire.

16. *Molina.* Notanda tamen sunt tria. Primum cū Ludovico Molina, scilicet ad iustitiā belli nō requiri, ut iniuria illata sit formaliter talis, ac proinde peccatum, nam sæpè Rex aliquis bona fide possidet aliquam civitatē, imò & illā sibi usurpavit, nec vult restituere alteri Regi, & tamē iste certò credens esse suā, potest bellū indicere illi primo Regi, & eam per vim accipere si aliter non possit; satis ergo est, si iniuria sit materialis, quia nimirū, qui bellū indicit, certò patet rem esse suā, & ab altero iniustè retineri, quàmvis ob ignorātiam, vel bonam fidem iste excusetur à culpa, de quo plura dicentur inferiùs.

17. *Caietan. Bañez.* Secundū notatur optimè à Caietano, & Dominico Bañez, ad argumentū primū, scilicet nō esse necessariū, ut ipse, qui bellū indicit, passus sit iniuriā: satis enim est, si socij, vel amici passi sint, tūc enim licitū est illā vindicare nomine sociorum, vel amicorū. Nam cū amici & socij unū nobiscum sint, iniuria amico & socio illata reputatur nostra, ac proinde præbet iustam causam gerendi bellum ut resarciatur. Vnde Abraham Genesis decimo quarto adiuvit Regem Sodomorum, & liberavit Loth ab inimicis, & Iudas Machabęus, primo Machabæorum octavo, fædus inijt cum Romanis, ut se mutuò iuvarent in bello. *Gen 14. 1.Mach. 8*

18. *Valenc.* Tertiū notat Valēcia, non sufficere ad iustitiā belli quamcūque iniuriā illatā, sed eam debere esse talē, quæ non possit resarciri, seu cōpensari minori alia satisfactione. Etenim cum in bello plerumque occidantur multi, etiam innocētes, magnaque alia damna temporalia inferantur, si iniuria illata non exigeret tantam compensationem, foret proculdubio bellum iniustum. Diligenter ergo perpendenda est quantitas iniuriæ, & comparanda cū quantitate damni, quod ex bello proveniet, nisi quando res esset manifesta, eo, quod dāna illata fuerint magna & diuturna, vixque possint sufficienter resarciri.

19. *Victoria. Castro. Molina. Lorca.* Victoria supra num. 19. Castro libro 2. de iusta hæreticorum punit. cap. 14. Molina disputatione centesima quarta 105. & 106. Lorca disputatione quinquagesima secunda, & alij enumerant varias causas iusti belli in speciali, id est, varia genera iniuriarum, ob quas resarciendas bellum indici potest. Et in primis, an, & quatenus ob infidelitatē, & alia crimina liceat infideles debellare, tractavimus in prima controversia tractatu decimo quinto, præsertim disputatione septima. Deinde Molina colligit ex Sacra Scriptura varias causas iusti belli, inter quas meritò recenset reprimere, & punire subditis iniustè contra dominū suū rebellantes, iniuriam notabilem inferre alicui Principi, vel Reipublicæ. Defendere iniustè homines perditæ vitæ ne iuste puniātur, violare fędus initum inter Principes, quando illud est in re maximi momenti, & denegare aliqua, quæ iure gentium sunt omnibus licita, ut transire per unam regionem in alteram, quando id fieret absque nocumento.

20. *Molina. Victoria* Tertiò, idem Molina disp. centesima quinta, meritò sentit adversus Victoriam

in relectione de Indis Insulanis parte secunda in principio, non esse iustam belli causam, si regnum aliquod prohibeat advenas illud ingredi, ut ibi commorentur, & varios contractus ibidem ineant deferendo, vel extrahendo merces. Habet enim quælibet Respublica ius hæc prohibendi, nisi extrema aut gravis necessitas ad id permittendū cogat, & alioqui provenire possunt varia incōmoda non levis momenti, ex eo, quod advenæ tā familiariter cum Republica conversentur.

21. *Victoria.* Deniq; rectè docet Victoria supra in relectione de iure belli, propositione secunda & tertia, non licere Principi bellū indicere eo solùm, ut amplificet imperiū, vel gloriam apud alios Reges, & Regna adipiscatur. Hæc enim non supponunt iniuriam, quæ resarciatur, nec auferunt ius, quod alij habent ad sua regna, & imperia, quaré manifestam iniustitiam cōmitteret, qui propterea eos debellaret.

§ II.

An cùm Princeps dubitat de iustitia causæ possit bellum indicere.

22. EXemplo titulus declaratur. Dubitat Rex Hispaniarum, an aliqua civitas opulentissima sit ipsius, an potius Regis Galliæ, quæritur, an pro ea obtinenda possit indicere bellum Regi Francorum: & quidem certum est in eo eventu debere rem diligenter examinari, ut ita veritas cognoscatur. Sed si post diligēs examen, res maneat sub dubio, ita ut nec fieri possit assensus determinate iudicans civitatē illam esse Regis Hispaniarum, nec affirmans esse Regis Galliæ. Victoria de iure belli, á numero vigesimo septimo, Molina disputatione centesima tertia, Valēcia puncto secundo, Lorca disputatione quinquagesima tertia, & Bañez dubio 5. ad argumentum primum distinguūnt, & optimo quidem iure. Aut enim Rex Galliæ possidet bona fide illam civitatē (nam si mala fide possideret, nulla ratio habenda esset illius possessionis) aut non possidet. Si dicatur hoc secundum, neuter adversùs alterum potest hac occasione bellare; quia neuter, absolutè loquēdo habet ius ad civitatem, neuterque alteri infert iniuriam, quæ bello resarcienda

Victoria. Molina. Valenc. Bañez. Lorca.

sit. Dividenda ergo est civitas inter utrūque pro quantitate dubij, aut alio modo convenire debet; quod si Rex Galliæ nollet hanc divisionem, aut convenientiam, eo ipso iniuriam irrogaret Regi Hispaniarum, qui proinde iam haberet iustam causam indicendi bellum.

Si veró Rex Gallię bona fide possideret civitatem, non posset Rex Hispaniarum illi bellum indicere, quia *in pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis*, regula 65. de regulis Iuris in 6. Limitant verò Bañez, & Valencia, & Emanuel Rodriguez in Summa capite 126. conclusione secunda, ut nimirùm, si maior verisimilitudo sit rem pertinere ad eum, qui non possidet, debere illi dare partem civitatis pro quantitate huius maioris verisimilitudinis, quod si dare nollet, iusté posse à nō possidente indici bellum: quod idem in generali docuit Sanchez, libro secundo de Matrimonio, disputatione 41. numero decimo nono, cum alijs Doctoribus, quos refert; existimat enim in dubio, an res sit aliena, teneri possessorem dare alteri partem, si magis propendeat in eam partem, quod nimirū res sit aliena. 23. *Emanuel.* *Sanchez.*

Mihi tamen non placet hęc limitatio, sed existimo posse civitatem, seu rem integre retineri à possessore bonæ fidei quādiu verū dubiū perseveraverit, ac proinde ex eo quod Rex Galliæ in casu prędicto nollet Regi Hispaniarū cōferre partē civitatis, non posse adversùs illā iniri bellum. Sic sentit Molina supra num. 8. & Sanchez in Summa libro primo cap. 10. num 9. reputat probabilius, quàm quod in libro de Matrimonio dixerat, refertq; Vasquez, & Salas, & colligitur ex Victoria, & Lorca, qui sinè limitatione docent in dubio non esse iustam causam movēdi bellū, quia melior est possidentis conditio. Probatur, quia quātumcumq; sit maior propēsio in id, quod civitas sit Regis Hispaniæ; adhuc manet verū dubium, ac proinde nō elicitur determinatus assensus affirmās civitatē esse Regis Hispaniæ; ergo absoluté loquēdo, nō habet determinatū ius ad illā: aliūde verò Rex Galliæ possidet bona fide, & possessio bonę fidei cōfert ad illā determinatū ius; ergo potest sibi civitatem integram retinere, nec adversùs illum bellum iniri, ut partem 24. *Molina. Sanchez. Vasquez. Salas. Victoria. Lorca.*

restituat:

restituat: atque hic confutata manet quædam sublimitatio, quam exhibet Salas, Molina suprà, numero nono: quare necesse non erit illam referre. Molina.

25. Ex dictis infertur, quando solúm esset dubium, an unum regnum alteri irrogasset aliquam iniuriam, non posse ad illam vindicandam indici bellum. Etenim in dubio non debet aliquis præsumi malus, & aliunde ipse possidet suam libertatem, & ius, ut servetur indemnis, foret ergo contra omnem rationem, tunc velle illum debellare.

§. III.

An satis sit probabilis cognitio Iustitiæ causæ, ut Princeps bellum indicere possit.

26. Difficultas hęc meo iudicio magni momenti est, & ideo diligenter excutienda, & expedienda: & quidem Gabriel Vazquez loco infrà referendo rectè notavit id, quod Victoria, & alij antiquiores in hac materia non notaverunt, scilicet quæstionem hanc esse longè diversam ab ea, quæ in paragrapho præcedente expedita est: nam aliud est, principem esse dubium de iustitia causæ, quia nimirum nulli parti contradictionis assensum præbet, sed anceps permanet, & quasi in æquilibrio; & in hoc casu procedūt dicta in paragrapho prędicto: aliud verò est determinatum assensum præbere parti affirmanti iustitiam causæ, quàm vis assensus non sit certus, sed compatiatur formidinem veritatis in parte negante: & in hoc casu disputatur; an princeps posit bellum indicere. Et ut persistamus in exemplo suprà proposito, iuxta quod de alijs ferri iudiciū potest, quæritur, an Rex Hispaniarum iusté possit indicere bellū Regi Galliæ, ut obtineat, vel recuperet civitatem, quàm iudicat pertinere ad Hispanā coronā, licèt iudiciū hoc sit solùm probabile, atque adeò cōpatiatur formidinē partis cōtrariæ affirmantis pertinere ad coronam Galliæ. Vasquez. Victoria.

27. Partem negantem sequūtur Vasquez prima secundæ, tomo primo, disput. 64. cap. 3. dicens contrarium esse improbabile, & cedere in non parvā perniciē Reipublicæ Christianę. Salas in eandem primam secūdæ, tomo primo, tractatu octavo de Conscientia, sectione decima tertia, & Lorca hoc loco disputatione 53. numero quarto. Probat Vasquez primò, quia omnis controversia utrimque probabilis non armis, & vi, sed iudicio definienda, & dirimēda est: oppositum enim foret barbaries quędā, & à ratione alien' agendi modus. Secundò probat, quia sequeretur ex opposita sentētia dari bellū iustū ex utraq; parte, quod est cōtra cōmunē sententiā Doctorū; etenim si solo assensu probabili possit Rex Hispaniarū indicere bellū Regi Galliæ, cū Rex iste possit etiā habere probabile iud ciū partis oppositæ, eò quòd cū assensu probabili unius partis posit, & soleat esse assensus probabilis partis cōtrariæ, posset etiā iustè debellare Regē Hispaniæ. Tertiò probat Lorca; quia ex bello proveniunt magna nocumenta, depopulationes civitatū, occisiones etiā innocētiū; hæc autē, ut licitē fiāt, exigūt certitudinē iustę causę, & nō solū probabilitatē. Cōfirmatur, quia bellū est actus iustitiæ vindicativæ, ergo supponit iniuriā illatā fuisse ab eo, cui bellū indicatur; sed qui probabili opinione ductus retinet aliquā civitatē, non infert ullā iniuriā illi, qui probabiliter putat ad se pertinere; ergo nō dat causā sufficientē, ut ei bellū indicatur. Quartò probatur, quia *Cùm sunt partiū iura obscura, reo favendū est potiùs, quā actori*, regula 11. de Regulis Iuris in 6. sed ubi solum est probabilitas, ius est obscurum; ergo non est faciēdum illi, qui vult bellum indicere; est enim actor, sed illi, cui indicitur: hic enim est reus; ergo illicitum est adversùs istum bellare. Quintò denique probatur; quia in prædicto casu, aut Rex Gallię bona fide possidet talem civitatē, aut non, sed à neutro Rege possidetur; si dicatur primū, cū in dubio sit melior cōditio possidētis iuxta suprà dicta, melior etiā erit cōditio eius, qui probabili opinione ductus rē possidet: magis enim cōstat alicui de iure suo, cùm habet opinionē, quàm cùm solùm habet dubiū; ergo sicut iniustū est bellū in dubio adversus possessorē bonæ fidei, ita etiā erit advers' eū, qui possidet, cū habet opinionē probabilē: si verò dicatur secūdū, nō est cur unus Rex pugnet adversùs alterum, potiùs quàm è contrà; ergo neutri licet bellū indicere, sed rē tenetur uterque com- Vasquez. Salas. Lorca.

ponere; quòd si alter nolit media pacifica, eo ipso iniuriam irrogabit alteri, & hæc erit iusta causa belli.

29. Nihilominus dicendum est, ad iustitiam belli sufficere maiorem probabilitatem causæ, secus verò si probabilitas sit minor, aut æqualis: itaque si in exemplo proposito post diligentem inquisitionē probabilius sit civitatem esse Regis Hispaniarum, potest indicere bellum Regi Galliæ, si nolit eam tradere, aut si impediat quominus eam capiant Hispani. *Suarez.* Hanc assertionem disertè testatur Suarez in opere manu scripto de Virtute Charitatis, disp. 13. quæst. 6. rem discutiens ex professo, & eadem est mēs Gregorij de Valencia puncto secundo, paragrapho. 5. *certum est*, ubi sic ait. *Valent.* *Certum est, ad iustum bellum non sufficere qualēcumque persuasionem de iusta eius causa, sed requiri certam, vel valde probabilem in eo, qui bellum indicit.* *Filiucius.* Filiucius etiam tomo secundo, tractatu vigesimo nono, cap. 9. quæst. 3. dixit sufficere probabilē opinionem de iustitia belli.

30. Probatur, quia Princeps supremus, vel Respublica non habens superiorem in temporalibus, est supremus iudex in causis civilibus, & criminalibus, quæ ad illū pertinent; sed supremus iudex potest, & tenetur sequi probabiliorem opinionem; ergo Princeps supremus, vel Respublica non habens superiorem in temporalibus potest, si probabilius credat civitatem ad se pertinere, sequi eam opinionem, ac proin se civitatem illam occupare, & si quispiam resistat, aut impediat, illi bellum indicere. Maior declaratur, & probatur: etenim iuxta dicta in sectione secunda supremi Principis est, indicere bellum, quia non est alius, cui subijci debeat in ijs, quæ spectant ad regimen sui regni; ergo in quocunque negotio temporali, quod occurrat, potest ipse intrá limites ditionis suæ, rem concludere; potest ergo; si occurrat dubium, an aliqua civitas pertineat ad regnum suum, rem examinare medijs viris prudentibus, timoratis, & doctis sui regni, & iuxta illorum consilium operari. Vnde meritó Molina disputatione centesima tertia, numero decimo quarto dixit, cum per mortem Henrici Philippus secundus Hispaniarum Rex contendit Lusitaniæ regnum ad se pertinere, non fuisse obligatum ad expectandam sententiam, seu iudicium ipsius Lusitaniæ, sed potuisse per se, suosque de iure suo iudicare, *Miratusque sum* (inquit) *multos contrarium asseruisse.* Minor probata est à nobis in prima secundæ, controversia secunda, tract. 12. disp. 4. sect. 4. num. 39.

Consequētia verò probatur, quia si inter duos viros nobilissimos, aut duos dynastas subditos Regi Philippo oriatur cōtroversia, ad quē pertineat aliquis maioratus, tenetur iudex saltē supremi cōsilij ferre sententiā in favorē eius, cui magis probabiliter cōpetere maioratū existimaverit; & post latā sententiam debet maioratus adiudicari illi, cuius ius est magis probabile, & si alter resistat, nolitq; cedere iuri suo, potest etiā per vim cogi ad cedēdū, imò & posset rex illū punire, & ad mortē dānare, si omnino rebellis esset, nulloq; modo vellet se subijcere sententiæ iudicis supremi: quādo verò præfatus iudex existimaret, utriusq; litigātis ius esse æquè probabile, deberet ferre sētentiā pro utroq; ita ut res, vel valor illi' inter eos divideretur, & eodē modo litigantes obedire deberent, alioqui posset inobediens etiam morte puniri. 31.

Ad rem ergò cúm inter duos Reges oriretur controversia, ad quē illorū civitas aliqua pertineret, posset Philippus Rex Hispaniæ, verbi gratia, rem accuraté expendere intrà suum regnum, & si cōcluderetur, probabilius esse ad ad Hispaniam pertinere, id rectè & tutó iudicaret Rex, & sententiā hāc intimaret Regi Galliarū, verbi gratia, non enim est aliud tribunal ad quod prius deferenda sit ista sentētia, cū tribunal Regis Hispaniarum sit in tēporalibus supremū, nec alteri sub ditū, quod si nolit Rex Galliæ se subijcere, & pacificè tradere civitatē, aut eius occupationē impediat, poterit Rex Hispaniç bellum illi indicere. Si verò æqué probabile esset utriusque ius, deberet cū illo cōvenire, ut civitas, vel eius valor divideretur, nisi forté Rex Galliæ bona fide possideret; nam tunc melior esset illius conditio, sicut etiam quando minus probabile esset civitatem ad Hispanos pertinere, tunc enim iniustè contenderet sibi eam usurpare. 32.

Confirmatur 1. quia difficilè creditu 33.

est

est in tanto numero bellorum, quæ Reges Catholici, & pij gesserunt adversus alios, semper habuisse certitudinem de iusta causa belli, non ergo expectanda est certitudo, sed sufficit maior probabilitas. Confirmatur secundò, quia eo ipso quod probabilius sit, civitatem ad Hispaniam pertinere, habet. Rex Philippus maius ius ad illam, quam Rex Galliæ; ergo potest illud tueri, sed non tenetur illud tueri subijciendo se iudicio alterius regni, quia est ipse supremus in téporalibus, & intra ditionem suam habet viros, qui possint sufficienter indagare veritatem, ergo potest illud ius alia via tueri; non est autem alia, quam quod pacificé petat civitatem, quod si alter Rex impediat, arma capiat.

34. Dices; esse alia media pacifica, primũ est, quod civitas, aut eius valor inter utrũque Regem dividatur: secundũ, quod ipsimet subditi, ad quos pertineret electio Regis, quãdo nullus esset, declarent quis sit, cui cõpetat talis civitas. Sed neutrum mediũ est aptum; non primũ, quia id cederet in Regis præiudiciũ: obligaretur enim ad amittendã partẽ civitatis, cũ habeat ius ad totam, & non quodcũque ius, sed maius. Non est autẽ æquum obligare Regem, ut amittat, quod verisimilius est esse suũ, sicut non esset æquũ, quod iudex orta lite inter duos de aliquo maioratu sententiã ferret, qua divideretur inter illos, si unus haberet maius ius. Nec secũdũ mediũ est aptũ, quia vel tales subditi declaraturi essent in favorẽ eius, cuius ius est magis probabile, & sic habemus intentũ, aut licere eis declarare probabiliter etiam contra habentẽ ius magis probabile, & id foret iniustũ, non enim teneretur Rex se submittere subditis, ut illum spolient suo iure.

35. Ad primũ respondeo controversiam utrimque probabilem inter eos, qui subditi sunt iudici superiori, nõ esse dirimẽdam armis, quia habent, cui subijciãtur: inter eos vero, qui superiorem non habent, sine ulla barbarie, sed potius optimo iure armis esse derimendam, quando alter litigantiũ haberet minus ius, & nollet pacifice cedere alteri habenti maius. Iste enim à nullo potest obligari, ut amittat ius suum, aut ut designet alium iudicem, cum ipse sit supremus.

Ad secundum respondeo bellum posse esse ex utraque parte iustum formaliter, quia unum saltem excusabit ignorãtia invincibilis. Quod veró negant Doctores, est bellum ex utraque parte iustũ materialiter, scilicet sine eo quod ex parte aliqua sit error: in nostra itaq; sentẽtia posset esse bellũ ex utraque parte iustũ formaliter, quia Rex Hispaniæ licité bellaret, putans probabilius esse civitatẽ illã ad Hispanos pertinere, & similiter licité pugnaret Rex Galliæ, putans oppositũ esse probabilius; re tamen vera unus illorum falleretur, & veritatẽ ignoraret, quippe civitas illa alterius illorũ est, & ideo materialiter unus iniusté pugnaret; nec id est peculiare in nostra opinione, nam secundũ omnes Doctores, si uterq; Rex putaret esse certum civitatem ad suum regnum pertinere, uterque iusté bellaret formaliter, sed unus re ipsa falleretur, & ex parte eius esset bellum iniustum materialiter. 36.

Ad tertium respondeo, negando ad id non sufficere maiorem probabilitatẽ, quãdo, ut supponimus, ille qui minus iuris habet, nõ vult pacificé cedere habẽti maius ius: & sané, si argumentũ Lorcæ vim haberet, probaret non esse licitum bellum, quando solũ esset probabilior opinio, quod propter talẽ, & talem causam liceret, quod tamen nemo dicet: verbi gratia, opinio est inter Doctores, an propter idololatriam liceat indicere bellum alicui regno infidelum; certé Rex, qui probabilius putaret hanc esse iustã causam, sine ulla culpa posset hoc bellũ indicere, & tamen ibi occurrerent incommoda, quę Lorca infert ex nostra sentẽtia. Ad confirmationem respondeo, licèt nõ irroget iniuriam formaliter, quia non peccat se tuendo, & retinendo civitatem, irrogat tamen iniuriam materialiter, impedit enim alterũ, qui prudenter credit civitatem esse suam, seque habere melius ius, & id sufficit ad iustitiam belli. Sic enim qui certò putat civitatẽ ad se pertinere, licité pugnat adversus possidentem illam, licet iste credat contrarium, & sine peccato se defendat. 37.

Ad quartum respondeo, regulam illã intelligendã esse cũ iura sunt æqualia, ac proinde quãdo ęqualis est probabilitas utriusque partis, ut diserté exponit 38.

Glossa. Glossa, tunc enim si agatur adversus illum, qui bona fide possidet civitatem, iniustitia committeretur illi bellum indicendo: si verò nullus civitatem possideret, nullus ibi propriè reus esset, & ideo dividenda esset inter litigantes iuxta supra dicta: quod si alter nollet divisionem hanc, eo ipso irrogaret alteri iniuriam, & præberet iustam belli causam.

39. Ad quintum constat ex dictis possessorem bonæ fidei præferendum esse, si ex parte non possidentis solum sit minor, aut æqualis probabilitas; si verò foret maior, non esset melior cōditio possidētis; sic enim iudices sententiam ferunt pro eo, qui non possidet, quando huius est melius ius, seu maior probabilitas, quod si neuter possideat, iam vidimus rem pertinere ad regem, cuius opinio probabilior est, habet enim se veluti iudex, qui iudicat secundum opinionem probabiliorem, si verò sit æqualis probabilitas, rem esse dividendam inter partes.

§ IIII.

An, & quatenus debeat esse explorata militibus iustitia belli, ut licite pugnare possint.

40. *S. August.* Sanctus Augustinus libro vigesimo secundo contra Faustum capite 75. *Vir* (inquit) *iustus si fortè sub rege homine etiā sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est*, quasi dicat, ille qui alicuius regis miles est, seu illi subditus in militia, potest tuta cōscientia pugnare adversus hostes, si certo sciat id non esse prohibitum à Deo, vel saltem non certo sciat oppositum. Iuxta hanc tanti Patris, & magistri doctrinam communis & vera Theologorū sententia affirmat, subditos regis indicentis bellum, si non sint de numero illorum, qui vocantur á rege, ut cum illis agat de iustitia belli, sed absolutè mittantur ad pugnandum, posse tuta conscientia obedire regi, quamdiu illis non constiterit bellum esse iniustū. Itaque si nō sint certi de iniustitia, quantumvis dubitent, imó & probabilius existiment esse iniustum, licet illis bellare. Probatur, quia hæc est generalis regula in moralibus posse subditum obedire superiori, quamdiu claré non constat malū esse quod præcipit, credere enim debet superiorem habere iustam causam præcipiendi. Imò ut rectè Molina disputatione 113. conclusione 2. non tenentur *Molina.* prædicti milites examinare causam belli, Id enim ad principem spectat, & ad eius consiliarios.

Rogabis, an illi qui pertinent ad aliud regnum, possint dare nomen militiæ Regis Hispaniarum, verbi gratia, non examinata prius iustitia belli. 41. Respondeo si cum Rex indixit bellum, non erāt sub militia Hispanorum, non posse iustè bellare, nisi sciant sufficienter Regem habere causam iustam; nam cum non sint subditi illius, nulla lege tenentur ei obedire, aut eius mandata iusta putare, nisi alioqui constet illis. Si verò iam erant sub militia Hispana, quia erant stipendiarij Regis Philippi, seu stipendijs eius in exercitu degebant, posse iusté bellare, si non constat illis de iniustitia belli, ut rectè Caietanus in Summa verbo *Bellum*. (qui ibidem docet id, quod proximé asseruimus.) Valencia puncto secundo, para- *Caietan.* grapho sexto, *Certum est*, & Molina su- *Valenc.* prà numero septimo, quia isti iam erant *Molina.* subditi Regis Hispaniȩ, & sub eius obedientia constituti. Et quamvis aliquantum limitet Molina istam doctrinam, absoluté censenda est vera, nec á Sancto Augustino in verbis supra relatis limitatur, cum tamen de homine militante suo Rege absoluté loquatur.

Sed obijcies contra primam partem huius asserti, cum quis miles accedit ad 42. emenda arma, non tenetur venditor examinare, an miles petat illa ad bellum iustum, ergo neque extraneus, qui venit ad bellum tenetur examinare iustitiā. Respondeo negando consequentiam, & ratio discriminis est, quia iste determinatè accedit ad bellandum, & ideo scire debet an accedat ad opus iustum, venditor verò armorum solum concurrit ad actionem ex se indifferentem; potest enim, qui arma emit, postea non bellare, aut ea servare ad alios fines, nec præsumere debet in emptore malitiam quamdiu illi non constat.

SECTIO IIII.

De tertia conditione ad iustitiam belli, scilicet recta intentione.

43. S. Thom. Meritò addunt Sanctus Thomas, & reliqui Doctores hanc conditionem, ut bellum sit iustum, quia sola prava intentio sufficit, ut opus alioqui bonum reddatur malum. Hoc enim significant illa verba Christi Domini Matthæi sexto, *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*, de quo alibi laté dictum est. Non ergo iustũ bellum erit, sed iniustum, si quis illud indicat, aut pugnet adversus hostes ex odio illorum, quatenus homines, aut Dei creaturę sunt, aut propter ostentandum vané fortitudinem, & captandam hominũ gloriã. Sic enim quantumvis alię causæ ad iustitiã belli requisitæ concurrant, peccabit princeps & milites illius, eritq; peccatum grave, aut leve pro quantitate malitiæ finis appositi.

44. Advertendum veró est, cum dicimus bellum ex defectu rectæ intentionis reddi iniustum, non significari à nobis, peccari contra iustitiam, & inde oriri obligationem restituendi damna illata. Certum enim est, si Rex Philippus, & eius exercitus debellarent hostes, ut caperent civitatem, quæ sine dubio esset coronæ Hispaniæ, non teneri illam iam captam restituere, licét pugnassent ex odio, aut propter vanam gloriam, sola enim prava animi intentione non reddit opus externum iniurium proximo, & obnoxium restitutioni. Solum ergo dicimus bellum tunc fore iniustum, scilicet illicitum, seu contra rectam rationem, sicut omne opus consentaneum rectæ rationi appellamus iustum. In quo sensu S. Ambrosius in caput primum Lucę dixit, iustitiam esse virtutem communem. S. Ambr.

SECTIO V.

Quibus personis licitum sit bellare; ubi an si hostes occidant, incurrant irregularitatem.

45. Non est dubium, quin laicis in generali loquendo licitum sit bellare, quando bellum iustum est; quod veró ad clericos spectat, communis, & certa est assertio Sancti Thomæ in articulo secundo prohibitum illis esse pugnare. Probatur primò authoritate Iuris Canonici, capite *Ex multa*, paragrapho *de Clericis, de voto*, ubi Innocentius Tertius, *Clericatus* (inquit) *officium eos reddit inhabiles ad pugnandum*, & Concilium Meldẽse, ut refertur in capite *Quicumque* 23. quęstione octava, *Quicumque* (inquit) *ex clero videntur esse, arma militaria nõ sumant, nec armati incedant, quod si contempserint tanquã sacrorũ Canonũ contẽptores, & Ecclesiasticæ authoritatis prophanatores, proprÿ gradus amissione mulctentur.* S. Thom. Innocent. Concil. Meldens.

Secundò probatur à S. Thoma duplici ratione. Prior est, quia munus clericorum est vacare Deo, & eius contemplationi; bella autem non exiguum, huic impedimentum afferunt, ut satis patet. Confirmatur, quia negotiationes prohibentur clericis ob hanc rationem, ergo potiori iure exercitia bellica, quæ magis impediũt. Posterio ratio est, quia omnes clericorum ordines instituti sunt ad deserviendum altari, in quo celebratur memoria effusionis sanguinis Christi Domini pro omnium vita, ergo clerici potius debent esse parati ad effusionẽ proprij sanguinis ad imitationẽ Christi Domini, cuius ministri sunt, quàm ad effusionem alieni. Unde qui alios occidũt, etiam sine culpa, solent irregularitatem incurrere, ratione cuius ab altaris ministro removentur. 46.

Quæri tamen solet primò, quinam intelligantur nomine clericorum in hac prohibitione. Respondeo imprimis intelligi omnes religiosos, etiam non deputatos ad chorum, ut recté Valencia puncto quarto, paragrapho primo; & Molina disputatione centesima octava, numero decimo quarto, est enim eadem imo & multo maior ratio, quam in clericis non ordinatis maioribus ordinibus, nec est materia odiosa, sed favorabilis statui religioso, in favorabilibus autem nomine clerici significatur etiam religiosus. Deinde certum est, significari omnes constitutos in sacris ordinibus, licét sint sæculares. Tertiò, licét sint initiati solum minoribus ordinibus comprehen- 47. Valenc. Molina.

duntur his decretis, ſi habeant beneficiũ
eccleſiaſticum, aut alioqui gaudeāt pri-
uilegio fori, ut bene Molina, & notavit
Gloſſa. Gloſſa in cap. *Quicumque*, ſupra relatum.
Si verò non gaudeant privilegio fori, nõ
intelliguntur hic nomine clerici, quia
ſaltém conſuetudo declaravit hos perin-
Covarr. de, atque alios laicos poſſe pugnare: ſic
Covarrubias, quem referunt, & ſequun-
tur Molina, & Valencia.

48. Secundò quæritur, an iſta prohibitio
ſit iuris divini, & naturalis, an non, ſed
ſolius eccleſiaſtici. Reſpondeo, licet
valdè conſentaneum ſit iuri naturali, &
divino clericos ab illo abſtinere abſolu-
té, non tamen ex vi illius omnino obli-
gari, ſed ſolùm ratione præcepti Eccle-
ſiaſtici: ex quo fit primò, ſi Summus Põ-
tifex cum illis iuſta de cauſa diſpenſet,
poſſe licitè pugnare, etiam immediaté,
& proprijs manibus. Nec contrarius eſt
S.Thom. Sanctus Thomas articulo ſecundo ad ſe-
cundum, in illis verbis, *Quod autẽ aliqui
clerici propria manu pugnent, abuſionis
eſt*, nam loquitur extra caſum neceſſita-
tis, & iuſtę diſpẽſationis. Secundo fit, ac-
cidere poſſe, ut clerici nõ ſolum poſſint,
ſed etiam iure naturali teneātur proprijs
etiam manibus pugnare. Etenim ſi non
poſſet aliter Reſpublica defendi, cum bo
num commune prę ferendum ſit particu-
lari, teneretur clericus arma capere, & a-
lioqui tribueretur culpæ illius damnum
Caietan. communitatis. Vide Caietanum ad præ-
Molina. dictum articulũ 2. & Molinam diſputa-
tione centeſima octava. Tertiò fit, cum
diximus obligari Eccleſiaſticos ad non
bellandum ex vi iuris naturalis, intelli-
gendum eſſe, ita ut ſint varij caſus, in qui-
bus licitè poſsint bellare ex diſpenſatio-
ne Pontificis, aut in magna neceſsitate.
Non verò contendimus non eſſe contra
ius naturale, quod clericus ſemper, &
abſque ulla neceſsitate dimicet, optimè
Valenc. enim probat Valencia puncto quarto,
iure naturæ prohibitum eſſe, ut perſonæ
Eccleſiaſticæ perinde pugnare poſsint,
atque laici, veré enim id eſt cõtra dicta-
men rectæ rationis, & contra Patrum do-
ctrinam. Vnde Pontifex non poſſet diſ-
penſare cum clerico, ut ſine ulla cauſa
pugnet, quia in lege naturali non poteſt
Eccleſia diſpenſare.

49. Tertiò quæritur, an liceat clericis in-
tereſſe prælijs, & inter milites verſari, eos
exhortando ad ſtrenué pugnandum, &
illorum ſpiritalibus neceſsitatibus ſuccur-
rendo. Reſpondeo cum Sancto Thoma *S.Thom.*
articulo ſecundo ad ſecundum, id eis li-
citum eſſe dummodo fiat authoritate ſu-
perioris, quo nomine Summum Pontifi- *Concil.*
cem intelligere videtur. Vnde Conciliũ *Meldenſ.*
Meldenſe ſupra relatum, ***Sacerdotes** (in-
quit) **propria manu arma arripere non
debent, ſed alios ad arripiendum ad op-
preſſorum defenſionem, atque inimicorum
Dei oppugnationem eis licet hortari***, & ſa-
ne ſatis experientia perſuadet valde uti-
le, imo interdum neceſſarium eſſe ad bo-
num ſpirituale militum præſentia cleri-
corum, vel religioſorum, qui eorum con-
feſsiones excipiant, & ſalutaria monita
præbeant. Probatque optimè Molina *Molina.*
ſuprà, non requiri expreſſam licentiam *Valenc.*
Pontificis, ſed ſufficere tacitam, vel pre- *Sylveſt.*
ſumptam. Addit etiam Valencia puncto
quarto, cum Sylveſtro verbo ***Bellum ter-
tiò***, quæſt. prima, ſi Epiſcopus, vel alius
clericus habeat dominium temporale ſu-
premum, non prohiberi quominus indi-
cere poſsit bellum in ijs evẽtibus, in qui-
bus iuxta ſupra dicta poteſt Princeps ſe-
cularis illud indicere.

Quartò quæritur, an peccet læthali- 50.
ter clericus, ſi pugnet in bello in ijs caſi-
bus, in quibus iuxta dicta prohibitũ eſt.
Reſpondeo, ſi ſit in ſacris ordinibus cõ-
ſtitutus, peccare læthaliter, ſi verò ſolùm
ſit in minoribus, peccare venialiter ſaltē,
quando non haberet beneficium eccle-
ſiaſticum. De religioſis etiam, ſi ſint lai-
ci, magis dubito, propter longè maiorem
indecentiam, quæ eſt in eo, quod religio-
ſus propria manu pugnet, quare non au-
deo eos à læthali excuſari, nec Molina *Molina.*
ſuprà, numero decimo quarto eos abſo-
lutè excuſat, licèt dicat id non eſſe ſibi
certum. Solùm nota, licét in cap. ***Cleri-
ci***, & cap. ***Quicumque***, vigeſima tertia,
quæſtione octava graves pœnę inſligan-
tur clericis, qui pugnaverint, non inde
inferri ſemper eſſe peccatum mortale, nã
hæc duo capita deſumpta ſunt ex Conci-
lio Toletano, & Concilio Meldenſi, quę
ſunt Provincialia, ac proinde extra illas
Provincias vim obligandi non habent.

Quintò quęritur, an clericus incurrat 51.
irregularitatem, ſi in bello aliquem occi-

dat

dat propria manu, aut si alij occidantur eo hortante, & excitante ad prælium, Respondeo; licét Molina, Valencia, & Lorca de hac re disputent in hac materia, difficultatem esse propriam materiæ de Irregularitate, ubi Gregorius Sayrus libro primo Thesauri capite decimo nono accuraté ut solet eam expedit. Vnde solum brevissimè attingam, quæ ipse latè prosequitur. In primó ergo dubio docet cum Covarrubia, & Henriquez nō esse irregularem clericum, qui in bello iusto pugnans occidit aliquem, quando urget præceptum defendēdi patriam, eo quod al ter caperetur, aut everteretur ab hostibus: & similiter quando id esset necessarium ad tuendam vitam parentis, uxoris, aut filij. In secundo, non incurri à clerico irregularitatem, si solùm in generali hortetur milites ad pugnam, sivè id fiat ante congressum, sivé in ipso belli conflictu. Itaque quamvis milites occidant aliquem, vel plures, non ideo clericus manet tunc irregularis. In tertio, & & quarto non esse irregularem illum, qui hortatur milites ut moriātur pro Christi fide, pro tuenda Ecclesia, vel pro defensione Reipublicæ, licèt postea sequatur ipsorum militum mors. In quinto affirmant cum communi Doctorum esse irregularem illum clericum, qui in bello iusto præberet militi arma, ut mortem alicuius exequeretur, non verò si præberet, ut miles se defenderet, vel ut officiū suum exequeretur, quod est strenué pugnare, quamvis posteà aliquem, vel plures occideret. In sexto, si clericus in bello iusto propria manu pugnet, & dubius postea maneat, an ipse occiderit aliqué, censeri debere irregularem. In septimo tandem concludit, si Summus Pontifex cum aliquo clerico dispenset ut eat ad bellum iustum, & in eo pugnet propria manu, eo ipso censeri dispensasse cum illo, ut quamvis aliquem occidat, non maneat irregularis.

52. De bello iniusto nihil est quod dicamus; nam certum est clericos manere irregulares, si aliquo modo sint causa mortis alicuius, etiam propterea quod hortentur milites ad pugnam, & in hoc sensu intelligit Sayrus dubio secundo, cum Glossa, & Philiarchro, id quod habetur in capite *Quod in dubijs*, de pænis, scilicét irregulares esse Sacerdotes, qui milites ad pugnam hortantur.

SECTIO VI.

Qui nam possint iustè bellantibus cooperari.

QVando bellum est iniustum, extra controversiam est nulli licere cooperari bellantibus, aut alios ad pugnandum vocare; si vero bellum iustum sit, dubitari etiam non potest, quin in generali aliquando liceat illi, qui bellum indicit, extraneos vocare, ut eum adiuvent, ipsisque extraneis licitum sit accedere, & sub eius vexilis arma capere. Duo tamen disputanda supersunt; vnum, an Principi Catholico liceat uti opera infidelium, & præsertim hæreticorum, ut illorum auxilio debellet hostes etiam Catholicos, adversus quos bellum iustum gereretur. Alterum est, an Christianis militibus liceat iuvare ducem infidelem, quādo iste bellum aliquod iustum gereret. 53.

Dico primò, licitum est Principi Catholico convocare infideles, & illorum opera uti ad debellādos hostes, adversus quos gerit bellum iustum, nisi aliquæ circumstātiæ, quæ occurrere possunt, id reddant illicitum. Probatur, quia actio illa debellandi hostes iusta est; ergo iustum erit illi cooperari; ergo vocare alios, ut cooperentur, non est illicitum. Quod verò, qui vocantur, infideles sint, non reddit per se loquendo cooperationem inhonestam, nam infidelitas non depravat omnes actiones, adhuc enim possunt infideles operari bene, aut certé non malè in ijs, quæ ad infidelitatem non spectant, aut cum illa non connectuntur, ut non connectitur bellum. 54.

Sed dices primò, infideles hæretici sunt excommunicati, ergo non licet Catholicis cum illis agere. Si autem ad horum exercitum vocarentur, necessarió verbis, & actionibus communicarent. Respondeo primò, hæreticos (excepto uno vel altero) non esse excommunicatos nominatim, sed in generali, nō teneri autem nos ad vitandum excommunicatos in generali, post Concilium Constantiense; de quo in materia de Excómunicatione. Secundò, licet teneremur 55.

vitare,

vitare, id solum habere locum, quādo nō esset nobis necessariò, aut utilis communicatio, ut affirmant Doctores in eadem materia. Quare eo ipso quod Principi Catholico necessarium, aut utile esset uti opera hereticorum ad bellū, nonobstaret excommunicatio.

56. Dices secundò: ex eo quod infideles simul cum Catholicis pugnent adversùs alios Catholicos: inferuntur magna incommoda, ergo illicitum est eos vocare: antecedens patet; nam primo imminet periculum evertendi Catholicos, cum quibus agunt, persuadendo ilis falsam religionem. Secundò, quia valde crudeles se exhiberent adversùs Catholicos contra quos pugnarent, multas iniustitias cōmitterent, captivos ducerēt fideles, quos in bello caperent, & eos apostatare facerent. Consequentia vero probatur; quia hæc incommoda sunt magni momenti, & præponderant utilitati, quæ Principi Catholico provenire potest, ex eo quod ab infidelibus adiuvetur. Respondeo, propterea in conclusione additam esse limitationem nimirum licitum esse uti opera infidelium, nisi circunstantiæ aliquæ id redderēt illicitum: re autem vera, quæ in hac obiectione afferuntur, probant id, quod affirmat Molina disputatione centesima decima secunda, numero quinto, scilicet regulariter esse illicitum uti opera infidelium in bello, quod Catholicus Princeps adversus Catholicos gerit, licet alioqui bellum iustum sit, quando verò ea incommoda cessarent, licitum esset iuxta dicta.

57. Dico secundò, licitum est Christianis militibus iuvare ducem infidelē in bello iusto, quod gerit adversùs alios infideles, non verò adversùs alios fideles, nisi in casu rarisimo. Prior pars probatur ratione præcedentis assertionis, nec adversùs eam militant incommoda proxime relata, quin potius milites Christiani forent in causa, ut dux infidelis minora dāna inferret alijs infidelibus. Vnde Machabæi fœdus inierunt cum Romanis infidelibus, ut alia infidelium regna expugnarent. Posterior pars probatur; primò, quia id gigneret non leve scandalum. Si nimirum Ecclesia adversùs se ipsam pugnaret, ut ipsius Ecclesię hostes defenderet. Secundò, quia cum infideles pugnādo adversùs fideles, istos captivos ducerent, & fortasse facerent apostatare á fide; non est æquum, ut fideles adiuvando Principem infidelem tanto malo cooperarentur.

Excepi in assertione casum rarisimū, quia si Princeps infidelis gravissimas iniurias passus esset ab aliquo Principe fideli, sed tyranno, & alioqui alius Princeps fidelis esset Principi infideli devinctissimus, propter beneficia ab illo recepta, crederetur que de eius mansuetudine non permissurum, ut fideles damnum in religione paterentur: non auderem damnare fideles, qui tunc Principem infidelem adiuvarēt, sed hæc attentè perpēdenda essent, & cum alijs incommodis cōferenda, quando casus occurreret. 58.

SECTIO VII.

Quo tempore, & modo liceat hostes debellare.

Dico primo, in quocūque die, etiam si festus sit, licitum est gerere iustū bellum. Sic Sanctus Thomas in articulo quarto, ubi Caietanus, Bañez, & Lorca, Valencia puncto quinto, & Molina disputatione centesima decima prima, & Emanuel Rodriguez in Summa cap. 127. in fine, imò & Glossa statim referenda: Probatur generali ratione, etenim bellare non est opus servile, hoc enim appellatur illud, quod est proprium servorum, in bello autem etiam domini, & Principes pugnant, nec est opus pertinens ad strepitum iudicialem, ut satis patet. Cum ergo in die festo solùm prohibeantur opera servilia, & quæ pertinent ad strepitum iudicialem, ut constat ex materia de Observatione festorum, consequenter non erit prohibita actio bellandi, & multo minùs in diebus feriatis, in quibus etiā opera servilia exerceri possunt. 59. *S. Thom. Caietan. Bañez. Lorca. Valenc. Molina. Emanuel. Glossa.*

Sed obijcies primo Alexandrum tertium, qui in cap. primo de Tregua & pace, sub gravibus pœnis præcipit abstinere á pugna à quarta feria post occasum solis, usque ad secundam feriam in ortu solis, & ab adventu Domini usque ad octavam Epiphanię, & à Septuagesima usque ad octavam Paschæ. Respondet Glossa, quam sequuntur Molina, Valen- 60. *Alexá. 3.*

cia,

cia, & Lorca, decretum non fuisse usu receptum; & omnino in desuetudinem abijsse, ac proinde non obligare.

61. *Nicolaus Papa.* Obijcies secundo Nicolaum Papam, qui ad consulta Bulgarorum, ut refertur capite *Si nulla* 23. quæstione octava sic ait, *Si nulla urget necessitas, non solum in quadragesimali tempore, sed omni est á prælijs abstinendum,* cui consonant verba Sancti Thomæ in fine articuli quarti, *Cessante* (inquit) *necessitate non est licitũ bellare in diebus festis,* ergo saltem extra casum necessitatis non erit licitum in diebus festis bellare. Respondeo, eo ipso quod bellum sit iustum, semper esse moraliter loquendo necessariũ bellare, quia vel est necessarium ad debellandos hostes, qui alioqui poterunt multum nocere ijs, qui iusté bellant, vel ut non detineantur, & periculum sit in mora. Itaq; quoties bellum est iustum, & alioqui est opportunitas aggrediendi hostes, magnum incommodum proveniet ex dilatione, & consequenter erit necessitas, aut magna utilitas, quæ perinde est.

62. Obijcies tertiò; in diebus festis obligat præceptum audiendi sacrum, sed si milites pugnant, non audient sacrum, ergo illicita est pugna in diebus festis, quippe quæ impediet observationem præcepti. Respondeo, compatibile esse cum pugna diei festi audire sacrum, quia in hoc audiendo parum temporis insumitur, & pro tunc cessare potest actio bellandi. Quod si in hac cessatione timeatur notabile damnum, non obligabit tũc præceptum, iuxta generalem regulã Doctorum, circa obligationem præcepti Ecclesiastici.

63. Obijcies quartó, saltẽ á peccato veniali non posse excusare militiã sine peculiari necessitate in die festo, nã obstat fini præcepti, qui est vacare rebus divinis. qui autem præliantur, omnino distracti sunt, & intenti rebus externis. Dominicus Bañez ad argumentum quartum, dubio secundo existimat esse peccatum veniale propter hanc obiectionem, & idem videtur sentire Caietanus, & Rodriguez suprà, & Valencia ait saltem non esse mortale militare in die festo, dummodò Missa audiatur. Mihi tamen valde probabile est, si Missa non omittatur, nullum esse peccatum. Sic Glossa & Lorca suprà, &

Bañez. *Caietan.* *Rodrig.* *Glossa.* *Lorca.*

Molina ait forte excusari posse a veniali. Etenim cum bellare non sit opus servile, ut dictum est, non debet ulla ratione censeri opus prohibitum in die festo, præsertim cum semper sit aliqua utilitas, aut necessitas in non differendo bello ad aliud tempus, si statim commodé geri possit, ut in solutione secundæ obiectionis dicebamus; nec satis est pugnam esse contrariam fini præcepti, nam finis præcepti nõ cadit sub præceptum, multa enim licent in die festo, quæ valde animum avocant á rebus divinis, ut studere rei physicæ vel negotio temporali. *Molina.*

Ex dictis colligitur minùs veram esse sententiam Francisci Suarez, tomo primo de Religione, libro secundo de diebus festis, capite vigesimo octavo, ubi tanquam ipsi indubitatum statuit militiam exercere pugnando cum hostibus, esse opus servile, & prohibitum in die festo, nisi necessitas excuset; primò, quia ars militaris inter mecanicas numeratur, & non est dubium, quin censeantur mecanici illi artifices, qui docent usum armorum. Secundò, quia intendere occisioni ferarum, in piscatione, & venatione, est opus servile, & prohibitum; ergo multò magis intendere occisioni hominum in bello. Tertió, quia ad bellandum habet Respublica suos ministros deputatos, qui sub ea ratione servi reputantur, & stipẽdijs Regum vivunt. Quartó ad id potest cap. *Quod non est licitum,* de regulis Iuris, ubi prohibetur pugna sine necessitate. 64. *Suarez.*

Dixi non esse veram istam sententiam, quia quod bellare nõ sit opus servile, docent Caietanus, Molina, Valencia, Lorca, Bañez, Rodriguez: nec legi alium, qui affirmet esse servile, & ratio ipsa modusque concipiendi id persuadent, quis enim appellat opus servorum dare nomẽ militiæ, & adversùs hostes pugnare? Nec obstat primum argumentum Suarez nam docere exercitium & usum armorum non minùs liberale est, quam docere saltationem, aut pulsationem cytharæ, quod non est mecanicum, & ita hæc omnia in die festo licent, nec secundum, tum quia Navarrus, Medina, & Lopez existimant venationem ferarum non esse opus servile, & prohibitum in die festo; licét fiat propter lucrum; tum quia solùm illa piscatio videtur opus servile, quæ fit de ferendo 65.

Navar. *Medina.* *Lopez.*

retia,

retia, remigando, & similem laborē exercendo, quod est proprium hominum inservientium alijs, & propterea videtur prohibita in capite *Licet*, de ferijs extra casum necessitatis: at verò bellare, etiam quatenùs complectitur occisionem hostium, id non habet, sed perinde pertinet ad nobiles atque servos. Nec tertium, quia illi non sunt servi, sed subditi; non appellatur autē servile omne opus quod fit à subditis, alioqui omnia officia ministrorum Reipublicæ essent illicita in die festo. Nec denique quartum, ut ipse etiā Suarez rectē notat, quia ibi solùm dicitur Machabæos licitē pugnasse in die Sabbati propter necessitatem, licēt alioqui id esset illis in lege prohibitum; in lege autem gratiæ non perseverat illa prohibitio.

66. Dico secundò: licitum est in bello iusto uti insidijs adversùs hostes, dummodò absit mendacium, & violatio fidei, seu iustę promissionis vel pacti cum illis initi. S. Thom. Sic Sanctus Thomas in articulo tertio, & omnes Doctores, qui de bello disseruerunt. Iosue 8. Prior pars probatur, primo authoritate Sacrę Scripturæ, nam Iosue octavo cæpit Israel urbem Hai per insidias Iosue, statuente & Domino approbante, ut patet ex illius capitis historia. 1. Mach. 9 Et primo Machabæorum nono, Ionathas, & Simō duces exercitus Israel surrexerunt ex insidijs, & hostes occiderunt, 1. Reg. 15. & primo Regum decimo quinto, Saul tetendit insidias ut everteret Amalech, iuxta præceptum Domini. Secundò probatur ratione, quia eo ipso, quod bellum est iustum, iusta quoque sunt media ordinata ad fælicem exitum illius, ac proinde ad comparandam victoriam, unum autē illudq; aptissimum medium sunt insidiæ, quibus occultantur inimico actiones ad vincendum ordinatæ, ut si multi milites se abscondant, ut transeuntes hostes capiant, vel quid simile; ergo licitum est insidijs uti.

67. Posterior pars probatur, quia mentiri est intrinsece malum, ac proinde nunquā licet: violare quoque fidem datam adversario, & non stare iustis promissis, est cōtra humanum convictum, & contra ius gentium. Dixi autem si promissio sit iusta, nam si dux promisisset rem iniustam, non solùm esset iniqua promissio, sed & adimpletio, quàmvis iuramento confirmata; nunquam enim est obligatio exequendi id, quod sinē culpa nō potest executioni mandari.

Duo verò notat Molina in disputatione centesima decima prima; primum est, 68. Molina. si hostis vicissim aliud promisisset, & pro missioni non staret, non esse obligationē standi promissioni factæ, quia semper subest tacita conditio, qua nolumus obligare nos ad aliquid præstandum hosti, si iste nollet præstare, quod nobis promisit; & in eius confirmationem affert expressum Sancti Augustini testimonium; imò addit, licēt ad componendam pacē multa sibi mutuò promitterent bellantes, & unum illorum violaret hostis, non teneri iam nos ad servandam fidem, sive in illo uno, sive in alijs.

69. Alterum est, quando hosti promissum est aliquid valdē onerosum, si istud iustè potest exigi, & recipi ab hoste, implendū esse. Si verò non potest iustè recipi, verbi gratia, si peteret usuras, non esse obligationem implēdi promissionem, nisi sit iuramento confirmata; iuramētum enim habet tunc vim obligandi, nisi relaxetur, à quo autem debeat relaxari tractat ex professo, & in generali, Thomas Sāchez Sanchez. libro quarto Summæ capite vigesimo primo dicens, posse relaxari ab Episcopo, aut ab habente, iurisdictionem quasi Episcopalem. Hunc autem Episcopum esse posse illum, cuius subditus est ille qui iuravit, si relaxatio facienda est absque citatione partis, ut quando petitur in foro conscientiæ; si verò citanda sit pars, debere esse Episcopum illius, in cuius favorem iuratū est, nisi fortè iste esset tunc præsens in loco Episcopi illius hominis, qui iuravit. Addit etiam in capite vigesimo secundo, Principem, & iudicem sæcularem illius, cui iuratum est, posse eiusmodi iuramenta relaxare, seu potiùs condonare & remittere.

SECTIO VIII.

Vtrùm in bello iusto liceat innocentes occidere, aut aliud damnum illis inferre.

Dico primò, non licet per se, & ex intentione occidere innocētes; bene 70.

tam en

tamé per accidés, & consequéter quatenùs id fuerit necessariũ ad occisioné iustã nocentiũ. Assertio est cõmunis Doctorũ in materia de Bello. Et prima pars probatur, quia cũ vita sit maximũ bonũ inter naturalia, nõ patitur ratio, ut ea à proximo auferatur, quãdiu nulla est causa, propter quã dignus sit morte. Vnde Exodi
Exod. 23. 23. *Insontem & iustum non occides, inquit Dominus.* Secunda pars probatur, quia aliter non potest iusta vindicta sumi de hostibus, cũ enim nulla sit civitas, aut locus expugnãdus, in quo nõ sit valde verisimile, aut moraliter certum, esse mixtos innocentes & nocentes, nõ possét globi ardentes in civitaté mitti, aut ignis supponi, aut quid simile fieri, nec in ullũ iaci sagittæ, ne innocétes occiderétur; unde nõ obtineretur victoria, quod est absurdũ. Licet ergo expugnare, & occidere hostes in bello iusto, licét certó sciatur simul innocétes occidédos, dummodo id non fiat ex intentione innocentes occidendi, sed iustũ bellum exequendi, & victoriam comparandi.

71. Petet aliquis, quinã sint reputandi innocentes in ea Republica, adversùs quã geritur bellũ iustũ. Respondeo imprimis reputari infantes doli non capaces, etiã si sint filij Turcarũ, & aliorũ infidelium. Deinde fœminas, nisi de earũ culpa constet; ut si expugnaretur urbs, ob apostasiã à fide, & mulieres quoque essent apostatæ. Præterea clericos, religiosos, & advenas, seu peregrinos, quãdiu nõ cõstiterit eos esse nocétes. Quod si Iosue 6. occisi sũt omnes, etiã infãtes urbis Iericho, una excepta Raab meretrice, id factũ est iussu Dei, qui Dominus est vitæ omniũ, & præcipere potest directam occisionem innocentium.
Iosue 6.

72. Dico secundò, licitũ est in bello iusto subijcere servituti innocétes, qui pertinét ad Rempublicam, adversùs quã geritur iustũ bellũ, & consequéter licèt eos alijs bonis spoliare, quãdo prudenter timetur hostes ijs bonis usuros, ut se defendant.
Victoria. Primã partem affirmat Victoria de Iure
Valenc. belli, num. 42. & Valencia punct. 3. as-
Molina. sertione 1. §. *Quartó infero*, & Molina
Lorca. disp. 120. quidquid cõtrà sentiat Lorca disp. 54. & breviter probo: quia id pertinet ad suppliciũ, quod iusté bellans sumere potest de hostibus; non enim solũ punire potest in se ipsis, sed etiam in partibus, & bonis suis, quámvis in his culpa nõ fuerit: excipe tamé, si bellũ sit Christianorũ cũ Christianis, tunc enim non fiunt captivi (quod intellige de Christianis Catholicis, nõ de hæreticis) licét detineri soleãt, donec detur in præmiũ aliqua pecunia capientibus eũ. Secundam parté docent ijdem Authores, & satis persuadet ratio, quia alioqui hostes nova arma capere possent, & bonis innocentium uti ad debellandum eos, qui iustũ bellũ illis inferunt.

In fine huius sectionis expedienda est illa difficultas, an scilicet licitæ sint represaliæ, seu impignorationes, & marches ut alij loquũtur: accidere potest interdũ, & sæpé, ut hostes aliqui, v. g. Galli nonnulli intulerint damnũ aliquod Anglis, vel Hispanis, & illi facta diligentia, non posint illud resarcire, quia nec Galli, nec illorũ Rex curare vult de damni reparatione; tunc Angli, vel Hispani authoritate sui Principis procurant damni reparationem accipiendo à personis, vel mercatoribus regni Galliæ eã quantitaté pecuniæ, aut merciũ, quæ ad restitutionem dãni fuerit necessaria, etiam si tales personæ, vel mercatores alioqui nullã culpã commiserint, & hoc appellatur represalia, seu impignoratio, quã quidé absolutè reprobare videtur Lorca disp. 52. numero decimo quinto, & decimo sexto, addés se mirari ab authoribus tanta securitate reputari licitam. Sed licét res scrupulosæ tractanda sit, & nõ facilé extendéda, quia periculũ est committendi iniustitiam, nihilominus, si cum debita cautela fiat, & quãdo aliter damnũ resarciri nõ potest, non est illicita, quia tota illa Respublica Gallorum censetur tunc iniuria affecisse Hispanos, aut Anglos nolens, nimiũ resarcire damnum illatum, ac proinde iustè compensatur iniuria, etiam accipiendo aliquid ab innocentibus, sicut in bello fieri posse diximus; atque ita sentiunt Caiet. in Summa verbo *Bellum*, Victoria in relectione de Iure belli, numero quadragesimo primo, & Molina disputatione 111. numero quinto appellans communem Doctorum. 73.
Lorca.

Lege etiã Sylvestrũ verb. *Represaliæ*, qui rectè eas definivit dicés: *Represaliæ, sunt potestas capiẽdi & detinendi aliena,* 74.

collata à Principe, vel civitate in recompensationẽ damni, vel iniuriarũ. Et deinde addit ad iustitiã earũ requiri primò authoritatẽ Principis; secũdo, causam iustã; tertiò intentionẽ rectã; quartò, quod compensatio nõ excedat quantitatẽ damni; quintò, quod personæ á quibus accipitur aliquid in compensationẽ, nõ sit personæ Ecclesiasticæ; sextò, quod damnũ nõ inferatur personis, sed bonis earũ; septimò, quod damnum, de cuius compensatione agitur, sit notabile.

SECTIO IX.

Vtrùm ea, quæ capiuntur in bello iusto sint postea restituenda, & quomodo?

75. Bona, sive mobilia, sive immobilia, quæ milites iustè bellando capiunt, regulariter loquendo, non sunt obnoxia restitutioni, si propria erant eorum, adversùs quos geritur bellum, quia ad ea capienda ius habent, imò & ad alia graviora, de quibus suprà dictum est. Et quidem res immobiles pertinent ad Principem, qui bellum indixit, ut cum cõmuni Doctorũ affirmat Valencia puncto tertio, assertione quarta, res verò mobiles, licét secundúm aliquos dividendę sint arbitrio Ducum exercitus inter milites, pro uniuscuiusque dignitate, iam feré usu receptum est, ut pertineant ad illos, qui eas capiunt, ut notat Valencia ante quartam assertionem. Et illud saltém certò asseri potest, servandas esse in hoc leges regni, ubi viguerint, & consuetudines legitimé receptas. Et quidem in Regno Castellę, ut constat ex titulo vigesimo sexto, Partita secunda, debetur Regi quinta pars prædæ, & ibidem notantur alia, quæ milites melius sciunt. *Valenc.*

76. Dixi *regulariter*, primò, quia bona Ecclesiastica non sunt capienda, & si capiantur, restitui debent, nisi fortè ipsi Ecclesiastici, aut Summus Pontifex illis cedant. Secundò, quia si contingerit capi plura bona, quàm quę necessaria erãt ad finem belli, & ad iustam vindictã de hostibus sumendam, restitui ea deberẽt suis dominis.

77. Superest verò gravis difficultas, an si hostes apud se retinerẽt aliqua bona, nõ propria, sed aliena, eo quod iniustè ea surripuissent, posset Dux, & reliqui milites qui adversùs illos gerunt iustũ bellũ, eos prædictis bonis spoliare, & tuta cõsciẽtia retinere, v.g. pugnat Hispania cũ Mauris, & in eorũ triremibus, aut urbibus reperit bona aliqua, quę Mauri ab Italis iniustè surripuerunt, quęritur, an Hispani milites ea possint accipere, & tutò retinere. Et quidẽ si solũ attenderetur ius naturale nõ dubiũ est, id fore illicitum, ut bené notavit Lorca disput. 54. num. 12. quia illa bona non sunt Maurorum, cum quibus iustum bellum gerunt Hispani, sed Italorum, adversùs quos supponitur non esse bellum iustum; non ergo habet Hispania ius ad ea bona retinẽda, sed tenetur Italis restituere, & idem de similibus dictum sit. *Lorca.*

78. Attento verò iure positivo, nõ est facilé difficultatem expedire, nam licèt secundùm ius commune civile res immobiles captæ in bello pertinerẽt ad antiquos, seu priores dominos, ut constat ex lege *Si captivus, §. Expulsis hostibus, ff. de Captivis*, res tamen mobiles pertinebant ad capientes, nec erat ulla obligatio eas restituendi prioribus dominis, ut patet ex lege *Si quid bello, ff. de Captivis, &c.* quàmvis verum sit, ab eodem iure excipi aliqua bona mobilia, quibus conferebatur privilegium postliminij, scilicét ius redeundi ad priorem statum, ac proinde ad primum dominũ, cuius erant. Vide legem secundam, *ff. de Captivis*, secundùm ius quoque nostri Regni Castellæ, si quid bello etiam iniusto captum sit ab hostibus nostris, acquirunt dominium illius, dummodo apud eos pernoctaverit, aut in die fuerit intrà muros alicuius arcis, ita ut pro ea nocte, aut die non possent illud recuperare illi, à quibus captum est. Quare si nos posteà in bello iusto illud à prædictis hostibus capiamus, non tenemur priori domino restituere: ita habetur in lege vigesima sexta, titulo vigesimo sexto, Partita secunda. Addit verò Molina in disput. centesima decima octava, colligi ex lege decima tertia, titulo 9. Partita quinta, hoc esse intelligendum, quando bellum terra peragitur; si verò geratur mari, non prius comparari dominium, quàm ad locũ tutũ perducta fuerit res in bello capta. Idem *Molina.*

notat

notat Gregorius Lopez in prædictam legem,& servandum est,nisi legitima consuetudo declaraverit, id non requiri ad comparandum dominium.

79. Et quidem quidquid sit de harum legum iustitia,illud verè dici potest, si legitima cõsuetudine præscriptũ sit,utquæ in bello iusto capiuntur ab hostibus, qui ea iniusté surripuerunt,non sint obnoxia restitutioni,sed maneant apud capientes, id posse in praxi tuta conscientia servari.
Lessius. Vt benè notavit Lessius libro secũdo de Iustitia,capite quinto,dubio quarto; Filiucius
Filiucius. verò tomo secundo,tractatu vigesimo nono capite nono,à numero centesimo decimo octavo affirmat esse cõsuetudiné usu receptam,ut eorum bonorũ, quæ in bello iusto capiuntur, acquiratur dominiũ, etiã si bona eiusmodi sint innocentũ.Idem tradit latè,& optimè Navar. lib.2.Consil.Cõs.3.tit.de Restit.spol.

80. Accuratiùs Molina numero duodecimo
Molina. rem tractans docet, Hispanos milites non teneri ad restituendum prædicta bona, quia consuetudo præscripta, & quæ veré apud illos viget,habet vim legis, & facit esse iustũ,quod in prædictis legibus nostri regni statutũ est : adhibet tamen duas limitationes in numero decimo tertio,prior est: si consuetudo esset restituendi prioribus dominis ea,quæ in Iure Civili suprà relato habẽt privilegiũ postliminis, eam consuetudiné servari debere. Posterior est id, quod de militibus Hispanis dictũ fuit, intelligendum esse, quando bona quæ hostes acceperãt pertinebãt ad alios Hispanos, ac proinde ad homines eiusdem regni : nam si pertinerent ad alios id liceret, nisi apud illos similis consuetudo vigeret Mihi tamẽ valdé probabile est, non esse necessariã istã limitationem : nam apud omnes vigere videtur ista consuetudo. Cum enim Hispani aliqua bona accipiunt à Mauris, nõ solent ea restituere, licét Mauri accepissent à Gallis vel Italis. Et similiter cum Itali aut Galli prædam capiunt vincendo Mauros,eam omnino retinent,sivè Mauri priùs surripuerint ab Hispanis, sivè ab alijs.

81. In fine sectionis petet aliquis,an liceat Christianis occulté accipere à Mauris bona, quæ ipsi ab alijs Christianis surri-
Sayrus. puerunt;rem tractat optimé Sayrus libro quinto Clavis regiæ, capite decimo quarto in fine, affirmans id licere,ad id. quę habere tacitã licentiã suorũ Principum, additque cum Salone,si infideles res á fidelibus iniusté ablatas, & in terras infideliũ delatas,publicè vendant,posse à quovis fideli eas emi, ut facta diligentia illis restituat vero domino; & si verus dominus nõ cõpareat,posse sibi iustè retinere; si veró cõpareat,debere verũ dominum dare prædicto emptori pretiũ quod ille persolvit,quia utiliter gessit negotiũ illi, quod si dare nolit, cogi posse à iudice ut det,vel cedat dominio, quod erga talem rem habebat.

Cũ Sayro ferè consentit Molina disp. 118. num 15. dicens licitũ esse prędictas 82. *Molina.*
res alienas emere ab infidelibus, quando verisimile esset eas nunquam deventuras in potestatẽ suorũ dominorũ, ut ordinariè eveniet: idemque arbitratur esse dicendum de nonnullis rebus ad divinum cultum spectãtibus, quas hæretici ad Catholicorum terras asportant, & vili pretio vendunt.

SECTIO X.

An liceat captis in bello iusto fugere, & an fugiendo libertatem consequantur?

Respõdeo breviter id esse licitum,ut 83.
sentiunt Bañez ad primũ argumen- *Bañez.*
tum,dubio penultimo, Valencia puncto *Valenc.*
3. in fine, Navarra lib.3.de Restitutione, *Navar.*
cap.1. parte 3. dub.4. constatque ex Iuri Civili paragrapho *Item ea quæ ex hostibus*, instit. de rerum divisione.Notatque bené Navarra libertatem consequi,cum primum ad aliud regnum, vel ad patriam perveniunt. Advertit etiã hanc fugã esse licitã,licét iã isti captivi venditi sint alijs dominis,quia semper cum hoc onere vẽduntur cum eo nimirum,quod ius gentiũ illis concessisse videtur,ut quando capiũtur in bello,liceat eis fugere, nisi forté se ipsos hoc iure privare voluerint voluntarié, & non coactè propter vitandam mortem.

SECTIO XI.

De alijs ad bellum iustum aggressivum pertinentibus.

84. TRia, vel quatuor addenda sunt ad complementum tractationis de bello aggresſivo; primum eſt, licitũ eſſe tradere militibus civitaté in prædam; ſive ut eã deprædentur, vulgo *ſaquearla*, niſi dãna inde proventura tanta ſint, ut præponderent. Probatur, quia in bello iuſto licitum eſt occidere etiam innocentes modo ſupra explicato, ergo interdum licebit etiã deprędari civitaté, quod minus malum eſt ex genere ſuo.

85. Secundum eſt, in ipſo belli cõflictu licitum eſſe interficere omnes è contrario pugnantes, etiam ſi ſint innocentes, ſi tamen iſtorum occiſio ad victoriam comparandã neceſſaria ſit. Poſt partam verò victoriã innocẽtes occidere nõ licet, bene tamẽ nocẽtes quotquot occidi neceſſe fuerit ad iuſtã vindictã, & ad obtinendum finem intentum in eo bello.

86. Tertiũ eſt, ſi inter hoſtes, & eos qui iuſtũ bellũ gerunt adversùs illos agatur de cõpoſitione, oportet ita rem tractari à Principe, ut quoad fieri poſsit, reſarciatur iniuria ab adverſarijs illata, & fiat debita compenſatio. Nam aliter committet Princeps iniuſtitiam, & tenebitur ad reſtitutionem damnorũ, quę inde provenerint ſubditis ſuis. Sed quoniã hoc pẽdet à multis circũſtantijs, quæ occurrere poſſunt, nihil hic in ſpeciali deffiniri poteſt. Sed cum caſus occurrerit, definiẽdus erit iuxta generales regulas, & principia materiæ de Iuſtitia & Charitate, vide Molinam diſput. 123. & alios.

87. Quartò, poſſet hoc loco diſputari de duello, quod eſt quoddam privatum bellum, ſed quoniam in alijs materijs locum habet hæc diſputatio, ad eas remitto lectorem. Videantur Molina tomo quarto de Iuſtitia, diſputatione decima ſeptima, & pręſertim Thomas Sanchez libro ſecundo Summæ cap. 39. & alij.

Molina.

SECTIO XII.

De bello defenſivo.

88. BEllum defenſivum appellatur illud, in quo quis ſe ipſum, aut ſua defẽdit ab aggreſſore; & quidem quando bellũ eſt iuſtum ex parte aggredientis, nec ex parte defendentis apparet ſufficiens iuſtitia, tenetur defendens ſe ſubijcere aggreſſori petendo, aut acceptando media pacis, quòd ſi ea reſpuat, in culpa eſt, & peccabit, ſi aggreſſorem ſuum interficiat, etiam ad tuendam propriam vitam, quia non habet ius ad id faciendum, ſed potiùs graviter peccat præbendo occaſioné aggreſſori, ut illum interficiat. Si verò bellum ſit iniuſtum ex parte aggredientis, poteſt, & debet defenſor reſiſtere, & ſi cum moderamine inculpatę tutelæ aggreſſoré occidat, liber erit ab omni culpa & pœna, de quo latè in materia de Homicidio, & de Cenſuris. Si denique bellũ ſit iuſtũ ex utraque parte, eo quod utraque putat ſe habere iuſtã cauſam pugnandi. Vtraq; poteſt licitè bellare, nõ ſolũ defẽdendo ſe, & ſua, ſed etiam aggrediẽdo, ac proinde illi applicari poſſunt, ea quæ de bello aggreſsivo hactenus dicta ſunt.

Quod ſi poſt finitũ bellũ, altera pars certò ſciret ſe non habuiſſe iuſtũ titulũ bellãdi, nõ teneretur alteri parti reſtituere, niſi ea bona quæ adhuc extarẽt, vel in quibus facta eſſet ditior. Sic enim in materia de Reſtitutione ſentiunt Doctores, cum quis bona fide alteri damnũ intulit, non teneri ad reſtituendũ, niſi quod adhuc perſtat, vel in quo factus eſt ditior. 89.

DISPVTATIO V.

De ſcandalo, quod opponitur beneficentiæ & correctioni fraternæ.

SECTIO I.

Explicatur quid, & quotuplex ſit ſcandalum.



SAnctus Hieronymus in caput decimum quintum Matthæi explicãs illa verba, *Scis, quia Phariſæi audito hoc verbo ſcãdalizati ſunt*, dixit, *ſcãdalũ propriè ſignificare idẽ, quod offendiculum, ruinam, vel inpactionẽ pedis*: vnde DD. ad ſpiritualia ſignificationẽ trãsferẽtes ſic definiũt ſcandalũ de quo in pręſenti diſputatur, *Scandalum eſt dictum, vel factũ minùs rectũ præbens* 1. *S. Hieron.*

occaſionem

occasionem ruinæ; quibus verbis excluduntur imprimis actus omnino interni, qui nullum externum imperant: illi enim non possunt esse scandalum, cum, quod alter non videt, non possit esse illi occasio ruinæ: debet ergo esse actus aliquo modò externus, seu alijs manifestus, & propterea de solis dictis & factis fit mentio in definitione. Deinde particula illa *minus rectum*, non denotat scandalum esse actum quidem bonum, minus tamē perfectum, quia, eo ipso, quod scandalum sit, absolutè malum est. Fortasse tamen apposita est definitioni, ut denotetur id, quod postea uberiùs declarabimus, ea, quę secundum se sunt bona, & solam mali speciem habent, imò & si non habeant, posse scandalū gignere, & inde malitiam haurire, quam alioqui nullam haberent. Deniq; particula *præbens occasionē ruinæ*, significat spirituale detrimentū culpę, quod nostro proximo provenit ex dicto, vel facto minùs recto. Et quoniam ipse proximus sua voluntate est absolutè causa eiusmodi detrimenti, ille, qui scandalum gignit solúm dicitur prębere occasionem potiùs, quam afferre causam lapsus.

2. Scandalum dividitur in primis in activum & passivum. Illud quidem est, quod hactenus definiuimus; passivum verò propriè est illemet actus malus, quem proximus facit ex occasione data, ab eo qui activum scandalū commisit. Verū tamen est, sæpè appellari scandalū passivū illud, quod pro sua malitia, aut fragilitate quis facit occasione sumpta, aut quæsita ab opere bono alterius, qui nullo modo ei prębuit occasionem ruinæ, ut postea videbimus. Rursus scandalū activū aliud est peculiare, & propriū vitium, quando nimirū quis suo dicto, vel facto intendit alterius ruinā; aliud vero generale, seu per accidens, quando nimirum id non intenditur, licèt præsciatur proventura proximi ruina; denique aliud scandalum est, quod oritur ex opere malo; aliud quod ex opere in se bono, sed habente speciem mali; aliud quod ex opere, seu dicto omnino bono, & nullum habente speciem mali: de quibus omnibus singillatim dicendum est.

SECTIO II.

De scandalo activo quo quis expressè, & directè intendit ruinam alterius.

Conveniunt Doctores hoc esse potissimum scandalum, & vitium peculiare, etiā si opus quod quis facit, foret alioqui bonū secundùm se: etenim contra charitatem est, velle directé malū spirituale proximi, malum, inquam, culpæ, quod nulla ratione cohonestari potest. 3.
Vnde S. Thomas quæstione quadragesima tertia, articulo tertio rectè docuit, hoc vitium opponi virtuti, cuius actus est fraterna correctio. Nam sicut hæc directè intendit removere à proximo malū culpæ, ita scandalū directé intendit inferre malum culpæ; nec obstat Christum Dominum Matthæi decimo octavo dixisse, *Necesse est ut veniant scādala*, quod verum esse non posset, si scandalum esset peccatum, cui essentialis est libertas opposita necessitati, non, inquā, obstat, quia necessitas ista solùm significat moralem quandam infallibilitatem supposita hominum fragilitate & varietate, & certitudinem infallibilem supposita providentia, & præscientia divina, quæ iudicavit expedire permittere scandala propter maiora bona, sicut & permittere peccata; alioqui verò ibidem Dominus perspicué testatur scandalum esse malū dicens: *Væ homini illi per quem scandalum venit*, & id ipsum perspicué docent Sancti Patres. (S. Thom.) (Matt. 18.)

Advertendum tamen est, sicut duplex est peccatum seu ruina. Vnum mortale seu grave, alterum veniale seu leve: ita duplex esse peccatum scandali, in eo qui directé intendit alterum ad peccatum inducere, unum quo inducit proximum ad peccandum læthaliter, alterum quo inducit ad peccandum venialiter, & quidē illud primum esse peccatum mortale indubitatum est, quia graviter lædit charitatem, qui grave malum inferre vult proximo rationabiliter invito. Qui autē proximum inducit ad peccatū mortale vult illi grave malùm, imò & omnium gravissimum & alioqui proximus est rationabiliter invitus, quippe qui iustissimè deside- 4.

rare potest, & debet servare legem divinam, ergo. Confirmatur, quia obiectum huius scandali est grave malum culpæ; ergo reddit graviter malum ipsum scandalum, patet consequentia, quia actus humani ab obiecto desumunt malitiam, & bonitatem.

5. Vasquez. Quando verò quis directé intendit ruinam levem alterius, seu illum inducere ad peccatũ veniale, Gabriel Vasquez 1. 2. tomo 1. disp. 102. cap. 7. numero vigesimo tertio valdè difficilè putat non esse peccatum mortale, probat, quia multò maius malum est quodcunque peccatum veniale, quàm quodvis malum temporale, etiam gravissimum; sed qui proximo suo vellet directé gravissimum malũ temporale, v.g. notabilem infamiam, aut ignominiosam mortem, peccaret læthaliter; ergò & ille, qui directé vellet proximo ruinam venialem.

6. S.Thom. Caietan. Palud. Valenc. Dicendum tamen est id per se loquẽdo tantùm esse peccatum veniale. Sic S. Thomas in hac quæst. 43. art. 4. Caietanus in Summa verbo *Scandalum*, Paludanus in 4. distinct. 38. quæst. 6. articulo 2. conclus. 3. Valencia quæst. 18. punct. 2. §. *Secũdò certum est*. Probatur, quia malitia actus humani desumitur ex obiecto; sed obiectum huius scandali, est solùm levis malitia; ergo & ipsum scandalum non habet nisi levem malitiam. Respondet Vazquez non solum desumi malitiã ex obiecto, sed etiam ex modo volendi, unde licet obiectum sit leviter malum, quòd tamen quis directé intendat illud nocumentum spirituale, est gravis inordinatio. Sic enim qui post receptum sacramentum pænitentię committeret leve mẽdacium, solum esset peccatum veniale; sed si illud committeret in contemptũ tanti beneficij recepti, peccaret mortaliter. Sed solutio planè refellitur: quia licèt modus volendi augere posit, & soleat malitiam, id tamen præcisé, quod est expressè, aut directé velle, non satis est ad ita augendam malitiam, ut ex veniali reddat mortalem, quia sola expressio nõ ita gravis inordinatio est; alioqui si quis expressè diceret se velle pati illud leve nocumentum spirituale, quod affert verbum otiosum, peccaret læthaliter, quod quidẽ durissimũ esset, ex quo desumitur efficax cõfirmatio, etenim, si quis expressé diceret se velle cõmittere aliquod peccatum veniale, non ideo peccaret mortaliter; ergo etiam si alter directè intendat illum inducere ad peccatum veniale, non illico peccabit læthaliter. Exemplũ verò, quod Vazquez protulit, non urget, nã qui cõmittit peccatũ veniale in contemptum sacramenti pænitentiæ quod recipit, contemnit rem magni momenti, ac proinde gravem iniuriam irrogat ipsi sacramento, & Christo Domino illius authori, quare habet pro obiecto notabilẽ malitiã, quã nõ habet ille, qui solũ venialiter peccat post susceptionẽ sacramenti: at verò qui vult alterum inducere ad peccatũ veniale, non habet pro obiecto notabilẽ malitiã, & sola expressio voluntatis aut intentionis non sufficit ad mortale.

Ad argumentũ partis contrariæ respõdeo, licèt veniale sit maius malũ, quàm omnia damna temporalia, nihilominus in suo genere detrimẽti, scilicet, spiritualis, est quidpiã leve, & illud velle, etiã directé, non est culpa gravis. Sic enim fama est maius bonum, quã divitię omnes, & nihilominus non peccaret læthaliter, qui proximum leviter infamaret, benè tamen, qui omnes divitias aut notabilem illarũ quantitatẽ surriperet. Adde, quòd si ratio illa efficax foret, probaret esse mortale, velle etiam indirectè culpã venialẽ propriã, quia velle indirectè mortẽ, potest etiã esse culpa mortalis; quod tamẽ absurdum esset. 7.

In fine sectionis adverto consultò, in assertione additam fuisse illã particulam *per se loquendo*, quia aliquando occurrere possent circũstantiæ, ob quas esset culpa mortalis inducere ad veniales, non solùm expressé & directè, sed etiam indirecté. Etenim si quis induceret multos religiosos ad aliquod genus venialis, quod valdè noceret communitati, & disciplinæ religiosæ, sinè dubio graviter peccaret, & idem in alijs circunstantijs censendum est, noteturque hæc doctrina pro dicendis in sequentibus. 8.

SECTIO III.

Quando, & quomodo sit malitia scandali in actionibus malis, quæ non fiunt intentione ruinæ proximi.

9. SAnctus Thomas in art.2,3. & 4.& il-
lius interpretes, Summistæ verbo
S.Thom. *Scandalum*: & reliqui Doctores conve-
niunt,cum quis cōmittit aliquod pecca-
tum externū coram alijs,quibus præbetur
occasio ruinæ,non solùm ibi esse malitiā
peccato illi intrinsecā ex proprio obie-
cto,& intrinseco fine; sed etiā aliā quasi
adiacentem,quæ consistit in hoc, quod
alijs præbetur occasio peccandi, etiam si
id non intendat,qui peccat.

Probatur primò authoritate Sacræ
10. Scripturæ & Patrum. Psalm. 49. *Sedens*
adversùs fratrem tuum loquebaris, & ad-
Psal. 49. *versùs filium matris tuæ ponebas scanda-*
lum: ubi repræhēditur ille,qui dùm pro-
ximo suo detrahit corā alijs,hoc ipso pec
cato scandalū est alijs, qui inde alliciētur
ad detrahendū. Vnde Sanctus Augusti-
S.August. nus enarratione in eū Psalmū: *Frater* (in
quit) *adversùs fratrem detrahit;est autem*
alius infirmùs,adversùs illum ponit scan-
dalum huic detrahendo. Etenim cum de-
trahitur bonis ab his, qui videntur alicu-
ius momenti esse & docti esse, in scandalū
cadunt infirmi,qui adhuc nesciunt indica-
re. Et venerabilis Beda, *Tu loquebaris in*
Beda. *detractione adversùs fratrem, id est, con-*
tra quemlibet spiritualem,& perfectiorē
virum,qui deberet esse frater tuus; & hoc
modo ponebas scandalum adversùs filium
matris tuæ,id est,minorem, & indigniorē,
qui nondum indiget solido cibo sed lacte.
Malach.2 Malachiæ etiā 2. Deus alloquens Sacer-
dotes,eos reprehendit dicens: *Vos reces-*
sistis de via,& scandalizastis plurimos in
Ribera. *lege*,quasi dicat (ut optimé noster Ribe-
ra) malo exemplo multis occasio ruinæ
fuistis; & sanctus Hieronymus in eū lo-
S.Hieron. cū. *Sacerdotes* (inquit) *infirmos faciunt*
multos; qui cum credentes in Christo fidei
robur acceperint, infirmari eos faciunt
negligentia conversationis suæ Et Sāctus
S.Gregor. Gregorius 1.p. Pastoralis c.2. *Cum pastor*
(ait) *per abrupta graditur, ad præcipi-*
tium grex sequitur. Hinc Dominus que-
Ezech.44 ritur Ezech. 44. *Facti sunt domui Israel*
in offendiculum iniquitatis. illi scilicet,
qui malū exemplū præbebant.

11. Secundò probatur ratione: quia unus-
quisque tenetur vitare malū proximi sui,
saltem quatenus sinè proprio detrimēto
potest; sed culpa est malum proximi; er-
go unusquisque tenetur illam vitare,qua
tenùs siné detrimento proprio potest; er-
go peccat,si opus malū faciat, non solùm
quia facit,sed quia faciendo est proximo
suo occasio culpæ,quā occasionē auferre
ipse posset, non solùm siné detrimento,
sed etiam cum magno emolumento pro-
prio:sic enim non solū proximus nō pec-
caret exemplo illius; sed etiam ille absti-
neret à peccato.

Atque ex hac ratione colligitur, quā- 12.
do,& quatenus sit malitia scādali in pec-
cato externo alicuius; si enim qui peccat,
sufficienter sciret,illos,coram quibus pec
cat,nullam inde accepturos peccandi oc-
casionem,non haberet in ratione scan-
dali ullam malitiam,ut rectè Azorius to- Azor.
mo 2 lib.12. cap.15.q.3. Valencia q.18. Valenc.
puncto secundo, §. *Quo pacto*, & Bañez Banez.
ad articulum 4. dub. ultimo notaverūt.
Etenim illud peccatū,nec expressa intē-
tione inducendi alios cōmittitur, ut sup-
ponimus,nec indirectè vult aliorū ruinā,
quam potiùs prævidet non futurā; ergo
nullo modo cedit in nocumentum alte-
rius,quod sanè ad rationē scandali requi-
rebatur: contra verò,si prudenter crede-
retur, aut dubitaretur peccatū illud ex-
ternū fore absolutè occasionem ruinæ al-
terius,meritò in genere scandali censere-
tur habere malitiā,gravē quidem, si fue-
rit occasio gravis ruinæ; levem autem, si
fuerit occasio ruinæ levis; quod intelli-
gendum est cū ea limitatione, de qua in
sectione præcedente dictū est. Cui modo
additur altera limitatio propria huius se-
ctionis,scilicet,aliquando accidere posse
eum,qui læthaliter peccat corā alijs, tam
exiguā ruinæ occasionē illis præbere, ut
propter materiæ parvitatē non censeatur
quidpiā grave in genere scandali; sed sit
solùm peccatum veniale; verbi gratia, si
quis detraheret notabiliter famæ proxi-
mi coram alijs, qui etiam si illius exēplo
non inducerentur,eodem ferè modo de-
traherent,& paululùm solùm ab illo de-
tractore incitantur,non haberet, ut opi-
nor,illa detractio gravem malitiam in ge
nere scandali; quia sicut quando nullo
modo meum peccatum creditur fore al-
teri occasionem ruinæ, nullum omnino
scandalum est. Ita quando erit exigua
occasio,eo, quòd eodem ferè modo me
non peccante peccaret,exigua ac proin-
de venialis tantùm malitia intra genus

scandali

scandali reperitur.

13. Disputari verò solet à Theologis, utrùm scandali malitia, de qua in hac sectione locuti sumus, constituat speciale aliquod peccatum, quod proinde speciali alicui virtuti contrarietur. Partem negantem sequuntur S. Thomas hic art. 4. ubi Caietanus, & Bañez, Covarrubias in regula Peccatum, parte prima, numero. quarto. Salmeron tomo quarto parte 3. tractatu 8. Vazquez 1.2.tom.1. dist 102 cap. 4. afferens Durandum & Angelum. Partem verò affirmantem docent Adrianus quęstione quarta de Confessione, §. *Venio nunc ad investigandum de circunstantijs*. Sylvester verbo *Scandalum*, quæstione secunda. Navarrus in Summa, cap. 6. num. 19. Valencia quæstione 18. puncto secundo.

S. Thom. Caietan. Bañez. Covar. Salmer. Vasquez. Adrian. Sylvest. Navar. Valenc.

14. Ego quidem existimo inter duas sententias vix posse esse dissensum, nisi verborum, quarè explicando veritatem ipsam, possunt non difficilè conciliari: in primis enim certum est, in quolibet peccato, quod creditur alteri futura occasio ruinæ, non solùm reperiri malitiā illam, quam alioqui haberet, si committeretur occultè; sed etiam aliam, quæ iuxta dicta potest, & solet esse mortalis; ac proinde necessariò declaranda in confessione, ut benè Azorius tomo secundo, libro 12. cap. 16. quęst. 2. verbi gratia, cùm homicidiū quis perpetrat coram alijs, quibus præbet occasionē simile quid postea perpetrandi. nō solùm est malitia homicidij qualis foret, si absque ullo teste occideret; sed aliqua alia, quę non potest dici propriè pertinere ad homicidiū; alioqui esset contra iustitiam, quod nemo dicit; est ergo contra charitatem proximo debitā, quatenus tenetur unusquisque procurare bonū spirituale proximi, & avertere ab illo malū, nisi sit aliquid, quod obstet. Et quoniam ad charitatem spectant plures virtutes, quarum una est beneficentia, qua volumus bonū proximo, & correctio fraterna, qua volumus avertere ab illo malum spirituale culpæ, & consequenter pænę illi debitæ, malitia, quam habét homicidium, & alia peccata quando patrantur coram alijs, quibus præbetur occasio ruinæ, est opposita virtuti beneficentiæ & correctionis fraternę; eo enim ipso, quod quis peccat quādo scit, culpam suā fore alijs occasionem ruinæ, vult indirectè ruinā proximorū, ac proinde malū culpæ & pęnæ illorū, quod est contra beneficentiā, quæ vult proximis bonū, & contra correctionē, quę vult avertere ab illis malum culpæ.

Azor.

15. Vbi obiter advertēdum est, sicut correctio fraterna cōplectitur varios actus, qui saltem moraliter sunt specie distincti pro diversitate specifica malitiæ peccatorum, quæ vult à proximis avertere: ita hoc scādalum indirectum habere diversas specie malitias, prout sunt specie diversa peccata, ad quæ patranda præbetur occasio: sic enim qui homicidiū coram alijs perpetrat, habet malitiam provenientem ex occasione, quam præbet occidendi, & qui falsò iurat coram alijs, præbet occasionē iurandi falsò: quæ est alia malitia specie distincta, & ideo in confessionibus declaranda est natura peccati, quo præbuimus scandalū proximis; quia aliter non declarabuntur malitiæ quoad speciem diversę, seu circunstantiæ mutātes speciem, quæ sinè dubio declarandæ sunt, ut constat ex Tridentino sess. 14. & certa Theologorum doctrina.

16. Deinde etiam certum est huius scandali malitiam hactenus explicatam esse, veluti accidentariam actui peccati, quod coram alijs facimus: quia qui peccat, nō intendit illam, sed suæ voluntatis satisfacere, ut inquit S. Thomas: quaré, quod tunc specificat illum actum, est malitia directè volita, v.g. homicidij, perjurij; superstitionis, &c. & illa est, quæ absolutè tunc appellatur malitia peculiaris, & peculiariter opposita virtuti, contra quā committitur: malitia verò scandali est indirectè volita, minorque proinde illius ratio tunc habetur, & non tam appellatur speciale vitium, quám quippiam adiacens malitiæ per se intentæ in illo actu; & propterea nullus habitus peculiaris illi respondet. Et hoc tantùm contenderunt, qui priorem opinionem secuti sunt; nec illis contradicunt authores posteriores, quippe qui solùm contendunt, quod in paragrapho præcedente à nobis dictum est, sed de his, & similibus in materia de Peccatis.

SECTIO

SECTIO IIII.

De scandalo, quod provenit ex actionibus, in se quidem bonis; sed habentibus speciem mali, quàmvis directè non intendatur ruina proximi.

17. Certum est, esse aliquas actiones, in se quidem bonas; sed habentes aliquam speciem mali, unde possint alij accipere occasionem peccandi; licèt id non intendat, qui eas exercet: v.g. debēt subditi aliquem censum, seu tributum Regi, de cuius iustitia non dubitetur; est tamē unus, vel alter excusatus ab eo tributo persolvendo ob aliquas rationes alijs ignotas; iste quidem, si nō persolvat, actionem exercet bonam; sed quæ ignorantibus videri possit mala: similiter celebrat aliquis Sacrum, & in offertorio recordatur se non esse ieiunum, tunc sanè, si celebrare desinat, opus bonum facit; sed tamen nō siné specie mali; putabūt enim ignorantes aliqui, causam esse, quòd in sacrificio ipso culpam aliquam gravem commiserit, ob quam desistere compellatur. Quæritur ergo an sit malitia scandali similis illi, quæ in prçcedente sectione declarata est, si quis eiusmodi opera faciat, quando credit inde alios sumpturos occasionem peccandi; nam si credat non sumpturos, nullum scandalum erit, ut constat ex doctrina sectionis præcedentis.

18. Et quidem, si ille, qui prædictā actionē secundum se bonam, sed habentem speciem mali, facturus est, reddat circunstātibus sufficientem rationem, qua veritatem cognoscant, eo ipso amittere videtur actus speciem mali; possunt enim, & debent credere circunstantes illam esse bonam; ac proinde si nihilominùs scandalizētur, perinde erit, ac si de bono omnino opere scandalum accipiant; de quo dicemus sectione sequenti. Solùm ergo difficultas est quando pro temporis, & aliarum circunstantiarum opportunitate, non redditur sufficiens ratio, qua veritas detegatur, an tunc peccat contra charitatem, qui dicit, aut facit aliquid habens speciem mali, etiam si directè non intendat aliorum ruinam, sitque proinde peccatum leve, aut grave, prout malum cuius faciendi occasionem præbet, fuerit leve vel grave.

Sanctus Thomas in art. 2. & Doctores omnes constanter affirmant, prædictum scandali genus esse malum, seu peccatū, ac proinde contra charitatem agere eos, qui non abstinent ab operibus habentibus speciem mali; quando inde alij accipiunt occasionem ruinæ. Probatur primò, ex facto Christi Domini, quod narrat solus Matthæus cap. 17. & dignum erat, quod ex professo hic expenderetur, si per tempus liceret. Legendi tamen sunt S. Ambrosius lib. 4. in Lucā, S. Thomas in cap. 17. Matthæi, Maldonatus ibi, & Abulensis à quæst. 181. ad 200. nos brevissimè, quod ad rem nostram. Imposuerat Augustus Cæsar, á tempore nativitatis Christi Domini tributum, quod singulis annis persolvebant illi, qui familiā habebant, seu capita domorum erant; & hoc appellabatur didragma, valēs nimirum duo regalia argentea nostrę Hispaniæ. Exactores ergo huius tributi, cum viderent Christum Dominum iam habētem familiam Discipulorum, nec eius divinitatem agnoscerent, putaverunt ipsum etiam esse obligatum ad persolvendum didragma, unde cūm Capharnaum pervenisset, quæ erat metropolis Nazareth, quæ putabatur civitas Salvatoris, accesserunt exactores ad Petrum, quem fortè noverant; non enim, præ reverentia ad Christum Dominum accedere ausi sunt, & interrogaverunt, *Magister vester non solvit didragma?* quod cum rectè Christus Dominus audisset, & postea Petro ostendisset argumēto manifesto, se cum sua familia eo, quod nō solùm Regis terreni, sed ipsius Dei Filius naturalis ac proprius esset, liberum omnino esse à tributis, subdidit, *Vt autē non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eū piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, invenies staterem* (qui, scilicet pendebat duo didragmata, seu quatuor regalia argentea) *illum sumens, da eis pro me, & te.* Tu enim etiam caput es familię, quam habes in metropoli Capharnaum, & eris caput Ecclesiæ meæ. Itaque consideravit Assertor noster, non solvere didragma, esse quidem bonum; sed tamen habere speciem mali comparatione exactorum, qui nesciebant ratio-

19. S. Thom. Matt. 17. S. Ambr. S. Thom. Maldon. Abulens.

nem, ob quam Christus Dominus non obligabatur,& tanta cura eiusmodi scandalum vitare voluit,quippe quod malum erat,ut ideò insigne miraculum patraverit divinitùs in ore cuiusdã piscis formãdo staterem,quem persolveret. Iam verò quid mysterij in ea re eluceat, prætereo vel invitus. Legantur citati.

20. Rom. 14. Secundó,probatur authoritate Apostoli ad Romanos 14. *Omnia* (inquit) *munda sunt;sed malum est homini,qui per offendiculum manducat*: scribebat Apostolus ad Romanos Iudęos eo tempore, quo nondum exploratum omnibus erat, num ij, qui convertebantur ex Iudaismo ad fidem Christi Domini;tenerentur servare cerimonias legis Mosaicę,necne. Vnde quidam illorũ rectè existimabant obligationem cessasse; alij verò putabant cõtrarium,ducti invincibili ignorantia, & propterea sentiebant non licere Iudęis ad fidem conversis manducare cibos lege prohibitos,; docet ergo Apostolus malũ tunc fuisse manducare eiusmodi cibos coram illis, qui illicitum esse putabant; quia comparatione illorum ea manducatio habebat speciem mali, & propterea scandalum gignebat, quod vitare tenebantur illi, qui verè sentiebant licitum esse manducare.

21. Reddit autem Paulus ibidẽ rationes, ob quas id erat illicitum propter scandalum, & eisdem nostra conclusio probari potest. Prima ratio est: *Si propter cibum frater tuus contristatur,iam nõ secundùm charitatem ambulas*, quasi dicat, contra charitatem agit,qui cũ facilé vitare possit tristitiam,& magnam molestiã, quam frater eius concipit videns eum manducare,quod putat manducari finé peccato non posse, nihilominùs non vitat; sed à cibo non vult abstinere. Secunda ratio, *Noli cibo tuo illum perdere,pro quo Christus mortuus est*,quasi dicat,malè omnino facis comedendo prędictum cibum,cum inde sumat occasionem frater tuus,id ipsum faciendi,ac proinde peccandi, cum ipse putet id esse peccatũ: sic enim quantum in te est perdis, seu spiritualiter interficis eum,pro cuius vita Christus mortuus est; quod cedit in quendam veluti contemptum mortis Christi Domini. Tertia ratio est, *Non ergo blasphemetur bonum nostrum*, quasi dicat, malé facis comedendo cibos lege prohibitos; quia qui putant non licere; habebũt occasionem iactandi blasphemiam in legẽ Christi Domini;quasi ea suadeat nimietatem, & voracitatem ciborum.

Tertiò denique probatur authoritate eiusdem Apostoli 1. ad Corinth. 18. ubi cum dixisset non esse illicitum secundũ 22. 1. Cor. 8
se manducare cibos idolis immolatos;sed tamen nonnullis posse scandalum gignere,quippe qui crederent ideo manducari,quia idolum in veneratione erat; ait in eo casu non esse manducandos. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnẽ in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Doctrina hactenus stabilita sinè dubio vera est per se loquendo, & in generali; occurrere tamẽ potest casus, in quo 23.
eiusmodi scandalum non imputetur culpæ; si enim quis efficeret actionem, in se bonam quidem, sed habentem speciem mali; quia si nõ faciat proveniet illi magnum detrimentum; aliunde verò vel non potest reddere rationem videntibus illã, vel si reddat, erit ei valde nocivum, non peccabit eam actionem efficiendo,etiam si credat inde alios sumpturos occasionẽ ruinæ probatur: quia lex charitatis non obligat me ad vitandum peccatum proximi mei cum notabili detrimento proprio; quod quidem arbitrio prudentis præponderet,ut interdum præponderare solet; ergo quando omissio actionis habentis speciem mali,licét revera bona sit, foret mihi maximo detrimento, non teneor ab actione cessare, ut devitem peccatum proximi mei; sed nulla alia ratio est, ob quam ego tenear ab illa cessare, nisi damnum proximi; ipsa namque in se bona est; ergo non teneor ab illa cessare. Confirmatur:quia cum detrimento proprio,quod arbitrio prudentis preponderat,non tenetur quis corrigere proximũ, etiamsi correctio esset profutura; ergo cúm detrimento proprio, quod arbitrio prudentis præponderet, non tenetur quis abstinere ab actione bona habente tamen speciem mali, etiam si credat inde alios sumpturos occasionẽ peccandi. Probatur consequentia: quia non minùs nocet omissio correctionis in prædicto casu,quàm effectio actionis malæ solũ quoad apparẽtiam; correctio enim

fortasse auferret culpã iam commissam, & saltem præservaret á committend s; cessare verò ab illa actione habente speciem mali, solùm auferret occasionem novi peccati: quantum verò futurum sit, hoc detrimentũ, ratione cuius illud scandalum non imputetur, arbitrio prudentis expendendum est.

24. Denique idem confirmat factum S. Ambrosij, cum impudicas fœminas domum adduxit eo animo, ut Mediolanenses eam externam actionem malam secũdum speciem intuerentur, & ita eum in Episcopum non eligerent; existimavit nimirum sapientissimus, & humillimus Ecclesiæ Doctor, tantum sibi detrimentum proventurum ex eo, quòd onus humeris suis, ut putabat, omnino impar imponeretur, ut propter illud vitandum, liceret permittere scandalum, quod in mentibus aliorum ex illarum muliercularum adductione gigneretur.

SECTIO V.

An, & quando in actione omnino bona, & nullam mali speciem habente possit esse malitia scandali, si proximus inde sumat occasionem ruinæ?

25. S.Thom. Sanctus Thomas in art. 7. & 8. varias regulas exhibet, quibus proposita difficultas expediri potest. Prima est, quando opus ita est bonum, ut sit de necessitate salutis, nunquam habet malitiã scandali, sed potiùs nunquam prætermitti debet, quantumcumque alij inde sumant occasionem ruinæ. Probatur manifesta ratione: quia illud appellatur necessarium necessitate salutis, quod sinè peccato prætermitti non potest; sed nũquam licet committere peccatum, etiamsi propterea certò scirentur alij non peccaturi, imò æternam salutem consecuturi; ergo ad vitandum scandalum passivum alienum, nemo tenetur abstinere ab eo, quod est necessarium necessitate salutis, quantumvis inde alij sumpturi sint occasionem ruinæ.

26. Ex quo planè infertur nunquam licere committere peccatum, etiam veniale, quantùmvis sciatur proximum peccaturum gravissimè, si ego ab illo peccato abstineam; & sapienter S. Thomam dixisse in art. 7. ad 5. *involvi contradictionem ab ijs, qui oppositum sentiunt;* nam si liceret illud committere, eo ipso nõ foret peccatum, quia peccatum nunquam est eligendum.

27. Dubitari verò meritò potest, an licitũ sit implere præceptum affirmativũ quoties occurrit occasio illud implendi, etiã si propterea accipiant alij occasionem ruinæ. Ratio dubitandi desumitur ex eo, quòd præcepta affirmativa non obligant pro quacunque circumstantia; ergo, accedente scandalo passivo proximi, seu occasione ruendi, quam inde accipiet, non obligabit præceptum; sed differri poterit eius executio ad tempus, in quo nullꝰ scãdalizetur. Respõdetur imprimis: si eiusmodi scandalũ oriatur ex malitia, ita ut quis videns alterum implere suum præceptum, pro mera libidine, ut ita loquar, velit insumere occasionẽ ruinę, nõ esse omittendam, vel differendam executionem præcepti; sed implendum in eo met tempore, in quo revera obligaret, si illud scandalum non esset. Sic S. Thom. in art. 7. colligitur plané ex Caietano, & Bañez ibidem, idemqué expressiùs a firmat Valencia quæstione decima octava, puncto ultimo in quarta regula, §. *Ex hoc autem*, Sylvester verbo *Scandalum*, quæst. 3. & probatur primò exemplo Christi Domini Matthæi decimo quinto, cum enim dixisset, *Id, quod in os intrat, non coinquinare hominem*, accedentes Discipuli dixerunt ei, *Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt:* respondit veró Dominus, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Quibus verbis planè demonstravit illud, & similia scandala esse contemnenda, ut optimè Sanctus Chrysostomus homilia 52. nec propterea omittendum id, quod alioqui bonum erat, & sanctissima doctrina. *Contẽpsit verò eiusmodi scandalum* (inquit S. Thomas in eum locum) *quia ex malitia oriebatur.* Secundò probatur, quia qui ex malitia mera scandalizatur, sola sua volũtate sibi quærit occasionem peccandi, seu potiùs sinè ulla occasionę peccat; non ergo æquum est omitti opus à Deo præceptum, quod potiùs illũ deberet à peccato retrahere, & alioqui incommoda magna provenirent ex eo, quòd differretur executio præceptorum, eo solũ, quod

S.Thom. Caietan. Bañez. Valenc. Sylvest. S.Chrysost. S.Thom.

alter pro sola sua libidine scãdalizari velit.

28. Secundò: si eiusmodi scandalum sit ex infirmitate; quia nimirùm videns ab aliqua persona impleri aliquod præceptum, adeò imbecillis est, ut accipiat occasionem ruinæ. Valencia suprà in tertia regula, §. *Secũdò sequitur*, ait esse obligationem omittendi, saltèm, per aliquod tempus, executionem præcepti humani, vel Ecclesiastici: v.g. teneri fœminã non adire sacrum diebus festis, si quis eam videns acciperet occasionem desiderandi aliquam gravem impudicitiam; quia maior obligatio est vitandi scandali, quã audiendi sacri; cum illa sit naturalis, & divina, hęc non, nisi Ecclesiastica. Addit tamen non esse fœminam ad id obligandam per multum temporis, v. g. per unũ annum. Hoc tamen mihi non probatur, sicut neque nostro Azorio tomo secundo, libro 12. capite 18. quęst. 12. cum Caietano, Navarro, & Maiori; quia unusquisque habet ius ad faciendum. quæ nõ solùm sunt bona, sed etiam obligatoria, presertim sub gravi pręcepto; ergo non tenetur ab illis abstinere, ut evitet culpã alterius. Confirmatur: quia non magis tenetur quis, ad vitandum hoc scandalũ, quàm ad impẽdendum beneficium correctionis fraternæ; sed nemo tenetur nõ implere præceptum iuris, etiam humani, ut corrigat; imò alia minoris momenti deobligant ab eiusmodi correctione; ergo neque ut evitet scandalum: re enim vera, quando hæc sumitur ex meo opere bono, & præcepto, nulla est obligatio illud vitandi: de quo plura infra.

29. Secunda regula S.Thomę, ad vitandũ scandalum, quod oritur ex pura malitia, nemo tenetur abstinere ab actione spirituali, vel temporali bona, etiam non præcepta. Probatur argumentis eisdem, quibus probavimus suprà, impletionem præcepti non esse omittendam, vel differẽdam propter scandalum, quod oritur ex pura malitia, & appellari solet Pharisaicum: placet tamen, quod Gregorius de Valẽcia addidit in explicatione suę quartæ regulæ, §. *Existimo etiam*, scilicèt quã do finè ullo, aut penè nullo detrimento proprio posset quis eiusmodi scandalum vitare, teneri abstinere ab illo opere bono; quia charitas obligat ad prospiciendum bono spirituali proximi, quando sinè detrimento proprio possumus; ergo, qui sinè detrimento proprio potest vitare scandalum, etiam ex malitia ortum, eo solùm, quod omittat aliquam actionem, tenebitur omittere.

Tertia regula: si ex actione aliqua bona non præcepta oriatur scandalũ ob infirmitatem, seu fragilitatem eius, qui scandalizatur, quòd quidẽ appellatur scãdalum pusillorũ, tenetur quis ab ea actione cessare, dummodó detrimentum non sit tale, quod arbitrio prudentis præponderet. Et quidem Sanctus Thomas non exhibet adeò expresè regulam illam sic explicatam; sed ex ijs, quę interpretes eius docent in art. 7. & 8. colligitur, hàc esse mentem illius. Et probatur: quia lege charitatis tenetur unusquisque vitare culpam præsertim gravem, proximi sui, quam diu nihil est, quod præponderet; ergo si cessare ab opere bono non cedat in detrimentum tanti momenti, quod arbitrio prudentis prę ponderet, tenetur ab illo cessare, quando sic vitabitur culpa proximi, præsertim gravis, id quod multò strictiùs obligat; quando culpa proximi non est ex malitia; sed ex infirmitate, aut imbecillitate. 30.

Operæ pretium autem erit subdere unum, vel alterum exemplum, ut inde de cæteris ferri possit iudicium. Dubitant Doctores, utrùm peccet fœmina, quæ se ornat, si noverit inde alios sumpturos pro sua fragilitate occasionem concupiscendi illam. Nonnulli, quos tacito nomine refert Emanuel Sà verbo *Ornatus*, numero primo, affirmarunt esse mortale. Navarrus verò in Summa cap. 14. num. 37. distinguere videtur, si enim nesciat, vel non advertat mulier se ab aliquo determinato concupiscendam, ait non peccare lethaliter, licèt indeterminatè & vagé noverit aliquem futurum, qui occasione sui aspectus peccet. Secùs verò, si in particulari personam cognosceret: & quidẽ, si ornatus esset valde nimiùs, & præter patrię consuetudinem, non foret excusanda fœmina à mortali, si crederet se fore alicui occasionem lapsus, nec in hac parte quidquam refert, quòd in particulari cognoscatur, vel ignoretur, quæ persona sit inde sumptura occasionem peccandi: ratio enim utrobique eadem est, quia nimirùm ornatus ille illicitus est, & ad quẽ 31.

fęmina

fæmina non habet ius; aliunde verò est gravis culpæ occasio; graviter ergo lædit charitatem sic se ornando.

32. Si verò ornatus esset honestus, ille nimirùm, qui in patria, vel regione consuetus est, non peccat fæmina illũ gestãdando, licèt sciat, futurum alicui determinatæ, vel vagę personæ occasionem ruinæ, dummodo ruinam ipsius non intendat. Sic sentiunt Caietanus 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 5. dubium, Sà ubi suprà, Azorius tomo secundo lib. 12. cap. 18. q. 11. & Navarrus in Summa cap. 23. num. 18. *Nemo (inquit) peccat ornando se, etiã splendidè pro sui status decentia, & more regionis modò id bono fine faciat; imò meretur, licèt alius, vel alia ad eius concupiscentiam per accidens alliciatur.* Probatur: quia fęmina habet ius ad indumenta illa, quæ sunt iuxtà consuetudinẽ patriæ, & oppositum foret illi valde grave; ergo suavis lex charitatis non obligat illam, ut cum tanto detrimento evitet peccatum illicitæ concupiscentię alterius. Et sanè, si oppositum esset verũ, damnandus absoluté foret fęminarum ornatus, & frequentes illarum ingressus in templa, & alia honesta loca, cum valde verisimile sit, in tanta fragilium hominum multitudine esse aliquos, qui inde sumunt occasionẽ peccandi, quippe quibus multò minores occasiones sufficere possunt, & solent. Addit pretereà Caietanus (& meritò quidem) licet fęmina in prædicto ornatu aliquando peccet propter iactantiã, aut alium eiusmodi finem, non propterea peccare peccato scandali, dummodò non intẽdat (ut supponimus) ruinam aliorum: quia prædictus iactantiæ finis non reddit ornatum magis scandalosum.

Caietan. Sà. Azor. Navar.

33. Ex dictis obiter infertur id, quod rectè animadvertit noster Serarius q. 2. in cap. 13. Iudith, nimirùm nõ peccasse sanctissimã illã fæminã, dum pretiosis vestibus ornatam se exhibuit conspectui Holophernis, quippe id decenter præstare potuit, post tot annos à morte viri sui Manasse, & finis non fuit alliciendi Holophernem ad illicitũ; sed ad honestum amorẽ. Adde quòd licèt ornatus ille fuisset alioqui superfluus; in hoc tamen casu debuit honestissimus censeri: tũ quia divino instinctu credendũ est factũ quidquid in hoc negotio Iudith fecit; tũ etiã, quia pro libertate patriæ licitũ ei erat aliquid insuetũ; sed tamen non secundũ se malũ, præstare, quo gratior appareret cõspectui illius ducis, licèt sciret futurũ, ut inordinatè eam concupisceret; poterant enim hoc, & similia mala permitti pro defensione patrię, & liberando Populo Dei à ditione Regis infidelis.

Serarius.

Alius casus posset hoc loco tractari, an, scilicet, & quãdo liceat alicui petere sacramẽta à ministro, qui malè administraturus est, sive quia est in statu peccati mortalis, sive quia est excommunicatus; sed de hoc laté dicetur in materia de Sacramentis in genere, tract. 5. disp. 6. Tertius casus, an liceat ab usurario petere mutuũ, si sciatur, non daturũ, nisi sub usuris; sed de hoc in materia de Usuris. Vide Azoriũ supra quæst. 1. cũ alijs asserentẽ, licere, quando adest iusta necessitas pecuniæ ad honorẽ, vel sustentationẽ familię, vel ad solvendũ debitũ, quod urget, vel ad subsidiũ amici, vel propinqui indigentis, idq; esse cõmunẽ sententiã. Quartus, an, & quãdo differendus sit ingressus in religionẽ, propter scandalũ. Vide Valenciam p. 4. reg. 3. §. *Tertiò sequitur*, & Sayrũ in Clavi Regia, lib. 7. c. 6. à nu. 8. Quintus, an exigere tributa à sæcularibus liceat Ecclesiæ, quando id cederet in magnũ scandalũ. Vide Caietanũ ad arg. 8. & alios non enim vacat multo expendere hoc, & alia. 34.

Azor. Valenc. Sayrus.

SECTIO ULTIMA.

De escandalo merè passivo.

Hoc scandalũ nihil aliud est, quàm illud peccatũ, quod quis facit occasione data, vel accepta ex alteri' actione; unde nec cõstituit speciale vitiũ, nec addit novã circunstantiã explicandam in confessione. Solũm nota, interdũ appellari scandalũ id, quod Hispané dicimus, *desedificarse, o espantarse*, quòd alij tale, vel tale opus faciant, & quando id procederet ex ignorantia, facilé remedium adhibetur, ostẽdẽdo, illud non esse malum, sed bonum; secus veró scandalũ erit ortum ex actione prava alterius, quę quãdo, & quatenus tunc sit omittenda, iam explicatum est. 35.

COMMENTARIVS in quæst. 44.

IN hac quæstione differit S. Thomas de præceptis charitatis; sed quoniam ea maiori ex parte explicuimus in varijs tractatibus huius materię, his solùm brevissimé addenda erunt, quæ supersunt.

TRACTATVS XIIII.

De præceptis ad charitatē pertinentibus, quæ hactenus explicata non sunt.

1. LLVD imprimis omnino certum est, extare scilicet divinum, & naturale præceptum diligendi Deū, in cuius rei comprobationem satis, superque sunt: unum ab authoritate, alterum à ratione petitum: authoritas ipsius Christi Domini Matthæi 22. qui interroganti Doctori, *quodnam esset mandatum magnum in lege*, respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. hoc est maximum & primum mandatum*. Primum, inquam, non quia in Decalago cōtineatur primo loco; primum enim Decalogi aliquid aliud significat, id est, cultum exhibendum Deo; sed quia omnium potissimum, & cæterorum principium, ac finis est: rationeque breviter probatur, quam latè prosequitur S. Thomas in articulo primo: quia nimirùm nihil est magis obligatorium, quàm quod per se requiritur ad ultimum finē; cum ergo de actibus aliarum virtutum lata sint præcepta; quia nos ducunt ad ultimum finem, potiori iure latum est de actu charitatis, qui immediatè, & proximé nos ducit ad nostrum ultimum finē, scilicet, Deum, & propter quem obligamur ad actus aliarum virtutum.

Matth. 22

S. Thom.

2. Deinde difficultas est, quonam tempore obliget hoc præceptum. Legendi sūt Sotus libro primo, de Natura & Gratia cap. 22. Navarrus in Summa cap. 11. num. 7. Valencia hic q. 19. punct. 1. & Azorius tomo primo, lib. 9. c. 4. q. 1. & quidem res est occulta, & in qua vix aliquid certi statui potest, quod deserviet, ut facilé admittamus invincibilem ignorantiam, quæ excuset à culpa plures, qui hoc præceptum fortasse non adimplerūt. Azorius tunc obligare putat hoc pręceptum, quando quis tenetur iustificare se extrà sacramentum, seu, quod idem est, per contritionem: v. g. cum esset fidelis in peccato lęthali, & recepturus aliquod sacramentum, non prævia confessione, aut in articulo mortis, in quo etiam, si quis confiteatur, tenetur, si sit conscius culpæ mortalis, elicere actum contritionis, ut probabitur in materia de Pænitentia, Deo iuvante. Etenim cum contritio includat essentialiter actum amoris Dei, quoties obligamur ad contritionem, seu iustificationem extra sacramentum, tenemur elicere actum amoris Dei. Siné hoc enim nemo extrà sacramenta consequitur gratiam iustificationis: præter hoc tempus cum quis pervenit ad annos discretionis, seu ad usum rationis, & advertit obligationem creaturæ ad creatorem, videtur teneri ad eius amorem, ut bene Valencia & Navarrus. An autem, & quatenus teneatur quis, tunc se convertere ad Deum, explicui in 1. 2. controversia 6. tract. 4. Denique aliquoties in vita credendum est, obligari nos ad hunc amorem, sed definire tempus magis in particulari vix possum; nam nec singulis diebus festis, ut quidam voluerunt, nec cum quis recepit à Deo singulare aliquod beneficium, nec cum adultus suscepit baptismum, videtur imponēda gravis obligatio diligendi Deum, cum nec sufficiens ratio, nec authoritas id cōvincat, ut Navarrus, & Azorius contra Sotum, & alios notaverunt.

Sotus. Navar. *Valent. Azor.*

Tertiò, certum est, latum fuisse à Deo, & natura ipsa præceptum diligendi proximum Matthæi 22. *Secundum autem mandatum simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. 1. Ioannis 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*: ratio est manifesta, etiam quia mutuus cōvictus, & similitudo in natura, atque cōmunicatio in fine, & medijs ad illū consequendum, obligant ad impendendum 3.

Matt. 22 *1. Ioan.*

mutuum

mutuum amorem: sine hoc enim consistere rectè non possent, nec effici rationalis societas: tempus verò, quo obligat hoc præceptum est quãdo tenemur proximo bene facere, aut quando eiusmodi amor esset necessarius ad complendum aliquod aliud præceptum, vel ad deponendum odium.

4. Quartò, cum obligat præceptum diligendi Dei, & proximi non impletur actu naturali, quia Deus eo ipso, quòd homines evexerit ad finem supernaturalem, & per media supernaturalia, consequenter quasi evexit obligationem, quę alioqui continebatur naturæ limitibus, ut foret supernaturalis: excusari tamen poterit, quis ob invincibilem ignorantiam. Porro præceptum diligendi proximi nõ obligat, ut opinor, ad actum charitatis Theologicæ; sed ad amorem supernaturalem, etiam si sit propter motivum creatum honestum, nec aliud ex Sacra Scriptura, aut ratione colligi potest.

COMMENTARIVS in q. 45. & 46.

Et Tractatus 15. de dono Spiritus Sancti, quod respondet virtuti Charitatis, id est, sapientia, & de stulticia illi opposita.

IN prima secundæ controversia quinta, tractatu secundo egimus de donis Spiritus Sancti; ac proinde de sapientia, quæ est habitus supernaturalis infusus à Deo animis iustorum, ut ex speciali instinctu Spiritus Sancti iudicent conveniẽtiam, & credibilitatem mysteriorum, ac cæterarum rerum nostrę religionis Christianæ: idque propter rationes sublimes, atque divinas: quod quidem, quoniam fit cum quadam dulcedine, & sapore rerum cælestium, qui est proprius effectus charitatis, sapientię donum respondet charitati: huic autem dono opponitur stultitia, quam habet ille cui deficit iudicium sapiẽtię, & qui iudicat potiùs adhærendum esse rebus caducis, quòd vitium est coniunctum cum quadam hebetudine mentis erga divina & supernaturalia, quæ quidem ex peccatis, & præsertim ex luxuria oriri solet, & hactenus de virtute Charitatis.

Finis & laus Deo, ac B. Virgini Mariæ.





INDEX PRIMVS
CONTROVERSIARVM,
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM,
& Sectionum, quæ in hoc Secundæ Secundæ tertio tomo continentur.

Commentarius in articulum 4. & 5. quæst. 1. pag. 35.

& mores

Cõmentarius in art. 1.& 2. quæst.2. pag. 127.

virtutem

Commentarius in articulum 3. & alios uſque ad octavum.pag.140.

Commentarius in articulum nonum. pag.155.

Commētarius in quæſtionem quartam. pag. 163.

Commētarius in quæſtionem quintam. pag. 179.

Secunda Cõtroversia Generalis, de virtute Spei, ad sex quæstiones huius 2.2.S.Thomæ, scilicet à q.17.ad 22 pag.229

Commẽtarius in quæstionem 18.pag.245.

Commẽtarius in quæstionem 19.pag.256.

Cõmentarius in quæstionem 20. 21. & 22. eadem pag. 265.

Tractatus

Commētarius in articulos decimum, undecimum, & duodecimum. p. 355.

Commẽtarius in quæstionem 34. & reliquas usque ad 43. pag. 488

INDEX LOCORUM

SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE IN hoc tomo tertio 2. 2. continentur.

Cap.

Non



INDEX TERTIVS RERVM LOCVPLETISSIMVS, VBI pag. seu p. paginam indicat, num. vel n, numerum marginalem.

pag.

Apostasia.

Apostoli.

Appetitus.

Apprehensio.

Aristocratia.

Articuli.

Attributa.

Attritio.

Canoni-

Chriſtus Dominus.

Emendatio.

Enoch.

zatos

differat

FINIS.

AD MAIOREM DEI GLORIAM ET VIRGINIS IMMACVLATAE AETERNI FILII PARENTIS, IN SECVLA SECVLORVM.



